SC.7.P1.2.

37
9 E
4

- 927

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM
AB ANNO MDLXXV. USQUE AD ANNUM MDLXXXIV.

CONTINUATI

A

P. F. STANISLAO MELCHIORRI DE CERRETO

PICENAE PROVINCIAE FILIO

MINORUM OBSERVANTIUM S. THEOLOGIAE LECTORE JUBILATO

ET VELITRIS VOLSCORUM ACCADEMIAE SOCIO

TOMUS XXI.



ANCONAE

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI AURELI

MDCCCXLIV.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO

AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

DOMINO CARDINALI

ALOISIO LAMBRUSCHINI

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI

MUNIFICENTISSIMO PROTECTORI

FR. JOSEPHUS MARIA AB ALEXANDRIA

EJUSDEM ORDINIS MINISTER GENERALIS

POST *tantam tum ordinis seraphici cum multorum in colendis litteris praeclarissimorum virorum expectationem, nunc, Domino adjuvante, magni operis* Annalium Ordinis Minorum *diu interrupta in lucem tandem prodit continuatio. Enim vero primis abhinc annis, quibus divina providentia, nullisque meis meritis ad regimen ordinis assumptus fui, aegre ferebam, quod innumeris impedimentis praeteritorum temporum,*

Digitized by Google

adhuc mundum, imo et ipsos sancti patris Francisci filios, nedum non pauciores sed et majores ordinis gloriae plane latebant. At mihi dolenti quaerentique vir occurrit animo in laboribus invictus, qui ad opus a me electus mihi satis apprime fecit, pater, inquam, Stanislaus Melchiorri de Cerreto Observantis provinciae Picenae lector jubilatus. Ipse namque typis dandum jam nunc praememoratae annalium continuationis volumen XXI. aptissimum praebet. Quapropter, Princeps Eminentissime ac Reverendissime, *duplici quidem gaudio mihi perfunditur animus; in primis ob antiquum mei ordinisque seraphici expletum desiderium, deinde ob potestatem mihi factam* Tibi amplissimo Principi *volumen istud posse dicare. Ne diutius namque monumentum publicum desit mei ordinisque erga Te grati animi sensus nostraeque observantiae solemnis manifestatio: imo ne quod nos jucunda gloria nobismetipsis saepe in claustris de Te praedicamus, magna gentium societas ignoret, pretiosissimum scilicet depositum beneficiorum tuorum, quibus Tibi refertum placuit laetumque habere ordinem seraphicum, hoc licet exiguum tuisque erga nos meritis prorsus impar testimonium Tibi sistere vehementissime exoptavimus. Nec profecto tam quempiam quam Te hoc decet tributum minoritici obsequii, quippe si quis excellens, Tu longe excellentior, et ordinis minorum prae ceteris benefactor, et singulariter ejusdem liberalissimus, imo et addictissimus es Dominus et Patronus. Unde ut pater amantissimus, filiorum benigne precationes et vota excipis, necessitatibus subvenis, rei seraphicae universae curam habes, ita ut quos extra strenue defendis, intus omni qua possis, et maxime quidem potes, industria, consilio, ingenio ad virtutes excolendas excitas, iterque eis honoris et gloriae sternis pandisque. Nulla, cui non consulueris lamentatio, nulla precibus suscipiendis hora prae-*

scripta, vehemens semper animus ad succurrendum, ut se praebeant patientissimae aures ad audiendum. Quid dicam de summo studio atque amore tuo erga recentissimum Ordini additum decus, cujus tanta quidem et magna pars Tu solus fuisti? De consecratione loquor maxime nostrae S. Mariae Angelorum prope Asisium Basilicae. Ad quod opus suscipiendum perficiendumque neque itineris incommoda neque gravissima, quibus pene obrueris, ecclesiae ac status negotia Te ullo modo retardant. Ideo equidem, ut tam magnum minoriticum opus ea perfecisses magnificentia, qua numquam Minores sibi solemniorem sperare potuissent. Quid? nonne ex celsitudine tua tuorumque magni momenti officiorum, quae totum Te continuo tenent, tamen pro ordinis utilitate et splendore, ad humiliora tractanda saepe descendis. Verum quid miror? solemnis permagna antiquissima et quasi a natura indita est Tibi erga Seraphicum Patriarcham devotio, quae in propatulo est, quod non minus ordinis patronus vigilantissimus, quam seraphici Patris cultor eximius nominari et esse omni animi contentione adnitaris. Quae omnia vero extrinsecus patentia, quot qualesque intus animo Tibi, AMPLISSIME PRINCEPS, *adhaereant virtutes, demonstrant. Est religio in primis intemerata, tum dulcis humanitas, tum gratiosa comitas, quae animi dotes ab celsissima qua refulges dignitate, indivisae conspiciuntur; scientia insuper atque omnigena eruditio, quae jamdiu Tibi maximam in republica litteraria nominis celebritatem compararunt; pietas denique, prudentia, charitas prorsus eximia, quarum virtutum tot sane extant documenta, quot sunt res ab* EMINENTIA TUA *praeclarissimae gestae, quae innumerae plane sunt, quaeque posteritatis memoriae historia commendabit. Quamobrem* EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, *sinito*

quaeso, ut nomine totius ordinis minorum et mei hoc quod debeo nedum nostri grati animi sensus, sed justitiae obsequium tibi promam, humillime resignans ac offerens quod juxta tenuitatem virium nostrarum in nostra potestate Deus posuit resignandum offerendumque. Parva quidem res si cum Tua magnitudine, magna Teque digna si cum affectu nostro conferas. Excipe igitur datum istud sub tua positum potestate ac tutela, sperantes apud omnes quoque benigne acceptum fore; nam testimonium praeseferens nostri erga Te obsequii, signum pariter exhibebit, quo tibi dicatum, a Te tuendum fovendumque omnes intelligant.

Atque hac spe fulcitus me ordinemque totum seraphicum Tuo magis magisque patrocinio potentissimo commendans, sacram purpuram deosculor, et majori qua possum erga Te observantia ac reverentia devotissime permaneo.

Digitized by Google

IN ANNALIUM MINORUM

CONTINUATIONEM

PRAEFATIO

UT primum litteras Reverendissimi Patris Josephi Mariae ab Alexandria totius seraphici ordinis supremi administri accepi, quibus mihi munus demandabatur franciscalium commentaria lucubrandi, diu anceps haesi, an amplissimis votis ejus respondere valerem; penitus namque noveram, ingens opus quinquaginta ab hinc annis praetermissum, undique scopulis esse circumseptum. Haud tamen animo concidi, quinimo, ut franciscani ordinis, qui, velint nolint minoritici coetus aemulatores, ubique patet, sanctimoniae, doctrinae, dignitatum, laborumve praecipue, ut efferatas gentes Christo lucrifacerent, praeclara gesta enarrarem, manus ad eorumdem annalium continuationem, ab anno MDLXXIV. ad haec usque tempora interruptam, prompto alacrique animo admovendas constitui. Ad munus hoc laetissime suscipiendum me impulit etiam illud artium studium, quod ardenter nutrit et fovit sapientissimus Praesul,

Digitized by Google

instituti nostri decus et ornamentum. Eo siquidem mandante, ut caetera silentio praeteream, universae chronologiae opus aggressus est admodum Reverendus P. Mauritius a Brixia lector jubilatus, quem honoris caussa nomino, eloquentiae sacrae, ac juris pontificii cathedrae erectae, philosophiae, ac theologiae gymnasia in expeditiorem docendi rationem sunt instituta.

Igitur ut Parentis, ac Moecenatis mei desiderio satisfacerem, relictis iis quibus vacabam publicis curis, catholici Orbis Metropolim petii perscrutaturus ibi MSS. XXI. volumen doctissimi P. Cajetani Michelesi postremi annalistae; quod quidem tamquam ferme absolutum innuit idem auctor praefatione jam edita voluminis vigesimi. At proh dolor! Annalistae praedecessoris mei scripta neque in Picena Provincia, ubi dierum plenus excessit e vita, neque Romae conspicere potui, quamvis in iis conquirendis nihil intentatum reliquerim, sodalium etiam ope, ac diligenti usus industria. Tanta fuit monumentorum clades ex postrema franciscalium familiae oppressione inflicta. Interim Aracoelitanum, moxque S. Isidori archivum perlustravi; at cum utrumque pene exhaustum reperiissem, miratus sum tot antiquitatum volumina, quibus olim ditata erant, naufragium fecisse. Me tamen graviter affecit archivi S. Isidori jactura, de cujus monumentorum divitiis pro annalibus minorum concinnandis sic habet eodem loco Michelesius: *Expectationem meam*, inquit, *vicit archivium S. Isidori tot tantique* MSS. *omnis generis divitiis undique refertum, Lucae Waddingi annalium parentis cura, ut nesciam, qui fieri possit, ut vir minorita paullo ingeniosior ipsum semel ingressus pedem unde referat, quin, caeteris studiis abjectis, scribendae historiae incitatissimo desiderio rapiatur.* Vicit omnia labor, vicit et gloriae stimulus. Hinc reseratis mihi aliis S. Francisci Transtyberim, ac SS. XII. Apostolorum de Urbe archivis, eo tandem insperato deveni, ut quam-

Digitized by Google

plurima operi magnitudini satis accommoda collegerim. Insigniores Urbis bibliothecas Angelicam, Casanatensem, Barberinam, et Chigianam eo consilio interim pervestigavi, ut quae de franciscanis commemoratu digna erant, quaeque eis propria ex prophanis aeque ac ecclesiasticis scriptoribus proferrem. Inde ut tabularium Romanorum Pontificum explorarem, supplices litteras ad Emmanuelem De Gregorio S. R. E. Cardinalem ejusdem tabularii praefectum dedi, quibus cum ipse ob summam qua praeditus erat humanitatem votis meis obsecundasset, omnia ferme ex eo mandata, brevia, privilegia minorum instituto a Gregorio XIII. Summo Pontifice collata, in Quirinalibus aedibus exscripsi.

His cumulatus opibus, Piceni Provinciam repetens, Patrum Conventualium Montis Sancti Petri Angelorum coenobium adii, ut ea quae summo studio collecta fuerant ab optime meritis reipublicae litterariae viris PP. Hyacintho Sbaralea, Francisco Antonio Contarini, et Francisco Antonio Benoffi dispicerem. Plura ex volumine MSS. cui titulus: *Supplementum ad annales minorum*, et ex aliis duobus, nimirum de Episcoporum et Inquisitorum generalium contra haereticam pravitatem serie, quam ardenter optabam, mihi datum est invenire, munificentia Reverendissimi P. Angeli Bigoni generalis ministri minorum Conventualium, comitate, doctrinaque spectatissimi.

Licet haec summa solertia, adhibitisque etiam doctissimorum virorum consiliis peregerim, dubito tamen, quin, iis in regionibus praesertim, in quibus divina et humana delirantium pseudo-philosophorum impetu subversa sunt, omnia et singula, quae fratrum, sanctimonialium, coenobiorum, provinciarum, capitulorum generalium historiam spectant, sim plane adeptus; nam juxta illud S. Ambrosii vulgatum: *unumquemque fallunt sua scripta, et aurem praetereunt . . . . . incautius plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid*

S. Ambrosius epist. 48. ad Sabinum tom. 6. pag. 169. Venetiis 1781.

S. Cyprianus epist. 71. ad Quintinum fratrem col. 306. Venetiis 1758.

exit ambiguum. Hinc celebri illo S. Cypriani Episcopi et Martyris instructus oraculo: *non enim vincimur, quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur*, probum lectorem obsecro, ut si hisce commentariis percurrendis in aliqua fidei historicae minus consona offenderit, vel ob documentorum deficientiam ommissa deprehenderit, me humaniter moneat, ac in tam varia, et inaequali scriptorum diversorum collectione ignoscat meae elocutionis inelegantiae. Postremo duo hic adnotanda esse cupio, me scilicet in eorum elogiis qui sanctitatis laude, vel martyrii fama e vita exciderunt, ac in eorumdem virtutibus, miraculis, coelestibusque donis enarrandis, iis exceptis, qui ab Apostolica Sede in Beatorum, vel Sanctorum album cooptati sunt, historici partes unice explevisse; alterum S. Matris Catholico-Romanae Ecclesiae judicio falli nescio mea omnia hoc in volumine inscripta lubenti, quo decet, animo subjicere.

Cum autem in votis habeam franciscani instituti gloriam, quod proprium est filii erga matrem quam veneratur, ulterius aperiendi, ejusdem commentaria ad divinae laudis incrementum, virtutisque incitamentum, auspice Deo, ad annum usque MDC. me adducturum confido.

Digitized by Google

APPROBATIONES

I.

JUssu Reverendissimi Patris Josephi Mariae ab Alexandria nostri Seraphici Ordinis Ministri Generalis legi, ac ea qua potui attentione perlegi opus inscriptum: *Annalium Ordinis Minorum continuatio*, ab admodum Rev. Patre Stanislao Melchiorri Provinciae Marchiae lectore jubilato compositum, et ad decem annos productum, nihilque in eo reperi, quod Religioni, aut bonis moribus apprime consonum non sit. Quapropter, attenta etiam singulari diligentia, studio, gravitate, concinnitate, qua ex omni parte volumen hoc elaboratum renidere, ac splendescere mihi videtur, nec non contemplata bonorum omnium hanc ipsam continuationem exoptantium solicitudine, dignum illud existimo ut typis mandetur, et sic honesta petentium desideria splendide, plene, ac cito compleantur.

Datum Romae ex Aracoeli die 20. Julii 1842.

FR. MAURITIUS A BRIXIA
Lector Jubilatus,
et Ordinis Chronologus Generalis.

II.

DE mandato Revmi in Christo Patris Josephi M. ab Alexandria totius Ordinis Minorum Generalis Ministri, non sine animi gratulatione perlegi opus cui titulus: *Annalium Ordinis Minorum continuatio*, ab admodum Reverendo Patre Stanislao Melchiorri Provinciae Marchiae lectore jubilato exaratum, et ad decem usque annos in praesenti volumine productum, in quo non modo aliquid reperi, quod ratione dogmatum atque etiam morum alienum sit a mente Catholicae Ecclesiae; sed omnia ex adverso ita disposita novi, ut dum ex una parte animum ad pietatem incendunt, religionem spirant, excitantque nostri Seraphici Ordinis alumnos ad majorum suorum sectanda vestigia, ex alia laborem, industriam, summamque auctoris patefaciunt solertiam in investiganda historica veritate, in perquirendis undique mss. fide dignis, ac in optime distribuenda materia in tanta rerum gravissimarum copia. Elucet siquidem in eo perspicua dictionis elegantia cum temperato, sed undique sano artis critices usu conjuncta; elucet et studium indefessis viribus adhibitum, propter quod arcto ligamine omnia copulata conspiciuntur cum annalibus jam ab aliis scriptoribus praelo traditis. At animum magis movet accurata illa citatio auctorum cum determinatis editionibus, nunquam sane ab aliis adhibita, semperque com-

Digitized by Google

mendatione digna, quae quamvis primo intuitu res appareat parvi habenda, recte considerantibus proculdubio ostendit maximam scriptoris diligentiam, ingenuitatem, laborem. Mitto dotes reliquas legentibus obvias, quibus refertum est integrum opus. Quapropter non solum illud approbo, dignumque existimo ut typis mandari possit, servatis prius de jure servandis, sed et summopere commendo.

Datum Velitris ex Coenobio S. Laurentii die 28. Augusti 1842.

F. ANTONIUS M. DE S. ROMULO

Lect. Jubil., Stud. Praef., in Ven. Semin. Dogm. ac Moral. Theol. Prof., Examin. pro-Synodalis, Accademiae Relig. Cathol. Romae socius, atque illius Volscorum Censor.

FACULTAS ORDINIS

FR. JOSEPH MARIA AB ALEXANDRIA

Sacrae Theologiae Lector Jubilatus, ex Minister Provincialis, jam Definitor Generalis, in Cismontana Minorum Observantium, ac Reformatorum Familia ex Vicarius Generalis, in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, Sacrarum Congregationum de Propaganda Fide, Sacrorum Rituum, ac S. Romanae, et Universalis Inquisitionis Consultor, coram Summo Pontifice Episcoporum Examinator, totius Ordinis Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, Commissarius, Visitator, et Reformator Apostolicus, humilisque in Domino Servus.

Cum duo Ordinis Nostri Patres Theologi a Nobis ad hoc specialiter deputati, Opus (Auctore Reverendo Patre Stanislao Melchiorri a Cerreto Lectore Jubilato, ac Ordinis Annalista) cui titulus: *Annales Minorum, etc.* Tomus XXI. annos a MDLXXV. usque ad MDLXXXIV. Ordinis Annalium complectens, reviserint atque approbaverint, Nos vigore praesentium facultatem eidem facimus, quatenus, servatis servandis, illud typis mandari possit.

Dat. Romae ex Aracoeli die 10. Septembris 1842.

FR. JOSEPH M. MINISTER GENER.

L. ✠ S.

De Mandato S. P. Reverendiss.
FR. ANTONIUS M. AB ARIGNANO LECT. JUBIL.
EX-PROVINC. A SECRETIS ORD.

Digitized by Google

Die 22. *Maii* 1843.

IMPRIMATUR

Fr. Vinc. Aloisius Reggiani Ordinis Praedicat.
Vicar. Generalis S. Officii.

Anconae die 30. *Junii* 1843.

VIDIT

Pro Excellentiss. ac Reverendiss. Domino Deleg. Apostol.
Aloisius Canonicus Ambrosi

Anconae ex Sacro Semin. a S. Karolo prid. kalend. Quintiles
An. MDCCCXLIII.

IMPRIMATUR

Pro V. Eminentiss. et Reverendiss. Card. Ep. N.
ANTONIO MARIA CADOLINIO

Can. Sebastianus Petrellus

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALIUM
ORDINIS MINORUM
CONTINUATIO

Anno Christi 1575.	Gregorii XIII. an. 3. et 4.	Maximiliani II. anno 12.	Religionis Minorum an. 368.

ARGUMENTUM.

Revocata Pauli III. constitutione, Capucini Gallias petunt. Minores de observantia iter parant in Insulas Philippinas. Instituitur provincia S. Georgii de Nicaragua. Decedunt viri et virgines. Celebratur comitium generale intermedium, et privilegia conceduntur fratribus strictioris observantiae, conduntur leges, dividitur provincia Neapolitana. Capucini habent capitulum generale. Occumbunt martyres. Augetur domorum numerus. Recensentur acta ss. virorum, prodigia nonnulla, et Pontificis concessiones.

Non sine maximo franciscani ordinis decore patuerunt Galliarum tractus, cunctaeque regiones trans Alpes inclyto minorum capucinorum sodalitio, ut in eisdem stabili loco consisteret; antea enim nonnisi ad explorandum gentis animum, inspiciendumque, an religiosorum coloniam admittere vellet, eo aliqui fratres se contulerunt, quod in votis erat assequendi spe, non certitudine freti. Revera quamvis Carolus IX. rex, ejusque mater Catharina Medicaea singulari humanitate hospites excepissent, illorum consilia probassent, ac res anno elapso promovissent; obstabant tamen litterae Pauli III. Sum. Pont., qui capucinis terminum praescripserat Italiam, et Alpes; ideo sane, quia oportebat novam congregationem veluti plantam in nativo solo prius adolescere, et augeri viribus, quam propagines in exteris terris insererentur. Obicem sustulit Gregorius XIII., sua mox apponenda constitutione, hoc, non vero anno praeterito edita, ut scribit Michael a Tugio; divinoque accidit consilio, ut provinciis, quae haereticorum injuriis, et civium motibus concussae, belloque vastatae jacebant, darentur cultores, qui pietatis religionisque semina rursus excitarent, et agro Domini ferme deserto, ac sentibus oppleto pristinam amoenitatem, fertilitatemque restituerent. Diploma pontificium hic damus.

Annales Minorum ad an. 1537. num. 16.

Bull. Capuc. tom. 1. pag. 35.

GREGORIUS XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex nostri pastoralis officii debito, ad ea libenter attendimus, per quae singulorum religiosorum propagationi consulatur; maxime vero, quae alicubi ex speciali populorum devotione optantur. Cum itaque religio ordinis fratrum minorum congregationis capucinorum nuncupatae, dudum in Italia salubriter instituta, nunc etiam in partibus Galliarum, et signanter in alma civitate Parisiensi institui coepta, ad finem perduci desideretur: sed quia alias fel. rec. Paulus PP. III. praedecessor noster, ex certis tunc expressis causis, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poena, dilectis filiis vicario generali, et fratribus dictorum ordinis, et congregationis, motu proprio praecepit, ne donec a se, in capitulo generali ejusdem ordinis, quod in Urbe celebrandum erat, aliud super eo determinatum foret, sese ultra montes transferre, aut loca de novo acceptare auderent: ipsi vicarius, et fratres, et si praeceptum, dicti praedecessoris obitu, creditum sit expirasse, veriti tamen crimen transgressionis, nihil omnino contra illud absque dictae sedis permissione, ausi sint hucusque attrectare. Nos religionis ampliandae studio, prohibitionem praedictam, ac quidquid a dicto praedecessore ejus causa decretum est, auctoritate praesentium abrogamus, ac vicarium et fratres praedictos contra illa in integrum restituimus. Quin etiam illis ad Gallias, et caeteras omnis Orbis partes libere transeundi, et ibidem domos, loca, custodias, et provincias, juxta eorum ordinem, fundandi, instituendi licentiam tribuimus. Non obstantibus etc. Datum Romae apud S. Petrum pridie nonas Maii Anno incarnationis dominicae MDLXXV. *Anno* VI. *Caesar Glorierius.*

II. Mirum in modum advenientibus faverunt omnes, quibus pietas cordi erat, nihilque in aula regia, et apud viros principes, optimates, ecclesiarum antistites praetermissum est gratiae et beneficentiae erga ipsos; nam paucorum repugnantia brevi devicta est; irrisiones vero, et ludibria, quibus vel plebs ignara, vel genimina viperarum, viros Dei Hugonotti impetebant, ea utique aut contemnenda sunt, ut impotentis animi deliria, aut toleranda, seu potius optanda, tamquam virtutis incitamentum. Auctor est Boverius, id suis tribuisse Henricum III. in Galliarum regem coronatum, quod vetustioribus ordinibus nunquam antea tributum fuerat, adoptione religionis capucinorum in filiam legitimam, et naturalem regis sui, ejusdemque in regiam clientelam receptione. De hoc postremo dubitationem omnem auferunt ipsius Henrici litterae, et praeterea constat, societates omnes regis tutela, aut supremi magistratus niti. In adoptione vero illa nemo unus non haerebit, qui animadverterit, eam ex litterarum verbis colligi non posse, quae non aliud largiuntur capucinis, quam privilegia caeterorum ordinum regularium inibi degentium.

Boverius ad ann. 1576. num. 10. pag. 792. Lugduni 1632.

III. Latissimum quoque campum, per quem excurrerent, verbi Dei semina mittentes, sibi reserarunt franciscani observantes in Insulis Philippinis, in quas non hoc anno trajecerunt, ut putat Arturus, sed trajicere deliberarunt. Nam multo ante in Asiam per caput Bonae Spei in

Arturus ad diem 2. aprilis. Parisiis 1653.

classe Petri Alvarez Lusitanae expeditionis praefecti sub initium saeculi xvi. penetraverant minoritae cum fr. Henrico Conymbricensi, qui postmodum ecclesiae Ceptanae in Affrica praefuit episcopus; locis tamen Indico mari finitimis se continebant, insulisque Goae, Zeilami, Dii, Armusii, atque aliis, quibus omnium primi mores, et religionem intulerant, Lusitanorum navigationes, pericula, et victorias sequuti. Philippinas, seu Maniolas, vel, ut ajunt, Barussas Ptolomaei, jacentes ultra Gangem in archipelago sancti Lazari sub zona torrida, detexit anno mdxxii. Ferdinandus de Magellanes, qui sub auspiciis Caroli V. novam viam transfretandi in Indiam quaesiturus, et a portu de Sanlucar quinque navigiis per mare australe delatus, appulit primo in insulas Marianas, seu Latronum ad austro-notum regni Japponensis, ab eisque digressus, dum Molucas investigaret sub linea aequinoctiali, casu incidit in insulam de Samat, vel Tendaye, ac subinde in alteram de Zebu, ubi suos in litus exposuit. Ab Indis exceptus cum honore, et laetitiae significatione satis felix sibi ipse videbatur; nisi quod paullo post, immutata illorum voluntate, bellum exarsit, mediaque in pugna cecidit interemptus, classe ab hostibus direpta, atque uno tantum navigio incolumi, quo commilitonibus ejus superstitibus inde abscedere vix datum fuit, et remeare in Hispaniam. *Annal. Minor. ad an. 1500. num. 10.*

IV. Secum duxerat Ferdinandus fratres aliquot eremitanos s. Augustini, qui plerosque infideles sacro fonte abluerunt, tametsi brevi illic manserint. Hoc initium ecclesiae Philippinarum, quae, evangelii ministris deficientibus, nec aucta est, nec augeri potuit usque ad annum mdlxiv., quo Michael Lopez Lecaspius, catholico rege sic jubente, a Mexico digressus summa in hyeme, eamdem tenuit insulam de Zebu, una cum duobus fratribus ejusdem ordinis, nempe Martino de Errada, et Joanne Urbaneta, quem cosmographiae peritissimum tradunt. Sortem veritus, quam Ferdinandus subierat, cautius agendum duxit, atque tellure potitus est, statim propugnaculum erexit in littore tormentis bellicis, vallo, et aggeribus satis munitum, quo populares in officio contineret, et illorum impetus in se, et classem retardaret. Hinc hostes, pluribus praeliis, quum neque in aciem prodeuntes sagittarum nimbo quidquam proficerent, neque insidiis loco dimoveri posse Hispanos animadverterent, maxime postquam nova auxilia a Mexico conquisita advenissent, desertis laribus in montium latebras cum uxoribus, liberis, et cuncta domorum supellectile sese abdiderunt. *Gonzalez de Mendoza part.2. cap.1. Venetiis 1586.*

V. Rebus tandem compositis, et foedere cum Hispanis inito, horum societate, et consuetudine mores, atque humanitatem induere coeperunt, ritusque, ac coeremonias religionis perdiscere, Augustinianis in id incumbentibus, ut nihil instructionis neophytis deesset. Reliquerat in insula Ferdinandus simulacrum pueri Jesu, ab Indis vocatum Deus *Bata*, idest Deus infans, cui, licet in fide rudiores, supplicare consueverant, quoties aquarum penuria laborarent. Sub hoc tempus in magna regionis siccitate erutum illud a loco ignobiliori detulerunt ad patres augustinianos, nuncupatisque Deo votis, uberes imbres a coelo deciderunt, incredibili cum omnium admiratione, et jucunditate. Quapropter, supplicatione indicta, frequentem inter Hispanorum et Indorum multitudinem sacrum pignus solemni pompa illatum est in templum civitatis, quam propterea vocarunt nominis Jesu. *Monum. Mss. Insularum Philippinarum.*

Digitized by Google

VI. Satis non erant tam pauci evangelii cultores numero conversionum, quae fieri debebant, aliis insulis boream versus pedetentim subactis ex duodecim illis mille, quibus scatet archipelagus inter novam Hispaniam, et Tapobranen, seu Sumatram. Quod perpendens Franciscus de Sandino Philippinarum pro rege catholico moderator, a rege hoc anno petiit per epistolas novos operarios mittendos in vineam Domini, et nominatim fratres minores, quorum zelum, et probitatem apprime noverat in Nova Hispania, unde paullo ante in Philippinas transfretaverat; futurum siquidem sperabat, ut conjunctis augustinianorum et minorum laboribus maximum catholica religio incrementum, fructumque caperet.

Busching nuova Geografia tom. 28. pag. 313. Venezia 1779.

VII. Dum, receptis litteris, Philippus rex de delectu fratrum mittendorum cogitaret, divino consilio accidit, ut fr. Antonius de s. Gregorio in Hispaniam reversus jam foret a Peruvia. Natus Hinojosae, dioecesis Mitobrigensis in Bethuria, transierat adolescens in Americam, prius militiae addictus, postea fodinis auri et argenti excolendis, qua ex industria non mediocrem rem familiarem collegerat. Sed meliorem partem deinde eligens, franciscanam regulam professus est inter laicos in coenobio Limano SS. Conceptionis. Occupatus aliquot annos in humilioribus domus ministeriis, et fratrum suorum cura, ardens concepit desiderium conversionis infidelium novae Guineae, et insularum Salomonis, quae tum primum repertae multorum sermone celebrabantur. Rem attente meditatus nihil magis sibi prodesse duxit, quam reditum in Hispaniam, ubi fratres alios in partem laborum vocaret; noverat enim illic non defuturos, qui, aeque ac ipse, apostolatus cupiditate tenerentur.

Gonzaga in provincia S. Gregorii pag. 1351. Romae 1587.

VIII. Facta sibi licentia a Joanne del Campo commissario generali in provinciis Americae meridionalis, navique conscensa, pervenit in Panaman et inde in portum Nominis Dei, ubi quamvis Hispana classis expectaretur, morae tamen impatiens in navem mercatoriam se conjecit in Baeticam redeuntem. At sciebat, mare illud boreale refertum undique praedonibus audacissimis, qui praeter navigantes cuncta diripiebant, et in omnes sive amicos, sive inimicos pari jure utebantur. Subductus a terra, secundisque auris progrediens, in armatam incidit triremem piratae Galli ex turpissima hugonottorum faece, qui nactam praedam nullo negotio apprehendens, merces abstulit nautis haud noxius. Antonium vero intuitus, scrutatusque diligenter utramque manicam ejus tunicae, quum, quod raperet, nihil reperiret, alapas ei impegit, ac satellitibus suis imperavit, ut monachum nudatum, et suspensum chorda a malo puppis bis dejicerent in tabulatum; quod immites illi peregerunt. Licet tam gravi dolore conficeretur, maximo tamen cumulabatur gaudio, non cessabat Dei sui eloquia in ejus corde inscripta illis annuntiare; ipsi vero crudeliores effecti, in mare submergendum projiciunt. Cum autem non post unam vel alteram horam, ut putat Gonzaga, sed post duos dies, teste accuratissimo Joanne Francisco de s. Antonio, juxta ipsam navim maxima celeritate donatam a piratis illaesus omnino, superstesque visus esset, inde per scalam eductus, ut fame et siti necaretur, in arca inclusus est. Sic excruciatus, et semianimis Deo, quam maximas potuit, egit gratias, quod martyrii ostensa corona in se respexerit immerentem.

Idem pag. 1351.

Joan. Franciscus a S. Antonio in Chron. prov. S. Gregorii Philipp. tom. 1. pag. 755. num. 501. et seq. Manilae 1738.

IX. Necesse fuit, ut storea, quam illic invenit, veluti pelliceo tegumento, dies plurimos membra contegeret (tunicam enim pauperis

Digitized by Google

franciscani aliquid latrones raptu dignum existimarunt) et in secretiori carina lateret. Sane nonnisi in coenobio S. Mariae de Sanlucar vestem accepit a fratribus ordinis sui, qui hospitem tot incommodis defatigatum, et squallore consumptum perhumaniter refecerunt. Viribus aliquantulum resumptis, Matritum contendit ad Franciscum de Gusman commissarium generalem Indiarum apud regem catholicum, qui, ut scribit Joannes a S. Maria, audita adventus sui causa, *dixit ei, ut se conferret in aliquem conventum ad inserviendum in officio suae vocationis. At die sequenti, examinato ejus spiritu, et cognoscens esse hominem valde capacem, praecepit ei, ut iret in conventum s. Bernardini ad videndum si aliqui ex illis viris religiosis vellent secum proficisci.* Sic ille hac in re prorsus singularis; omnes enim alii chronographi unanimes ajunt, Franciscum de Gusman consilium ejus improbasse, perpensa non tam negotii difficultate, quam petentis conditione, qui laicus esset imperitus, sibi ignotus, a Peruviae finibus tum primum adveniens peregrinus; quod quidem, ut narrant, contigisse multo magis verisimile videtur. Itaque silentio ei indicto, jussit, ut moraretur in conventu Matritensi s. Bernardini inter fratres discalceatos provinciae s. Josephi.

Joannes a S. Maria tom. 1. lib. 2. cap. 19. in Chron. prov. S. Josephi.

X. Tranquillam vitam ducere instituit vir Dei in illo virtutum gymnasio, et spem omnem jam abjecerat evangelicae praedicationis, quum duobus annis nondum elapsis commissarius de ejus moribus, et pietate certior redditus, veritusque, ne voluntati Dei obsisteret, qui ignobilia mundi, et contemptibilia eligit, ut confundat sapientes, litteras ei tradidit hoc anno Romam deferendas ad Christophorum a Capitefontium ministrum generalem, et purpuratos aliquot patres, quo facilius a Summo Pontifice obtineret missionem, quam exoptabat ad insulas Salomonis.

XI. Accepto litterarum fasciculo, novi itineris magnitudine non deterritus, Romam advolavit. Mox confecto negotio, obtentoque diplomate a ministro generali in Hispaniam revertit; ubi per provincias tum ipse cursitans, tum usus opera Francisci Añada quem comitem ei dederat Franciscus Gusman Indiarum commissarius generalis, sic egit, eoque rem adduxit, ut socios repererit viros religiosissimos, et probatissimos, ex provincia s. Josephi Petrum de Xerez, Sebastianum de Baetia, Paulum a Jesu, Didacum de Oropesa, Alphonsum de Medina sacerdotes, Didacum de Cadahalso, Franciscum de s. Maria clericos, Hieronymum Mallorquin Majoricensem, antea equitem s. Joannis Hierosolymitani, et Alphonsum de Valverde laicos; ex provincia s. Jacobi Petrum de Alfaro, et Joannem de Placentia sacerdotes; ex provincia Conceptionis Antonium de Barriales, et Augustinum de Tordesillas sacerdotes, quem chronicae nonnullae faciunt alumnum provinciae s. Josephi; ex provincia Aragoniae Franciscum Marianum, et ex provincia Castellae Franciscum Menor sacerdotes. Accessit Joannes Baptista Pisaurensis praedicator apostolicus, qui majoris perfectionis causa a minoribus conventualibus transierat in provinciam s. Josephi, reformationem discalceatorum amplexus in conventu s. Bernardini Matriti, quem quidam scriptores ejus conterranei Joannem Pisaro appellant, ut nominis amphibolia non Italus, sed Hispanus videatur.

Arturus ad diem 7. Septembris.

XII. Delectu sociorum Antonius laetus singulos congregavit in Hispalensi s. Francisci coenobio; quumque illic rebus omnibus ad navigationem

necessariis consuleret, decrevit Philippus rex, non amplius eundum esse in insulas Salomonis, verum in Philippinas, memor postulationis Francisci de Sandino, qui franciscanos habere expetebat. Haec in aliquibus non parum discrepant a quorumdam historicorum narrationibus, ac praecipue Joannis Gonzalez de Mendoza Augustiniani, juxta quem fratres sui ordinis, una cum dominicanis, et franciscanis de strictiori observantia, in Philippinis in urbe regia Manilae conviventes, de navigatione ad Sinas suscipienda deliberarunt, impetrata sibi ad hoc regis catholici solemni legatione ad regem Sinarum. Addit, eos, dum idiomate discendo vacarent, et expectarent occasionem transfretandi, quam a Deo se accepisse augustiniani crediderunt, ad Sinas navigasse; sed ex diaboli invidia prohibitos fuisse immorari. Scriptorem fortasse minus accuratae relationes in errorem induxerunt, saltem quoad missionem franciscanorum.

De Gubernatis Orbis Seraphicus tom. 1. pag. 456.

XIII. Agebatur in Europa de Christi fide in orientales Indias dilatanda, dum in occidentalibus Laurentius Benvenida cum sociis strenue operabatur conversioni Indorum Costaricanorum, quibus aliisque infidelibus ad ecclesiam quotidie accedentibus, et multiplicatis religiosorum domiciliis, oportuit hoc anno custodiam s. Georgii de Nicaragua in provinciarum ordinis album referre. Subest regio audientiae Guatemalae, terminata ab occidente, ubi uno ex latere adhaeret Jamaicae, et ab oriente mari pacifico, sinuque Mexicano, ab austro Costarica, et a septentrione provincia de las Honduras, seu profunditatum. Totius novae Hispaniae hortus dicitur. Attamen Ludovicus Gotofredus illam vocat *non minus siticulosam, quam Apulia, nec minus fastidiosam, quam Aragonia, aut indigentiorem arborum, quam Extremadura.* Secus rem esse testantur historici, qui Nicaraguam praedicant affluentem opibus, non hominum quidem industria, sed agrorum, et climatis natura. Si enim aestivi temporis nimium calorem, et frequentes pluvias hyemales excipias, nihil utique desideratur, quod non sit jucundissimum, sive nemora spectes virentia, sive latos, apertosque agros, qui licet exiguam frumenti, gossipii tamen, opobalsami, piperis, sacchari, succini, aliorumque vegetabilium miram copiam sponte afferunt, et armentis pabula praebent innumeris. Montes, et arenae fluminum scatent particulis auri, et argenti. Sylvae consitae sunt arboribus odoriferis, herbarum praeterea, et frugum varietate redundant, quod et Gotofredus ipse fateri videtur: *Tellus,* inquiens, *foecundissima est, et in primis a Portu Securo usque ad Granatam, quae ob eximiam soli bonitatem, et felicitatem nomine felicis littoris honestatur.*

Annal. min. ad an. 1542. num. 23., et an. 1559. n. 142.

Busching tom. 32. pag. 131.

Gotofredus in Archont. Cosmicis pag. 316.

XIV. Regionis medium occupat lacus aquae dulcis piscibus refertus, CXVII. leucarum in perimetro, veluti mare fluens, et refluens, ac praeter minores insulas unam claudens praegrandem, tamquam in sinu, ex qua mons ignivomus assurgit. Ab occidente paucis leucis removetur ab oceano pacifico, apertus ad boream canali amplissimo, qui desinit in portum s. Joannis. In ripa lacus jacet civitas Legionensis nemoribus septa, a qua tribus leucis boream versus attollitur mons dehiscens in profundam voraginem, a qua fumus exit, qui aerem obnubilat. Fama est, primos Hispanos situlam catenis alligatam in voraginem demisisse, sperantes, liquefactum aurum se extracturos, cum liquefacta situla, oleum et operam perdiderunt.

Digitized by Google

XV. Hanc inter provinciam, et alteram de Veragua ad austro-notum media est Costarica, sic ab Hispanis dicta vel ob contemptum, quum tellurem aliam frugibus illa pauperiorem non repererint, vel potius ob fodinas de Fisingal, quae majori in pretio haberi solent fodinis Potosianis. Extenditur xc. leucas ab oriente in occidentem a mari Mexicano, in quo habet oras de Caribaco, et s. Hieronymi ad mare australe, in quo habet sinum de Salines. Unica ejus productio est *cacao* exquisiti generis. Metropolis Carthago distat xxx. leucas a mari boreali, xxv. ab australi, et portum obtinet in utroque.

XVI. Evangelii lucem his terris intulere Alphonsus Betanços, Laurentius Benvenida, Joannes Pizzarro, et duo alii Franciscani, qui cum quodam licentiato cognomine Cavallon ab Hispania eo transfretaverant circa annum mdl. Sed de his Michelesius. Hoc anno Laurentius verbi *Ann. Min. ad an.* praedicatione, curisque aliis gravissimis apud Costaricanos detentus, ne- *1566. num. 28.* quivit interesse comitio provinciali in conventu S. Antonii de Padua Comajaguae de las Honduras, metuensque propterea, ne sibi novus minister iratus foret, in longinquas regiones secedere cogitavit; quod tamen Hispani praesides impedivere, eumque, et socios ad se venire jussos minister honorifice excepit. Scribit Gonzaga, Antonium de Zayas ad *Gonzaga part. IV.* episcopatum Nicaraguae assumptum impetrasse a Francisco de Gusman *pag. 1335.* Indiarum commissario generali triginta fratres, hoc anno sub Petro Hortitio praefecto secum in Indias deducendos a provincia Baeticae. At eos triginta quatuor fuisse, et Antonium de Zayas in Nicaraguam non pervenisse, nisi anno mdlxxvii. autumat Joseph Torrubia. Utut sit, Petrus *Torrubia in appendice tom. IX.* Hortitius comitium habuit, et provinciam instituit sub titulo S. Geor- *pag. 13.* gii de Nicaragua, suffectus cunctis suffragiis in primum ministrum.

XVII. Coenobia provinciae in Nicaragua sunt.

1. Assumptionis b. Mariae Virginis in oppido de Nicola, seu Nicoya *Gonzaga ibid. pag.* Indorum sumptibus constructum. Habitant tres fratres. *1336.*

2. S. Jacobi insulae Nicaraguae ab Indis fundatum. Habitant tres, vel quatuor fratres.

3. S. Francisci in civitate Granatensi in ripa lacus occidentali positum intra moenia aere publico. Habitant octo fratres.

4. Assumptionis b. Mariae Virginis in medio pagorum regionis Senis, quae ad cc. fere milliaria protenditur, et ab Indis incolitur. Habitant sex fratres.

XVIII. Coenobia provinciae in Costarica sunt.

1. S. Francisci in oppido de Carthago elegantissime constructum circa annum mdlxii. civium eleemosynis, et donatum insigni bibliotheca. Habitant octo fratres.

2. S. Laurentii in oppido de Esparza aedificatum ab Hispanis cum oppido ipso, et arce, ut sub initium Costaricanos in officio continerent. Habitant quatuor fratres.

3. S. Ludovici in oppido de Azerri hoc anno nondum absolutum. Didacus Guillen provinciae Baeticae alumnus renuntiatus est in praefato comitio futurae domus guardianus. Habitant quatuor fratres.

4. Assumptionis b. Mariae Virginis in oppido de Pacaqua, cui praefectus est guardianus Richardus Hierosolymitanus. Hic dispersos, vagantesque per sylvas Indos pauperes cccc., eorumque uxores, et filios

Digitized by Google

collegit, ablutisque baptismi lavacro, domos contexuit ex luto, et stramine ad similitudinem oppidi, quod Pacaquam appellavit, auctum postea ab aliis Indis, qui eo confluxerunt. Eadem ex materia construxit ecclesiam Assumptionis, et coenobium, donec firmiori utrumque communivit. Habitant sex fratres.

5. S. Antonii de Padua Turrialbae fundatum a Joanne Pizzarro primo loci guardiano, et martyre anno MDLXXX.

6. S. Bonaventurae, vel SS. Conceptionis in oppido de Uxarrazi ab Indis conditum. Habitant tres fratres. In his coenobiis franciscani parochorum munere funguntur; Costaricani siquidem non admittunt sacerdotes saeculares, nec habent ecclesias nisi ab illis administratas.

XIX. Coenobia provinciae in locis de las Hondnras sunt.

1. S. Hieronymi in oppido de Agalteca conditum piorum eleemosynis. Habitant tres fratres.

2. S. Antonii de Padua Comajaguae ad perfectionem adductum a Petro Hortitio, qui Bernardino Piretio ministro provinciae Nominis Jesu de Guatemala, ad quam coenobium spectabat, suasit, ut ad suos rediret, sibique curam absolvendae aedis intra civitatem relinqueret. Habitant decem fratres.

Gonzaga ibid. XX. Habet praeterea provincia domos alias, quae in catalogo Gonzagae non describuntur. Rationem tamen assignat, cur omnes illius provinciae aedes non recensuerit. *Certum, inquit, conventuum hujus provinciae numerum, non est, quod curiosus lector a nobis speret; nam ea est hujus provinciae aetas, atque novarum domuum aedificatio, quae singulis fere annis contingit, ut in uno et eodem statu non semper maneat.* Igitur earum saltem aliqua vel ipsum latuit, vel ad posteriorem aetatem pertinent. Sunt autem.

1. Assumptionis b. Mariae Virginis in oppido del Viexo.
2. S. Jacobi de Xinotepet.
3. SS. Conceptionis in oppido de la Yzla.
4. SS. Conceptionis in oppido de Nicaragua.
5. S. Annae in oppido de Namdarine.
6. S. Annae in oppido de Chinandega.
7. S. Antonii in oppido del Realeso.
8. S. Bonaventurae in oppido de Atirro.
9. S. Bartholomaei in oppido de Barha.
10. S. Bernardini in oppido de Quepo.
11. S. Matthaei in oppido de Chirripo.
12. S. Francisci in oppido de Leon.

XXI. Contigit hoc anno plurium beata mors. Ad S. Mariae de Bethlehem Vercellarum in Transpadanis decessit Antonius a Cremona vitae sanctitate, et miraculorum gloria spectabilis. Ejus meminit Bollandus. In ingressu ecclesiae ad laevam, primoque sacello S. Catharinae Bononiensis visitur depositum a terra elevatum cum ejus marmoreo simulacro, et inscriptione:

Antonius a Cremona. Acta SS. tom. 1. Januar. pag. 611.

Sarcophago jacet hoc Antonius ille Cremona
Prodigiis clarus, et vitae moribus, ex quo
Sacra suae Ligures documenta hausere salutis.
Die XXI. *Januarii* MDLXXV.

Asservantur inibi duae capsulae, quarum altera exigua angularis continet caput integrum Beati cum chirographo super papyrum: *Caput venerandi patris beati Antonii de Cremona, cujus corpus jacet intra Bethlehem apud Vercellas.* In altera, quae primae subjacet sine ulla chartula, vel scripto reposita sunt ossa crurium, tibiarum, et brachiorum. In medio brachii lignei inaurati sita est dimidia pars ossis brachii cum inscriptione: *De brachio Beati Antonii de Cremona.*

XXII. Ad S. Catharinae de Monte Murciae provinciae Carthaginensis dies suos complevit Blasius de Villalva clericus, juvenis XIX. annorum, maturus moribus, et in virtutum palaestra veteranus, suis aeque, ac exteris carus. In conventu S. Mariae de Gratia de Villasilos dioecesis Palentinae quievit Petrus a Conymbria laicus provinciae Pietatis, a qua ad alteram Conceptionis se contulit. Certo die se moriturum fratribus suis multo ante revelaverat. In veteri chronica MSS. coenobii legitur: *In hoc sepultus est ven. p. Petrus a Conimbra, de cujus elogiis, et virtutibus alio in loco dicam.* Locus a chronologo indicatus est secundus tomus de viris virtute praeclaris, quem promissum non absolvit, vel si absolvit, periit codex. In conventu Tribulensi, seu del Abrojo, S. Mariae de Scala coeli, sex a Vallisoleto milliaribus, Joannes Calagurritanus sub vesperas Assumptionis Deiparae, praenuntiata transitus sui hora exantlatisque patientissime extremi agonis cruciatibus mortuus est. Gens Vallisoletana, veluti spectaculo excita, ad funus turmatim cucurrit sancto benedictura, et ab ejus tunica lacinias ablatura. Dum viveret, consueverat duabus horis, antequam fratres surgerent noctu, in choro perstare, absolutisque matutinis, illic remanere usque ad tertiam genuflexus in oratione, in qua saepius extra sensus factus vultu pallenti, et exanimi similis, ne respirare quidem videbatur, nisi quod interdum radiantem lucem ab oculis, et fronte emittebat. Aliorum fugiens consortium amica contemplationi loca quaerebat, cilicio ad carnem revinctus, jejuniis extenuatus, et ferrearum catenarum ictibus, quibus membra lacerabat. Ferunt, ipsum miraculis coruscasse.

Blasius a Villalva.

Monum. provinciae.

Petrus a Conymbria.

Daza part. 4. lib. 3. cap. 72.

Joannes Calagurritanus.

Daza ibid. cap. 76. et in vita s. Petri Regalati c. 5. pag. 60.

XXIII. In Ecclesia SS. Trinitatis Lovanii juxta cineres Francisci Domelani conditus est Matthias Felizius, seu Felsius a Bouwershauen Zelandus ex insula Scaldiae, nobili ortus genere Catziorum. Is cum ignaris parentibus minorum ordini se dedisset, jam vestiendus, adveniens mater, multis precibus apud eum egit, ut a proposito removeret, alioquin se filium reprobaturam. Ille vero relicta matre, discessit, sacra religionis veste donandus; sciebat enim pietatis esse genus in hac re esse crudelem. Expleto probationis anno, mater ad professionem revertens, filium alloqui et salutare cupit; cui Matthias, janitore nuncio, respondit, se matrem non habere, a qua fuisset nuper reprobatus. Quo responso mulier, velut jaculo percussa, et quod negaretur alloqui filium, pene est exanimata. Caeterum importuna tandem, quod petiit, impetravit; unde mater et filius rediit in mutuam gratiam. Hinc ille triumphavit felicius, quando professione nomen suum sacrae adstrinxit religioni. Theologiam cum laude legit Lovanii, praefuit guardianus coenobio Sancti Francisci Mechliniensi, et provinciae Germaniae inferioris minister. Verum biennio nondum elapso, non anno insequenti, ut habet Waddingus, sed hoc ipso, die V. Martii, fratribus ereptus est, qui probitate

Matthias Felizius.

Waddingus de Scriptoribus, lit. M. Gonzag. p. 997.

Digitized by Google

Arturus ad diem 30. Septembris, Hueber ad eumdem diem. ejus, pietate, eruditione, ac praeterea facili comitate, quam suavis quaedam dulcedo perfundebat, moti, ut patrem diligebant, et virum optimum appellabant. Scripsit *Institutionis christianae catholicam et eruditam elucidationem secundum methodum a magistro sententiarum observatam*, Antnerpiae hoc anno typis Plantinianis editam; et anno MDCIV. Parisiis anctam scholiis, et commentariis; *Praeceptorum decalogi catholicam elucidationem optima methodo locorum communium distributam*, Antuerpiae eisdem typis anno MDLXXII., hoc, et sequenti. Parisiis hoc anno apud Michaelem Julianum, et anno MDCIV. apud Adrianum *Possevinus tom. 2. Apparatus Sacri lit. M.* Beys. Loquitur Antonius Possevinus de altera ejnsdem operis editione Plantiniana anno MDLXXVIII., et Parisiensi anno MDCIV. apud Petrum Pautonnerium.

XXIV. In conventu S. Michaelis Placentiae provinciae S. Gabrielis, ipsa Dominicae Nativitatis nocte, prout a Deo postulaverat, obiit Ludo- *Lodovicus a Salmantica.* vicus a Salmantica laicus, charitate excellens, humilitate, abstinentia, donisque coelestibus cumulatus. Ventura prophetico spiritu praedixit, et *Monum. provinciae.* hominem hydrophobia laborantem panis frusto sanitati restituit. In con- *Hieronymus de Ariza.* ventu S. Margaritae Xeresii de Equitibus Hieronymus de Ariza orato- rum sui temporis princeps, et a populis ut sanctus habitus, ac non *Antonius Hortitius.* multo post Antonius Hortitius, qui, si Dazae fidem adhibeamus, jacuit *Baretius pag. 618.* in coenobio S. Isabellae Toleti. Utrumque memorat Baretius. At minus verisimile existimamus, Antonium Hortitium, qui priusquam in Americam transfretaret cum Martino de Valentia, ministrum egerat in provincia S. Gabrielis, tamdiu fuisse superstitem. Annalium continuator *Ann. Min. ad an. 1559. num. 8.* Joseph Maria de Ancona utriusque obitum contigisse scribit tempore anteriori; neque ii nos sumus, qui Baretium tueri velimus. Non intelligimus tamen, cur annalista testes producat ad marginem Gonzagam, et Waddingum, quorum neuter agit de anno, sed tantum de obitu.

Antonius Pinto XXV. Antonium Pinto Lusitanum a Villaviciosa in Algarbiis defunctum hoc anno in conventu S. Hieronymi de Caxalla tradit Daza. At *De Guadalupe lib. 5. cap. 9. pag. 152.* vero Andreas de Guadalupe accuratissimus scriptor rerum provinciae Angelorum addit, eum studuisse artibus, et theologiae in universitate Conymbriae, ubi mundi Indicra perpendens, fratrum minorum regulam professus, et cum iis aliquo tempore conversatus, abivit in custodiam Angelorum permotus fama Joannis de Popula, qui claruit saeculo XV.; eum denique unum fuisse ex fundatoribus coenobii S. Alberti de Monte, seu S. Gilberti de Buciegas, conditum sub pontificatu Julii II. opera Gonsalvi Mexia Carillo domini S. Euphemiae. Ejusdem nominis alter patria *Antonius Nebrissensis.* Nebrissensis virtutibus in vita, et miraculis hoc anno refulsit in morte; ut enim authentica monumenta probant archivii episcopalis Algarbiorum, *Salazar lib. 3. cap. 13. Chron. prov. Castellae.* solo contactu ejus tunicae aegri valetudinem recuperarunt numero plures. Obitus sui horam, et insignem praedixit victoriam Caroli V. quam revera prope Tuneti Guletam in Affrica, devicto Ariadeno Aenobarba archipirata, disjectis Maurorum navibus, caesisque barbaris reportarunt.

XXVI. Decorarunt glorioso fine provinciam Tusciae in conventu As- *Antonius Emporiensis.* sumptionis b. Mariae Virginis prope Empolim Antonius Emporiensis, quem in divini verbi eloquio ardens zelus, innocua senectus, et patientia in oculorum caecitate, spectabiliorem reddidere, quam tertio gestum diffinitoris officium, aliaque munia dignitatis plena, quae obivit. In

Digitized by Google

conventu S. Joannis Aretii Berardus Dragoncinius Florentinus theologus in aula magni ducis, eique a confessionibus, minister provinciae, diffinitor generalis, praeter caeteros honoris gradus, ad quos conscendit. In conventu omnium SS. Florentiae Franciscus Pisanus, qui non multo ante provinciam susceperat moderandam, doctus, prudens, et regularis observantiae amantissimus. Hos sequuti sunt Bernardus a Molazzana, Joannes de Senalonga, et Bonaventura Tuscus, quorum primos inter scholasticos, et declamatores laudem meruisse, postremum theologiae fuisse collectorem, in scholasticis quoque exercitatum, et praedicatione eximium refert Antonius de Terrinca.

Berardus Dragoncinius. *De Terrinca in theat. part. 1. tit. 3. pag. 24.* Franciscus Pisanus. *Ibid. tit. 13. pag. 51.* Bernardus a Molazzana. Joannes de Senalonga. Bonaventura Tuscus. *Ibid. part. 3. tit. 1. pag. 220. et seq.*

XXVII. Non longe a Lusitaniae finibus in Hispania ulteriori appositus est ad patres suos in conventu Matris Dei de Valleviridi Joannes a Capraria, Norbae Caesarae claro ortus genere. Ossoniensium comiti ex parentum placito obsequia praestans, et apud ipsum, aulicosque in pretio habitus, repente, omnibus rei novitatem admirantibus, a guardiano S. Francisci Belvisii postulavit inter laicos adscribi. Passus repulsam, eoquod delicatam nimis speciem praeseferret, nec sat idoneus laboribus videretur, abjecta clamyde, sumptoque rusticorum hominum indumento, cuidam villico tamdiu in operibus agriculturae inservivit, donec athletam se evasisse cognovit aptissimum ad quidvis ferendum, tolerandumque aestum, et frigus sub pauperum minorum tunica. Tunc Belvisium redux, religionis votis se obstrinxit in provincia S. Gabrielis. Arsit charitatis incendio erga pauperes, quos *filios providentiae* appellabat. Interim adeo sensibus, et cogitatione fiebat extra se, haerens in coelestium contemplatione, ut perfunderetur, et redundaret spirituali dulcedine, quam crebra suspiria, vultusque color purpurae similis, et in fronte lux emicans ostendebant. Maligni spiritus insidias, et luctam sustinuit, nunquam non victor in se, et aliis, quorum plerosque hostis vi oppressos, et energumenos liberavit signo crucis. Quin et sanitatum gratia valuit, quam Joanna Austriaca Philippi II. regis uterina soror, Ducissa Ferianorum, et plures alii sunt experti. Ostendente Deo, novit, se migraturum a vita anno LX. aetatis suae. Corpus quinquennio post, reserato tumulo, visum est quasi vivens, intactis fibris, musculis, et membranis; quare sanctitatis ejus mirum in modum crevit opinio apud omnes.

Joannes a Capraria. *Daza loc. cit. pag 73. et seq.*

XXVIII. Sacrae poenitentiariae S. Joannis in Laterano praefectus Joannes de Vicis a Stronconio, delatus inde hoc anno morbi causa in coenobium S. Mariae de Aracoeli ad Deum abiit bonis operibus, et meritis cumulatus. In provincia Marchiae Bartholomaeus de Monte Cicardo sacerdos magnae fidei, et orationis. In conventu Costensi provinciae Poloniae Marcus scriptor optimus codicum, et in rebus laudabilibus versatus. In conventu S. Francisci Mantuae Franciscus Bazonius devotissimus conceptioni Deiparae, in cujus sacello condi voluit. Effigiem ejus albario ex opere repositam in sacelli pariete coluerunt pii cives, ubi gratiis, et signis eum coruscasse tradunt vetusta monumenta. In custodia Campaniae in Gallis Stephanus Fidelis. In conventu Ferrariae, sabbato infra octavam Corporis Christi Simon Ulmatellus franciscanus conventualis a Castro Bononiensi, ecclesiasticus totius Italiae insignis, et in coenobiorum administratione probatissimus.

Joannes de Vicis. *De Terrinca ibid. part. 2. tit. 2. pag. 118.* Bartholomaeus de Monte Ciccardo. Marcus Polonus. Franciscus Bazonius. Stephanus Fidelis. Simon Ulmatellus.

Digitized by Google

Lucas de Martyribus.

XXIX. Decessit Lucas de Martyribus guardianus coenobii Dominae nostrae de Rosario in provincia S. Josephi, celsi spiritus, et numquam fere intermissae orationis, in qua vim sibi facere cogebatur, ut ab homo miris ecstasibus in aerem sublimis non reperetur. Daemonem habuit adversarium, quocum ludebat interdum, manibusque gestiebat, tamquam ejus insolentiam despiceret. Cibo utebatur modico, tenui somno, brevique sermone, sed gravi, et peracuto, quo fratres suos ad benefacta excitabat. Febri correptus Sponsi vocem agnovit se vocantis, pergensque ad valetudinarium Oropesae, sacris munitus obdormivit, tumulatus vel in conventu S. Francisci, vel in templo virginum Conceptionis.

Joannes a s. Maria loc. cit. cap. 20.

Petrus a s. Bonaventura.

XXX. Comitem habuit ad patriam Petrum a S. Bonaventura in conventu S. Antonii Abulae; hic post bona sua in pauperes distributa, relictaque militia, in qua stipendia meruerat vexillarius, et cohortis praefectus, minoribus adhaesit inter laicos. Avitae suae nobilitatis oblitus viliora quaeque, et graviora peragebat munera in coenaculo, culina, et hortis, nec quantumvis labore defatigatus orationem minuebat, et abstinentiae rigorem, aut minus dure flagellis carnem caedebat, ferreumque laxabat cilicium. Quae ipsi ab ingressu in ordinem ad ultimam usque senectutem fuerunt studia.

Idem tom. 2. cap. 32. ad an. 1575.

Alphonsus a Portulaeto. *Monum. prov.*

XXXI. Desideratus est in provincia Pietatis Alphonsus a Portulaeto sacerdos altissimae contemplationis, in qua aliquando dies integros perseverabat, modo immobilis, modo raptus, et elevatus cum adstantium admiratione. In provincia Castellae Joannes ab Occania, de quo ita martyrologium franciscanum ad diem VI. Aprilis: *Pientissimus erat, tantoque spiritus fervore missae sacrificium peragebat, ut totus absorptus esset in Deum Christum, qui et illi nonnunquam intelligibili voce loquebatur ex sacra hostia.* In conventu S. Francisci Guadalajarae ejusdem provinciae Alphonsus de Velasco, qui tenerrimo affectu coluit, quoad vixit, ss. Dei Genitricem. Diem praedixit mortis suae, et hora, qua spiritum creatori reddidit, religiosus quidam in oratione positus ad S. Isabellam regiam Toleti: *Hoc*, inquit, *momento temporis beata anima fratris pergit ad Deum in domo de Guadalajara.*

Joannes ab Occania.

Alphonsus de Velasco. *Monum. prov.*

Joannes a Busto. *Emmanuel a Spe part. 2. lib. 10. Hueber ad diem 28. Januarii.*

XXXII. Non hoc, juxta Emmanuelem a Spe, sed anno MDXXX. contigit funus Joannis a Busto, vel a Basto laici in conventu S. Mariae de Mosteiro. Verum hoc anno fr. Didacus de Angelis guardianus ejusdem domus quartana vexatus haec illi vota nuncupavit: *Beatissime serve Dei, frater Joannes, si tuis precibus quartanae morbum depulero, et a Deo O. M. sanitatem impetravero, promitto, me ex pulcherrimo lapide locum, in quo corpus tuum asservetur, confecturum.* Morbo recreatus tumulum posuit hoc titulo: *Hic jacet Beatus frater Joannes de Busto* MDLXXV.

Gonzaga in Prov. s. Antonii Portugalliae Conv. 1.

Andreas de Caravajal.

XXXIII. Andreas de Caravajal Archiepiscopus Insulae S. Dominici in Indiis occiduis minorum regulam a teneris annis professus erat in coenobio Complutensi S. Mariae de Jesu provinciae Castellae. Humanis, et divinis litteris excultus, a pietatis semita, quam arripuerat, nunquam deflexit. Idem coenobium semel rexit guardianus, praefuit iterato provinciae, et visitatoris munus explevit in provinciis Burgensi, et Cantabriae. Matriti inauguratus episcopus ecclesiae de Portorico pontificali ritu sacra fecit in templo discalceatarum regalium, parentans reginae Isabellae de Valois uxori Philippi II., quae, ut scribit Eusebius Gonzalez,

Digitized by Google

morti proxima tunicam franciscanam accepit, qua cum splendidas vestes, regiumque cultum commutavit. Translatus postmodum ad praedictam cathedram archiepiscopalem, quartus in numero antistitum, postquam Paulus III. anno MDXLVI. die XI. februarii ecclesiae S. Dominici sejunctae a metropolitana Hispalensi subjecit ecclesias de Portorico, Cubae, Venetiolae, S. Marthae, Carthagenae, et Truxilli de las Honduras, gregis sibi demandati bono, et felicitati prospexit, ac infidelium conversioni summopere studuit, tum sua usus, tum franciscanorum suorum opera, qui sibi erant carissimi. Luxerunt hoc anno insulani pastorem suum optimum, et parentem beneficentissimum defunctum cum opinione sanctitatis.

Gonzales Chron. part. 6. lib. 3. cap. 31. pag. 476.

Torrubia in Append. pag. 1.

XXXIV. Sequens inscriptio sculpta marmore in ecclesia S. Mariae Magdalenae minorum observantium Aversae liquido ostendit annum, et diem obitus fr. Angeli de Aversa archiepiscopi Tranensis. Eum obiisse anno MDLXXVI. Ughellus existimat, quem tamen ejus adnotator emendat. Neque est, ut de insigni viro ea repetamus, quae vel antea dicta a Michelesio, vel in marmore ipso leguntur; etsi ejus auctor temporum rationem non sequatur

Angelus de Aversa

Ughellus tom. 7. pag. 911.

Angelo Orabono Aversano Ferrariae summo loco oriundo
in D. Francisci familia ad summi magistratus honorem
per omnes dignitatum gradus evecto. A Paulo III.
Pont. Max. Henrico Galliarum regi legato. A Pio V.
ad Montis Virginei societatem legibus, moribusque ornandam
misso. Quibus egregie confectis ad Catanzarii episcopatum
elato. Tandem ab invictissimo rege Philippo ob ejus fidem
et prudentiam in componendis Flandriae rebus spectatam
Tranensium archiepiscopatu donato.
Joannes Hieronymus Orabonus Phil. ac M. aere proprio Patruo B. P. Vixit annos LXIII. *Decessit* VI. *Idus Maii an.* MDLXXV. *Tot honores haud ambisse credas, qui oblata sibi a Paulo III. cardinalatus dignitate amicum insigniri raro exemplo contendit.*

XXXV. Vitae terminum hoc anno attigisse Ragusii Ambrosium Capicium Absarensem, Archiepiscopum Antibarensem tradit manuscriptum provinciae S. Francisci Ragusii, a Michelesio relatum. Verum ex actibus consistorialibus ad annum MDLXXIX. producendis apprime constabit, eumdem ad hanc ecclesiam fuisse promotum anno mox laudato.

Ambrosius Capicius.
Ann. Min. ad an. 1565. num 7.

XXXVI. Obiit hoc anno ad S. Joannem Regum civitatis Toletanae Franciscus de Busto tertii ordinis S. Francisci, ecclesiasticus ferventissimus, qui una cum Francisco de Torres, de quo ad annum MDLXXX., in oppidis, pagis, et urbibus poenitentiam populis annuntiavit. Alius hic est a Francisco de Busto, quem etiam Michaelem vocant, qui floruit anno MCXC. conditus in eodem conventu Toletano. Circa haec tempora in conventu Ulyssiponensi S. Francisci Andreas laicus charitate, et humilitate, victoriis contra daemonem, quo cum continuum bellum gessit, et divinarum revelationum gratia excellens. In conventu S. Francisci Matriti Hieronymus de Mendoza. Hic juvenili aetate transierat in Mexicum, ubi pro-reges in praeclaris muneribus egregiam ejus operam adhibuerunt, ob nobilitatem generis, et solers ingenium, quo omnia prompte, et feliciter peragebat. Vocatus a Deo, franciscanis adhaesit in coenobio Mexicano S. Francisci, vitamque, quam duxerat in vitia pro-

Franciscus de Busto.
Monum. prov.

Andreas Laicus.
Monum. prov.

Hieronymus de Mendoza.
Torquemada lib. 10. cap. 31.

Digitized by Google

cliviorem, et minus honestam, sic brevi emendavit, ut omnium vox foret, *leonem in agnum esse conversum*. Calceos nunquam sumpsit, obsoletas fratrum tunicas sibi aptabat, versatus in abjectioribus officiis diligentissime, et operibus poenitentiae. Eloquio praestans, et zelo salutis animarum succensus abiit ad barbaros Chichimecas, apud quos mansit aliquandiu, alpestres inter rupes, et nemora, ut infideles Christo lucrifaceret. Remeavit postea in Hispaniam comitantibus Francisco de Bustamante alumno provinciae Castellae, qui anno MDXLVIII, et anno MDLXI. fuerat commissarius generalis in Mexico, et Matriti pariter decessit, ac duobus ministris provincialibus Ordinis Praedicatorum et S. Augustini, qui venerant aliquid a rege petituri.

Albertus Minorita. *Franciscus Sacchini part. 3. lib. 7. num. 56. pag. 340.*

XXXVII. Sub hoc tempus dies explevit suos Albertus minorita, de quo Franciscus Sacchini in annalibus Societatis Jesu ad annum MDLXXII. scribit, ejus consilio Stephanum Barthoreum, sive Vaivodam Transylvaniae principem, apud quem gratia valebat, Patres ejusdem Societatis Sonlii primum collocasse.

Martinus Gusmanus. *Monum. prov. Romanae.*

XXXVIII. Martinus Gusmanus, desumpto cognomine a matre, quae erat ex familia Gusmanorum; nam patrem habuit ex gente de Mendoza, Toleti nobilissimo loco natus, mansit a pueris in aula Caroli V., eumque sequutus est in expeditione affricana, testis expugnationis Tuneti, et victoriae a Christianis relatae. Lustrata dehinc Italia, consedit Venetiis, et paullo post in Hispaniam redivit, ubi aulae splendorem, et saeculi illecebras fastidiens, sectandum sibi proposuit minorum institutum in provincia S. Gabrielis, invitis consanguineis suis, quibus nihil non agentibus, ut abjecta tunica paternos lares repeteret, aufugit in sylvestres quosdam montes, latuitque inter inhospitas rupes, prout ab eo se audivisse narravit Sanctes ab Horta minister provinciae Romanae, ac demum venit in Italiam receptus inter minores reformatos ejusdem provinciae a Stephano de Molina custode.

XXXIX. Strictiorem inde observantiam mirifice promovit Stephani laborum socius, et particeps. Aestuavit charitate maxime erga infirmos, quorum confessiones excipiebat, et in agone neminem deserebat, etsi morbis ipse divexatus gravibus, et diuturnis. Ad Deum migravit, teste Arturo die xv. Martii in senectute bona, et praenuntiata funeris sui hora in conventu olim S. Francisci, nunc S. Antonii Rocchae Autimi, seu Arcis Antiquae, paucisque post diebus, splendore rutilans, et gloriosus adstitit in conspectu Stephani de Molina, qui concionibus memoriae mandandis vacabat ad lucernam, erat enim illas habiturus Corae, dioecesis Velitrensis, proxima quadragesima; eique dixit: *Persta in humilitate, et observantia regulae, et salvaberis.* Hoc retulit idem Sanctes ab Horta; ex quo deducimus, primum non potuisse Martini obitum contingere praedicta die xv. Martii, postquam nemo se praeparat ad conciones futurae quadragesimae; secundo necesse fore, ut Stephanus de Molina institutus anno praeterito a Summo Pontifice confessarius Ludovici de Requesens in Flandria adhuc perstiterit in Italia.

Ann. Min. ad an. 1574. num. 122.

XL. Quidam civis Arcis Antiquae morbi vi vehementer jactatus petiit a fratribus laciniam aliquam sibi imponi ex beati tunica; quae quum praesto non esset, recepit in capite pileolum, quo cum Martinus noctu cubabat, et extemplo surrexit sanus. Antequam moreretur, rogavit

fr. Joannem de Francia familiarem suum, ut corpus tumulo componeret juxta cathedram concionatoriam honestissime opertum tunica; quod ille perfecit. Elapsis aliquot annis, quum inibi condendus foret D. Jacobus coenobii procurator, frustra tentatum est lapidem amovere, adhibitis vectibus ferreis, et malleis. Hinc nescimus, an corpus, quod postmodum inventum est in sepulchro fratrum, intactum, flexis genibus, sit ejus, vel Jacobi de Grosseto, qui sub initium saeculi xix. quievit ibi verbi praedicatione illustris. In eodem fratrum sepulchro jacnit hoc anno, vel non multo ante, Sebastianus de Colleamato dioecesis Camerinensis, Picenus, qui in oratione, et poenitentiis innocentissime vitam transegit. *Sebastianus de Colleamato*

XLI. Reserato tumulo, in quo tribus ab hinc annis fuerat conditus Alphonsus, sive Idelphonsus a Fonte Ovejuna, olim Antiqua Mellaria, corpus ejus pulchrum, candidum, et flexibile translatum est a capituli loco coenobii Palmensis S. Mariae de Bethlehem ad dexteram arae maximae in arca lignea; tamen absque capite, quod cives theca inaurata incluserunt asservandum in aede sacrarii, ut ad infirmos deferri posset, quorum plurimi sanitatem recuperarunt. *Ann. Min. ad an. 1520. num. 49.*

XLII. Sacrae virgines ad sponsum abierunt in monasterio s. Clarae Palmae, dioecesis Cordubensis, Catharina de Regibus poenitentiae, et orationi deditissima, in qua saepe in ecstasim rapiebatur, perfusa splendoribus coram sororum multitudine. Maria a s. Francisco, cujus obitum Andreas de Guadalupe refert ad annum mdlxxxvi., secus ac Daza, et alii omnes scriptores tradunt. Se indignam ancillam Christi reputabat esse inter mortales, licet donis coelestibus a Deo cumulata. Humilis spiritu, et opere domnm verrebat, ollas abstergebat, vasa coquinaria versabat, cibos aliis praeparans, quorum ipsa abstinebat, pane tantum, et aqua victitans toto anni tempore. Nudis plantis quotidie incessit, et post mortem, decussis ex ejus corpore membranis, et musculis, ossa apparuerunt; zonam enim sub simplici amictu detulit ex rigentibus carduorum spinis contextam, quae carnes laceraverat. *Catharina de Regibus. Arturus ad diem 13. Januarii. Maria a s. Francisco. Daza loco cit. cap. 77.*

XLIII. Sequuntur ibidem sepultae Maria a Jesu, quae ecstasis dono ditata, nec praetereuntes sorores aspiciebat, nec audiebat sibi salutem dicentes. Semel capitis dolore prohibita sacris interesse, rogavit s. Joannem Baptistam, ut sibi opitularetur; nec mora in visione mentis vidit agnum pulcherrimum, qui ad stratum, in quo ipsa jacebat, accedens, ore tetigit caput ejus, et sana surrexit. Fulgens ignis globus supra defunctae cubiculum stetit, totumque valetudinarium splendore collustravit. Maria Magdalena soror comitis Palmensis, clara sanguine, at clarior angelica vita, quam in carne duxit; digna propterea, ut uberes consolationes spiritus, et revelationes divinitus reciperet. Asperis vinculis, et flagris, quibus in se animadvertebat, non contenta, die quadam Parasceves petiit a Maria de s. Clara contubernali sua virgis caedi in memoriam mysterii redemptionis. Annuit altera, eo tamen pacto, ut tot plagae sibi ab illa redderentur, quot ei esset datura. Ligata itaque ad columnam in claustro diuturnam verberationem sustinuit, donec languentis, et semianimis, cruore insuper madidae socia miserta fustes abjecit. Quod ut novit minister provinciae Angelorum praecepto suo poenitentiae ardorem temperavit. Anna Morales, quae ex profuso lacrymarum fonte in meditatione passionis Dominicae orbata oculis, xx. annos eo *Maria a Jesu. De Guadalupe Lib. II. cap. ult. Maria Magdalena Portocarrero Torrubia lib. 3. cap. 26. num. 215. pag. 491. Anna Morales.*

in statu permansit. Nuda pedes, cilicio revincta, percussa flagellis, saxo tundebat manus suas, latera, et caput, et in Crucis formam se componebat ante Crucifixum. Suavi odore demortuae corpus fragravit, et coelestis lux implevit valetudinarium. Ejus meminit Daza, et alii ad hunc annum.

Maria a Conceptione. *De Guadalupe ibid. cap. 24.*

XLIV. In monasterio s. Clarae de la Columna Bellalcazarii Maria a Conceptione, patientia in adversis illustris; si enim contigeret, ut male exciperetur, pergebat ad Crucifixum, cui adversarios suos commendabat, et ore pedibus ejus admoto, perseverabat orans, ac lacrymans, facta interdum extra sensus, prout ei usuveniebat, in caeteris pietatis actibus, dona interim coelitus infusa recipiens. Catharina de Columna, cujus aeternam felicitatem a Deo sibi revelatam agnovit Maria de s. Antonio, quae animam magistrae suae adspexit sub columbae specie in coelos ascendentem, quaeque illam sequuta est hoc eodem anno, meditata mysterium Dominicae nativitatis quadam die consueto labori vacans in cubiculo cum sororibus, sustulit ad coelum oculos, vultuque succenso in fletus effusa exclamavit: *Pulchra ut Luna, electa ut Sol;* et in ecstasim incidit horae spatio in aere suspensa. Morti proxima dixit monialibus: *Sorores meae in Jesu Christo laetamini, quia venit hora desiderata a corde meo, qua Domino desponsabor.* Narrant, odorem gratissimum anni unius intervallo remansisse in valetudinario, et locis, per quae ad tumulum delata est.

Maria de s. Antonio. *Ibidem cap. 12.*

Francisca a s. Antonio. *Ibidem cap. 23.*

XLV. Francisca a s. Antonio ejusdem monasterii cultrix nata Compluti patre domino de Camporedonde, et adjacentium oppidorum, ac matre pariter illustri, aedemque sacram ingressa aetate annorum septem, ingenio rudis haerebat in alphabeti litteris, quibus agnoscendis nequicquam studuit quinque annos. Objurgata a magistra, et admonita, ut Deiparae se commendaret, coram illius imagine genuflexa: *Domina,* inquit, *et mater afflictorum, magistra mea dixit mihi, quod si te rogaverim, ut mihi mentem aperias, exaudita hinc abibo. Rogo te igitur per Filium tuum pretiosum, ut me liberes ab hac molestia.* Inclinavit tunc Virgo caput, brevique socias adolescentulas Francisca superavit, quae ejus stoliditatem despexerant. Orationi instabat, et contra daemones luctata est in se irruentes formis terribilibus, quibus illa: *Adjuro vos in nomine SS. Trinitatis, ut mihi dolores inuratis; meam sane voluntatem nunquam flectetis.* His spectaculis aliquando interfuerunt ejus discipulae, quas illa hortata est, ne metuerent; ac semel curiositate motae secreto in loco se abdiderunt, ut viderent, quid ageretur, orante ea in choro. Quum ecce prope sanctam in Deum raptam adstitit horribile monstrum, quod belluae more rugitus edens os aperiebat mordenti simile, ut eam excitaret; quod frustra egit inimicus. Humi cubabat, incedebat summa in hyeme absque sandaliis, modicum cibum, eumdemque vilem, et insipidum capiebat; loricis ferreis, et ciliciis cruentata. Decessit praescia horae obitus coram sororibus amplexata Crucifixum. Quadraginta post annis corpus virginis repertum est incorruptum, formosum, candidis manibus, et suavi odore perfusum.

Isabella a s. Joanne.

XLVI. Circa hoc tempus in monasterio S. Clarae Villae Comitis provinciae Portugalliae, in dioecesi Braccarensi erepta est Isabella de S. Joanne mirabilis agnitione futurorum cognoscendisque arcanis cordium

Preces fundens ante Sacramentum altaris vidit formosum puerum intra fulgentem solis iridem in manibus sacerdotis hostiam elevantis, et in ecstasim facta, eo die ad sensus suos non redivit. Oranti ante imaginem Mariae Virginis apparuit Deipara in ulnis Filium complexa, et sanctorum agmine stipata, illique prae gaudio flenti lacrymas abstersit in genis. Ab hominibus contempta, et malignum spiritum passa insidiantem, animum non abjecit unquam, sed illos patienter tulit, hunc fortiter devicit. *Emmanuel a Spe loc.cit. lib. 8. c. 19.*

XLVII. In monasterio S. Clarae Amarantii vel hoc anno, vel anteriori, ut scribit Emmanuel a Spe, Joanna monialis morum integerrima, et coelestis sponsi sui amantissima, praeviso transitu suo sororibus spopondit, se ad illum delaturam earum vota post ipsam citius eundi; quod singulis contigit, ut optabant. In monasterio SS. Cosmae, et Damiani de Urbe decesserunt Beatrix Sebastiani, Juliana de Roma, et Clementia Veralli vitae sanctimoniae spectabiles. In Gratiarum Valle Ingolstadii ad S. Joannem Evangelistam provinciae Bavariae Sabina Peurerin tertii ordinis de poenitentia, innocens et timens Deum. In monasterio S. Clarae regiae de Alcozer provinciae Carthaginensis Catharina de Toleto oriunda a civitate Conchae, pauperrima, humilis, et devota. In Monasterio S. Michaelis Angelorum tertii Ordinis Toleti Anna de S. Gabriele, quae defuncta dominae Agneti in lecto decumbenti apparuit, ut promiserat, manumque ejus tetigit in signum quod brevi esset moritura.

Joanna Monialis. *Idem lib. 9. cap. 6.*

Beatrix Sebastiani. Joanna de Roma. Clementia Veralli. *Monumenta ms. Provinc. Roman.* Sabina Puererin.

Catharina de Toleto. *Monum. prov.*

Anna a s. Gabriele. *Monum. prov.*

XLVIII. In monasterio monialium Corporis Christi Ferrariae spectatae vitae soror Eleonora Alphonsi Estensis, et Lucretiae Borgia Ducum Ferrariae filia, hora 22. die xv. Junii decessit, ad cujus sepulchrum haec leguntur

Eleonora Estensis.

D. O. M.
ELLEONORA ALPHONSI ESTENSIS
ET LUCRETIAE BORGIAE
FERRARIAE DUCUM FILIA
ORDINIS DIVAE CLARAE
MONIALIS PROFESSA
V. S. P.

XLIX. Elisabetham Austriacam viduam Caroli IX. Galliarum regis Parisiis Viennam redivisse anno MDLXXIII., et hoc anno e vita migrasse, annos XXXVII. natam, scribit Petrus Antonius a Venetiis. At praedicto anno MDLXXIII. Carolus adhuc in vivis agebat, et praeterea certo certius constat, eam in lucem editam anno MDLIV., die xv. Junii, usque ad annum MDXCII. vitam produxisse. Hoc autem anno, Henrico III. in Galliarum regem coronato, initisque ab eo nuptiis cum Ludovica Lotaringa, discedentem Elisabetham comitatus est cardinalis Atestinus, cum ingens hominum numerus circa currum ejus confluerct, vocesque personarent mixtae fletibus: *O quam misera erit patriae hujus facies, quum salus nostra discedat a nobis!*

Elisabeth Austriaca. *Virid. Seraph. part. 1. pag. 678.*

Greiderer tom. 1. lib. 3. num. 311. pag. 449.

L. Deducta Pragam, iterum ad nuptias virorum principum a Maximiliano II. parente suo invitata, constantissime illas renuit, qualibet vice, quum consensus peteretur, deliquium passa. Viennae ingressa monasterium clarissarum a se constructum tertio quaesita est ad nubendum. Hinc die XXVI. Junii in festo SS. Joannis, et Pauli martyrum, vel in pervigilio

Nucleus minorum pag. 70.

juxta Herztogium, et Stocker, sensibus suis, qui idcirco dolore defecerant, restituta, curantibus Abbatissa, et sorore Maria Thollnerim, dixit: *Duos hodiernos sanctos in testes mei propositi invoco, quoniam mortalium nullus me ad nuptias amplius ineundas commovebit;* ac nondum praeterito mense, singulis annis eodem die pane et aqua jejunare decrevit, quamdiu foret superstes, propriisque sumptibus templum excitare omnium SS. Pragae in Hradschim, seu potius restaurare, quum sacram aedem saeculo X. Borziwogius primum posuerit. Habuit interea confessarium Michaelem Alvarez alumnum provinciae Baeticae, qui a Christophoro a Capitefontium renuntiatus commissarius nationalis in provinciis Germaniae, Viennae sedem fixit, et comitia se habiturum publicavit Galgoczii, vel Szakolcae in provincia S. Salvatoris Hungariae mense Januario sequentis anni.

Joan. Baptista Savonensis. *De Arembergh t. 1. pag. 173.*

LI. Ex sacra capucinorum familia obierunt in conventu S. Barnabae provinciae Genuae Joannes Baptista Savonensis, quo benedicente, placentulae veneno infectae in eleemosynam fortuito oblatae (eas mulier quaedam perversa marito suo paraverat) fratribus non nocuerunt, postquam illas comedissent. Eisdem Savonae in festo Nativitatis Domini, nive semitas omnes obstruente, escam a Deo obtinuit delatam ad coenobii januam a venerabili sene, quem capucini Angelum Dei crediderunt. In conventu S. Mariae Taurini Thomas a Taurino antea eques S. Joannis Hierosolymitani, gravissimis diu vexatus morbis, coelesti vero concentu recreatus animam agens. In provincia Hydruntina Bernardinus a Latertia, cujus corpus, quinquennio post, incorruptum liquore manavit tamquam opobalsami. In provincia Romana Paulus de Arenaria sacerdos duplici pugillo fabarum diebus singulis degustato tres annos sustentatus. Conventus Scandriliae guardianus opem tulit cuidam fratri, quem daemones sub imagine corvorum vexabant, seu potius ludebant. In conventu Aesii Gratus a S. Severino sacerdos unus ex primis, qui toleravit adversitates, et procellas adversus nascentem congregationem excitatas ob Ochini lapsum. In provincia Mediolanensi Julius a Casali Pistorum, et Benedictus Galeratensis. Jacet hic in conventu Cardani. Loquitur Arembergius de Josepho a Drepano laico, quem omnes vitae suae annos in oratione dicit impendisse; sed reticet provinciam, et tumuli locum.

Thomas a Taurino. *Idem pag. 417.*
Bernardinus a Latertia. *Idem ibid.*
Paulus de Arenaria.
Gratus a s. Severino. *Idem pag. 298.*
Julius a Casali Pistorum. *Idem ibid.*
Benedictus Galeratensis. *Idem ibid.*
Joseph a Drepano. *Idem pag. 446.*

Rufinus de s. Urso. *Huebertus ad diem 18. Januarii. De Arembergh p. 192.*

LII. In conventu Perusiae Rufinus de S. Urso dioecesis Vicentinae, quem Fortunatus Hueberus minus vere defunctum autumat anno MDLXXX. Novitiorum magister alumnis suis ventura praenuntiavit, et mentium cogitationes detexit, a Veronensi populo, et Augustino Valerio Antistite magni habitus. Ecstasibus a terra sublimem saepe discipuli sunt admirati. Invisit hoc anno basilicas Urbis, templa S. Mariae Angelorum, et S. Francisci Assisii, ubi tres dies mansit in oratione, et Perusiam accedens in festo decessit Assumptionis Deiparae. In provincia Neapolitana Alphonsus a Suessa, olim canonicus ecclesiae cathedralis, et episcopi consiliarius. Functus jam munere diffinitoris generalis aegre impetravit anno MDLVIII., ne sibi administratio ordinis demandaretur. Praefuit diu virginibus S. Mariae de Hierusalem Neapolis. In conventu Terrae Novae Bonaventura de Raticina, de Moticina scribit Hueberus, laicus, quondam socius ministri generalis minorum observantium. Martyrii desiderio ni

Alphonsus a Suessa. *Idem pag. 58.*
Bonaventura de Raticina. *Huebertus ad diem 8. Januarii.*

Affricam transfretavit cum exercitu Caroli V. In Calabria, precibus Deo nuncupatis, inopinam escam paravit famelicis fratribus. Dum sacerdos in ecclesia sacrum faciens hostiam elevaret, interpositis parietibus dehiscentibus, ipsi Sacramentum ostensum est in coquina degenti. Obiit attritus poenitentiis octuagesimo aetatis suae anno. In conventu Iriae Joannes Baptista de Fossano Pedemontanus clericus, qui ex tabellario capucinus evaserat, expletoque quinquennio spiritum Deo reddidit perfusus luce Nominis Jesu, quod solis instar micabat super caput ejus. Corpus tres, vel quatuor post annos servabat adhuc cutem et capillos.

De Aremberg p. 412.

Joan. Baptista de Fossano. *Idem pag. 329.*

LIII. In conventu Panormi Franciscus Saccensis sacerdos inter minores observantes educatus, ingenio, et doctrina, quam ex Scoti lectione hauserat, praestantissimus. Ferunt, eum jam capucinum in majori hebdomada cibo prorsus abstinuisse, praeter duos, aut tres panis morsus, quos feria quinta capiebat, et aliquando a Dominica passionis, usque ad Dominicam resurrectionis ter pane et aqua refectum; praeterea decem dies absque cibo transegisse, quo ad orandum fieret expeditior. Septies quotidie fustibus se caedebat; sed die veneris adhibebat virgas mali punicae, ut membra lacerarentur. De ipso ea narrat Boverius, quae retulit Michelesius ex Roccho Pirro de Stephano a Buccherio, iisdem verbis recensens miraculum lampadis, et Crucifixi; ex quo liquet, unum, vel alterum errasse in nomine. Deiparam Virginem sibi apparentem pluries conspexit. Tota die iter egit per imbres non madefactus. Mulieri Saccensi phreneticae signo crucis mentem restituit. Ampullas vitreas inter sacra diffractas solidavit. Coenobia rexit, nomenque suum virtutibus magis, quam dignitatibus illustravit.

Franciscus Saccensis. *Idem pag. 118.*

Ann. Min. ad an. 1570. num. 98.

LIV. In conventu Amandulae dioecesis Firmanae Joannes Baptista ab Apiro sacerdos mitis adeo, ut affectu irae destitui videretur. Moriens vidit coeli Reginam in cubiculum suum descendentem, et daemones fuga se eripientes. In conventu Anconae Philippus a Monte Veteri simplex et sine dolo, pauperum amantissimus, quibus quidquid poterat largiebatur. Multas, validasque communis hostis aggressiones superavit. Fratres conventus de Crocicchio prope Urbinum aluit panis canistro mirabiliter ad ostium delato, nivibus, et glacie circum obducta regione.

Joan. Baptista de Apiro *Idem pag. 51.*

Philippus a Monte Veteri. *Idem pag. 416.*

LV. Congregationi generali minorum observantium habitae hoc anno in aede Aracoelitana Urbis praefuisse Alexandrum Cardinalem Cribellium, quem praeterito anno vita functum liquet, scribit Dominicus de Gubernatis. Itaque Francisco Cardinali Alciato Ordinis vice-protectore rerum summam moderante, in locum Bonaventurae de Clavaro, qui quadriennium absolverat, renuntiatus est commissarius generalis Antonius Ginestretus custos custodum provinciae Marchiae electus Aesii, ut ad congregationem mitteretur; commissarius curiae Ludovicus Mirandulanus provinciae Bononiae; et procurator Ordinis Didacus Valades Tlaxcallensis alumnus provinciae S. Evangelii, a Michaele Angelo de Neapoli Jacobus vocatus, vir doctus, qui anno MDLXXIX. typis Perusiae commisit *Rethoricam Christianam ad concionandi, et orandi usum accommodatam*, utriusque facultatis exemplis suo loco insertis, quae quidem ex Indorum historiis maxime deprompta sunt. Eam nuncupavit Gregorio XIII Summo Pontifici. Prodiit iterum Romae anno MDLXXXIII et an. MDLXXXVII. In prologo operis sic scribit auctor: *oportune autem rerum Indicarum,*

Orbis Seraph. tom. 1. lib. 3. pag. 504. Ann. Min. ad an. 1571. num. 27.

Chronologia Seraphica ad an. 1575.

Digitized by Google

quibus ipsi non modo interfuimus, sed et praefuimus, aliqua adhibuimus exempla, certissime credentes eam rem non modo oblectamento, sed et magno bono, commodoque futuram. In ejusdem opus eleganter cecinit Julius Roscius Hortitius Poeta, et Camillus Sabellicus. Edidit etiam Mexici *epitome magistri sententiarum* anno MDLXXIV. Hispali apud Alphonsum Scribanum vulgavit *itinerarium catholicum proficiscentium ad infideles convertendos Joannis Focher,* ab ipso auctum et expolitum. Scripsit etiam mexicano idiomate catechismum, et alia plura opuscula. Haec notavimus ex *Bibliotheca Hispano-Americana Septentrionali* ab anno MDCCCXVI. ad annum MDCCCXXI. Mexici edita a Joanne Mariano Benstaid de Sousa Mexicanae cathedralis ecclesiae decano, tribus voluminibus confecta. Auctor exhibens specimen illustrium virorum franciscanae familiae observantium et discalceatorum, qui in nova Hispania litteris floruere, eos fuisse scribit DXLII.

LVI. Diffinitores generales delecti sunt Franciscus Visonus provinciae Genuae, Andreas de Arbo minister provinciae Dalmatiae, Vincentius de Roma minister provinciae Romanae, Hieronymus Imolensis minister provinciae Bononiae, Joannes Volarus custos provinciae Terrae Laboris, Felix de Perusio minister provinciae S. Francisci. Guardianus Terrae Sanctae Hieremias Brixiensis, qui anno MDLXXII. successerat Antonio de S. Angelo Venetiis defuncto, antequam in Asiam transfretaret vices acturus Francisci de Arzignano, qui malis defessus a barbaris sibi illatis, post Cyprum subactam, officium dimiserat sibi concreditum in superiori capitulo generali Romae habito. Guardianus S. Clarae Neapolis Vincentius a Messana custos provinciae Siciliae. Minister Candiae Bernardinus a Sarno pater provinciae Principatus. Perpetuus diffinitor familiae Cismontanae, id petente cardinali Alciato, Paulus de Terra Nova olim discretus ordinis, et minister provinciae Calabriae.

LVII. Reformatio minorum observantium provinciae romanae duobus praecipuis ejus auctoribus innixa, Stephano de Molina, et Martino de Gusman, quem mortalem vitam cum immortali commutasse diximus, in dies augebatur, electo diffinitore hoc anno in capitulo provinciali Aracoeli Francisco de Terra Nova custode reformatorum viro disciplinae regularis promovendae studiosissimo. Ut autem novi domus Dei zelatores additis stimulis ad virtutem, et benefacta magis excitarentur, ac praeterea ut domibus, quas incolebant, Fontis Columbi, Grecii, Rocchae Antimi, Nazani, et Scandriliae, alia accrescerent, has ad illos minister generalis litteras dedit.

Fr. Christophorus a Capitefontium generalis minister, et servus totius Ordinis S. Francisci dilectis filiis guardianis reformatorum provinciae Romanae.

Ex Archiv. s. Francisci Transtyberim.

Nostrum est, pie favere devotioni, et puritatem vitae desiderantes nostra augere auctoritate, gratiisque, et privilegiis munire opportunis. Ideo affectu cordis, quo erga vos feror, quae petistis, et vobis mihi necessaria videntur, indulgeo.

In primis concedo vobis, non solum quod custodem ex vobis, juxta formam bullae Clementis VII. anno MDXXXII.*, vocales vestri,*

qui pro tempore fuerint, eligant per triennium, sed et duret per quadriennium, quemadmodum ministri provinciales juxta bullam Pii V. et quod vobiscum degat, visitet, moneat, corrigat, et privet, prout sibi secundum Deum videbitur expedire; quo deficiente, morte, vel absentia, guardiani in unum convenientes alium sibi eligere possint.

Item, quod quicumque cujusvis provinciae ad vos venerit cum obedientia, vel per vos transierit, vel petitae licentiae, licet non obtentae, sui superioris fidem attulerit, et vobiscum permanere voluerit, eum recipere possitis.

Item, quod postquam aliquos per biennium, vel citra, experti fueritis, et morigeratos, honestos, utiles, et gratos inveneritis, vestrae congregationi adnumerare, et aggregare possitis, et si dignos repereritis, in guardianos, et alia officia promovere.

Item, quod dictus custos possit novitios juvenes examinare, et vestire, et ad professionem recipere, et similiter tertiarios, confessores fratrum nominare, procuratores instituere, vicarios quoque, et magistros novitiorum, ad sacros ordines promovere, et ab omnibus casibus ministro reservatis absolvere.

Item, quod minister, vel commissarius provinciae non possit ponere alios fratres de familia in locis vestris, nec inde amovere sine consensu custodis; sed custos curet mutare fratres inter dicta loca, prout opportunum viderit.

Item, quod si, Deo favente, ita numerus fratrum creverit, quod aliis locis indigeatis, Romanae provinciae minister, et diffinitores teneantur vobis concedere unum, vel plura loca contigua, et vobis commoda, quot necessaria fuerint, juxta formam praedictae bullae Clementis VII.

Item, quod custos, occurrente necessitate, possit de praedictis fratribus suis extra provinciam mittere.

Item, praecipio per sanctam obedientiam, quod in praemissis nullus nobis inferior impedire vos possit.

Datum Romae in conventu nostro Aracoelitano in congregatione generali xxv. Maii MDLXXV.

L. ✠ S. *Fr. Christophorus qui supra manu propria.*

LEGES EDITAE IN COMITIO ROMANO

LVIII. « 1. Quicumque gladio percusserit fratrem suum, vel saecularem, carcere includatur per unum annum.

« 2. Qui gladium exemerit, ut percutiat, vel illo minatus fuerit ad aliquem percutiendum, carcere includatur per sex menses.

« 3. Si ex percussione sequuta fuerit mors, vel gravis mutilatio, percussor damnetur ad triremes.

« 4. Qui percusserit praelatum gladio, damnetur ad triremes, sive mors sequuta fuerit, sive non.

« 5. Qui rebellis fuerit in provincialem suum, guardianum, aut vicarium, et verbis injuriosis illum affecerit coram fratribus, vel saecularibus, privetur voce activa et passiva.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

« 6. Praelati, quos ministri et commissarii provinciarum repererint « notabiliter negligentes in legendis statutis, vel exequendis statutorum « ordinationibus, priventur suis officiis.

« 7. Ministri provinciales puniant statim delinquentes juxta illorum « demerita cum consilio diffinitorum, sub poena depositionis ab officiis, « nullo excusationis praetextu admisso.

« 8. Qui audierit in cellis confessiones juvenum ordinis nostri, laico- « rum, aut clericorum, qui non sunt sacerdotes, minorum annis xxv., « privetur actibus legitimis.

« 9. Qui ingressus in ordinem admiserit crimen, per quod leges civiles « infligunt poenam capitis, non assumatur ad dignitates, nisi ostenderit « maximam contritionem, et inde proveniat magna utilitas ordini, de « licentia tamen ministri, vel commissarii generalium.

« 10. Caeteris paribus, viri docti praeferantur indoctis in promotione « ad dignitates, et collocatione fratrum in coenobiis et civitatibus cele- « brioribus. Judicium vero de doctrina, et probitate sit penes ministrum « et diffinitores capituli provincialis.

« 11. Praedicatores, maxime quando concionantur in propriis pro- « vinciis, non recipiant eleemosynas etiam praetextu praedicationis obla- « tas, nec de illis se intromittant, sed integrae assignentur procuratori « conventus, et de illis minister provinciae alat studentes in studiis ge- « neralibus extra suam provinciam.

« 12. Accurate invigilent ministri, et guardiani, ne confessiones sae- « cularium audiantur in cellis, aut locis privatis, sine maxima urgente « necessitate.

« 13. Fratres expulsi decreto cardinalis protectoris, vel vigore statu- « torum generalium, mittantur ad provinciam proximiorem, et minister, « qui eos non receperit, privetur officio.

« 14. Guardianus, qui conquestus fuerit, se esse translatum, si con- « tigerit eum transferri, privetur officio per aliquot annos.

« 15. Minister notet in regesto apostasiam eorum, qui aufugerint; « et si de ipsis habuerit suspicionem criminosam, formet processum, et « servet acta in archivio provinciae, sub poena privationis officii.

« 16. Diffinitores praecedant alios fratres in choro, processionibus et « mensa usque ad electionem suorum successorum, nullo habito respe- « ctu ad antiquitatem religionis. Expleto officio dent praecedentiam an- « tiquioribus in religione, tamquam si illud numquam exercuissent. In « congregationibus tamen, quae pro emergentibus negotiis fieri solent, « eodem honore gaudeant; et in capitulis immediate succedant voca- « libus.

« 17. Quaelibet provincia habeat unam arcam, tribus clavibus diversis « munitam, in qua serventur scripturae negotiorum privatorum, et pu- « blicorum. Una clavis sit apud ministrum; reliquae apud duos patres « eligendos a ministro, et diffinitoribus.

« 18. Studentes generales, qui non surrexerint ad matutinum media « nocte, priventur prima vice medietate portionis vini; secunda et ter- « tia vice sola aqua illis apponatur in refectorio.

« 19. Diebus festis intersint majori missae, et vesperis. Semel autem « in die impendant orationi unam horam assignandam a guardiano.

« 20. Qui cnm guardianis suis, lectoribus, et sociis non vixerint pacifice « et moniti non resipuerint, removeantur a studio cum ignominia a « ministro, vel commissario generalibus de hoc debite instructis.

« 21. Silentii tempore nemini eorum liceat conversari in alterius cubi- « culo; aliis autem temporibus, nonnisi janais apertis.

« 22. Vetitum sit cuilibet eorum post occasum solis, seu nocte in- « gredi cellam alterius, aut commessationes, et compotationes facere in « dormitorio.

« 23. Qui sine licentia praelati retinuerint in propriis cellis, vel apud « se, vel apud aliquem, praeter sindicum conventus, in quo morantur, « eleemosynas acceptas pro studio ab amicis, puniantur poena proprie- « tarii.

« 24. Semel in mense egredi possint a conventu de licentia guar- « diani, pro negotiis, si quae habuerint.

« 25. Libros ipsi non emant, sed emendos committant lectoribus, « vel alteri.

« 26. Non accedant ad domos suspectas, nec ad monasteria monia- « lium, sub poena expulsionis a conventu, et studio.

« 27. Non teneantur ad processiones nisi generales, nec ad caetera « onera conventus.

« 28. Unusquisque vicis suae ordine sustineat conclusiones publicas, « praesente lectore, semel ad minus in hebdomada, praesertim diebus « festis, si nullum adsit impedimentum. Qui contrafecerint, priventur « judicio ministri, vel commissarii generalium, quibus lectores statim « per litteras rem significent.

« 29. Vacent in primis orationi, et bonis moribus; secundo studiis, « sic ut devotionis spiritum non extinguant, et sint modesti, mansueti, « humiles, praelatis et lectoribus obedientes, eos sincere amantes, et « honorantes, honeste, et reverenter omnes alloquantur, sicut decet re- « ligiosos.

« 30. Qui fuerint sacerdotes celebrent ad minus ter in hebdomada. « Diaconi, et subdiaconi bis eucharistiam sumant, et diebus festis, ac « dominicis.

« 31. Lectores nunquam deficiant a lectura, absque legitimo impe- « dimento, secus removeantur, et alii substituantur loco illorum. Possint « tamen semel in mense vacare a lectione, et a conventu exire ad vi- « res recuperandas. Diebus dominicis, in quibus sustinentur conclusio- « nes, non teneantur legere aliquam lectionem.

« 32. Nihil addatur officio divino, quocumque devotionis colore, sed « ipsum, et missa celebrentur juxta caeremonias, et ritus novi brevia- « rii, et missalis editi per Pium V. Qui secus fecerit, privetur actibus « legitimis.

« 33. Non fiant officia de Nomine Jesu, S. Gabrielis, S. Annae, et « quaecumque non sunt in calendario S. Romanae ecclesiae.

« 34. Fiant festa Sanctorum, et Sanctarum ordinis, et officium SS. « Sacramenti, quod ex dispensatione Pii V. celebrari poterit extra ad- « ventum, et quadregesimam, si non occurrat aliquod festum.

« 35. In missis *ad Gloria in excelsis* non addatur versus ille: *et* « *sancti spiritus*, vel *spiritus, et almae orphanorum etc.*, aut particulares

« de Domina nostra versus, qui non sunt in ordinario ecclesiae Ro-
« manae.

Gonzaga in provincia Terrae Laboris pag. 521.

LIX. Actum est quoque in hoc comitio de partitione provinciae Neapolis, quae non anno insequenti contigit, ut ait Gonzaga, sed hoc ipso, ut patet ex litteris apostolicis: *Regimini universalis*: die XXII. Septembris, et ex actis divisionis mox producendis. Provinciarum, quae prodierunt, ut obtinuit anno MDXLIV. sub Andrea Insulano ministro generali, altera dicta est Terrae Laboris, renuntiato in ejus ministrum Leonardo de Roccamonfini; altera Principatus, quae ministrum accepit Paulum de Sovaggio Hetruscum, jacetque ad orientem Terrae Laboris, inclusa Appenninis, et ad mare Tirrenum protensa.

Camillo Pellegrini della Campagna nell'aggiunta pag. 701.

LX. Novum Terrae Laboris provinciae nomen inditum ferunt circa annum MXCI. sub Riccardo principe Capuae, et Normannis; antiquitus enim totus ille tractus regni Neapolitani, qui ab oriente clauditur Basilicata, ab occidente ditione ecclesiastica, ab austro mari Tirreno, et a septentrione Aprutio, Campaniae felicis nomine veniebat, ob gratissimam aeris temperiem, arvorum foecunditatem, et amoenitatem, Capuae metropoli insignis, quae splendore, et magnificentia cum Roma certabat, vulgatumque erat, in toto terrarum orbe tres tantum urbes imperio dignas in caeteras reperiri, Romam nempe, Carthaginem, et Capuam, quibus aliqui Corinthum addidere. Modo provinciae, totique regno dominatur regia urbs Neapolis. Divisionis causas exprimunt litterae, quae sequuntur.

Universis praesentes litteras inspecturis, et visuris frater Christophorus de Capitefontium generalis Minister, et servus Ordinis Minorum salutem.

Monum. prov.

Quum ad nos ex officio spectent ea, quae commissas nostrae curae provincias respiciunt, et publicam tranquillitatem procurare, quandoquidem tantum sit bonum pacis, ut sine pace nullum (ut Augugustinus ait) sit bonum, et tanta virtus pacis, ut sine illa nullus sit non solum religiosus, sed nec christianus quidem; hinc est, quod cum saepius admonerer a quibusdam reverendis provinciae Neapolitanae, praecipuisque patribus, quemadmodum vix fieri posset, ut pacificus esset fratrum convictus, veraque unio, et pax, quamdiu Terrae Laboris pars provinciae sic vocata, et Principatus altera illius pars, non separarentur, et ex vasta illa provincia (quae numerosa religiosorum, et conventuum tam fratrum, quam monialium insignis est multitudine) duae fierent, instanterque ad id faciendam rogarer, existimavi dignum munere, quod gerimus, me facturum officium, si animum serio adverterem ad sciendum, an expediret id facere.

Sunt circiter tres anni cum dimidio, ex quo reverendi patres Fr. Leonardus a Roccamonfini nunc provincialis minister dictae provinciae, Fr. Joannes Volarus Terrae Laboris, Fr. Antonius de Nola guardianus S. Mariae Novae, Fr. Bernardinus de Aversa, et b. m. Fr. Antonius Pedemontanus pater provinciae, dum ageret in vita; et multi alii obnixius me rogarunt divisionis hujus provinciae faciendae; et quum post tres annos rediissem Romam, venissentque me

Digitized by Google

salutatum tres praecipui ex nominatis patribus, de eadem divisione mihi ore, et scripto supplicarunt. Quibus respondi, me post festa Paschalia interfuturum Neapoli capitulo dictae provinciae. Interim vero consulendum duxi illustris. protectorem nostrum D. Cardinalem Urbini, qui suis ad me litteris in haec verba respondit « Circa divisionem provinciae Neapolitanae causas ignoro, quae adduci possunt ab utraque parte. Hinc judicio tuo subscribam, qui si praesens aderis celebrationi capituli, ut deliberaveras, rem totam accuratè nosces, et quid sit agendum. Te a capitulo absente, non expediet fortasse ut quidquam innovetur. Nihilominus quidquid facies probabo, persuasus, te consilio patrum adhibito, nihil nisi ex optima ratione facturum ».

Ingressus provinciam Neapolitanam post Paschalia festa iterum super divisione sollicitatus a nominatis patribus, tum in itinere ab iis, qui me comitabantur, tum Neapoli ab iis, qui pro celebrando capitulo congregabantur, intendi omnem curam ad inquirendum, quibus rationibus moti id peterent, quarum praecipuae, quibus me movi, sunt sequentes.

Primo provinciam sic esse vastam, et magnam, tot habere conventus tam longe ab invicem dissitos, et in locis accessu difficilioribus sitos; itinera esse longa, aspera, et periculosa; inter extremos duos conventus intercedere plusquam ducenta milliaria, ob idque pastoris praesentiam, ministri scilicet, non haberi facile posse, neque ipsa commissariorum oculis, ut propriis, negotia posse videre ita bene; unde magna regularis observantiae sequuta est relaxatio, multaque scandala; ministrum ut plurimum residere Neapoli, vel in circumvicinis locis; praecipuos quoque patres, relictis aliis conventibus, Neapoli residere velle, illorum cura demandata junioribus, parum ea curantes, quae fierent per provinciam, semper viguissè lites, et contentiones inter ambas partes, adeo ut eorum capitula bella quaedam magis esse viderentur, quam id quod esse jure debebant.

Ea erat fratrum partis Terrae Laboris constitutio, et erga suam partem affectio, quod mitti in Principatus conventus pro exilio haberent. Item ministri et guardiani in corrigendis fratribus magnum offendebant impedimentum; nam quando minister erat de Terra Laboris, si puniendi forent fratres de Principatu, habebant illum pro suspecto, et allegabant, ideo ab eo se puniri, quod essent de Principatu; et e contra, et non propter suos defectus. Idem contingebat de guardianis, et ministris, qui videbantur plus facere unum, vel alterum de Terra Laboris, vel de Principatu, nullo respectu ad merita, vel demerita.

De scandalis autem, et aliis inconvenientibus, quae produxerunt partialitates istae, nolo particulariter meminisse. Super omnia vero movebat me pacis, et fraternae charitatis jactura, ad quam attendentes praedecessores mei, provinciam quondam separaverunt, etiam nolentibus, et contradicentibus patribus, brachii saecularis vi, et auxilio usi. Rationes vero, cur contradixerint, quae fuerint scio, et tales esse scio, quae procederent ad quaerendum non quae Christi sunt pacis, et charitatis, sed quae sua sunt. Nec in scriptis eas redigere honoris causa velim, sed earum fuisse principales intellexi

amicitias monialium, quas indifferenter in Principatu, vel regno aliqui habebant patres, et ambitionem dominandi Neapoli, quae Helena fuit semper inter ambas partes, cujus blandis amplexibus renuntiare pars altera mirum in modum dolebat; unde nec unquam quievere qui hac, vel illa passione movebantur, donec iterum facta unione, illis dicta Helena frui daretur; quae enim inter invitos, et nolentes violenter facta erat separatio, diuturna esse non potuit. At nunc, utraque parte consentiente, et instante, ut divisio fiat, visum est mihi, teneri me ex officio, occasionem tam sanctae rei faciendae non praeterire, qualis numquam postea forsan recurret; video enim, et quasi manu tango, si qui huic separationi non consentiant, Helenae praedictae amore captos id facere, non Christi, aut religionis zelo.

At summa mihi se offerebat difficultas super civitatis Neapolitanae, quam Helenam praedictae provinciae per metaphoram vocavi, inter ambas partes divisionem. Hic tamen ambae consenserunt sub his conditionibus. Patres Terrae Laboris permittunt, quod patres Principatus habeant unum locum Neapoli, qui vocatur hospitalettum, fortasse quia hospitalis potius faciem habet, quam conventus, quem possunt aedificare cum claustro, refectorio, et officinis, dempta infirmaria, quam alio in loco suae provinciae dicti patres Principatus habere teneantur. Possint tamen patres Hospitaletti, si gravi ibi infirmitate laborarent, ad infirmariam S. Mariae Novae curandi mitti; et infirmarii eos teneantur recipere, et humaniter tractare, et curare, ut reliquos suae provinciae infirmos. Non possint autem ullas eleemosynas pecuniarias per urbem Neapolitanam, infirmorum suorum causa, fratres Hospitaletti recipere.

Praeterea, quia patres Terrae Laboris petierunt divisionem eorum provinciae, ipsa secundum statuta debeat esse ultima in numero provinciarum. Ejus tamen sigillum maneat, et provincia Principatus novum sibi efformet. In processionibus generalibus fratres, qui erunt in Hospitaletto, non deferant propriam crucem, sed crucem S. Mariae Novae sequantur. Guardiani utriusque conventus simul incedant; caeteri fratres mixti, prout in simili casu fieri solet.

Sub his conditionibus acceptarunt separationem provinciae patres Principatus, contenti portione conventuum amice inter utramque partem in capitulo provinciali facta. Quod quum viderem feliciter succedere, decretum de separatione faciendum duxi. Quia tamen ferebatur, breve quoddam impetratum olim fuisse a summo Pontifice, per quod sub gravibus poenis prohibebatur, ne quis de dividenda dicta provincia aliquid attentaret; consultis prius tum illustris. Nuntio Apostolico, qui tunc erat Neapoli, tum multis canonum doctoribus, factaque protestatione, me pro non facto habiturum quidquam, si sua Sanctitas divisionem non approbaret, sub praedictis conditionibus ad provinciam partiendam processi, in eam utriusque partis patribus sponte consentientibus; quam firmam et validam esse volumus, prohibentes sub poena excommunicationis, et expulsionis perpetuae ab utraque provincia, et amissionis loci Hospitaletti, si fuerint de provincia Principatus, et loci S. Crucis, si fuerint de provincia Terrae Laboris, ne quis nostrorum subditorum quidquam nomine proprio, vel provinciae

in contrarium attentare possit, postquam haec a summo Pontifice confirmata fuerint; protestantes, si irritam eam fieri aliquis procuraverit, quod facturi sunt tantum fratres ex iis, qui Helenae amore ducuntur, non ex iis, qui quaerunt quae Dei sunt, me velle utrique parti jura sua antiqua conservare. In quorum fidem subscripsimus, sigillumque officii nostri appendi fecimus.

Datum Romae in conventu Aracoelitano anno magni Jubilaei MDLXXV. *die vero ultima Mensis Maii.*

Fr. Christophorus a Capitefontium qui supra manu propria.

Fidem facio ego frater Christophorus qui supra, illustris. et reverendis. D. Cardinalem Alciatum vice protectorem nostrum testatum fuisse coram omnibus vocalibus congregationis generalis Romae celebratae in Aracoeli anno MDLXXV.*, ante electionem commissarii generalis, verba se habuisse cum SS. D. N. PP. Gregorio XIII. super divisione praedictae provinciae, et quod eam ratam habuit Sua Sanctitas, quamvis ferretur, esse breve factum a suis praedecessoribus, per quod hujusmodi divisio fieri vetabatur. Quare de novo iterum confirmamus praedictum decretum de illius provinciae divisione.*

Fr. Christophorus qui supra manu propria.

Ego fr. Antonius Ginestretus Commissarius generalis interfui, et confirmo ut supra.

Ego fr. Antonius Visonus diffinitor generalis interfui, et confirmo ut supra.

Ego fr. Andreas de Arbo diffinitor generalis interfui, et confirmo ut supra.

Ego fr. Vincentius a Roma diffinitor generalis interfui, et confirmo ut supra.

Ego fr. Hieronymus Imolensis diffinitor generalis interfui, et confirmo ut supra.

Ego fr. Felix a Perusio diffinitor generalis interfui, et confirmo ut supra.

Ego fr. Joannes Valerus diffinitor generalis interfui, et confirmo ut supra.

L. ✠ S. Ministri generalis.

LXI. In provincia Terrae Laboris remanserunt conventus

Neapolis:
1. S. Mariae Novae.
2. S. Crucis; quiescunt ibi multi viri Dei, Bernardus ab Altavilla, Pacificus de Ayello, Antonius a Montella, Joseph Maria a S. Severino, Antonius a S. Blasio, Petrus ab Ayrola, Bernardus a Casalinovo, aliique cum opinione sanctitatis.
3. SS. Trinitatis.
4. S. Mariae de Montecalvario.

5. S. Francisci Fundorum.
6. S. Francisci Cajetae.
7. S. Agathae prope Cajetam.
8. S. Francisci Minturnarum.
9. S. Francisci Mondragonii.
10. S. Francisci Carinolae, seu Caleni.
11. S. Francisci Aruncae.
12. S. Mariae de fontibus Arcis Monfinicae.
13. S. Francisci Castelli Pratensis.
14. S. Antonii Theani.
15. S. Mariae de Gratiis Cajatii.
16. S. Catharinae Capuae.
17. S. Mariae Magdalenae Atellae.
18. S. Joannis Baptistae Puteolis.
19. S. Francisci Surrenti.

Digitized by Google

20. S. Mariae de Puteo Sussuvii.
21. S. Viti Mariliani.
22. S. Angeli Nolae.
23. S. Joannis de Parco Lauri.
24. Annuntiationis B. Mariae Virginis Avellae.
25. S. Mariae in jugo prope Arpajam.
26. S. Mariae de Gratiis Montis Sarchii.
27. Annuntiat. B. M. Vitulani.
28. S. Laurentii Beneventi.
29. S. Francisci Ariani.

Monasteria Monialium

1. S. Mariae de Jesu.
2. S. Francisci.
3. S. Hieronymi.
4. S. Antonii.

} *Neapolis*

5. S. Hieronymi Aversae.
6. S. Spiritus Nolae. Obierunt ibi Aloisia de Saxonia, Laura a Vitacci, et Christina de Elia virgines magnae perfectionis.
7. S. Annae Aruncae.
8. S. Montani Tertiariarum Cajetae.

Pro aedibus Neapolitanis hujus provinciae statutae sunt leges in congregatione generali.

« 1. In conventu S. Mariae Novae morentur de familia tantum quin« quaginta sacerdotes, decem clerici, et triginta laici. Studentium nume« rus relinquitur arbitrio ministri generalis.

« 2. Fratres S. Mariae Novae non celebrent missas in aliis ecclesiis, « ac ne ipsis quidem ecclesiis monialium nostri ordinis, in quibus si « sint missae testamento relictae, eas celebrent sacerdotes deputati in « propria nostra ecclesia Annuntiatae. Non intelligatur tamen id fieri in « casu mortis alicujus monialis, pro cujus anima celebrandae sint plu« res missae in suo monasterio, et in festis eorumdem monasteriorum.

« 3. In conventu S. Crucis sint de familia tredecim sacerdotes, se« ptem laici, clerici ad libitum, qui studeant grammaticae.

« 4. In conventu Montis Calvarii degant de familia duodecim sacer« dotes, sex laici, et reliqui clerici, arbitrio ministri provinciae, qui « studeant grammaticae.

LXII. In provincia Principatus remanserunt post divisionem conventus

1. S. Joachimi, seu Xenodochioli Neapolis.
2. S. Francisci Sarni.
3. S. Francisci Stabiarum.
4. S. Mariae a Chieja Vici.
5. S. Francisci Ajerolae in loco de Cospidi supra sinum Salernitanum.
6. S. Francisci Majoris, combustus a Turcis anno MCDXXXV. et denuo excitatus a S. Bernardino Senensi.
7. S. Francisci Tramorvi.
8. S. Francisci prope Cavam.
9. SS. Trinitatis prope Septempedam.
10. S. Nicolai de Palma Salerni.
11. S. Mariae de Pace Montis Corvini.
12. SS. Trinitatis Eboli.
13. B. Mariae de Aviliano.
14. S. Mariae de Paradiso Oliveti.
15. S. Mariae de Gratiis Boccini.
16. S. Antonii de Padua Polae.
17. S. Francisci Padulae, fundatus, non ut ait Gonzaga anno MCCCLX., verum anno MCDXXII. Viget ibi memoria Marini de Padula laici optimi, et Thomae de S. Angelo Fasanella sacerdotis integerrimi. Prioris effigies visitur in claustro.
18. Pietatis Diani.
19. S. Francisci Joii.

Digitized by Google

20. S. Francisci Pesciottae. Hic sepultus est Franciscus de Montano laicus, de quo plura narrantur prodigia, et laicus alter Bonaventura de Dura signis a Domino illustratus.
21. Annuntiationis B. Mariae Lazaroli.
22. S. Francisci Cilenti.
23. S. Francisci Castellutii.
24. S. Francisci Altevillae supra sinum Salernitanum.

Monasteria Monialium

1. B. Mariae de Pietate Majoris.
2. S. Jacobi Tertiarum Jolii.
3. Duo Monasteria Tertiariarum Salerni, ubi tria alia sunt Tertiariarum, et duo Clarissarum ordini non subjecta.

LXIII. Habuerunt etiam capucini in Urbe capitulum generale, ad quod praesidem delegavit fratrem Marium de Mercato Julius de Ruvere cardinalis Urbini protector totius ordinis minorum, audiens dissensiones esse inter electores. Rem hanc insuetam sibi, suisque parum decoram reputans Hieronymus de Monteflorum, qui commissarium generalem agebat, Julium admonuit, ne rumoribus fidem adhiberet; tranquilla enim esse omnia, et pacata; nihil agi in capitulo, quod non foret exlege; omnium animos in unum ferme consentire. Hinc Julius sententia excidit, et capitulo praefuit cardinalis S. Severinae vice-protector capucinorum: *Quum capitulum* die x. Maii. *Boverius ad an. 1575.*

LXIV. Summa cum familiae gratulatione ordinem suscepit administrandum idem Hieronymus de Monteflorum (confirmatus in munere anno MDLXXVIII. ob pietatem, zelum, et moderationem, quibus suos rexit). *Videbatur*, inquit Rodulphus, *vir doctus, et prudens in omnibus vel minimis rebus haesitasse, multas passus tribulationes, praesertim in Sicilia. Ille vero magna animi constantia, et aequo animo omnia tulit.* At si vera refert Boverius, vel ejus traductor Benedictus Sanbenedetti, haesitationem nec in minimis, nec in magnis in homine reperio, qui non dubitavit aliquando, novus, ut ita dicam, Empedocles, Aetnae montem conscendere, et in cacumine ad os ignivomum accedere, nihil metuens plenos flammarum torrentes, qui ad os ipsum, et ejus pedes refluebant, inter ingentia tonitrua, totiusque montis concussiones. Quin etiam deorsum diligenter inspexit, an anima aliqua inter globos ignis appareret; miseros enim gemitus, vocesque plorantium virorum, et mulierum in subjecta caverna sibi audire Hieronymus videbatur, incertus, an purgatorii, vel inferni poena inibi torquerentur. *Rodulphus Lib. 2. pag. 201.* *Benedictus Sanbenedetti ad an. 1579.*

LXV. Nihil antiquius habuit Hieronymus statim ac magistratum inivit, quam rebus suorum in Galliis prospicere. Eo itaque misit Matthiam de Saelodio, oppido ditionis Venetae supra lacum Benaci in territorio Brixiensi, qui commissarii generalis vices gereret, loco Pacifici de S. Gervasio hoc tempore defuncti. Ivit ille cum Niccolao, et Salvatore Tiphernatibus, Hippolyto Bergomensi, et Thoma de Taurino concionatoribus, Angelo Comensi, et Mauro a Lauda laicis, viris eximiis, pro Dei gloria, et catholicae reipublicae augmento quidvis exsequi paratis.

LXVI. Felix fortunatumque initium sortitae sunt res capucinorum sub Pacifico de S. Gervasio, et sociis ipsius, quorum vivendi modus in parvo coenobio de Picquepus ad perfectionis normam expressus, maximum cunctis stuporem ingerebat, et pietatis sensus excitabat. Nihil illis au- *Ann. Min. ad an. 1574. num. 38.*

sterius, nihil pauperius, nihil modestius, ac demissius. Ambulabant, sicut decet sanctos, in humilitate, mansuetudine, et poenitentia, nullum subterfugientes laborem, neque discrimen justitiae causa, duce eorum Pacifico, quem luxerunt sepultum in ecclesia S. Germani inter incredibilem Parisinae plebis frequentiam, sic ut nonnisi triduo post tumulari potuerit. Ita illi omnium benevolentiam, et existimationem sibi conciliabant tum apud cives, tum in aulis virorum principum, quam consequutae sunt aedium religiosarum constructiones, et mira pii instituti longe lateque propagatio.

Pacificus de S. Gervasio. *De Arembergh p. 71.*

LXVII. Valuit Pacificus gratia et auctoritate apud Carolum IX. Galliarum regem. Dictum est, eum a monasterio S. Georgii in Alga Venetiarum ad capucinos se transtulisse, quos inter praeclara obivit officia. Sacrum faciens in civitate Utinensi Fori Iulii Venetae ditionis objurgavit acriter nobiles quosdam viros, qui strepitus edebant in ecclesia: *domus mea*, dixit, *est domus orationis, non colloquiorum, et rerum agendarum*; quae verba illi benigne acceperunt, praeter unum, qui minis aggressus Dei ministrum, misere post brevem horam apoplexia occidit domi suae. Praesentiam realem Christi in Sacramento altaris duplici miraculo confirmavit; primo namque imperavit vicinae arbori, ut deorsum comam demitteret coram haeretico, qui rationibus obsistebat, ne fidem Sacramenti susciperet, et continuo illa dictis paruit; deinde ut toto vertice tellurem tangeret; quod videns haereticus errorem suum, et obstinationem abjecit.

Ann. min. ibid.

LXVIII. Eisdem civilibus motibus armorumque terrore Galliae, et Flandriae agitabantur Hugonottorum, et Geusiorum facinoribus qui dummodo sacras aedes exscinderent, aras diriperent, et innocentium sacerdotum sanguinem funderent, satis sibi, superque factum existimabant. Biarnensium princeps satellitio haereticorum stipatus, ingressusque civitatem Agienensem in Aquitania antiquiori catholicorum instabat exitio, et praesertim fratrum minorum, quos tamen victricia arma Catharinae Galliarum reginae et ducis de Montepenserio ab impiorum gladiis eripuerunt.

Gonzaga in prov. Aquitaniae Antiquioris conv. 13.

LXIX. In civitate Sommeriarum, vulgo *Sommaire*, vel *Sommieres* dioecesis Nemausensis in Occitania, una cum parochialibus ecclesiis S. Salvatoris, et S. Michaelis, duobus monasteriis ordinis Benedectini S. Amantii, et S. Pontii, funditus diruerunt coenobium minorum conventualium, occupato castro, quod civitati dominatur, ejectisque catholicis, ex quibus unicus permansit *Guillo* cum duobus pueris, nihil veritus nefariorum minas, et injurias.

Monumenta prov. S. Ludovici.

LXX. Insederat arci de Manerba non longe a Massilia cohors militum praesidiaria, ex nebulonum, et ebriosorum grege, qui, justitia, et pietate posthabitis, quidvis aggredi sibi licitum, et decorum arbitrabantur. Errabant in proxima regione quidam ex ipsis die xxix. Decembris, obviumque habuerunt in loco Berra nomine Antonium Carbonarium a Guilestro in Delphinatu laicum provinciae S. Ludovici, qui ex guardiani sui voluntate Salone discesserat, rediens Massiliam. Nihil jucundius accidere potuit nefariis, quam in exoptatam praedam incidere. Quare horribili clamore edito, igneisque ballistis in eum versis, manus injecerunt in hominem, cui illorum unus manicas ferreas ostendens: *His*, ait, *constringendus es, hypocrita, et papista.* Revinctum, percussumque ve-

Antonius Carbonarius martyr.

luti per jocum in capite tormentis bellicis, amictu exuunt, clamante illo, et nequicquam rogante, ut honestius tunicatus necaretur, quandoquidem ipsi ita vellent. Detracta tunica semianimem, et frigore rigentem, summa in hyeme humi projiciunt, adstansque desuper cum gladio satelles dixit: *Jugulo tuo en gladium infigam, nisi fatearis, papam esse antichristum.* Cui Antonius: *Discede a me homo perdite; ego fidem meam non deseram, etiamsi non tuus tantum, sed mille gladii me circumstarent.* Tunc aliorum voces insonuerunt: *Occide papistam, occide.* At dux militum, ne spectaculo finis statim imponeretur: *non,* inquit, *occidatur monachus, fortasse enim resipiscet.* Viro tamen Dei acrius obsistente, et liberius haereticos increpante, quod veram fidem deseruissent, ut abirent post desideria cordis eorum, jussit, ut ei praeciderentur virilia, nasus, et aures; foedeque sic mutilatum irrident, calcibus jactant, et ballistarum hastis contundunt immanes carnifices, jurgiis et contumeliis exanguem impetentes ore sacrilego. Ille interim cruore perfusus Domino benedicebat. Tandem nudum, ut erat, alligant ad caudam equi indomiti, quo per devia raptus, et in frusta concisus, repetens Jesu et Mariae nomina, martyrium suum explevit. *Hilarion a Costa lib. II. Histor. p. 366.*

LXXI. Eumdem exitum beato fine tulit Claudius Gabriel Fabri de Briansone doctissimus et eloquentissimus verbi divini concionator, captus ab haereticis ad maris littus prope Fossas Marianas in Gallia Narbonensi, ubi erat guardianus coenobii S. Francisci Lunelli, ab haereticis hoc anno solo aequati. Conviciis exceptus, eo quod in concionibus haereticorum nequitiam reprehendisset, et caecitatem deflesset, qui veritatis luci oculos omnino clausissent, plagis caesus, et pugionibus confossus sistitur ad os putei illius, in quo jacebat Balthasar a Prato consobrinus suus Nemausi ob eamdem causam interemptus. Praesens aderat similiter vinctus Animundus de Sabaudia sacerdos, eumque milites coegerunt, ut guardianum suum demergeret in puteum, minis, et verberibus, inter execranda maledicta, ac probrorum tempestatem. Sed vix post horam et ipse puteum complevit, vulneribus oppletus, et sanguine madens, quum persisteret in fide sua, nec promissis, nec cruciatibus adduceretur ad illam deserendam. Palpitabant deorsum martyrum artus, eosque satellites super imminentes laeti intuebantur, et verbis exagitabant turpissimis; veritique, ne illata vulnera satis essent ad necem, injecta lapidum congerie amborum corpora obruerunt. Post aliquot annos Animundi corpus invenerunt catholici sanguinis guttis veluti novissime respersum. *Claudius Gabriel Fabri martyr.* *Gonzaga in prov. S. Ludovici conv. 19.* *Animundus de Sabaudia martyr.*

LXXII. Sub idem tempus incidit in Satanae ministros Joannes Capucius a Roverga vicarius ejusdem coenobii Lunelli, domum revertens a sacris concionibus, quas in proximis oppidis habuerat, et uno eodemque temporis puncto, majoribus sclopis, veluti in signum, in eum directis, explosisque tormentis bellicis cecidit. Quae tamen crudelitas impiorum animos non explevit, qui ejus cadaveri mille modis insultarunt, correptumque pedibus raptarunt per campos, et alitibus, canibusque reliquerunt discerpendum. *Ioannes Capucius martyr.*

LXXIII. Turbatis rebus in Polonia absentia regis, irruentes Tartari in Russiam ingentem praedam, pluraque hominum millia abegerunt, quos inter fratrem Martinum vicarium conventus Leopoliensis, et fra- *Martinus et Lucas Poloni.*

Digitized by Google

Monum. prov. trem Lucam laicum, quorum prior e manibus hostium ereptus in patriam redivit.

Guilielmus Olis martyr. Waddingus in syllabo mart. LXXIV. Guilielmus Olis natione Gallus, et genere nobilis alumnus conventus Nivellensis in provincia Flandriae sacerdos et praedicator, interceptus a Geusiis in via inter Gandavum, et Burgas ad arborem alligatur funibus, et transfigitur per medinm cerebri sclopi ictu. Super *Raissa in auctario SS. Belgii.* trepidantem et sanguinis rivos effundentem instant homicidae, et adacta in ejns dorsum securi dissecant per longum a capite usque ad inferiora martyrem ejulantem et verba repetentem: Jesus, Maria, in quibus expiravit. Corpus Gandavum delatum conditum est juxta ossa alterius martyris Petri Prici, seu Pruus in coenobio minorum, ubi, ut fert traditio, asservatur instrumentum dissectionis appensum in ambitu conventus.

Ioannes Penneman martyr. LXXV. Joannes Penneman, quem Waddingus in libro de martyribus ordinis, auctor bibliothecae Franciscanae, et Sbaralea Franciscum vocant, Gandavi nobili familia natus, ingenio, doctrina, et morum in-*Idem ad diem 24. Iunii.* tegritate praestantissimus, pergens a conventn Slusensi, quem guardianus administrabat, ad pagum S. Laurentii sacra ad populum verba facturus, uti consueverat, incidit in eosdem sanctorum venatores, qui comprehensum, caesum, et humi stratum scindunt protinus, et mactant bipennis ictibus, sectoque gutture, cruentum cadaver in fossam propinquam trahunt, ubi martyr dies aliquot mansit insepultus, donec inventus a pueris ovinm custodibus tumulum nactus est in ecclesia ejnsdem pagi, ingenti catholicorum moerore, qui apostolum suum sic crudeliter affectum querebantur. Ita landati scriptores cum Arnoldo de Raissa. Reliquit Joannes non panca volumina conscripta in communes locos, quibus quidquid ex SS. Patrum fontibus suxerat, et ex lectione historiarum variarum hauserat, posteris propinavit.

LXXVI. Scelerum suorum, et immanitatis poenas dedere impii in ci-*Leonardus a Neapoli lib. 7. cap. 10. pag. 527.* citate Daventriae in Hollandia, in qua post percussionem sacerdotum et templorum direptionem sacris vestibus induti, supplicationis more, incedere non dubitarunt ad rerum sanctarum, et catholicorum ludibrium; injecto enim ab ipsis igne in cuniculos subterraneos pulvere pyrio instructos, ut obsidentes Hispanos repellerent, diruptisque arcis parietibus, erumpentes flammae Geusios arserunt. Hinc Hispanis patuit aditus in arcem et civitatem cum ingenti hostium internecione et exitio.

Conventus Capitii. LXXVII. Domum S. Mariae de Jesu Capitii Dioecesis Messanensis, *Gonzaga in Prov. Siciliae conv 48.* familiae franciscanorum observantium positam a civibus, scribit Gonzaga, anno non expresso, instructamque hortis, officinis, et necessaria supellectili; in chronica tamen provinciae Siciliae invenitur, observantibus cessisse desertam a conventualibus anno MDXCV. Quamvis fortasse in numeris sit error, ex eadem tamen chronica discimus, cives hoc anno fratribus sive observantibus, sive conventualibus septem vel octo illic moraturis promisisse ex indulto S. C. quindecim aureos in annos singulos pro vestimento, et duos pro piscibus, a decumis, seu portorio exigendos. Viget memoria Andreae de Capitio cum sanctitatis fama ibidem quiescentis.

LXXVIII. Nonnullis piis viris suppetias ferentibus constructum est in *Conventus Sunsensis. Monum. prov.* provincia Majoricarum coenobium S. Mariae Lauretanae, duobus milliaribus ab oppido Sunsensi dioecesis Majoricensis ex licentia Joannis Vich

episcopi. Sed inde fratres cito abierunt. Quinquaginta post annos iterum manus admota est operi, domusque extitit sub invocatione S. Sebastiani, ad cujus pacificam possessionem retinendam monitoriales litterae datae sunt Romae anno MDCXXV. At clerici adeo repugnarunt, ut fratres denuo abscesserint.

LXXIX. Sub initium hujus anni, etsi Gonzaga sequentem signet, qua in re ab eo discedendum, et Antonio Panes historiographo accuratissimo fidem potius esse adhibendam putamus, custodia S. Joannis Baptistae duas aedes recepit; alteram in oppido de Castalla dioecesis Valentinae, S. Sebastiano sacram, in quam fratres intrarunt die XV. Januarii, ex decreto capituli sub ministro Antonio Alvero; alteram die VIII. ejusdem mensis in civitate episcopali de Xativa, seu Setabis titulo S. Onuphrii ad montis ima, in cujus cavernis habitarunt quondam Felix, Fortunatus, et Archilocus Christi martyres missi a S. Irenaeo ad regionem fide collustrandam. Prope portam de Cocentayana loco humili, arboribus consito aedificium poni fecit Joannes de Ribera archiepiscopus Valentinus, novitiorum educationi destinatum, in quo inter alios sancte obierunt Aloisius de Arazil primus guardianus, Christophorus de la Plaça provinciae minister, Petrus Nieto, et Martinus Alphonsus laicus.

Conventus de Castalla.
Gonzaga in prov. S. Joan. Baptistae conv. 10. et 11.
Conventus de Xativa.
Antonius Panes in Chron. prov. c. 26. p. 97. et seq.

LXXX. Petrus Narangius, et Catharina Lopetia conjuges oppidi Carrion dioecesis Toletanae, jurisdictionis militiae Calatravensis, diversi ab oppido Carrionis de Comitibus in dioecesi Palentina, jam senex, et absque liberis erexerunt in domum minoriticam tredecim fratres continentem, propriis sumptibus, vetus eremitorium Dominae nostrae de Conceptione ex placito Philippi II. regis, qui militarem ordinem moderabatur, et licentiati Busti de Villegras Toletanae ecclesiae administratoris.

Conventus Carrion.
Gonzaga in prov. Castellae conv. 27.

LXXXI. Leonora de Gusman uxor Petri Gironii ducis Ossunensium, ob devotionem singularem, qua S. Paulum Apostolum colebat, et franciscanos fratres prosequebatur, redegit in coenobii formam sub titulo S. Pauli de Eremo domum, in qua rusticari solebat, ad radices praerupti montis inter nemora, Cote nomine, supra saxum scopulosum, octo milliaribus ab oppido Morono dioecesis Hispalensis. Sponsione insuper adstrinxit fratres recollectos, quos in locum immisit, ne umquam inde discederent, gauderentque decem et octo numero, tum solitudine, tum amoenitate regionis, pulcherrimis hortis, aquis irriguis, ac frugum varietate abundantis. Cum autem paramentis, et ornamentis ditatum, atque illud ad perfectionis culmen perductum fuisset a Petro Deleacoca Carnecio regis Sebastiani Portugalliae consiliario, obtinuit ipse a Pontifice, ut una cum religiosis viris interesse posset in choro divinis officiis: ***Cum, sicut nobis*** die XV. Februarii.

Conventus S. Pauli de Eremo.
Idem in prov. Baeticae conv. 31.

LXXXII. Sexquimilliarii ab oppido Villanovae de Serena, in loco, ubi surgebat parvum sacellum S. Bartholomaei Apostoli, pii cives aere privato, et publico conventum excitarunt sub eodem titulo, in eumque immiserunt duodecim fratres provinciae S. Joseph, magna cum adjacentium populorum utilitate, quos doctrina et exemplo erudiunt. Anno MDXCV. die IV. Decembris translatum est in locum commodiorem. Sunt etiam pontificiae litterae: ***Piis fidelium votis*** idibus Januarii pro constructione coenobii eorumdem fratrum in oppido Plicensi dioecesis Conchensis. Eumdem conventum anno insequenti occuparunt.

Conventus de Serena.
Idem in prov. S. Joseph conv. 18.

Digitized by Google

Conventus Pizzuli. LXXXIII. Litteras dedit Pontifex, ut fratres coenobii Aquilani S. Bernardini reciperent ecclesiam S. Mariae in Paradiso oppidi Pizzuli dioecesis Aquilanae in Aprutio, jurisdictionis temporalis Ferdinandi de Torres militis S. Jacobi de Spathia, ad ipsius, et universitatis praefati oppidi instantiam: *Piis fidelium* die xv. Januarii, ut prope illam fieret coenobium. Intrarunt fratres provinciae Hydruntinae S. Nicolai in conventum terrae de Turo dioecesis Conversanae, quem a Francisco Moles domino in temporalibus loci positum ex Gonzaga tradidit Michelesius. At ex litteris pontificiis habemus, Franciscum voluisse quidem conventum fundare, sed morte praereptum nihil exequi potuisse. Hinc Gabriel Moles Francisci frater una cum Francisci filio aedem constituit: *Piis fidelium* die xviii. Januarii.

Conventus Turi.

Ann. min. ad an. 1574. num. 46.

Doctrina de Teopan. LXXXIV. Ecclesia S. Pauli de Teopan, contiguumque aedificium, seu doctrina, quam extra civitatem Mexicanam excitaverat Petrus Gandavensis una cum ecclesiis S. Joannis Baptistae de Moyotla, S. Sebastiani de Arzaqualco, et Assumptionis Dominae nostrae de Tlaquecluucan, quamque fratres minores cesserunt presbytero saeculari, arbitrio Alphonsi de Montufar archiepiscopi Mexicani, edicto regis hoc anno addita est collegio S. Pauli, ut illius alumni commodius alerentur, donec, non ut scribit Augustinus de Vetancur, Martinus Henriquez pro-rex Mexici, qui jam Peruviam ad idem munus obeundum petierat, sed Petrus Moya de Contreras locum transtulit ad eremitanos S. Augustini.

Theatrum Mexicanum part. 4. p. 40.

LXXXV. Nihil ferme detractum est franciscanis hujus domus jactura, quibus relictae sunt ecclesiae S. Christophori de Aztacalco, S. Annae de Zacatlamanco in lacu, Purificationis de Malcuitlapilco, S. Crucis de los Rastreros, S. Lucae de Cuezcontitlan de los Carnizeros, praeter populos de Izracalco, Mexicaltzinco, S. Martae, Nativitatis de Chapultepec, S. Antonii, et quinque alios, quibus spiritualia praestant obsequia religiosi archiparoeciae S. Joseph in conventu Mexicano. In provincia Portugalliae, teste Torelli, etiam conventus Dominae nostrae oppidi Louleni, studio Henrici cardinalis Ulysiponensis, die viii. Martii anni praeteriti iisdem patribus eremitanis cessit.

Torelli secoli Agostiniani tom. 8. pag. 596. Bologna 1686.

LXXXVI. Ingens terraemotus non alteri absimilis, qui anno mdlxii. provinciam Chilensem concussit, montesque, ut ajunt loco dimovit, et mare in terram immisit, hoc anno eodem impetu Valdiviam delevit, supra ripam australem fluvii ejusdem nominis constructam a Petro Valdivia Hispano, qui victrices copias in Chilem adduxit. In communi ruina solo aequatum est iterum coenobium Dominae nostrae de Remediis annis ab hinc quindecim positum; quod tamen civium pietas, et liberalitas loco commodiori statim aedificarunt, aptum quatuor fratribus continendis.

Busching tom. 33. pag. 115.

Conventus Valdiviae.

Conventus Lubaviensis.

Monum. prov.

LXXXVII. Amiserunt fratres observantes anno mdlxiv. coenobium S. Joannis Baptistae Lubaviense, seu Culmense, ob haereticorum incursionem, quod Jesuitis tradi episcopus postulaverat. Extant ministri generalis litterae hoc anno datae ad Franciscum de Sedziszou ministrum provinciae Poloniae, quibus jubet, ut fratres ad illud inhabitandum immitteret.

Reverende Pater

Indoleo vires nostras, quod in haec calamitosa tempora inciderimus, ubi omnia sursum deorsum miscentur, ubi haeretici, velut har-

Digitized by Google

piae illae, aut ranae pharaonicae omnia foedant. A viro nostri instituti tenacissimo paulo antea accepi, reverendis. Culmensem episcopum, reverendissimum Generalem Societatis Jesu litteris provocasse, quod coenobium nostrum Culmense his, qui sunt de societate Jesu, attribuat, et hoc sub praetextu docendi et instituendi pueros; reverenda paternitas meminerit, te custodem in vineis a Domino constitutum, quod muneris tui extiterit, auctoritatem tuam, imo nostram, quinimo Christi sartam, et tectam servare praetendat. Quod mortem obiere fratres in Prussia, et praesertim in civitate Culmensi, non idcirco quoque periisse sciat divi Francisci institutum. Tuae igitur partes erunt, et destinare fratres, qui coenobium mordicus teneant, deque patrato negotio certiorem me, quamprimum valueris, reddas. Consulit identidem, qui supra negotio commune fecit, ut interim vices nostras reverendis dominis canonicis ejusdem ecclesiae demandaremus, atque subvereor, ne dum istud egerimus, pro uno multa nobis aemulos adipiscamur etc. Datum Romae die XXV. *Martii* MDLXXV.

L. ✠ S. Fr. Christophorus de Capitefontium Generalis Minister.

LXXXVIII. Hujusmodi litterae suum illico effectum non sunt sortitae. Verum refecta aedes expensis Petri Kostka episcopi Culmensis, atque ab ipso episcopo et Lubaviensibus expetiti fratres, illam ab initio regiminis Francisci Gonzagae generalis ministri denuo occuparunt, datis ab ipso litteris Nicolao Buschio provinciae ministro, ut coenobium sui juris faceret, fratresque ex Provincia Poloniae ad illud inhabitandum advocaret.

Monumenta prov. Poloniae. — *Gonzaga in prov. Poloniae conv. 26.*

LXXXIX. Hoc anno minores observantes ab aedibus Franciscae Viduae Tryphonis Bucchia, quas, instante bello Turcarum die XVII. Maii MDLXXII. ipsis donaverat pro eorum hospitio intra moenia civitatis Cathari, sive Ascrivii, se receperunt in monasterio S. Clarae ejusdem civitatis, quod vacabat per obitum monialium, S. Clarae titulo in S. Bernardini nomen commutato: *Cum alias* die XXII. Februarii. Hoc in negotio eisdem fratribus geminae conditiones additae sunt, scilicet, ut ex eorum coetu duos sacerdotes perpetuo constituerent, qui sacras confessiones sanctimonialium B. Mariae de Angelis, et S. Crucis, sive S. Josephi exciperent, et ut hortos, quos in antiquo S. Bernardini coenobio habebant, communitati Catharensi traderent.

Ann. min. ad an. 1572. num. 81. — **Conventus Cathari** — *Monum. provin. Dalmatiae.*

XC. Communibus fidelium impensis non procul ab oppido Laureti dioecesis Pennensis in provincia S. Bernardini constructum fuit coenobium pro XII. fratribus. Gonzaga illud fuisse aedificatum tradit anno MD. Ecclesiae et clausurae fundus a nobili familia de Lassis ejusdem terrae incola suppeditatus fuit XIII. calendas Maii. Templum est sacratum b. Mariae Virgini de Pietate, in cujus ara maxima a christifidelibus pie colitur ejusdem Virginis illustris et prodigialis imago. Anno MDCXXVII. cessit pp. Reformatis sub titulo b. Mariae de Observantia.

Conventus Laureti. — *Gonzaga in prov. S. Bernardini convent. 21.* — *Monum. prov. S. Bernardini.*

XCI. Apostolica auctoritate munitus, non longe ab oppido Francavillae dioecesis Brundusin. propriis sumptibus aedificandum curavit Antonius Roncius conventum dicatum b. Mariae de Cruce pro XII. fratribus de observantia, illoque ad perfectionem ducto, hoc anno IX. calendas Februarii pp. provinciae S. Nicolai Barensis tradidit.

Conv. Francavillae — *Gonzaga in prov. S. Nicolai conv. 45.* — *Monum. prov. S. Nicolai.*

Digitized by Google

Conv. Montisfalconis.

Petrus de Alva in Indic. ad an. 1576.

XCII. Precibus germanorum fratrum Antonii, et Octavii Pò in temporalibus dominorum oppidi Montisfalconis Beneventanae ditionis sinit Pontifex: *Inter caetera* calendis Octobris, nt ex eorum redditibus construendas curent aedes pro Observantibus, data venia ad operis molitionem Leonardo de Arce Morlina ministro provinciae. Petrus de Alva pontificias litteras notat ad annum sequentem. Opinor, hoc coenobium non fuisse amplius constructum; nam in cathalogo provinciae nulla de eo fit mentio.

Conv. Iotrinoli.

Gonzaga in prov. Sept. Martyrum conv. 9.

XCIII. Prope oppidum Jotrinoli provinciae septem Martyrum sacram aedem b. Mariae vulgo *de Musciminis* ac insimul sibi unitum coenobium pro ix. fratribus excitavit universitas Jotrinolensis, obsequii causa erga pp. Antonium, et Ludovicum a Jotrinoli.

Conv. Castromachi.

Gonsaga in prov. Conceptionis convent. 22.

XCIV. Pro inhabitatione xviii. religiosorum recollectornm erectus fuit conventus in oppido hispanice nuncupato *Castromacho* dioecesis Palatinen. in provincia Conceptionis, ex pia largitione adjacentium fidelium sub titulo b. Mariae de Angelis.

Conv. Spiritus (S.

Gonzaga in prov. Arrabidorum convent. 13.

Conventus de Alferrara.

Idem ibidem convent. 3.

Franciscus Matritensis in bull. discalc. tom. 1. p. 240.

XCV. Cum esset minister provinciae Arrabidorum p. Balthasar a Plagis coenobium pro x. fratribus, impensis constructum Ludovici a Castrofluviorum erga religionem nostram devotissimi, Spiritui Sancto sacratum ad vi. lapidem ab Ulyssipone recepit, sacrisque indumentis ac supellectili deinde ab ipsomet locupletatum. Stephanus a Gama comes Vidiguarensium, seu Vidigejanorum, aemulus parentis sui Vasci a Gama, qui benevolentia addictus erga Martinum a Sancta Maria fundatorem ejusdem provinciae, posuit anno mdxliv. coenobium B. Virginis Mariae de Consolatione, ix. lapide a monte Arabico, voluit et Ipse aliquibus ab hinc annis ex propriis facultatibus excitare coenobinm SS. Conceptionis in loco de Alferrara sexquimilliari ab oppido de Setuval, seu de Setobriga dioecesis Ulyssiponensis. Verum cum hujusmodi coenobium ad haec usque tempora vacuum omnino fuisset, serenissimus Infans Henricus cardinalis in Lusitania a latere legatus eodem ministro jussit hoc anno, nt quamprimum fratres ad illud incolendum mitteret. Habitant x. fratres.

Conv. Valletta.

Sicilia Sacra tom. 2. pag. 916. Ann. min. ad an. 1566. num. 43. Gonzaga in prov. Coloniae conv. 8.

XCVI. Ad maris Portum Insulae *la Valletta* Melitensis Civitatis provinciae Siciliae, teste Rocco Pirro, absolutus fuit conventus sub invocatione B. Mariae de Jesu pro observantibus aere potissimum episcopi Gargallo, cujus stemmata in ecclesiae tecto inspiciuntur. In provincia Coloniae lutheranorum perfidia igni traditus est conventus Limghedensis minorum observantium.

Ann. min. ad an. 1220. num. 17.

Ann. min. ad an. 1567. num. 75.

XCVII. Conventus S. Pauli Bononiae cum ruinam universim minaretur, pro sua in seraphicum institutum benevolentia, sumptibus propriis totum renovandum et reparandum curavit Gregorius XIII. Ecclesia vetus S. Antonii Abbatis observantium sita intra civitatem Casalensis, in ampliorem formam studio fratrum redacta est. Opus ab ipsis inchoatum an. mdlxvii., absolutum fuit hoc tempore.

Ann. min. ad an. 1545. num. 42.

XCVIII. Templum S. Thomae Apostoli intra moenia Augustae Taurinorum hoc anno fratribus observantibus cessit, simulque perpetuum regimen illius paroeciae ob liberam resignationem Pontifici factam a Gulielmo Novarotti illius ecclesiae rectore: *In supremae* idibus Decembris. Anno autem insequenti die xviii. Augusti, coenobii praeside Ba-

ptista de Quinciano, data eis fuit per testimoniales cancellariae episcopalis litteras parochialis ecclesiae possessio.

XCIX. Ecclesia S. Francisci observantium Guastallae nullius dioecesis provinciae Lombardiae, constructa ex redditibus nobilis viri Caesaris Gonzagae Molfettae principis, a S. Carolo Praesbytero Cardinali Borromaeo, indulgente Pontifice, sacratur: *Nuper nobis* xxv. Januarii. Die xv. mensis Martii consecrata etiam extitit ab Aurelio Girano episcopo minorita ecclesia observantium S. Mariae in Puteo oppidi Sussuvii dioecesis Nolanae in provincia Terrae Laboris.

Gonsaga in prov. Terrae Laboris conv. 22

C. Anno MDLXXI. Sfortia Sforti comes S. Florae et Castri Arquati dioecesis Placentinae dominus, ex testamento observantibus conventus Montis Oliveti prope eumdem Castrum provinciae Bononiensis legavit eleemosynam quingentorum libellorum imperialium pro eorumdem victu et vestitu, ipsis erogandam a rectoribus Xenodochii S. Spiritus ejusdem oppidi, ea lege, ut bis in anno animae suae in eorum ecclesia parentarent, in qua se humari voluit. In ejus tumulo hoc legitur epitaphium.

Flaminius a Parma tom. 3. pag. 61.

D. O. M.
SFORT. SFORTIAE COMITI SANCTAE FLORAE
CUJUS EGREGIA VIRTUS AB ISPANIS
AUREO VELLERE DECORATA.
GALLIS GERMANIS AC TURCIS TERRORI
ITALIAE VERO ORNAMENTO FUIT
CATHARINA DE NOBILIBUS CONJUGI
FRANCISCUS PATRI OPT. POSUERE
VIXIT ANN. LV.
OBIIT ANN. M. D. LXXV.
XII. KAL. NOV.

CI. Laquearium deauratum et pulcherrimum ad Aracoelitani Templi ornatum, in ala media ejusdem templi positum, hoc anno addidit S. P. Q. R. in gratiarum actionem ob fractam Turcarum potentiam die VII. Octobris anni MDLXXI. ad Echinadas Insulas, ut luculenter constat ex dedicatione aspidi inscripta. Alterum in quo majus altare et chorum continetur confectum fuit anno MDLXXVII.

QUOD. PII. V. P. M. PHILIPPI. II. REG. S. Q. VENETI.
AVSPICIIS. ICTO. CONTRA. TVRCAS. FOEDERE.
CHRISTIANA. CLASSIS. AD. ECHINAD. PROEL.
DIMICAVERIT. TRIREMES. HOSTIVM. CLXXX. CEPERIT.
XC. DEMERSERIT. S. P. Q. R. VOT. SOL. IN. REDITV.
M. A. COLVMNAE. PONT. CLASS. PRAEF.
ET. NAVALIS. VICTORIAE MONVMENTVM.
DEIPARAE. VIRGINI. LAQVEAR. AVREVM. A.D.M.D.LXXV.
GREGORII XIII. P. M. A. IV.

CII. Indulget Pontifex, ut ecclesia b. Mariae *de la Focce* nuncupata prope et extra muros civitatis Sarni provinciae Neapolitanae, sive Terrae Laboris ad mensam episcopalem spectantem, ex bonis suppressae domus S. Francisci conventualium, quam an. MDLXX. observantes obtinuerunt a S. Pio V., reparetur, et ibidem aedes pro conventualibus construantur: *Nuper exponi* III. Junii. Ut in parochiali ecclesia S. Angeli civitatis Anagniae in custodia Campaniae Romanae, ob liberam resignationem factam Pontifici a Pompilio de Iaconcellis ipsius ecclesiae rectore,

Conventus Sarni

Ann. min. ad an. 1570. num. 25.

Conventus Anagniae.

erigatur coenobium conventualium, ea tamen conditione, ut per aliquem idoneum fratrem a coenobii praeside deputandum, animarum cura suscipiatur: *Regiminis universalis ecclesiae* nonis Martii. Michelesius hoc Pontificis indultum ad annum MDLXXIV. memorat, omissa tamen parocciae erectione. Item ratam habet concessionem sub iisdem verbis statutam inter Jacobum archiepiscopum Treviren., ac magistrum provincialem provinciae Colonien. et commissarium conventualium, circa coenobium SS. Trinitatis Trevirensis Jesuitis an. MDLXX. traditum, conventualibus translatis ad monasterium monialium S. Germani ordinis S. Benedicti: *Ad Apostolicam dignitatem* xv. Junii. Etsi haereticorum incursionibus et vexationibus bellorumque turbinibus exagitatus, adhuc tamen, ut scribit Sbaralea, apud conventuales extabat anno MDLXXIII. conventus Andernacensis septimus custodiae Trevirensis ejusdem provinciae. Hoc anno ab iisdem fratribus reassumptum est coenobium S. Nicolai Bellimontis in provincia Romana dioecesis Reatinae, anno MDLXVII. a carmelitis occupatum.

Ann. min. ad an. 1574. num. 66.

Ann. min. ad an. 1570. num. 31.

Conv. Trevirensis.

Con. Andernacensis.

Sbaralea in suppl. mss. ann. min. ad an. 1575.

Con. Bellimontis. *Idem ad hunc annum.*

CIII. Facultatem tribuit Pontifex episcopo Perusino erogandi summam ducatorum ducentorum pro restauranda ecclesia et domo S. Francisci conventualium illius civitatis, deducendam ex summa quingentorum florenorum, relicta a Marco Antonio Bartholino Perusino prioribus et confratribus confraternitatis SS. Andreae et Bernardini pro exornanda capella, seu altare S. Luciae dictae ecclesiae S. Francisci: *Exhibita nobis* die I. Junii. Episcopo Albinganen. in provincia Genuensi, ut ad ornatum et decorem ecclesiae S. Francisci conventualium Albinganen., quae debito ingressu, seu ostio magno, ut decet, carebat, ipsum aperiendum curaret penes superficiem cujusdam domunculae sive stabuli spectantis ad Philippum Barbura capellanum capellaniae perpetuae sitae in altare S. Mariae Magdalenae ecclesiae Albinganen., canone annuo addito in perpetuum sex juliorum eidem capellaniae solvendorum a conventualibus: *Exponi nobis* XXVIII. Julii.

CIV. In provincia Mediolanensi concessa fuit Magistro Zachariae de Casalbutano pro fratribus Tertii Ordinis ecclesia S. Rochi *della terra di Nico* dioecesis Cremonensis ab Universitate dictae Terrae, in qua Mercurius de Ronchis de Polengo saecularis sacerdos sacra peragebat. Distat a Cremona IV. M. P. Biennio transacto praelaudatus religiosus ibi initium dedit constructioni coenobii pro suis.

Conventus de Nico.

Bordoni in prov. Mediolanensis p. 325.

CV. Parmae in provincia Bononiensi sub titulo S. Mariae Blanchae alterum pro ipsis tertiariis recipitur die X. Februarii ab Aurelio Vimercato, tunc provinciae magistro, accedente venia Ferdinandi Farnesii tunc episcopi Parmensis, ipsi traditum a Scipione de Argono, et Francisco de Pellentiis rectoribus, et patronis loci, in quo instituta erat confraternitas ejusdem b. Mariae Virginis, posita in Capite Pontis prope monasterium Monialium S. Augustini.

Conventus Parmae.

Idem pag. 366.

CVI. Capucini recipiunt novas aedes diversis in locis, teste Michaele a Tugio. In provincia Romana extitit conventus Anagniae, et Tusculi. In provincia S. Francisci duo in civitate Spoleti. In provincia Marchiae conventus Pisauri, et Ripaetransonis. In provincia Bononiensi conventus in pago S. Agathae dioecesis Pennensis. In provincia Lombardiae conventus S. Laurentii in oppido Casalis Majoris dioecesis Cremonensis, qui

Conventus capucinorum. *Ex indiculo Michaelis a Tugio, et ex Boverio.*

Digitized by Google

olim spectabat ad ordinem Humiliatorum: *Ad exequendum* xxi. Septembris, in oppido Finalis dioecesis Mutinensis, et in civitate Parmae. In provincia Veneta conventus in oppido Castri Franchi dioecesis Tervisii, et in oppido Opitergii dioecesis Cenetensis. In provincia Mediolanensi conventus in oppido Domasii dioecesis Comensis, et in Fortalitio Leuci dioecesis Mediolanen. In provincia Brixiae conventus in civitate Cremae, in oppido Soncini ejusdem dioecesis, et in oppido Superi dioecesis Bergomensis. In provincia Genuensi conventus Sarsinae. In provincia Basilicatae conventus Campaniae, in Aprutina conventus Lanciani, et Pennae. In custodia Tridentina conventus Roboreti. In Delfinatu unitur capella b. Mariae ad Pontem Cugnini conventui capucinorum Camberii, scriptis ad hoc episcopo Grantianopolitano epistolis a Pontifice: *Quod superioribus diebus* xii. Septembris. Lutetiae Parisiorum in ea urbis parte, quam *Laterias* vocant in suburbio S. Honorati, locus antea constitutus a Catharina Medicaea regina Pacifico a S. Gervasio in Galliis commissario, pro eis nova aedes construitur, sub invocatione S. Catharinae, cujus ea nomine potiebatur. Sunt etiam litterae ejusdem reginae consulibus Lugdunensium, quos hortatur, ut aptum locum capucinis assignent, in quo coenobium aedificare possent; quod perfectum fuit anno insequenti, sumptibus Joaneti de Lectris, patria Mediolanensis, sed urbis Lugdunensis amplissimi consulis. *Boverius ad an. 1575.*

CVII. Extitit hoc anno pro sororibus conceptionistis in provincia Castellae monasterium de Pastrana dioecesis Toletanae Conceptionis titulo, constructum expensis D. Annae de Mendoza et de la Cerda vidua principis Gomez de Silva pro xl. monialibus. Subest regimini provinciae ministri. Ut illud in bonis moribus imbuerent, eo adductae fuerunt e monasterio Conceptionistarum de Toleto Philippa da Acuña pro Abbatissa, et aliae duae sorores. *Monast. de Pastrana. Salazar in prov. Castellae p. 504.*

CVIII. P. Emanuel Travacos delegatus a Philippo de Jesu ministro provinciae Portugalliae, septem aut octo sorores Tertiarias, quae domum religiosae vitae non satis accommodam incolebat extra muros oppidi Abrantii, hoc anno transtulit ad monasterium Dominae nostrae de Spe intra moenia ejusdem oppidi, aedificatum pro xx. sororibus partim communibus bonis illius domus, partim aliis pluribus summa solertia acquisitis ab Hilaria Menesia tunc monasterii Abbatissa. Virgines ibidem congregatae clausurae legibus se libenter subjecerunt, et S. Clarae institutum professae sunt. *Gonzaga in prov. Portugalliae monast. 7. Monast. Abrantii.*

CIX. Magnam pecuniarum vim impendit in costructione monasterii Assumptionis b. Mariae Virginis sub prima regula S. Clarae in civitate de Faron Silven. dioecesis provinciae Algarbiorum Catharina portugalliae, et Algarbiorum regina. Ne tam praetiosa ornamenta, vasa, SS. reliquiae monasterio dono datae quovis quaesito colore alio traducerentur, vel commodarentur, vetuit Pontifex per epistolam ipsi reginae: *Praeclara tuae Majestatis* die i. Novembris. *Monast. de Faron.*

CX. Henricus cardinalis Infans Portugalliae apostolicae sedis a latere Legatus facultatem accipit tradendi monialibus S. Clarae monasterium b. Mariae de Pietate oppidi de Tanilla dioecesis Silicen. ordinis Cisterciensis: *Exponi nobis* die xxviii. Februarii. *Monast. de Tanilla.*

Monast. Urbevetanum. CXI. Postulante Hieronymo tituli SS. Cosmae et Damiani praesbytero cardinali Simoncello, ac episcopo Urbevetano, applicat Pontifex pium legatum quingentorum scutorum auri relictum a quondam Thoma Aniomontio laico Urbevetan. capellae b. Mariae de *Santo Lorenzo in Vigna*, ad fabricam monasterii monialium ordinis S. Clarae in loco *delle zitelle* nuncupato provinciae Romanae, ad quod ejusmodi moniales e monasterio Sancti Ludovici pene diruto migrare deberent, retenta Sancti Ludovici invocatione: *Exposuisti nobis* xv. Martii. In civitate Piperni ejusdem provinciae constructum fuit monasterium pro monialibus sub titulo S. Clarae, expensis illius universitatis, sub cura tamen ordinarii loci. Subest etiam regimini episcopi monasterium, sive conservatorium S. Marci, vulgo S. Maria *dell' Abbandonati*, constructum circa haec tempora a D. Dorothea Aquaviva in oppido Casamaximae dioecesis Barensis. Habitum S. Clarae deferunt, emittuntque castitatis et obedientiae vota in manibus abbatissae. Numerantur in eo LXXII. sorores.

Monast. Piperni.
Monum. prov. Romanae.
Monas. Casamaximae.
De Fasanoin prov. S. Nicolai pag. 75.

Ann. min. ad an. 1318. num. 42. CXII. Universam aedem ferme labentem S. Laurentii Panis-Pernae de Urbe hoc anno reaedificarunt moniales. Reparatum item fuit monasterium monialium b. Mariae Serrae Comitum Picenae provinciae dioecesis Senogallien. summa quadringentorum ducatorum auri de camera, legata olim a Bernardino de Piccinis incola ejusdem Terrae ad usus pauperum, data ad id facultate episcopo Senogallien. *Ecclesiarum et Monasteriorum* die I. Aprilis.

CXIII. Approbat venditionem aliquorum redituum annuorum factam monialibus monasterii Conceptionis oppidi de Guadalajara Toletan. dioecesis a fr. Francisco de Erstrada, quos, habitu deposito, suo labore acquisiverat, necnon eorumdem reddituum emptionem: *Exponi nobis* xxv. Augusti.

Ann. min. ad an. 1496. num. 26. CXIV. Collegium Virginum tertii ordinis S. Francisci oppidi Lerenae in provincia S. Michaelis, quod multis ab hinc annis permanserat sub regimine ministri provinciae S. Jacobi, transiit hoc anno ad S. Clarae institutum regulamque Urbanistarum. Numerantur LX. sorores.

CXV. Non unus aut alter, sed numero decem seraphici ordinis cultores, quorum memoria in Sanctorum vel Beatorum albo descripta invenitur, diversi in locis, at simul tempore, miris virtutum splendoribus patentibusque prodigiis catholicam Christi Ecclesiam hoc aevo illustrarunt. Nos eorum acta recensentes, ea ex probatis monumentis praelibabimus.

Ann. min. ad an. 1570. num. 78. CXVI. S. Paschalis Baylon instituti S. Francisci discalceatorum professor post confectum iter in Gallias, cumulatus meritis in Hispaniam rediit, Valentinumque coenobium inabitans, novum iter sibi hoc anno aggrediendum paratur, adeundi scilicet tamquam internuntius ad Franciscum Ximenez custodem S. Joannis Baptistae Valentiae, qui in patriae suae oppido Xerez de la Frontera morabatur. Ipse non alio, quam cum illo quo Franciam adierat, apparatu, iter ad c. leucas confecit. Quae evenerunt eo tempore, narrat Joannes Ximenius testis oculatus apud Papebrochium, cujus verba, sicut idipsum exequendum sibi proposuerat Joseph Maria ab Ancona Annalium continuator, mutuamur.

Acta SS. ad diem 17. Maii. tom. 4.
Ann. min. ad an. 1564. num. 11.

Acta SS. [illegible] lem §. 27. et seq. p. 55. CXVII. « Hic dum esset *Valentiae* non sine grandi Custodis ac fratrum ibidem existentium solatio et commodo, existens ego, *Joannes*

Ximenes, aliquando in choro ad tertiam, quae missae majori praemittitur, vidi cum intrantem absque pallio, inductum tunica tam vili, pannosa, atque stricta, ut sacco inclusus videretur. Ingressus autem, cum aquam benedictam sumpsisset, juxtaque pulpitum se dimisisset in genua, terram exosculans, junctis et elatis supra vultum manibus, tamdiu perseveravit eo situ absque ullo corporis aut vultus motu, ut ego quamvis puer, et parum ad ejusmodi estimandos factus (*erat enim juxta Baretium annorum xiv.*) non potuerim eo visu satiare; sed in eodem oculos defixos tenuerim usque dum adveniens religiosus aliquis, eum de terra sustulit, atque ad altiorem sedilium unum transire fecit, ubi toto officii tempore mansit, tanta cum devotione ac reverentia, ut satis eam nequierim demirari. » *Baretius tom. IV. Chron. pag. 898.*

CXVIII. « Postmodum conventu egressus, visitare coepit domos consanguineorum Custodis, ubique ea comitatus modestia, tamque piis ad salutem cujusque promovendam verbis utens, ut ingentem suae sanctitatis opinionem apud omnes sibi acquireret; quae quidem opinio mihi in primis profuit. Cum enim pater meus abesset in Peruvia, ac proinde sola hic mater mea, qui fratrum major natu eram, praesentia mea indigeret ad domus atque substantiae domesticae regimen, adeo efficacibus verbis apud eam est usus, ut insciis consanguineis qui discessum meum erant certo certius impedituri, permiserit me noctu egredi ac proficisci Valentiam studiorum causa, ad animae meae bonum aeternum, cujus autorem post Deum agnosco Paschalem, quo comite non minus quam Raphaeli Tobias securus qualem eum erga me sim expertus, dicere non possim; tum quia meam ea res personam spectat; tum quia ejusmodi beneficia non verbis, sed operibus pensanda sunt. Unum dico quam matri pollicitus fuit de me curam, hanc usque ad ultimum spiritum tenuisse, quando moriens dixit fratribus circa lectum stantibus: monete fratrem Joannem Ximenez ut recordetur quod eum de patria sua eduxerim. »

CXIX « Nunquam per viam voluit equo uti quantocumque precibus importunis urgerem, et deprecarer eum, ut saltem ad spatium temporis exiguum mulae meae insideret, donec aliquantulum respiraret a fatigatione, quam causabat itinerum diurnorum prolixitas, et incitatus mulae gressus. Imprimis vero admirabar rigorem paupertatis, quem tenens constanter nolebat in diversoriis uti emptis a me cibis, sed nullam sibi indulgens requiem egrediebatur ad panis quidpiam ostiatim petendum pro Dei amore; neque aliud comedebat. Habebam autem coctam carnem in pera, quam cum solus totam assumere non possem, quin prius propter aestivos calores corrumpi inciperet, abjeci eam in sterquilinium. Tum vero assumpsit eam Sanctus et aliquot diebus adhuc servatam comedit, nauseante me propter ejus foetorem, nec minus dolente quod adeo foedam rem manducaret, ut mirarer nullam ei exinde contractam infirmitatem. Dormiebamus aliquando in areis triturariis; erat enim tempus triturae; ubi postquam ipse me veluti sollicita mater composuisset cupidum, et suo operuisset pallio, dimittens me abibat in aliam partem areae; cumque me sopitum credebat, ipse se ponebat in genua junctis ante faciem manibus, aut in crucem expansis, atque haec omnis ejus quies erat. Per diem utplurimum sejunctus a me ambulabat solus,

nec difficile est divinare quid ageret; cum vero se jungebat mihi, de rebus coelestibus loquebatur tanto cum spiritus fervore, ut eumdem omnibus se audientibus communicaret. Recordor autem specialiter, quod noctium una socium itineris habentibus nobis equitem quemdam, sermo fuerit de devotione erga SS. Rosarium. Et saecularis quidem iste narravit, quomodo aliquando fuerit a nocturnis grassatoribus liberatus beneficio B. Virginis. Cum enim multas ei plagas cultris gladiisque inflixissent et pro mortuo devolvissent ex colliculo quodam, accurrerunt ad mulam, bulgam sellae adnexam ablaturi in praedam. Sed illa, inquiebat, saltibus, calcibusque ferociens nulla ratione cohiberi potuit, quin ab eorum manibus expedita prosequeretur iter praegrediens, et intactam secum bulgam auferens; ego vero absque ullo vulnere aut laesione sanum me reperi, quia beatissimae Virgini me commendaveram. Tum Sanctus tali tamque vehementi spiritu sermonem excepit, ut, quantumvis puer, totus permanserim conversus ad Deum, adeoque sancto ejus timore perculsus, ut mirarer fulmen nullum coelitus dimitti in poenam ingratitudinis meae ac negligentiae circa ejus cultum, conceperimque propositum firmum, aliam omnino vitam exordiendi, post generalem peccatorum omnium confessionem statim ac venissem Valentiam. Ad complementum porro felicitatis meae intulit et de oratione mentali, eatenus mihi ignota, sermonem, persuasitque ut Granatae emerem librum aliquem spiritualem, pront feci, ex ejus consilio eligens opus aliquod magistri fratris Ludovici Granatensis, unde tantum anima mea fructum hausit, quantum alii plurimi ante me. »

CXX. « De Granatensi conventu egredientem ad prosequendum iter, apparitor quidam in equo aggressus in quadam urbis istius platea cum suo satellitio comprehendere illum voluit, tamquam vagabundum, duris eum verbis increpans, et obedientiae chirographum exhiberi sibi ferociter mandans: quo viso ipsum quidem dimisit libere progredi; me vero ingens admiratio coepit incomparabilis istius mansuetudinis, quam tenuit, nec verbum pro se dicens. Magnam quoque ejus patientiam in variis dolorificis casibus vidi, praesertim in exitu ab oppido Huescar, ubi cruciabilis vomitus ei supervenit. Quiscumque in eum per viam incidebat, animabatur sermonibus ejus ad serviendum Deo et pro ejus amore tolerandum aliquid. »

CXXI. « Sed neque ex mea parte utpote pueri et laboribus inassueti, defuit viro sancto patientiae exercendae materia in hoc itinere. Accidit ut sub ardenti sole Caravaca egressum me sitis vehemens occuparet, quia ergo toto illo quatuor leucarum spatio, quod Caravacam inter et Calaspatram interjacet, neque diversorium, neque fons ullus occurrit, torquebantur viscera charitatis, cum dicerem non me posse amplius sitim ferre, et sub alicujus pinus umbra velle subsistere. Animabat ille me spemque ingerebat inveniendae alicubi aquae; praecurrebat etiam, discurrebatque hac illac si forte eam reperiret. Tandemque in puteo quodam juncos pro aqua vidit collegitque, ut eorum suctu tantisper sitim fallerem, donec veniremus ad canalem oppido vicinum, ubi sumpta panis buccella, primum licuit sitim explere. Postero die bene male ibamus Jumillam unaque a Calasparra leuca exerrantes a via, incidimus in canalem adeo largum et profundum, ut saltu nequiret superari, solum

aderat, quod ponticuli vicem praestaret, lignum tortum atque gibbosum, per quod vir sanctus transire volens, in aquam decidit una cum ipso ligno, unde totus madefactus, meque in altera ripe effuse ridentem intuens, patientiae suae robur, et constantiam probavit. Denique cum dimissa jam mula pedes eum comitarer ad conventum S. Annae in monte Jumilla, totusque fatigatus negarem me posse vel passum procedere, ille offerebat se mihi bajulum; idque recusanti saltem extorsit bulgam meam portandam, qua sua charitate animos mihi tantos addidit, ut quod restabat itineris modicum cum eo conficerem, douec ipsius conventus in alto positi recrearemur aspectu. »

CXXII. Anno MDLXXI., vel ut aliis placet anno MDLXXII. aetatis suae XXII. S. Franciscus Solanus, adhuc clericus inter minores observantes, a majoribus suis ad recollectionis S. Mariae del Oreto, aut de Loreto coenobium mittitur » ubi studio philosophicae disciplinae addictus, quamquam cellarum copia suppeteret, tamen in angulo quodam juxta tintinnabula parvam et humilem ex arundinibus cellulam sibi construxit, in qua pro supellectili lectulus corticeus et sedile ligneum erant, et ex parvo foramine lumen manabat. Ibi solitarius et a strepitu segregatus dies noctesque aut orans, aut studens ducebat. Theologiae etiam operam dedit, cujus doctrinas, quas intellectu perceperat, in cibum animae convertens, meditatione, fletu, jejunio, studiorum ariditatem temperabat, ita ut (quod saepe multis aliter evenit) hinc doctus simul et sanctus, sapiens et humilis prodierit. »

Ann. min. ad an. 1569. num. 68. Acta SS. ad diem 24. Julii §. 9. p. 860. tom. V.

CXXIII. « Terminato studii curriculo ad sacerdotalem ordinem promotus est, et prima vice augustum sacrificium in solemnitate S. P. N. Francisci obtulit. Inde cum cultus divini sollicitus esset, ac vocis sonorae gratia praestaret, chori vicarius designatur, in quo quidem officio accurate plurimum et exacte se gessit. Horas nocturnas et diurnas ne quid in ritu et cantu deficeret, praeveniens et praeparans, iis indefectibiliter assistebat. Superioris quoque imperio ad praedicandi munus assumptus est, in quo quam laudabiliter egerit, quam fructuose laboraverit, eventus subsecuti, et inferius narrandi probabunt. »

CXXIV. « Jam plures annos in sacra illa recollectione traduxerat, cum ad alium conventum ab obedientia vocatur, et magister novitiorum in Arrizafae monasterio praeficitur. Hoc in onere sibi commendato, intelligens vir Dei efficacius esse exemplum, quam verbum, et tironum oculos in magistri vitam quasi in speculum, cui conformetur, esse conversos, novo zelo accensus totum se poenitentiis dedit, et conceptum in tirocinio fervorem renovavit. Juvenum culpas sua perfectione acrius quam voce reprehendens, et delinquentium errores sibi adscribens, poenam ab eis debitam ipse solvebat, et eorum manibus se flagellis caedendum tradens, in proprio corpore alienos expiabat defectus. Carnibus et piscibus sibi interdictis, coctorum olerum cibo sustentabatur. Orationi tam intense ac frequenter vacabat, ut eum novitii de industria, num aliquando quiesceret, observantes, plerumque genibus flexis in cella aut in choro (in quo post matutinum ad primam usque remanebat) orantem deprehenderint, ac tandem gravissimis verberibus, suspiria, et gemitus commiscentem audierint. »

Digitized by Google

CXXV. « Ad tanti rectoris imitationem provocati novitii in acquirenda perfectione non segniter laborabant, quibus aliquando siscitantibus, qua potissimum poenitentia religiosus divinam gratiam mereretur, reddidit dignum sapiente responsum: tutiorem ad meritum viam esse patientiam, ac laborum et tribulationum, praesertim cum a parentibus aut religiosis inferuntur, aequanimem tollerantiam. Interrogatus etiam ab illo simplicium coetu, quid dolorem ex flagellis percipiendum augeret, docebat eos, quod sicut agnus innocens Christus tunica inconsutili exutus, in toto corpore verberum acerbitatem excepit; sic depositis tunicis, non una sed plures corporis partes sunt flagellandae. His et similibus documentis teneras plantulas irrigabat, et religiosae professionis observantiae dictis disponebat et factis. »

CXXVI. « Inde ad conventum S. Francisci de Monte in arduis et asperis positum ab hominum habitatione semotum, et rerum coelestium contemplationi aptissimum, magister novitiorum destinatur; quo quidem in officio, quas supra retulimus, virtutes exercuit; verum et loci opportunitate usus privato profectui impensius indulsit; ibi longas protrahebat orationes, silentii, ac solitudinis non interrupta quiete fruebatur; ibi poenitentiae strictioris modos adinveniens, novis se mortificationibus affligebat. Erant juxta monasterium horridis acuminibus rigentes spinae, in qua se nudum, verus Seraphici Patris imitator, tamdiu aliquando volutavit, donec totum diro vulnere corpus cruentasset. »

CXXVII. « Jam eximias ejus virtutes in bonum religionis decebat semper occupari; quamobrem in provinciae capitulo praedicti conventus S. Francisci de Monte guardianus instituitur; quod officium licet summa humilitate recusaverit, tamen obedientia compulsus subivit. In eo omnes boni superioris partes implevit; vigilantiam imprimis praelato necessariam, et sollicitudinem maximam adhibuit, ut a subditis regulae praecepta, et sacrae recollectionis statuta inviolabiliter observarentur; et ut efficacior exhortatio fieret, eam exemplo roborabat: ad omnia namque monasterii exercitia primus obennda concurrens, a choro, mensa, oratione, labore comuni nunquam aberat. Assumpto saeculo, ostiatim eleemosynas emendicatum ibat. Cunctis affabilis, nulli onerosus, discrete tamen arguendos reprehendebat, et durae cervicis subditos obedientiae fraeno coercebat. »

CXXVIII. » Specialem infirmorum curam sibi ex officio demandatam existimans, eis sedulo deserviebat, et infirmarii manus praeveniens, eorum lectulos componebat, et sordidam valetudinarii supellectilem lavabat, et expurgabat. Praeterea ut fratribus religiosae dejectionis exemplo praeluceret, saepe dum omnes mensis assiderent, lignum aut arundinem dentibus apprehendens, humili modestoque gradu incedens, lacrymis perfusus, et seipsum inculpans, in refectorium intrabat, et genuflexus se virum inutilem, et qui hominum pedibus calcaretur, indignum proclamabat. Tandem opere et sermone familiam illam in quoddam sanctuarium et poenitentium quasi carcerem voluntarium convertit; et tamen adeo sanctae humilitatis virtus animam ejus invaserat, ut importunis et urgentibus precibus acceptationem suae ab hoc munere renuntiationis extorserit. »

Digitized by Google

CXXIX. « Vicinorum populorum utilitatibus attendens, praedicationis officium sibi jam damandatum, dum in illo S. Francisci de Monte conventu moraretur, cum magno adjacentium villarum proventu Dei servus exercuit. Etenim verbis non inanibus et risu dignis, sed medullas cordis penetrantibus, et in oratione, Christo docente, conceptis, reginnis illius incolas informabat. Convertebantur non pauci, et ut vitiorum sordes abjicerent, ad sanctum praedicatorem peccata confitentes veniebant. Cum pro eleemosynis ad loca finitima mitteretur, solebat pueros congregare, cum quibus turmatim per vias procedens, simul fidei christianae dogmata recitabat. Et si forte adultorum numerus congregatus occurrebat, de divino eis praedicabat timore, et sanctum Domini commendabat obsequium. Terminata concione, licet monasterium a proximiori castello unius leucae ad minus spatio distaret, ad illud jejunus redibat; quam strictam discretionis et abstinentiae legem, etiam dum febre quartana laboraret, quadragesimali tempore in villa de Adamus praedicans non infregit. »

CXXX. « Ob haec charitatis officia animabus exhibita vir apostolicus et sanctus ab omnibus habebatur, sed augebant famam illius collata etiam corporibus beneficia. Cum enim in oppido Montiliae ad januam Didaci Lopez semel pro eleemosyna staret, oblatus est ei puer parvulus praefati Didaci filius aeger, et toto corpore miserabiliter ulceratus, ut super eo sanctum aliquod evangelium pronuntiaret. Tunc ille bajulae mulieri jussit, ut amotis linteaminibus plagas detegeret, quibus visis, misericordia tactus, admota lingua totum corpus pueri lambit. Ad salubrem ejus contactum aeger convaluit; paucis namque interjectis diebus integram carnis sanitatem et decorem adeptus est. Dum alia vice vir Dei ad id oppidum mendicaturus accederet, in ipso loci introitu pauperem cruribus ulcere plurimo sauciis obvium habuit. Tunc memor Christi pro nobis in cruce vulnerati, in terram procidit, et miseri pedes benigne osculatus est. Hoc osculo pie creditur reddita pauperi sanitas; nam elapso ab hinc mense, sanis cruribus, et nulli innixus baculo, visus est ambulare. »

CXXXI. Dum usque ad annum MDL. Romae stipis exigendae ministerio fungebatur S. Felix ab oppido Cantalici capucinus, plurimum eminebat in virtutum laude, ac in multiplici miraculorum gloria » Summam vero cum D. Philippo Nerio familiaritatem, ac necessitudinem Beatus Felix contraxerat. Igitur accidit, ut semel in una ex celebrioribus Urbis Romanae semitis alter alterum offenderet. Tum, peractis de more vicissim humanitatis officiis, Felix Philippum, an sitiret, interrogavit: cui Philippus, maxime, respondit. Tunc Felix, modo experiar, inquit, an vere mortificationem diligas; et ei lagenam e collo subductam, ut biberet, ministravit. Hinc adstantis populi multitudo Philippum sic bibentem admirata, nihil ex eo offendiculi coepit, sed omnes uno ore dixerunt: ecce, quomodo sanctus sancto propinat ad bibendum. Philippus autem, ut Felici suam rependeret vicem, novoque humilitatis experimento illius sanctitatem probaret, pileum suo e capite detractum Felicis capiti imposuit, atque, ut eo coopertus ambularet, injunxit. Dicto paruit Felix. Quare Philippus, cui Felicis humilitas satis perspecta erat, resumpto pileo, reliquum viae, Felice comite, est prosequutus; disce-

Benedict. XIV. t. I. pag. 323. in append. VII. Bassani 1778.

ptantibus, qui aderant, quis eorum altero humilior foret, perfectiorque. Multa praeterea leguntur in actis horum sanctorum, quae mutuam inter ipsos amicitiam, ac familiaritatem maxime testatam faciunt. Etenim saepe invicem sese invisere solebant ea tenerrimi amoris significatione, ut aliquando prae gaudio dulces inter amplexus nec verbum quidem proferre possent. »

Ann. min. ad an. 1573. num. 79. *Ex monum. S. R. Congreg. apud Benedict. XIV. tom. 7. pag. 61.*

CXXXII. Triennio a sua professione jam expleto, philosophicis, ac theologicis disciplinis incubuit S. Joseph de Lionissa capucinus. Deinde in lustranda S. Francisci provincia comes sibi assumptus a vicario provinciali capucinorum, mox superiorum jussu, concionandi munus suscepit. Quod quidem munus « cum singulari religionis reparandae augendaeque pietatis zelo succensus esset, fortiter maximaque populorum utilitate sustinuit. Cum vero interea contigisset, ut quidam ex eadem capucinorum familia non ita pridem vita functus, sese ipsi videndum dedisset, ut vivens, Deo annuente, promiserat, et ab eo de summa divini judicii severitate multa intellexisset, tanto metu atque terrore perculsus est, ut, quasi ad virtutem lento tunc pede progrederetur, de ineundo asperiori ac perfectiori vitae genere deliberaret. »

Ann. min. ad an. 1555. num. 10. *Boverius tom. 2. pag. 721. num. 30. et seq.*

CXXXIII. Inter eximios sanctitatis heroes hisce temporibus in Picena provincia sideris instar micabat S. Seraphinus de Montegranario laicus capucinus. Cum primum per solemnia vota se Deo vidit sacratum, statim tanto abstinentiae rigore corpus retundere coepit, ut vix necessaria vitae sumere consueverit. Angelica puritate exornatus, nullum non modo sponte insurgentis carnis motum passus est, sed nec impudicae cogitationes unquam obnubilaverunt animae suae nitorem. Hinc a sodali rogatus, quibus armis de incontinentiae vitio victoriam retulisset, nullum se in hujusmodi certamine hostem expertum, respondit, cum quo fuerit illi praeliandum.

Ann. min. ad an. 1570. num. 86. *Joseph. Alaponi in vita B. Petri Nicolai Factoris p. 41.* *Gonzaga p. 1086.*

CXXXIV. Aliqua hic subnectenda sunt de B. Petro Nicolao Factore inter minores observantes spectatae vitae insigni, de quo fuse Michelesius. Quadam die dum esset in confessionario ecclesiae sui coenobii Valentiae S. Ludovicus Bertrandus ordinis praedicatorum, extra se et in altissimam admirationem deveniens, in haec verba prorupit: *Jesu, Jesu.* Quaedam mulier, quae actu confitebatur, haec audiens, reverenter ab eo causam suae admirationis efflagitabat: cui ille: *nunc mihi ostendit Dominus virtutem et pulchritudinem divinam animae P. Factoris.* Per visum ei reseraverat Dominus miras Beati ecstases, dum oscularetur pedes cujusdam pauperis prae foribus ejusdem coenobii Praedicatorum civitatis Valentiae. Similia ei evenerunt, dum paulo post ingressus ecclesiam eorumdem fratrum salutem dixit S. Ludovico Bertrando. Hinc merito hisce verbis praeconium Beato ipse tribuebat: *P. Nicolaus Factor cum hujus mundi accola sit, paradisum obtinet, atque coelestibus alterius vitae deliciis fruitur.*

Ann. min. ad an. 1574. num. 31. *Matthaeus Ximenes in vita B. Sebastiani pag. 68. et seq.*

CXXXV. Hoc anno e coenobio S. Jacobi Apostoli de Tecali sive de Tecallis, superiorum jussu, ad aliud b. Mariae Angelorum minorum observantium convolavit B. Sebastianus ab Apparitio. Cum eo pervenisset, a coenobii praeside ad colligendas eleemosynas, easque et aliorum fratrum curru deferendas, destinatur; quod munus in senectute bona scilicet annorum LXXIII. hilariter suscepit, nudis semper pedibus incedendo,

Digitized by Google

et brevem carpendo somnum vel in aperto aere, vel sub curru, ingruentibus licet pluvia, nive, tempestate, quin imbribus ipse madefieret. Dum curribus sic oneratis ad coenobium quadam die remearet, imminentem procellam cernens, collectam stipem tegere cupiebat storeis, ne frumenta potissimum inficerentur. Ex signis exterioribus apprehenso servi Dei voto, extemplo ei satan sub mentita hominis forma apparuit, storeas quibus erat onustus, illi exhibens. Sebastianus cognito daemonis dolo, hisce verbis insectatus est: *tu me frustra decipere tentas, proditor, tuis simulatis storeis; animum tuum perspectum habeo: pro parte Dei jubeo te, ab hoc loco statim abire, nec me amplius vexare.* Quibus dictis evanuit statim, storeisque in carbonibus immutatis, coeli serenitas illuxit.

CXXXVI. Altera die cum propter nimiam cibi abstinentiam, corporisve defatigationem plane deficeret, iterum ei sub Indiani hominis integumento daemon se praebuit visendum, offerens illi cibaria; quo perspecto, sic ejusdem petulantiam retundit: *sceleste, te non ignoro, recede; cibariis tuis non indigeo: nimiam de me sollicitudinem habet Deus*; et continuo evanuit. Quare divino suffultus auxilio in spiritibus infernalibus ita dominabatur, ita miras eorumdem fallendi artes delusit, ut familiari suo fassus sit, daemones ipsum impetendo fore pavidos atque defessos. Licet autem tot tantisque virtutum meritis penes omnes floreret, munusque suum accurate adimpleret, non leve aliud certamen sibi praesto fuit devincendum, Deo sic disponente, ut tamquam aurum probaretur ejus in adversis constantia. A suis primo male habitus, verbisque durissimis lacessitus, deinde ceu homo inhabilis mendicandi ministerio destitutus, denuo ad novitiorum magistri disciplinam revocatur, ut ea, quae religiosi sunt, quibus expers penes ipsos videbatur, addisceret. Non est moratus imperium. Verum cum tironibus grandaevisque religiosis illico spectaculum omnium charismatum, quibus jam ad culmen usque excultus erat, se praeberet, denuo pristino muneri addicitur, iis rubore suffusis, qui cum dedecore tanto B. Sebastianum acriter insectaverant.

CXXXVII. Nomen dedit hoc anno minorum observantium ordini B. Julianus a S. Augustino, quem in beatorum numerum anno MDCCCXXV. retulit pontificatus sui anno II. b. m. Leo XII. Natus est anno MDL. in oppido Medinacoeli Seguntinae dioecesis Provinciae Castellae in Hispania, ex patre Andrea Martinette Gallo Tolosate, et ex matre Catharina Guttierrez oppidi de Aquaviva. Adhuc in tenerrima aetate omnigenis pietatis operibus clarus, pueriliaque oblectamenta exosus, Deum unice colebat, eique intensius potissime famulabatur in ecclesiis, devote sacerdotibus ministrando in sacrificio missae; quam quidem consuetudinem ad mortem usque in deliciis semper habuit. Inculpatam duxit adolescentiam. Gratiam quam in baptismatis lavacro receperat, nunquam amisisse fama est; attamen maximo animi dolore, lacrymarumque imbre afficiebatur, dum ad tribunal poenitentiae accedebat, ac si foret omnium peccatorum maximus. Solitudinis amore captus, anno aetatis suae XVIII. desertum locum petiit, ubi aliquandiu cum quodam eremita versatus est.

Joseph. Vidal in vita B. Juliani c. I. et seq.
Arturus ad diem 8. Aprilis.

Arturus ad eumdem diem.

CXXXVIII. Sed cum majoris perfectionis desiderio teneretur, inter S. Francisci asseclas connumerari acri animo exoptabat. Consilio cum suo spirituali moderatore habito, votique compos factus, tirocinium inchoavit

Digitized by Google

inter observantes in recessu beatae Mariae de Salceda in provincia Castellae. In ipso probationis exordio, spiritus sui relaxato fervore, expletis novitiorum officiis, solitudini, vigiliis, jejuniis, caeterisque peculiaribus corporis afflictationibus assiduam operam dabat. Peculiarem hanc diversamque ab aliis agendi rationem aegre ferentes illius coenobii fratres, Deo permittente, ab instituto depellunt. Ab incoepto tamen proposito haud recessit. Ad sarcinatoris usum in oppido Santorcaz Toletanae dioecesis denuo revocatus evangelicae praedicationis, peregrini habitu induto, illum sibi in socium delegit Franciscus de Torres instituti observantium professor, cujus studio iterum in eodem recessu seraphico ordini adscribitur. Sed denuo propter insuetos poenitentiae modos expulsus, in montem vicinum se contulit, ubi ex arborum ramis tuguriolo efformato, coelestibus meditationibus, inedia, dirisque flagellis jugiter satagebat, semel in die tantum ad coenobii januam accedens, ex pauperum mensa pauxillum obsonii recepturus. Pueros et pauperes eo confluentes in doctrina christiana erudiebat, et quemdam inopem nudum in itinere repertum, detractis sibi vestibus induit. Ejusmodi heroicae charitatis argumenta perpendentes religiosi, eum tertiariorum induunt sacco, deinde eidem sodalitio inter fratres conversos tertio adscribunt. Anno suae probationis laudabiliter emenso, tandem aliquando summa cordis laetitia, aetatis suae XXVI. solemnia vota nuncupat.

CXXXIX. Ut Deo intime suavi religionis jugo addictum se vidit; tanta animi alacritate iter virtutum aggressus est, ut perfectam duxerit vitam in studio orationis, afflictatione corporis, humilitate, obedientiaque praesertim, pro qua obeunda pluries testatus est, se malle potius mori, quam majorum, aequalium, vel inferiorum nutibus non parere. Magno interim desiderio tenebatur denuo se in comitem dari laudato Francisco de Torres, a quo antea spiritus perfectionem cumulatissime hauserat. Unde cum ipse vel in coenobio Dominae nostrae de Saliceto, vel in altero Dominae nostrae de Spe Occaniae petendae eleemosynae causa degeret; rogavit eum Elisabeth oppidi de los Barrios, ut Deum exoraret pro sospitate viri sui Gabrielis Diaz in mortis articulo constituti. Cui Beatus: *concordemus nos insimul: roga te Deum, ut revertar in oppidum Complutense, ubi existit pater meus fr. Franciscus de Torres, quia ego rogabo pro salute viri tui.* Et e mortis faucibus ereptus est vir. Paullo post votis beati cessit Deus; nam illuc obedientiae merito remeare jussus est, ut Francisco de Torres in divini verbi praedicatione sedulo ministraret. Eo in munere ejus agendi ratio erat, agricolos et oppidorum incolas campanulae sonu ad verbum Dei audiendum advocare, eosque ad templa comitari; quod praestabat fervore magno, humilitate summa, modestia admirabili. Dum in saecularium aedibus praedicationis tempore ambo hospitabantur, beatus Julianus protinus se occultabat in angulis aliisve locis domus remotis ad orandum, genuflexus, manibus junctis, et mente adeo elevatus, ut licet alta voce vocaretur, non audiebat, neque ad se revertebatur, nisi quopiam accedente, ac illumque validius concutiente. Coelestium S. Didaci charismatum emulator eximius, expletis officiis, quibus verbi Dei promulgationi humiliter inserviebat, S. Mariae de Jesu coenobium repetens, in S. Didaci sacello se occultabat; ubi humi stratus capiti aliquando

Ex processu apostolico pag. 84. N. 60. Romae 1769.

Digitized by Google

lapide supposito, die ac nocte quantum poterat vacabat orationi, cujus ope sanitatem reddidit eidem Elisabeth, statim ac reliquiam de manu S. Didaci mammillae carcinomate affectae admoveri jussisset.

CXL. B. Andreas Hibernon hoc tempore operam dabat fundationi coenobii S. Joannis Baptistae recollectorum Valentiae; nam quando agebatur de aliqua novi coenobii molitione, cum ipse penes omnes sanctitatis fama clareret, illuc a suis mittebatur spe fretis ab eo negotium feliciter expletum iri. Ut autem aedificia, quam citissime absolverentur, humeris suis non solum lapides et calcem asportabat, verum etiam propriis manibus ea struebat et dealbabat velut egregius in arte. Sarcinatoris, janitoris, hortulani, coenaculi, aegrorum curatoris, et culinae ministeria et quandoque tria simul peregit, ac tanta diligentia, tantaque solertia, velut si haec omnia unum fuisset officium. Dum stipem rogabat, nullum solebat verbum proferre, itemque ea erat animi sui humilitas, corporisve externa compositio, quibus sese offerebat, ut flexis genibus illam a fidelibus expectaret, non secus ac si e manibus divinae providentiae ei visibiliter traderetur, quam nullo opitulante, ad coenobium, quamvis quatuor, aut sex milliaria dissitum exportabat. Quare si aliquando ad sublevandam aliorum coenobiorum inopiam necessitas urgeret, tunc consulto a majoribus ad id operis instituebatur, ipsoque ibidem ad mensem commorante, fratrum egestati sollicite prospiciebatur.

Vincentius Medina in vita B. Andreae cap. 3. pag. 20. et seq. Ann. min. ad an. 1566. num. 52.

Idem ibid. p. 27.

CXLI. Licet autem tot tantisque curis distentus, coram Deo tamen semper ambulabat, nec ab ejus praesentia unquam recedebat. Orationi die continuo vacabat; nocteque brevem capiebat somnum; et si quandoque per horam somno oppressus quiesceret, ea completa, statim ab Angelo suo custode excitabatur. Persolutis de laicorum more precibus, quotidie genibus submissis absque precatorio fulcro defunctorum officium, poenitentiales, et graduales psalmos, horas de b. Maria, coronam precatoriam b. Virginis, multasque alias preces devote et attente recitabat. Hinc a familiari expostulatus, cur tanto tempore detineretur in oratione vocali, cum utilius et fructuosius occupari potuisset in mentali, respondit: *Frater, ad Dei gloriam tibi dico, quod vocalis non infert impedimentum meae orationi mentali; imo illa huic adjumentum praebet.*

Idem ibid. c. 4. p. 28. et seq.

CXLII. Dum secum attente coelestia cogitaret, mire elevabatur in Deum, tamque ingens splendor e vultu ejus emicabat, ut intuentium oculos perstringeret; superioris voce tamen, vel obedientiae imperio confestim ab illis evocabatur. Rei veritatem prae aliis comprobare voluit quadam die Joannes de Espaneda Murcianus civis, qui cum beatum cerneret totum in Deum intentum, ita eum contentione vocis alloquutus est: *Pater, somnum capis? vide, P. Guardianus te vocat.* Cui, tamquam si a gravi somno esset excitatus: *Frater*, respondit. Tunc iterum Joannes: *quid gerebas?* Ille velut confusus modeste, humiliterque interroganti ita satisfacit: *hic morabar.*

CXLIII. B. Andreae precibus multa signa patravit Deus. Unicum hic retulisse sufficiat. Caetera suo loco. Versabatur ipse una cum fr. Bartholomaeo Massia in Gandiae coenobio. Truncum arboris valde ponderosum eis erogavit Dux illius civitatis. Cum illuc accessisset fr. Bartholomaeus, et ad medietatem usque arena maris obtectum vidisset, illum haud posse e loco moveri merito judicavit. At B. audens factus: *quid*

times? dixit ei: *S. Antonius, et S. Didacus nobis erunt auxiliaturi.* Hisce prolatis, parvo baculo suo illi admoto, ab arena statim educit, quo in duas partes secto, opus fuit semel et iterum quatuor hinnis, ut ad coenobinm fratrum deferri valeret.

Bonaventura de Coccaleo in vita B. Laurentii pag. 2. et seq.

CXLIV. Die xviii. februarii hujusce anni in sacrum capucinorum institutum ingressus est B. Laurentius de Brundusio, fastis beatorum a b. m. Pii Papae VI. adscriptus, relicto Julii Caesaris nomine ei die xxii. Julii anno mdix. in baptismate imposito a Gulielmo de Rossi, et ab Elisabeth Mosella Brundusinae civitatis in Calabria, parentibus honestate vitae praeclaris. Vix quartum attingens annum, habitu pp. conventualium amictus est ex voto majorum suorum duce morum ac litterarum p. Virgilio Jacono conventuali. Aetatis anno xiv. Venetias se contulit ad patruum suum sacerdotem, ubi dimisso pp. conventualium habitu, clericorum saecularium veste indutus est. Capucinorum regulae, ut exoptabat, postea se subjecit in Veronensi coenobio, in quo tanta statim pietate, devotione, ac modestia refulsit, ut novitiorum magister, eo absente, Laurentium tironibus imitandum proponeret. Communibus postremo suffragiis ad solemnem professionem admissus, mirum, quot in corde suo ascensiones ad Deum disposuerit, quantum erga devios suae dilectionis aestus succrescerent, cum jam a pueritia apostolici zeli manifesta signa non semel edidisset in cathedrali ecclesia Brundusina.

Antonius Tognocchi Histor. Mss. Provinciae Etrusco-Minoritaepag. 86.
Arturus ad diem 15. Novembris.

CXLV. Initiatus est hoc anno die xv. Aprilis inter observantes in sacro Alverniae conventu ven. Dei servus p. Bartholomaeus a Saluthio dioecesis Aretinae. Arturus id refert ad diem xv. Novembris. Praeterea ad suae nationis et instituti laudem recollectum, natione Gallum, et patria Salutiensem facit, *Saluthii* et *Salutivi* nomen pro *Salutiarum* Marchionatu interpretatus.

Bartholomaeus Rubeus in vita S. Caroli colum. 156. Augustae Vindelicor. 1758.

CXLVI. Mediolano discessit vi. idus Decembris S. Carolus Borromaeus, ut sacros recessus in coenobio Varalli, et in Alverniae monte SS. Patris Francisci loca vestigiis nobilitata, inviseret, ut postea coelestia pontificiae clementiae dona, quae jubilaei anno fidelibus concedun-tur, uberius caperet, atque solemnibus caeremoniis, quibus inchoatur, cum caeteris Cardinalibus Romae interesset. Hoc tempore etiam Francisca del Serrone, de qua suo loco, apud Septempedanos in Piceno tertiaria franciscana virtutibus clara, xviii. aetatis suae anno ad Urbem accessit, S. Philippi Neri spiritualibus allocutionibus diutius recreata, illius salutis monita alta mente retinebat, et calvatica manu ipsius contacta, reverentiae causa noluit amplius uti.

Petrus Iacobus Baccius in vita S. Philippi Nerei Romae 1645.

CXLVII. Dum Siponti, sive Manfredoniae in Apulia vitam degebat aetate annorum xxv. S. Camillus de Lellis, enixis precibus exoravit Hieronymum a Monteflorum vicarium generalem capucinorum, tunc provinciae visitatorem, ut inter suos adnumerare dignaretur. Is juvenis petitionibus permotus, eum in clericorum numerum adscribit; sed cum ulcus, quo in pede jam laborabat, nullo prorsus artis remedio sanari posset, post duos menses dimittitur. Romam profectus, in S. Jacobi incurabilium nosocomio obsequiis totus se consecrat, ibique sanato pede, denuo capucinorum habitum impetravit. Verum plaga recrudescente, ac ad instar cancri putrescente, post quartum mensem ab ordine iterum dimissus est, Deo illum praeordinante ad majorem ac singularem proximorum utilitatem.

Digitized by Google

CXLVIII. Aliqua referuntur prodigia. Maurus quidam, dum superstitioso more pedes se lavaret in piscina Montis Calvi Tamnae, penes quam gloriose pro Christo subierant martyrium anno MCCCXXI. Thomas a Tolentino, Jacobus Patavinus, Demetrius et Petrus Senenses, extemplo sub aquis conspexit franciscanum manu tenentem crucem, pluribusque cum aliis sociatum hominibus sub aquis confligentem. Ille rei novitate perterritus, non longe distantes aliquos mauros ad se vocavit, ut portentum cernerent. Nihil aliud illi nisi aquam in sanguinem conversam inspexerunt. Maurum vero fere exanimem ad manus domum portantes, iis per ordinem narratis, foedam animam daemoni ille miserrime tradidit. Factum ex authentico testimonio excerptum fuisse narrat Gonzaga. In pervigilio Nativitatis Domini quaedam Inda adolescens valde afflicta, adiit ad doctissimum p. Hieronymum de Mendieta Victoriensem S. Bernardini Xuchmilci guardianum provinciae S. Evangelii, eumque precata est, ut suam confessionem audiret. Cum autem ipse recordaretur, pridie ejus diei eam peccata sua pandisse, cur denuo confiteri vellet, interrogat. At illa noctu, inquit, cum essem ingressa partem quamdam domus vestes nonnullas paratura ad suscipiendum mane SS. Eucharistiae sacramentum, immemor Crucifixi imaginem inter eas fuisse collocatam, illam deturpavi atque confregi. Eo momento statim tota domus mihi visa est contremiscere, et hanc vocem audire: *o te miseram, verum ne est, ut susceptura me crastino mane sis, nec peccata tua fueris confessa?* Eam consolatus est p. Hieronymus, hortatusque ad generalem confessionem emittendam, qua emissa, pristinae tranquillitati restituitur. Cum oppidum Amarantii dioecesis Bracaren. provinciae Portugalliae, finitimaeque regiones, non secus ac moniales monasterii S. Clarae, in quo degebant sexaginta sorores, maxima egestate detinerentur, Deus sponsis suis ita providit, ut triticum, licet ad anni medietatem vix satis esset, expleto anno, quingenta frumenti modia sororibus superfuerint.

Ann. min. ad an. 1560. num. 63.

Leonardus a Neapoli tom. 2. lib. 7. cap. 13. pag. 531. Baretius par. IV. Chron. pag. 617.

Gonzaga in prov. S. Thomae conv. 10.

Idem in prov. S. Evangelii conv. 6. Torquemada tom. 3. lib. 17. cap. 14. pag. 242.

Leonardus a Neapoli lib. 7. cap. 13. pag. 332.

CXLIX. Hisce temporibus florebat Alphonsus de Orosio, sive ut placet Joanni a S. Antonio, de Osorio Hispanus regularis observantiae professor, qui scripsit, vulgavitque hoc anno Salamanticae apud Dominicum et Simonem de Portinario: *Historiam Reginae Sabae doctis et intermixtis considerationibus;* et anno MDLXXIII. *Sermones de Sanctis*; Matriti apud Petrum Cossin an. MDLXX. *Quadragesimale.* Compluti anno MDLXXI. penes Andream Angulo *Sermones a Dominica in Albis usque ad feriam tertiam Pentecosten.* Bonaventura Gonzaga conventualis, e comitibus, ut fertur, Novellarae, bonarum litterarum extitit cultor eximius. De eo cusi sunt Venetiis an. MDLXVI. *Sermones VII. super septem peccatis mortalibus*, una cum *paraphrasi lyrico carmine atque prosa in septem Psalmos poenitentiales.* Neapolis eodem anno *Vivae flammae Matris Virginis cum aliquibus contemplationibus super septem verba Mariae Virginis. Psalmi David* variis rhytmis et cantionibus italice explicati; in fine adjecit *Rhytmos spirituales cum versibus lyricis* pro creatione S. Pii V., vulgavitque an. MDLXVI. Sine loco et anno edidit etiam *carmen lyricum* italicum in assumptione ad sacram purpuram Felicis Peretti. Lingua vernacula *compendium doctrinae christianae, et claustralis* Perusii an. MDLXXV.; et Parmae an. MDLXXXV. *commentarium in canticum Magnificat B. Mariae Virginis.* Vitae suae annorum LXIII.

Wadding. de Scriptoribus lit. A.

Sbaralea lit. B.

Digitized by Google

Ann. min. ad an. 1563. num. 14. terminum imposuit Jacobus Luccari, Joseph Maria ab Ancona habet *Liscaris*, episcopus Marianen., et Tribunen. apud Dalmatas, qui sub Pio IV. interfuit Tridentino Concilio. Fuit juris canonici peritissimus. *Sebastianus Dolci Fasti Litterario-Ragusini pag. 28.* In Bibliotheca Duxensi observantium provinciae Ragusinae extant quamplurimae adnotationes mss. ab ipso additae libris decretalibus Romanorum Pontificum. Ragusii apud fratres suos in aede S. Francisci fuit tumulatus.

CL. Nullus ex sodalibus nostris obtinuit hoc anno episcopalem dignitatem. Constat tamen ex actibus consistorialibus p. Danielem Vocatinm, sive Vocensem patria Spalatensem, Dumnensem episcopum, translatum fuisse ad ecclesiam Muranam, vacantem translatione Julii Ricci illius episcopi ad ecclesiam Gravinen. Loquitur de eo non vero de ejus translatione etiam Petrus Antonius Venetus in suo episcoporum catalogo. *Ex actibus consistorialibus Gregorii XIII.* En autographum consistoriale: « Romae in Palatio Apostolico feria se« cunda 9. mensis Maii fuit consistorium, in quo SS. D. N. proposuit « translationem p. Danielis minoritae Dalmatiae Episcopi, appellati Dal« matiae, ad Ecclesiam Muranam, sic per translationem illius Episcopi « Julii Ricci Episcopi Murani ad Ecclesiam Gravinen. jam vacantem; « quod a tempore Julii III. missam Neapolim in libertatem asseruit « Cardinalis Ursinus, multos captivos Dalmatas, seu Sclavones, Morla« vos christianos usque ad 500. redemit, et quod a Turcis est multa « mala passus, et ab Ecclesia pulsus, et quod accessit ad Philippum « Regem, per cujus nominationem obtinuit monitorium quoddam in « regoo Neapolitano; et omnes annnerunt, sed et Rmus Dominus Car« dinalis Sirletus, et Rmus Dominus Cardinalis de Monte Alto gratias « egerunt. »

CLI. Ut autem omnia, quae de viro hoc tot tantisque aerumnis oppresso, de quo, ni fallor, ne verbum quidem Annalium continuatores, rite procedant, aliqua promere juvat ex doctissimo viro Daniele Farlati. *Illiricum Sacrum tom. IV. p. 180. et seq.* Anno MDLI. die XI. Decembris a Julio III. praefectus fuit juxta tabulas consistorialis in episcopum ecclesiae Dumnensis, vacantem per obitum Nicolai de Beganicio. Romam accersitus et a Cardinali Maphaeo consecratus, postea in Dalmatiam se contulit, ut ecclesiam sibi creditam lustraret. Paulo post commendata illi etiam fuit ecclesia Macaren. sive Crainen. Ut autem utriusque ecclesiae necessitatibus sollicite consuleret, ab neutra longe discedere statuit. Quare in ditione turcica coenobium de Gliubushki franciscanorum delegit, in quo sibi domicilium stabile constitueret. Quoniam vero illis diebus divina et humana in Dalmatia potissimum subversa erant, anno MDLIII. ope Angeli Aversani tunc ministri observantium provinciae Neapolitanae, apud Ferdinandum Hungariae regem per supplices litteras patrocinium implorat, et ut ab hostibus christianae religionis tutus foret, et ut aliquod subsidium ad sublevandam egestatem gregis sibi commissi illi largiri dignaretur.

Serenissime et Sacratissime Rex.

Majestati tuae tam familiares litteras, invictissime rex, destinare non auderem, nisi serenitatem tuam omnium humanissimam, omnique virtute refertam, ac benignissimam prospicerem, adeo ut virtutes, quibus polles, me etiam, sicut caeteros ad tui amorem affectu mirabili summopere accendant. Et quia ex justitiae debito illos potissi-

Digitized by Google

mum gratiis et favoribus communire debemus, quos in agro dominico, ac S. R. E. gremio circa christianorum salutem sudare non cessant, praecipue eorum, qui sub cruentissimo et severissimo Turcarum dominatu Christo famulari percipiamus. Placuit enim Altissimo, ut praedilectus frater noster Daniel, qui retroactis temporibus sub divi Francisci vexillo militaverat, biennio jam transacto ob suam miram probitatem, fidem, morumque gravitatem in Episcoporum numerum a Sede Apostolica in Dumnensem Antistitem esset electus, nec non a Reverendissimo Cardinali Maphaeo consecratus. Hic, ut omni diligentia gregem sibi commissum verbo pariter et exemplo ad meliora charismata promoveat, quod a tam solerti viro fore omnino confidimus, et speramus, humiliter rogamus, ut patrocinium vestrum illi, quantum poteritis, praebeatis, ut in omnibus suis negotiis vestram celsitudinem patrocinantem, et propitiatorium inveniat. Nam et dioecesis populorum omnium sibi commissa, licet Turcarum manu sit oppressa, jure tamen divino vestro principatui, ut omnes ferunt, subjecta est. Ideo si aliquo beneficio pauperculum episcopum ob vestram pietatem afficere dignemini, res utriusque agetur; nam tam episcopus ipse praefatus, quam christianus populus, quem in sua visitatione allocutus est, Majestati tuae perpetuo famulatu deditissimum et promptissimum sese offert. Et quamvis residentiam et mansionem perpetuam episcopus ipse alibi, quam in sua dioecesi habere queat, ab ea tamen, ut Deo et tuae celsitudini gratius inservire valeat, nullatenus recedere intendit, nisi tua Majestas aliter de eo disposuerit, cui laxis praecordiis et medullitus inservire peroptat. Res itaque suas ita tractare atque gubernare digneris obsecramus, perinde ac si nostrae forent. Quod si effeceris, ut speramus, nobis gratissimum fore noveris. Tua denique Majestas herculea strenuitate praedita diu bene valeat, cui me dedititium, in quibus valeo, offero et commendo. Neapoli die . . . mensis Septembris MDLIII.

CLII. Diversis interim anno MDLVII. apud Paulum IV. criminibus, ut ne in hominem quidem profligatissimum cadere posse videntur, insimulatus est; sed cum, instituto in ejus vitam et mores jussu Pontificis examine, in eum nec sententiam latam, nec illum episcopatu motum, nec censura confixum fuisse compertum sit, fatendum ipsius crimina, vel per calumniam conficta, aut incertis rumoribus innixa, vel per testes idoneos minime comprobata. Anno MDLXX. propter bellum Cyprum, etiam Dalmatia conflagrata, cum Daniel in suo episcopatu securus consistere non posset, profugum perhumaniter excepit Archiepiscopus Spalatensis Dominicus Foconius, qui, assignato ei domicilio in oppido maritimo Almissae suae dioecesis, eum episcopalis sui muneris Vicarium constituit. Dum totus esset ad corrigendos admodum depravatos oppidanorum mores, laudatus Farlati hoc factum recenset. « Cum S. Michaelis « primarium totius oppidi templum, propter flagitium gravissimum in « eo commissum, fuisset pollutum, et propterea interdicto subesset, Al« misseni rogarunt Danielem, ut illud praescriptis ab ecclesia precibus « ac caeremoniis expiaret, atque ad sacra mysteria ibidem rite peragenda, « Deo, Divisque reconciliaret. Id negavit ille se facturum, nisi domum « quamdam templo contiguam, ad illudque pertinentem in usum tabernae

Digitized by Google

« vinariae conversam demolirentur, quaeque identidem personabat vo- « cibus ebriorum, et inconditis clamoribus choro sacerdotum et cleri- « corum divinas laudes concinentium obstrepebat. *Reverendissimus Da-* « *niel Vocani*, ut est in schedula mss., *Episcopus Dumnensis* cum « nollet reconciliare ecclesiam S. Michaelis, quae violata erat, nisi per « procuratorem loci facerent diruere illam partem fabricae etc. Demo- « litionem polliciti cum essent, anno MDLXXVI. (vel potius MDLXXIV?) « eorum voluntati morem gessit episcopus; sed postea datam fidem fe- « fellerunt, et necesse fuit, ut Archiepiscopus sua interposita auctoritate, « illos promissa facere cogeret. »

CLIII. Variis igitur mutatis locis, et e sua episcopali sede pulsus per Turcas, anno MDLXXV. dum adhuc vicarii archiepiscopi Spalaten. partes expleret, a Gregorio XIII. per apostolicas litteras, uti ex datis tabulis consistorialibus, translatus fuit ad ecclesiam Muranensem in provincia Basilicata, in qua ineunte anno MDLXXVII. vitam commutavit cum morte. Hinc a veritate plurimum distant ea quae de ipso subjungit Daniel Farlati, eum nimirum anno MDLXXX. Romam petiisse, et a Gregorio XIII. obtinuisse, ut a vinculo ecclesiarum Dumnensis et Macarensis exsolveretur, cum in illis nec commorare, nec illas, ut par erat, lustrare potuisse bene nosceret.

Ughellus tom. 7. colum. 850.

CLIV. Quoniam autem sub S. Pio V. datae fuerant litterae apostolicae ad archiepiscopos et episcopos per Hispaniam constitutos, ut ad severiorem disciplinam revocarentur regulares cujusvis ordinis, qui reformatione indigebant, ideo hoc anno Gregorius XIII. confirmat reformationem regularium in regnis Hispaniarum peractam a commissariis et visitatoribus designatis a Niccolao episcopo Paduano apud Philippum Hispaniae regem Nuntio: *Volentes ea* die I. Junii. Praefecit in suum commissarium reformandis quibuslibet regularibus mendicantium et monialium monasteriis, etiam quomodolibet exemptis Franciscum Sporennm Utinensem minoritam observantem, in civitatibus Basileen., Constantien., Argentin., Bisuntin., Sedunen., Curien., aliisque in Germaniae provinciis existentibus: *Cupientes* die v. Decembris. Praeterea eidem facultatem tribuit monasterium Wilthan prope et extra muros Oenipontanae civitatis visitandi, et reformandi, ejusque abbatem, monachos, fratres, caeterasque personas ad eorum regularem observantiam reducendi: *Cum, sicut accepimus* die XXX. Julii. Fratri de Roca, cujus in regestu Secretariae Brevium nomen inscriptum desideratur, committitur causa provisionis ecclesiae Tolosanae, eique a Pontifice articuli obsignati mittuntur, super quibus interrogandi forent testes de persona Ill. D. Pauli Foxii ad illam ecclesiam designati: *Mittimus tibi* die XVII. Martii. Josephus Branca diplomate Pontificis munitus, a magistratu et populo Syracusano ad Philippum Hispaniarum regem missus fuit tutandi causa illam civitatem adversus impetum foedissimi Turcarum tyranni.

Ann. min. ad an. 1566. num. 5.

Carissimo in Christo filio nostro Philippo
Hispaniarum Regi Catholico
GREGORIUS PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster salutem. Mittitur ad Majestatem tuam a Magistratu et populo Syracusano dilectus filius Josephus Branca ordinis Sancti Francisci de re gravissima, nimirum de civitate

Ex tabulario secretiori Vaticano tom. 22. pag. 283.

Digitized by Google

illa adversus impetum foedissimi Turcarum tyranni munienda; sic enim Magistratus ipse ad nos perscribit. Noluimus hunc hominem venire vacuum nostris litteris, atque apostolica benedictione, quam ut tuae Majestati libentissime adscribimus, sic eam toto pectore a Domino praecamur. De re autem ipsa longiores in scribendo esse non debemus; scimus enim praeclare intelligere Majestatem tuam, quantum in ea civitate conservanda momenti situm sit ad universi illius Regni salutem, atque ad monstri teterrimi conatus eludendos, et frangendos. De tua vero optima, et Catholico Rege digna voluntate dubitare non possumus: sic eam Deus benedictus, ope et gratia sua confirmet ad sanctae, catholicaeque Ecclesiae amplitudinem, perpetuamque hostium suorum perniciem. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Decembris MDLXXIV. Anno III.

Hinc rex misso anno insequenti Marco Antonio Columna, qui Siciliae cum summo imperio praeesset, novos delectus haberi mandavit, et Alvarum Bassanum Sanctae Crucis marchionem cum classe XXXVI. triremium in Affricam descendere jussit, ut terrore suo circnm sparso, Turcas ab excursionibus averteret. *Thuanus p. 731.*

CLV. Translatis in Aracoelitanum Templum de Urbe cineribus Michaelis Antonii Marchionis Salutiarum ex urbe Aversae, ubi tormento bellico ictus occubuerat, epitaphium hoc mendis quidem scatens, in ejus laudem posuit hoc anno in capella S. Laurentii, postea S. Didaci Vincentius Parpalea abbas S. Solntoris Taurinensis, apud Sabaudiae ducem orator.

MICHAELI. ANTONIO. MARCHIONI. SALVTIARVM
EX. IMPP. SAXONVM. FAMILIA
QVI. A. FRANCISCO. I. GALLIAR. REGE. IN. ITALIAM
CVM. EXERCITV
MISSVS. VT. ROMAM. A. KAROLO. BORBONIO. CAES. -
COPIAR. PRAEFECTO
CAPTAM. ET. CLEMENTEM. VII. PONT. -
IN. ADRIANI. MOLE. OBSESSVM
LIBERARET. AO. HOSTES. AB. VRBE. AVERTENDOS
NEAPOLIM. PROFECTVS
IN. EXPVGNATIONE. AVERSAE. TORMENTO. BELLICO
ICTVS. OBIIT
ANNO. SAL. M. D. XXIIX. AETATIS. SVAE. XL.
VINCENTIUS PARPALEA. S. SOLVTOR. TAVRIL. ABBAS
PIETATE. ET. BENEFICIOR. MEMORIA. ADDVCTVS
OSSIS. TRANSLATIS. P.
AC. PRO. EJVS. TOTIVSQ. FAMILIAE. SAL. SACR.
ANNIVERSAR. INSTITVIT
ANNO. JVBILEI. M. D. LXXV.

CLVI. Exorta controversia observantes inter ac minimos Neapoli, statuit Pontifex fratribus minimis extruere licere capellam, sive chorum in ecclesia S. Ludovici prope ecclesiam S. Crucis domus S. Francisci de observantia, non vero campanile: proindeque jubet, ut infra terminum quinque annorum aliud campanile in alio commodiori loco arbi-

trio archiepiscopi Neapolitani construant; interimque mandat, ut a pulsatione majoris campanae omnino abstineant, dum in ecclesia observantium divina officia celebrantur, vel praedicatur verbum Dei, solumque indulget ut pulsentur campanae per duos aut tres ictus tantum in missa solemni, et in elevatione SS. Sacramenti: *Pastoralis officii* xxiii. Novembris.

CLVII. Aliqua hoc anno statuit Pontifex. Prohibet tam religiosis, quam monialibus recursus ad tribunalia saecularia, statuitque modum appellationis. Vetat ne quis praetendat resistere, vel sese opponere commissariis missis pro visitandis provinciis a generali ministro; interdicit interim ne quispiam praesumere audeat mutare, alterare, pervertere ea, quae ab ipsis ordinata fuere: *Quoniam nostro* die viii. Aprilis. Declarat per laudatam litteram apostolicam minime derogatum fuisse facultatibus concessis Nuntio Apostolico in Hispaniis degenti circa dicti ordinis professores, sed ipsum fore etiam judicem ordinarium eorumdem fratrum: *Emanarunt nobis* xiii. Septembris. Revocat indulta quibuscumque mulieribus ingrediendi monasteria monialium et virorum cujuscumque ordinis concessa, et licentias quibuscumque viris ingrediendi monasteria monialium, vetatque iisdem licentiis utendi, praeterquam ipsis urgentibus necessitatibus: *Ubi gratia et indulta* idibus Januarii. Anno vero MDLXXXI. alia constitutione: *Dubiis quae emergunt* die xxiii. Decembris eamdem declarans definit, praelatos tam saeculares, quam regulares ratione officii posse ingredi septa monialium in causis dumtaxat necessariis, a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitatos. Confirmat privilegia ordinis, tam fratrum minorum, quam sororum S. Clarae, ac Tertii ordinis de poenitentia, a suis praedecessoribus quomodolibet largita, sive directe, sive per communicationem aliis ordinibus mendicantibus et non mendicantibus concessa: *Ex benigna* die xxi. Maii. Indulget ut in regno Hungariae ad levamen pauperum chistifidelium, ad facilius erudiendam in fide et moribus juventutem, ad alliciendos in vitio natos ad gremium catholicae ecclesiae, ad commodius se sustentandum observantes provinciae Bosniae quasdam possessiones in vineis consistentes retinere possint: *Exponi nobis* xxiv. Junii. Ut Bernardus de Fresneda episcopus Corduben. manere possit in aula regis catholici ab ipso Philippo II. petitus, pro rebus publicis dirigendis: *Exponi nobis* die v. Januarii.

CLVIII. Sacro Indulgentiarum thesauro ditavit Pontifex ecclesiam monialium S. Francisci Burgensis in festo ejusdem: *Universis christifidelibus* xxv. Julii; ecclesiam S. Vincentii martyris ordinis Canonicorum regularium S. Augustini Ulyssiponen. in festo Conceptionis: *Dum praecelsae* die i. Maii; ecclesiam monialium Mexican. in die Assumptionis B. Mariae Virginis: *Dum praecelsae* xx. Augusti; ecclesiam Laodicen. pro confraternitate Corporis Christi: *Ut fidelium religio* i. Septembris; ecclesiam S. Mariae Aracoelitanae in die Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi: *Exposuerunt nobis* xvii. Augusti; ecclesiam terrae Ebuli Salernitan. pro festivitate nominis Jesu: *Cunctarum animarum* iii. idus Julii; ecclesiam S. Francisci de Quito in die Conceptionis: *Regina coelorum* idibus Maii; ecclesiam S. Francisci de Guellar: *Dum praecelsae* v. calendas Januarii; ecclesias conventuum de Caynan. et sanctae

Birgittae Chilmoren: *Salvator noster* iv. idus Augusti; altare ecclesiae S. Francisci extra muros Zamorensis per xx. annos: *Salvatoris* xxvi. Aprilis, et altare S. Francisci in ecclesia monialium tertii ordinis Barcinonen. ad xv. annos privilegiatum declarat pro animabus purgatorii, prout sequitur

GREGORIUS XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Omnium saluti paterna charitate intenti, inter tam multa pietatis officia, quae nos pro munere nostro convenit exercere, sacra interdum loca speciali privilegio insignimus, ut inde fidelium defunctorum saluti amplius consulatur. Quocirca ut ecclesia monasterii monialium Barcinonen. tertii ordinis S. Francisci simili usque adhuc privilegio minime decorata, et situm in ea altare S. Francisci hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita, concedimus, ut quoties missa ad praedictum altare celebrabitur pro anima cujuscumque fidelis, quae Deo in charitate conjuncta ex hac vita migraverit, ipsam de thesauro ecclesiae indulgentiam consequatur, quatenus D. N. Jesu Christi, et B. V. Mariae, BB. Petri et Pauli, aliorumque SS. omnium meritis suffragantibus, purgatorii poenis liberetur. Praesentibus ad quindecim annos dumtaxat valituris. *Ex reg. Secr. Brevium Lib. 2. pag. 493.*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xv. Martii Anno III. *Caesar Glorierius.*

CLIX. Accedunt alia diplomata. Pro conventu S. Francisci della Scala Anconitan. *Ad ea ex apostolicae* III. idus Decembris. Pro monasterio clarissarum S. Laurentii Pisan. *Ex commissi* x. calendas Aprilis. Pro conventu et capella majori de Cazeres: *In specula supremae* v. calendas Aprilis. Pro capellania Conceptionis in ecclesia SS. Trinitatis Forolivien. *Dignum* idibus Julii. Pro hospitali et confraternitate in conventu S. Mariae de la Gratia Neocastren. *Sedis apostolicae* pridie calendas Aprilis.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Minoritae itineri se committunt ad Insulas Philippinas. Magistro generali conventualium datur venia suos ad Indos mittendi. Duo ex observantibus proficiscuntur in Graeciam. Novae construuntur pro fratribus et sororibus aedes. Florent viri docti. Instituuntur episcopi. Sancte obeunt religiosi ac virgines. Uniuntur provinciae, et initiatur custodia Nominis Jesu in Catalonia. Quaedam prodigia, et Pontificis privilegia narrantur.

Ioan. Franciscus de S. Antonio l. 1. pag. 330., et seq.

I. CUm Antonius de S. Gregorio per litterarum fasciculum mandatum accepisset a Pontifice instituendi in Insulis Philippinis custodiam nomine S. Gregorii insignitam, ideo actum est hoc anno a Francisco Gusman totius novae Hispaniae generali commissario, de eligendo illius custodiae praeside. Datis igitur ab eo epistolis ad Joannem a Cruce coenobii S. Francisci Hispalensis guardianum, ubi moram trahebant illarum Insularum apostoli, jussit ut comitium custodiale indiceret, suaque auctoritate praesideret. Igitur labente mense Junio congregati in sacello S. Antonii Patavini, suffragantibus omnibus, ad tantum munus, licet invitus et prae humilitate reluctans, delectus est Petrus de Alfaro, vir summae integritatis et doctrinae laude praestantissimus, qui, sermone coram illis mox habito, ad perficiendum opus conversionis gentium, ad quod a Deo vocati erant, singulorum animos erexit.

Gonzaga in prov. S. Gregorii pag. 1352.

II. Licet haec ita sese habeant, attamen tradit Gonzaga a Christophoro de Capitefontium generali ministro designatum fuisse, veluti administrum specialem Narcissum Juani Catalanum, locoque ejus si decederet, fratrem, cognomine vel patria Centeno nuncupatum. *Voluit praeterea*, inquit, *R. idem P. ut fr. Narcissus Juani Catalanus, et per ejus mortem quidam provinciae* (hoc anno adhuc erat custodia) *Sancti Joannis Baptistae discalceatorum praedicator cognomine Centeno, hujusmodi religiosis a fr. Antonio ad Indos deducendis in commissarium praeficeretur.* Dicendum igitur, vel mox utrumque defunctum, vel hanc eamdem praefecturam fr. Antonio de S. Gregorio fuisse postea collatam; nam ipsum a Pontifice et a generali ordinis obtinuisse litteras eodem loco fatetur Gonzaga, quibus delectum fratrum habere posset in easdem insulas. Caeterum instituti nostri scriptores convenire videntur circa electionem Narcissi in commissarium; Hueber, Arturus, Martinus, et Sbaralea eumdem institutum ad id muneris a Christophoro de Capitefontium narrant; non potuisse tamen injunctum officium explere ob ejus mortem. Hinc patet neminem alium, praeter landatum Franciscum Gusman pro hoc negotio expendendo, commissarii munus revera explevisse.

Hueber et Arturus ad diem 13. Septemb. Martinus inChron. prov. S. Pauli part. 1. p. 456. Sbaralea in Suppl. ad script. lit. N.

III. Circa mensis Julii initia apostolici viri numero septendecim (viginti habet Joannes a S. Antonio, vigintiquinque vero Gonzaga) navim regis catholici expensis instructam, in fano S. Luciferi conscendunt, a quo vela solventes per oceanicum mare, navigio lue infecto, praeter navitas aliquot, mortem subierunt die III. Augusti Franciscus Marianus, Antonius Barriales, et Hieronymus Malorquin laicus. Prope civitatem

Ann. min. ad an. 1575. num. 11. In chron. prov. S. Pauli tom. 1. lib. 1. cap. 13. Gonzaga ibidem.

de Portorico obiit Petrus de Xerez sacerdos. Hi omnes in oceano nacti snnt sepulchrum. Mox recta petentes, ad ora novae Hispaniae applicuerunt, initoque Verae-Crucis portu, extremum diem clausit Didacus de Cadahalso clericus, forte tumulatus in ecclesia S. Francisci ejusdem civitatis. E navigio egressi, pedibus iter confecerunt Xalapam versus, in qno infirmitate detenti fuerunt Franciscus Menor sacerdos, et Alphonsus de Valverde laicus, quorum primus Xalapae in coenobio Nativitatis Domini obiit; alter vero eo loci convalescendi caussa relictus. Quare alii numero decem tandem mense Octobri Mexicum advenere, ubi a suis humanissime excepti, aliquando in S. Francisci coenobio moram traxerunt.

IV. Non absque ingenti animi sui dolore tot fratrum jacturam persensit Antonius de S. Gregorio. Verum quia Deus moestos solatur, factum est, ut plures ex provincia S. Evangelii operarii eodem spiritu ferventes, inter eos cooptari acri animo expostularent. Sex tantum ex illis secum assumpsit Petrus de Alfaro custos, nimirum Joannem Ayoram virum doctissimum ac in utroque jure laurea donatum, Bartholomaeum Ruiz, Stephanum Ortiz, Joannem Porras, Petrum Muñique sadotes, et Joannem Clementem clericum, quibuscum Acapulchum portum petens, illic aliquandiu domi suorum consodalium diversatus est, in ora lacus positae, S. Gregorii titulo, quem *assistentiam* vocant duabus leucis a Xochimilco. Iuterim Antonius de S. Gregorio in Hispaniam denuo commeavit, inde Matritum, Romam postremo, ut novum fratrum delectum secundo haberet, et graviora alia negotia cum Rege et Pontifice ageret. At illi non omnia secunda accesserunt; captus namque iterum a piratis hugonottis gallis, varieque divexatus, ultimo in arbore malo, nt plumbeis sphericis configeretur, alligatur. In tanto vitae discrimine, protegente Deo, e manibus impiorum evasit incolumis.

Ioan. Franciscus ibidem pag. 348.

V. Eodem salutis Indorum zelo extuabant etiam sodales patrum conventualium. Quare suorum nomine snpplicibus litteris conscripsit Petrus Antonius Camilli de Nuceria magister generalis ordinis ad supremum ecclesiae Antistitem, ut dignaretur eorumdem voluntati obsecundare. Annuit Pontifex, jussitque, ut praedicti fratres, non secus ac alii aliorum ordinum eo adeuntium, illicque commorantium religiosi, iisdem privilegiis frui et gaudere valerent: *Cupientes* die 1. Maii. An vero eo se contulerint, coenobiaque ibidem erexerint, ignoramus. Illos coenobia habuisse anno MDLXXX. in *Indiis novis* tradunt mss. archivii SS. XII. Apostolorum de Urbe, eaque imo quinqne fuisse scribit Franciscus Antonius Righini in Polychronicon Jordanis, Romae anno MDCCLXXI. edito. Verum p. Dominicus de Gubernatis aperte fatetur *conventuales ad novum orbem non penetrasse.* Revera monumenta desiderantur, quibus certi reddamur de eorumdem conventuum loco, auctore, titulo, ac anno fundationis.

Orbis Seraph. t. 2. pag. 554.

VI. Cum haec pro Novae Hispaniae infidelium conversione a minoritis tanto studio agerentur, christifidelibus Graeciam incolentibus etiam consuluit Pontifex, illuc mittens Bonaventuram a Nixia, et Laurentium Apulum, ut praedicationibus vitaeque exemplo devios ad bonam reducerent frugem, schismaticos ad ecclesiae unitatem adducerent, ac nutantes in fidei confessione confirmarentur. Quapropter eodem prorsus die

Digitized by Google

ac sermone archiepiscopis, episcopis, regibus, cunctisque christifidelibus amplissimis verbis eos in itinere commendatos voluit Pontifex: *Mandavimus* die XII. Octobris.

Conventus Cellaemeae. *Gonzaga in prov. S. Michaelis conv.* 23.

VII. Ad jactum lapidis a villa Cellaemeae, vulgo *Saelamea* in custodia Salamantina S. Jacobi Apostoli hoc anno exordium sumpsit coenobiulum sub invocatione S. Mariae de Angelis, curante Paulo Xeresano provinciae S. Josephi alumno. Fundum et sumptum ad mille et quinquaginta auri summam ministrarunt partim incolae, partimque milites Alcantarenses, ad quos *municipium*, olim appellatum *Julepense*, celebre ob sepulchrum Trajani imperatoris, spectabat. Sed cum parce satis, ita Waddingus ex monumentis mss. provinciae, ac praeter votum ad operis promotionem fratrumque victum necessaria darentur, locum, reclamantibus cellameanis, deseruerunt.

Ann. min. ad an. 1398. *num.* 5.

Conventus Augustae Emeritae. *Idem in prov. S. Iosephi conv.* 19.

VIII. Cum ob crebra miracula in maximo cultu haberetur quaedam aedicula antiquitus erecta ad M. P. ab Augusta Emerita in honorem Dei Genitricis, excogitarunt incolae penes ipsam coenobium pro fratribus aedificare. Obtenta ad id facultate, collectisque eleemosynis, manus operi admoverunt, eoque absoluto eis ad incolendum tradiderunt, sicque aucta in dies populorum frequentia, magis magisque insignior redditus est B. Virginis locus. Continet XV. fratres.

Conventus Cebreros. *Idem ibid. conv.* 20.

IX. Franciscus Albornotius saecularis sacerdos ob summam, quam fovebat erga SS. Jesu nominis devotionem, simulque erga seraphicum institutum affectum, cupiens illud solemnius ac religiosius coli, ex proprio aere conventum aedificare statuit, eumque dulcissimo nomini Jesu sacrare. Debita munitus facultate, penes moenia oppidi Cebreros ad XXI. lapidem ab Abula Veteris Castellae civitate pro duodecim fratribus conventum instruere fecit. In cujus aedificatione illud mirandum tantam fuisse ejusdem humilitatem ac fervorem, ut licet genere nobilis, dignitateque sacerdos, inter coementarios, fossores, atque fabros lignarios sibi gloriae ducebat, propriis manibus incoeptum opus viriliter promovere. Hoc in coenobio obiit anno MDXCV. Dominicus de la Frontera laicus, et die XXX. Decembris anni MDCII. Paulus a Jesu sacerdos, doctrina ac virtutibus illustris.

Coventus Compluti. *Franciscus Matrit. in bull. discal. tom.* 1. *pag.* 244.

X. Sunt litterae, quas subjicimus, Nicolai episcopi Patavini in Hispaniarum regnis nuncii pro constructione conventus discalceatorum in eremitorio S. Angeli custodis civitatis Complutensis de Henares in provincia S. Josephi.

Nicolaus Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Patavinus, Sanctissimi Domini nostri Domini Gregorii divina providentia Papae decimitertii, ejusdemque sedis cum potestate Legati de Latere in Regnis Hispaniarum Nuncius, reverendis in Christo patribus ministro provinciali, et diffinitoribus, aliisque religiosis ordinis discalceatorum S. Francisci provinciae S. Josephi, salutem in Domino.

Cum vos nomine dictae provinciae nobis exponi fecistis, quemadmodum aliqui christifideles, pia devotione moti, monasterium dicti ordinis discalceatorum in quodam eremitorio, sub invocatione Angeli Custodis, extra muros oppidi de Alcala de Henares, Toletanae dioecesis fundare, et aedificare cupiunt, et intendunt, ex quo non parum spiritualis commodi, et profectus incolis dicti oppidi de Alcala

Digitized by Google

proveniet: unde sumpta super hoc per ordinarium loci diligenti informatione, repertoque quemadmodum dictum eremitorium est locus decens, et aptus ad construendum ipsum monasterium, quodque plurimum expediat dictum monasterium ibidem construi, et aedificari, dictus loci ordinarius dictum monasterium in eremitorio praedicto construendi, et aedificandi, ac in eo postquam constructum atque aedificatum fuerit, sanctissimum Eucharistiae sacramentum, debita cum reverentia, et decentia tenendi, ac altaria, et imagines collocandi, licentiam et facultatem concessit, nobisque humiliter supplicaveritis, ut licentiam, et facultatem praedictam, pro majori ejus robore, et firmitate apostolica auctoritate nobis concessa, qua fungimur, confirmare dignaremur. Nos igitur religionis augmentum, et propagationem, ad omnipotentis Dei laudem, et honorem, populique utilitatem spiritualem, summopere cupientes, auctoritate apostolica nobis concessa, qua fungimur in hac parte, licentiam et facultatem praedictam, dummodo non minor, quam duodecim fratrum numerus in ipso monasterio sit permansurus, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac eamdem concedimus, et elargimur. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac provincialibus, et synodalibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. In quorum fidem praesentes litteras manu nostra subscriptas fieri, et per infrascriptum abbreviatorem nostrum subscribi, nostroque sigillo muniri mandavimus.

Datum Matriti Toletanae dioecesis die sexta Septembis 1576. Pontificatus praedicti SS. Domini nostri Papae anno quinto.

Nicolaus Episcopus Patavinus Nuncius Apostolicus.

Loco ✠ Sigilli *Antonius de S. Petro Abbreviator.*

Aedem et ecclesiam post aliquot annos auxerunt, ac stabilius construxerunt D. Catharina de Mendoza, et Leiva ejus soror. Praetiosa morte ibidem occubuerunt anno MDXCII. Franciscus a Cebreros sacerdos, et Sebastianus a S. Maria laicus; anno MDXCIV. Gaspar a Monuerete; anno MDXCVI. Idelphonsus ab Aurigiola; anno MDXCIX. Petrus a Turribus, et alii quamplurimi. *Gonzaga in prov. S. Josephi conv. 21.*

XI. In eadem provincia in memoriam et gratiarum actionem celeberrimae navalis victoriae, quam anno MDLXXI. Epyri prope Lepantum contra Turcas reportarunt catholici foederati principes, extitit hoc anno pro minoritis conventus in oppido Plici, vulgo de Priego, dioecesis Conchensis, expensis Ferdinandi Carilli Plici comitis, et serenissimi Joannis ab Austria oeconomi, et ejus filii primogeniti Ludovici Carilli, primi ejusdem cohortis ducis. Cum enim ad D. P. ab eodem oppido solitudini exposita contemplationique accomoda, constructa inter anfractus praeruptaque montis occurreret aedicula Archangelo Michaeli sacrata, uterque ob benevolentiam in fratres ejusdem provinciae, circa illam conventum excitarunt, addito cognomine S. Michaelis de Victoria. Praetereunda haud sunt ea quae recenset Gonzaga. Licet enim ex accliviore praememorati montis parte, ubi conventus instructus cernitur, celerrime ruant mirae magnitudinis saxa, tamen nec coenobii parietes, nec transilientes ullo unquam tempore aliquid leviter passi sunt. In hoc conventu *Conventus Plici. Idem ib. conv. 22.*

Digitized by Google

quatuor professione laici non absque sanctitatis fama obierunt, nimirum Georgius Calvatensis, Sebastianus Paez, Petrus a S. Francisco, et Juniperus Castañal.

Idem in prov. S. Ioan. Baptistae conv. 11.
Ann. min. ad an. 1574. num. 55.
Panes in prov. S. Ioan. Bapt. lib. 2. cap. 22. et 23.
Conventus Beniganin.
Gonzaga ibidem conv. 13.

XII. Conventus Almenarae Dominae Nostrae de Nivibus, quem Gonzaga appellat Dominae Nostrae de Angelis, et a quo dicitur fundatus hoc anno, juxta Antonium Panes adjectus fuit anno MDLXXIV. custodiae S. Joannis Baptistae, studio Francisci Ximenez. Extitit hoc anno in eadem provincia et conventus S. Antonii de Padua, erectus in pago Beniganin ejusdem custodiae a pia universitate, ut decem fratres commode inhabitarent. Ibidem pie obiit Gabriel del Olmo laicus.

Conventus Aennae
Arturus ad diem 20. Augusti.
Pirrus in not. eccles. Catanen. p. 583.

XIII. Non intra moenia juxta Arturum, sed extra civitatem Aennae Catanensis dioecesis ad D. P. fundatum est coenobium sub invocatione S. Mariae de Montesalvo. *Huc ex antiquo more*, ut ait Pirrus, *fertur simulacrum B. Mariae die 11. Julii; id fecisse tradunt, ut magnus cultus Cereri praestitus aboleretur.* De eo haec extat memoria: *In urbe inexpugnabili Aennae, sive Castri Joannis fundatus fuit conventus sanctae Mariae de Jesu Montis Salvi ab observantibus anno Domini MDLXXVI. die XVIII. Julii. Reformatus vero idem conventus anno Domini MDXCII. positus super montem excelsum versus occidentem in dioecesi Catanensi, extra urbem ad* 500. *passus.* Hoc in coenobio die XVII. Septembris MDCX. migravit ad Dominum Angelus a Calatahieronc sacerdos, charitate, humilitate, oratione, spirituque prophetiae clarus, cujus corpus jussu episcopi honorifico sepulchro conditum est; et die XX. Augusti ejusdem anni Angelus Musicus spectatissimae vitae pariter decessit.

Idem ibid.

Conventus Wert.
Ann. min. ad an. 1461. num. 38.

XIV. In provincia inferioris Germaniae conventus oppidi de Wert in Brabantia dioecesis Leodinensis, fundatus anno MCDLXI. a pio comite Jacobo Hornense ex illustri prosapia Clivensium ducum, hoc tempore saevitiem Geusiorum sensit. Nam ex illo hoc anno fugati fratres, et anno insequenti reversi, iterum profligati sunt; paullo post praeter templum, coenobio ab eis solo aequato, anno MDLXXIX. quando oppidulum una cum arce in potestatem venit ducis Parmensis, illud fratres repetentes, utcumque repararunt.

Conventus Chiapae.
Gonzaga in prov. Nominis Jesu de Guatemala conv. 7.

XV. Exurgit in provincia de Chiapa LXXXV. leucas protensa ab oriente in occidentem inter Tabascum ad septentrionem, Jucatanum ad caeciam, Vera Paz ad orientem, et Guatemalam ad euro-notum in audientia Guatemalae, civitas de Chiapa episcopalis, seu *Ciudad real* ab Hispanis culta in situ peramoeno, vastaque planitie, septa collibus, media inter mare boreale, et australe. Ea in civitate, diversa a Chiapa *de los Indios* quae jacet in valle juxta fluvium Tabasco, hoc anno posuerunt pii Hispani coenobium S. Antonii XX. fratribus continendis capax, quorum octo tantum sub initium habitarunt, quum pauci illic forent. Nullos ipsi labores, et pericula detrectant; ut enim Indis sibi concreditis sacra ministrent, eundum eis est per CLXXX. ultra milliaria ad Chontalpicam usque regionem, dioecesis Jucatanensis: fluviique sunt transnandi rapidissimi, rupesque, et paludes superandae. Accedunt his difficultatibus Indorum domus innixae trabibus bifurcis usque ad medium aqua immersis, quas volucrum potius nidos, quam hominum habitationes crederes, quasque nemo unus ingredi potest, nisi Cañoam, idest concavo ligno advectus.

Digitized by Google

XVI. Recuperarunt fratres observantes provinciae Germaniae inferioris coenobium ab haereticis eversum S. Mariae Magdalenae Ruremundae in Geldria, opera fr. Laurentii ab Ischa concionatoris dissertissimi, qui cives majori ex parte calvinianos ad veram fidem revocavit, versatus idcirco in quotidiano vitae discrimine, sic ut nonnisi catholicis stipatus templum parochiale adire posset, verba facturus. Obiit ibidem guardianus anno MDLXXXVIII. die XXVIII. Octobris. Redivit quoque ad fratres canarienses coenobium S. Michaelis Victoriarum Lacunae, in quod Petrus Hispalensis custos provinciae Canariae immiserat moniales clarissas, secum adductas in insulam de Tenarifa a monasteriis Beatiano S. Antonii, et Reginensi Sanlucar de Barrameda. Quamvis enim ad normam decreti concilii Tridentini jussisset Pius V., ut intra civitatem illae se reciperent, et fratres degentes in xenodochio S. Sebastiani de injuria sibi illata quererentur; tamen nonnisi hoc anno litterae pontificiae exsequutioni sunt demandatae die XXI. Decembris, translatis monialibus in novum monasterium S. Clarae constructum in fundo dominae Eulaliae, seu Olalla Fonte, ea conditione, ut tres ejus filiae reciperentur ad professionem in consortio monialium; quae conditio exitum obtinuit. In quibusdam MSS. translatio rejicitur in annum sequentem.

Conventus Ruremundae. *Monum. prov. Germaniae inferioris.*

Conv. Victoriarum Lacunae.

Gonsaga in prov. Canariae conv. 4.

Monast. Victoriarum Lacunae.

XVII. Coenobium de Martinmunnoz dioecesis Abulensis, fundatum jam ex Alvari de Mendoza episcopi licentia in eremitorio Corporis Christi, intrarunt hoc anno XII. fratres provinciae S. Joseph. Fabrica absoluta est anno MDCLXXV. Coenobium Oenipontanum S. Crucis separatum auctoritate ministri generalis a provincia S. Antonii Venetiarum, annexuit Joannes Nasus provinciae Argentinae, quae hoc ipso anno habuit in eo comitium, Gregorio Kneer in ministrum renuntiato.

Conventus de Martinmunnoz. *Idem in prov. S. Joseph conv. 16.*

Conventus Oenipontí. *Monum. prov. Argentinae.*

XVIII. Ex paucis domibus, quae supererant in provincia S. Salvatoris Hungariae ex belli furore, Turcarum, et haereticorum injuriis, Adamus Ungadus homo barbarus, et damnatis erroribus imbutus, militem immisit in conventum Omnium SS. de Galgoczy hoc anno, nocte ipsa, quae Omnium SS. festum excipit, vel antecedit. Eo spoliato, et everso, provincia, quae constabat olim aedibus LXX., quatuor tantum numeravit, quibus, quum Michael Alvarez commissarius generalis, expectatis frustra fratribus Transylvaniae, Viennam revertisset, Emericus de Toris minister morbo, et aetate gravis, convocatis Szakolczae aliquibus patribus, guardianos praefecit, nimirum coenobii Giungiensi decem a Buda milliaribus, Szegediensi in comitatu Csongradiensi dioecesis Strigoniensis, Zacholensi in finibus Hungariae superioris, et Csichiensi in regione Transylvaniae contermina.

Conventus Galgoczy. *Monum. prov.*

XIX. His temporibus, vel praecise, juxta Vigilium Greiderer, annis ab hinc duobus igne conflagravit coenobium SS. Wenceslai, et Angelorum Rattiboriae prope Oderam in Silesia Borussica, dioecesis Wratislaviensis, in provincia olim Bohemiae, deinde Silesiae fratrum minorum strictioris observantiae. Antea, et postea eodem periit exitio, iterum propterea a fundamentis excitatum in suburbio anno MDCXC. die XXI. Maii a Joanne Friderico Kotulinski libero barone de Kotulin, Krzizkowitz domino haereditario in Lonce, et S. C. R. majestatis consiliario, primum lapidem ponente Josepho Hernick abbate monasterii Raudensis Cisterciensium, et fundum acceptantibus Joanne Evangelista Fritsch,

Conventus Rattiboriae. *Greiderer tom. 1. lib. 5. num. 48. p. 833.*

Joanne Capistrano Mittelmuller, et Amando Hermann ministro provinciae Bohemiae.

Conventus Goudae. *Batavia Sacra lib. 2. pag. 180.*

XX. Eversum jacuit pervetustum coenobium Goudae Albazeti in Hollandia dioecesis Trajectensis, splendidius a civibus aedificatum quatuor ante annos post alteram Geusiorum in illud irruptionem. Fratres cum supellectili, et monumentis properarunt Antuerpiam, vastatamque domum, et structuram reliquam hostes vendiderunt, quod etiam monasterio canonicorum regularium, et ecclesiis caeteris contigit. Similiter coenobium Limiricense in Hibernia sub civitatis moenibus ad orientem prope flumen, inter monasterium S. Crucis ad austrum, et monasterium S. Dominici ad boream, fundatum sub finem saeculi xiv. a Bibiana Dempsia uxore D. de Ely Maorluani Barbati Okeanubhail in confinio regionis Elysanae dioecesis Lacinensis. Irrumpentibus calvinianis, fratribusque fuga excedentibus, captus est fr. Thaddeus Dalaeus, seu Daly, quem satellites necquicquam promissis, et muneribus invitatum ad fidei catholicae nuntium remittendum, vel suspenderunt, ut scribit Gonzaga, vel capite truncarunt, ut alii narrant, addentes, martyrem post capitis abscissionem primum versiculum psalmi L. integrum protulisse.

Conventus Limiricensis. *Gonzaga in prov. Hiberniae p. 847.*

Thaddeus Dalaeus Martyr. *Ann. min. ad an. 1291. num. 51. et 1490. num. 60.*

Ecclesia Tacubae consecratur.

XXI. Petrus Moya de Contreras archiepiscopus Mexicanus solemniter dedicavit templum Dominae nostrae de los Remedios de Tacuba (Tlacubae scribit Gonzaga), seu de Tlacopan, unam ultra leucam ab urbe Mexici, cujus sacram imaginem in eam urbem detulerat Joannes Rodriguez de Villafuerte socius Ferdinandi Cortesii. Consecrationis ritum peregit Dominica infra octavam Assumptionis, quam anniversariam celebrandam edixit a fratribus minoribus conventus S. Gabrielis, qui spiritualem jurisdictionem exercent in territorio. Voluit etiam, ut idem festum ageretur in Nativitate B. Mariae Virginis, Purificatione, Annuntiatione, et Conceptione. Dedicatum praeterea est die II. Februarii templum Dominae nostrae Purificationis de Tulantonco ad septentrionem civitatis de Tezcuco, ubi colitur miraculosa Icon Deiparae, quam narrant homini Indo oculorum lumen restituisse. Templum positum anno MDLXIV. die XX. Novembris a Melchiore de Peralta nobili equite, moderatur religiosus franciscanus coenobii S. Antonii de Padua de Tezcuco provinciae metropoli ad ripam lacus Salada, septem leucis orientem versus ab urbe Mexicana, et illustri primis praedicationibus Joannis de Aora, et Petri Gandavensis. Coenobio, in quo jacent idem Joannes de Aora, Joannes Ribas, et Michael de Algarrovillas, cuique parochialia jura sunt annexa in quamplures pagos circumpositos; Gonzaga locum undecimum assignat in provincia S. Evangelii, quum ex tabulis capitularibus liqueat, ipsum tertio loco esse fundatum.

Theatr. Mexicanum IV. part. n. 65. pag. 130.

Ecclesia de Tulantonco consecratur.

Ibidem num 106. pag. 52.

Gonzaga in prov. Mediolani conv. 15.

XXII. Idem Gonzaga consecratam dicit hoc anno ecclesiam Annuntiationis B. Mariae Virginis Varisii in provincia Mediolani, sub Antonio de Latiis episcopo Salodiensi. At in notis numericis certe error latet; praemittit namque, conventum sub Paulo II. erigi coeptum, brevique absolutum; ecclesiae vero, cujus primum posuit lapidem praepositus S. Victoris Varisii, consecrationem peractam post octo annos. Hinc in textu Gonzagae legendum puto annum MCDLXXVI.

Variae ecclesiae consecrantur.

XXIII. Die VII. Julii consecrata fuit ecclesia conventualium Montis S. Petri Angelorum in custodia Firmana ab archiepiscopo Amalphitano

Julio Rossi Maceratensi, ad id exorato a Cardinali Peretti Firmanae ecclesiae, non episcopo ordinario, sed, ut recte scribit Catalani, perpetuo administratore. Extat archiepiscopi autographum in archivio illius coenobii. Attamen sacri ritus caeremoniam peractam fuisse hoc anno a cardinali Peretti, ex vetusto vulgatoque lapide, postremis hisce temporibus ex templi parietibus ablato, indicabatur. Die xii. Junii ecclesia et altare Assumptionis B. Mariae Virginis capucinorum Sorengi, de licentia Volpi episcopi Luganensis, sacrata extitit ab Eugenio Camuzzi antistite civitatis Bobii, et mense Decembri a S. Carolo Borromaeo ecclesia capucinorum Bigorii Vallis Luganensis.

Catalani de Episcopis firmanis p. 227.

Bovèrius tom. 1. *pag.* 676. *n.* 33. *Torricelli tom.* 5. *pag.* 185. *Lugano.* 1837.

XXIV. Catharina de Nobilibus vidua comitis S. Florae die vii. Maii obtinuit a Summo Pontifice indulgentiam plenariam pro illis, qui singulis festis pie visitarent ecclesiam S. Mariae Montis Oliveti Castri Arquati, et privilegium defunctos a purgatorii poenis liberandi missae Sacrificio in ara maxima. Similem indulgentiam concessam invenio die xx. Septembris in ecclesia S. Antonii Abbatis Cisternae, a primis vesperis S. Antonii ad occasum solis diei sequentis; et in ecclesiis S. Francisci Massae ad litus Tyrrhenum, in gratiam Alberici Cibo principis Massanensium, et S. Francisci Massae dioecesis Firmanae, utrobique altaribus, et diebus non expressis.

Gonzaga in prov. Bononiae conv. 14. *Romana conv.* 31. *Tusciae conv.* 30. *et Marchiae conv.* 19.

XXV. Angelus de Nicosia franciscanus conventualis hoc anno in possessionem venit conventus S. Mariae de Succursu Castellutii in provincia Siciliae, quem per vices incoluerunt eremitae, fratres S. Mariae de Montecarmelo, et conventuales reformati, antiquum et rimosum. Guardianus in publicis scripturis dicitur SS. Francisci, et Antonini, eo quod prius degeret ad S. Antoninum. Ante ecclesiae fores visitur fascia marmorea cum quibusdam characteribus gallicis de anno mcdxxvii. In custodia Istriae Nicolaus Mazolinus, ob pestem Venetiis grassantem, inchoavit coenobium Insulae ea lege, ut soli minores conventuales inibi morarentur. Aedem posuerunt oppidani die xiii. Augusti, Magistro Firmo ab Ulmo operis praefecto.

Conventus Castelluti.

Rodulphus lib. 2. *pag.* 180.

Conventus Insulae.

Ibidem pag. 275.

XXVII. In eadem provincia Siciliae positum coenobium Fluminis Dionysii, scribit Cagliola. Conflagrarunt tabulae erectionis coenobii Rayhalbuti dioecesis Catanensis, ut inquit Pirrus; ut vere asserunt mss. provinciae, oppidum Rayhalbuti in Valle Mazariae pertinet ad dioecesim Agrigentinam. Locum vetustum, et ferme labentem dicit Rodulphus, eique D. Joannem illustrem comitem anno mdlx. jure testamentario aliquid reliquisse ad ecclesiae et aedificii reparationem.

Conventus Fluminis--Dionysii.

Conventus Rayhalbuti.

Ibidem pag. 281

XXVIII. Bernardinus Rubeus a Monte Bodio conventualis divina hoc anno primum persolvit in ecclesia S. Mariae prope muros castri Barbarae in custodia Aesina, constructa inibi domo perexigua, ditata bonis stabilibus duorum mille coronatorum. Ecclesia tria habet altaria, in quorum uno erecta est societas chordigerorum, et latiorem aream obtinuit dimidio aucta anno mdlxxx. Joannes Petrus Todinus de Montella magister provinciae Neapolis, de licentia Marci Alferii de Benevento episcopi, et canonicorum Montis Marani, fundavit die xix. Augusti coenobium S. Francisci in sacello S. Marthae sibi libere donato, ejusdem civitatis. Obvenit pariter conventualibus die xiii. Novembris in eadem provincia coenobium S. Mariae Consolationis Teorae c. passibus ab oppido, con-

Conventus Barbarae.
Monum. prov.

Conventus Montis Marani.
Monum. prov.

Conventus Teorae.
Monum. prov.

sentiente Marco Antonio Piscara archiepiscopo Compsensi, absque ullis conditionibus.

Conventus Capucinorum. Ex indice Michaelis a Tugio, et ex Boverio t. 1.

XXX. Traduntur capucinis in provincia Messanensi conventus S. Mariae Angelorum Castriboni dioecesis Messanensis; in provincia Syracusana conventus Ferlae dioecesis Syracusanae, ad instantiam comitis de Buserna, et civium; in provincia Bononiae conventus S. Joannis Baptistae Lugi dioecesis Imolensis, ad instantiam Alphonsi Athestini ducis Ferrariae; in provincia Rhegii conventus S. Francisci Claravallis dioecesis Squillacensis; in provincia Brixiae conventus S. Joseph Vertuae dioecesis Bergomensis; in provincia Marchiae conventus S. Elpidii dioecesis Firmanae, quem minus vere positum dixit Michelesius sex ante annos, sequutus indicem Michaelis a Tngio; praesentem namque annum signant authographa provinciae; conventus Nativitatis B. Mariae Virginis Urbaniae, cujus fundationem idem scriptor rejicit in annum MDLXXXI; conventus in aedibus SS. Salvatoris oppidi S. Severini publica impensa coemptis et restitutis pro bis mille florenis; in provincia Veneta conventus SS. Sebastiani, et Rochi Montagnanae dioecesis Patavinae constructus vel hoc anno, vel superiori, et juxta Michaelem a Tugio anno MDXC; in provincia Pedemontana conventus Pineroli, Abbatiae S. Mariae nullius dioecesis, cum ecclesia S. Laurentii, ad instantiam universitatis, Philippi cardinalis Vastavillani, et Emmanuelis Philiberti ducis Sabaudiae: *Nuper pro parte*, die XXVIII. Octobris; in provincia Corsicae conventus S. Mariae de Gratiis Casinghae dioecesis Marianensis, de novo extructus ad instantiam populi, de licentia Joannis Baptistae Centurione episcopi Marianae, derelicta veteri domo insalubri, et incommoda. Dum crux inibi erigeretur, arbor castanea refloruit mense Decembri, quod miracnli instar est habitum; in provincia Barensi conventus Adriae, qui ut citius absolveretur sumptibus comitissae de Ruvo, concessit Pontifex operariis liberam asportationem caementorum diebus festis: *Expositum nobis* die XV. Junii; in provincia Hydruntina circa haec tempora conventus S. Eliae dioecesis Lyciensis, aere oppidanorum de Cambie, et Squinzano; in eadem provincia hospitium cum duabus cellulis in castro S. Petri Vernotici, quinque a Squinzano milliaribus, fundatum ex supremis tabulis Vincentii de Marco. Extant senatus Barcinonensis litterae ad Hieronymum a Monteflorum vicarium generalem capucinorum, impetratae a Michaele Quirolio pharmacopola pro fundatione conventus Barcinonis; quod tamen peractum non fuit, nisi post duennium.

Monasterium Isclae.

XXXI. Beatrix de la Quadra nobilis mulier Neapolitana absolvi curavit hoc anno clarissarum monasterium inchoatum suis et civium expensis in insula Pithecusa, seu de Iscla, sub titulo B. Mariae de Consolatione, loci ordinario subjectum: *Summa prudentia* IV. idus Februarii. Laura Barbara de Vigintimilliis, teste Pirro, die XII. Martii, in civitate Panormi posuit clarissarum monasterium S. Mariae de Conceptione, quod brevi mirifice excrevit. Habitant CXIV. moniales. In oppido S. Gemini virgines nonnullae vitam ducentes communem in domo peculiari, hoc anno sub auspiciis Romuli Caesii episcopi Narniensis, ingressae sunt monasterium S. Catharinae secundam regulam S. Clarae professae, institutrice Catharina de Rossettis, quae ad illas transivit a monasterio S. Catharinae Interamnensi.

Monasterium Panormi. Sicilia Sacra tom. 1. pag. 307.

Monasterium S. Gemini. Monum. provinciae.

XXXII. Moniales S. Clarae Ilerdae, quae manebant in loco, vulgo *Elclot*, obtinuerunt coenobium S. Francisci, jam vacuum ex reformatione claustralium. Hieronymus Rabassa minister provinciae Cataloniae jussu Christophori a Capitefontium, hoc anno die VIII. Junii vel insequenti, ut scribit Waddingus, solemni pompa in illud transtulit a monasterio de Petralbis Mariam Annam de Boxadors, quae abbatissae munus ageret, Annam Boxadors ejus sororem, Dionysiam Robets, Euphemiam Arles, et Hieronymam Peregrinam; a monasterio S. Mariae de Hierusalem Barcinonis Hieronymam Despés vicariam, Mariam Rius, Mariam Valls, et Raphaelam Robets cum duabus novitiis, omnes sub jurisdictione ministri provinciae Cataloniae.

Monasterium Ilerdae.

Ann. min. ad an. 1216. num. 7.

XXXIII. Anna de Zerda, et Mendoza vidua Roderici Gomezuli a Sylva principis Ebolitani, et ducis Paternianae extrui fecit intra oppidum Paternianae monasterium Conceptionis, et in illud transferri quatuor virgines monasterii Conceptionis Toleti ut ab iis sumeret initium. Habitant XXIV. moniales, etsi idoneum sit pluribus excipiendis. Juspatronatus monasterii S. Gelonis Montis Calvarii in civitate Eborensi inivit Maria filia Emmanuelis regis Portugalliae, quae illud paullo ante fundavit, prout ipsa illud sibi reservaverat in fundatione: *Exhibita nobis* die I. Septembris. Admisit hoc anno monasterium pro sororibus tertii ordinis capucinarum titulo S. Mariae Auxiliatricis civitas Altstettensis in valle Rhenana dioecesis Constantiensis, ac capitulo rurali San-Gallensi ad Rhenum posita, Abbatiscella vix non tribus milliaribus germanicis elongata. Catalogus major dioecesis Constantiensis monasterio isti adscribit XX. moniales, Benedictino ex celeberrimo monasterio Montis Angelorum conscientias suas aperientes: at Benedictinus San-Gallensis refert, quod moniales istae a principe monasterio San-Gallensi visitatores et confessarios recipiant.

Monasterium Paternianae.

Gonzaga in prov. Castellae monasterium. 37.

Monast. Eborae.

Monaster. Altstettensis.

Greiderer tom. 2. l. 4. n. 150. p. 662.

XXXIV. Guido SS. Viti et Modesti presbyter cardinalis Vercellensis pauperi monasterio Vercellarum sub titulo S. Clarae, et cura fratrum minorum donavit redditus novem locorum montis non vacabilis, spectantium ad coenobium S. Stephani de Cittadella ordinis S. Benedicti, ad vitam Mariae Magdalenae in eo monasterio professae, quam idem purpuratus habebat sororem germanam: *Exponi nobis* die V. Februarii. Apud oppidum S. Severini dioecesis Salernitanae, monasterium jam suppressum, et unitum seminario clericorum Salerni, concessum est confraternitati S. Mariae Casalis de Pandola, abiitque in hospitium pauperum: *Ut charitatis* die XXX. Junii.

XXXV. Subjiciuntur jurisdictioni episcopi Bracarensis moniales nominis Jesu de Monrao, tertii ordinis S. Francisci, quae claustrum ingressae ante annos XII., adhuc superiorem non invenerant, qui earum curam gerere vellet: *Expositum nobis* die IX. Maii; jurisdictioni episcopi Papiensis, sub protectione tamen sedis apostolicae, moniales conventuales S. Clarae Papiae, quamvis ecclesia habeat titulum Assumptionis, excitata anno MCCCLXXX. bino columnarum ordine a Galeatio Vicecomite, duce Mediolani; et moniales strictioris observantiae S. Clarae ibidem, quae anno MCDLXXIV. a monasterio S. Elisabeth Hungarorum reginae juxta portam palatii in paroecia S. Juventii, migrarunt in aedem commodiorem S. Mariae *intus hortos de medio*, seu S. Bernardi virginum Cisterciensium,

Monasterium Papiensis.

Romualdus a S. Maria part. 3. p. 13. et 15.

Digitized by Google

quae exiguae numero migrarunt vicissim ad S. Elisabeth. Post translationem ecclesia S. Mariae promiscue dicta est S. Mariae, et S. Elisabeth. Redactae ad aliquam angustiam ob iteratam eversionem clausurae, occasione interioris munitionis civitatis, regii aerarii sumptibus novum parietem excitarunt. Carolus Borromaeus archiepiscopus et cardinalis Mediolanensis dum hoc anno, summi Pontificis jussu, Bergomensem dioecesim perlustraret, clausurae legibus addixit sorores de tertia regula in pago Clusonis, suppressoque monasterio clarissarum S. Salvatoris oppidi Fini, in quo sex dumtaxat moniales degebant, una cum redditibus ad illud transtulit, accedente ad hoc placito monialium, ac ministri provinciae observantium. Praesefert titulum S. Mariae Elisabeth.

Donato Calvi Storia di Bergamo t. 1. pag. 16.

Monast. Clusonis.

XXXVI. Constantio Bargellino ordinis minorum conventualium episcopo Reatino injungitur permutatio bonorum *in contrata de Fonsiano* spectantium ad moniales tertiarias S. Clarae sub cura minorum de observantia Reatis, cum bonis *in contrata de Franagnano* Thaddaei Hentii, et Vincentiae Novelli conjugum: *His quae pro* die v. Octobris; Francisco Bossio Mediolanensi episcopo Perusino venditio domus juxta coenobium minorum conventualium Perusiae, quam moniales S. Agnetis tertii ordinis petere solebant valetudinis, aut recreationis causa, et erogatio pretii in clausuram: *Quum sicut accepimus* die xxx. Maii; archiepiscopo Neapolitano confirmatio emphyteosim canonis ducatorum quinquaginta quinque cujusdam domus sitae in regione *Sedilis nidi*, et in *Platea retro*, inter sorores monasterii monialium S. Francisci de eleemosyna tertii ordinis de poenitentia Neapolitan. civitatis, ac Joannem de Piccolominibus ab Aragona incolam Neapolitan. *Alias pro parte* die xxiv. Novembris; guardiano et fratribus observantibus conventus S. Crucis Papiensis summam nongentarum viginti librarum imperialium ipsis pro legato relictam a quondam Lopez nobili Hispano, pro emptione bonorum stabilium, jus dicit, eum convertendi in fabricam domus et ecclesiae, remanente onere in perpetuum, unam missam pro ejus anima ab ipsis celebrandam: *Ut viri religiosi* die xxv. Aprilis; Francisco Sporeno tamquam apostolico commissario, ut pro seminario monachorum adolescentium qui sacris litteris operam impendebant, reduceret Monasterium Omnium SS. Friburgi in Brisgoja ordinis canonicorum regularium sancti Augustini: *Quum sicut accepimus* die xx. Januarii; Evangelistae de Canobio procuratori generali capucinorum, ut Neapoli Romam secum ducat quatuor moniales S. Mariae de Hierusalem, quae regularem disciplinam introducant in Monasterium capucinarum ordinis S. Clarae de Urbe nuper extructo in Monte Quirinali: *Cupientes* die i. Martii, cujus ecclesiam indulgentia affecit: *Salvator noster* xii. calendas Augusti, ejusdemque monasterium eorum curae subjicit: *Pastoralis officii* mense Novembri. Hoc monasterium fundatum, scribit Boverius, anno praeterito a Joanna de Aragonia conjuge Ascanii Columnae duce Taleacotii, sub invocatione Corporis Christi, et moniales Neapoli adductas recenset Tranquillam Paschale de Sessa, Hippolytam de Afflictis, Agnetem de Carinula, et Joannam Barattuccia consobrinam Julii Sanctorii cardinalis S. Severinae.

Monasterium Corporis Christi de Urbe.

XXXVII. Hoc anno Hugonotti Volcae, seu Occitani irrumpentes per tecta monasterii pauperum dominarum S. Annae Lezigniani dioecesis Narbonensis, virgines hora tertia post mediam noctem a matutinis in

Digitized by Google

cubicula redeuntes aggressi, bonis omnibus spoliarunt, ne velo quidem capitis eis relicto, et mulctam indixerunt xx. aureorum pro cujuslibet redemptione. Narbonam adductae ab Abbatissa, et perhumaniter excepta a Senatu, et civibus, transactis nonnullis annis, monasterium suum Lezigniani restaurarunt. Habitant xxvi. de prima regula. Aedem fundatam, scribit Gonzaga, sub annum mcccvi. a Jacobo de Borbonio rege Siciliae, ad requisitionem S. matris Coletae, cui fundum concessit, Eugenio IV. Summo Pontifice, pontificatus sui anno i. At ni fallor, non potuit fundari domus praefato anno, et a Jacobo rege donari fundum anno mcdxxxi., qui fuit primus Eugenii IV., nam anno mcccvi. Petri cathedram Clemens V. moderabatur. Adde, S. Coletam defunctam anno mcdxlvii.

Gonzaga in prov. S. Ludovici monasterium 3.

XXXVIII. Sub hoc tempus monasterium S. Barbarae tertii Ordinis S. Francisci Lugduni Batavorum fundatum in aedibus propriis a Simone de Alkmada, seu de Vonde filio Joannis, et Catharinae de Walkenisse in paroecia S. Petri, subjectum capitulo Trajectensi, partim occupavit princeps Aurasius, partim abiit in domum armamentariam, cujus tabulata annonam asservant, ejectis monialibus. Monasterium tertii ordinis amplum, et dives S. Michaelis Archangeli inter Maredorpum, et Campum D. Virginis versum est in promptuarium, privatas aedes, et locum vacuum transeuntibus; monasterium Schaganum monialium S. Francisci post Maredorpum, in forum pecuarium; monasterium S. Mariae in Abcon ad Urbis moenia in platea Paradisi monialium S. Francisci, in domos civium; monasterium de Nazareth grisearum sororum S. Francisci, ad fossam posteriorem Hogelandiae, tenue, fundatum anno mcdlxxiv. die S. Willibrordo sacra, periit omnino. Monasterium Sylvae Ducis flammis absumptum concidit, fuga monialibus se eripientibus, quae postmodum reversae illud a fundamentis excitarunt. Ferunt circa tempus laudum vespertinarum auditas de coelo voces veluti Angelorum, qui absentium virginum vices supplerent.

Batavia Sacra l. 2. pag. 258.

XXXIX. Sorores S. Clarae de prima regula ejectae a monasterio Brilensi exularunt Coloniam, ubi favore Jacobi Middendorpii sacrae theologiae doctoris, et ad S. Andream decani, impetrarunt a senatu facultatem manendi intra urbem, primumque locum tenuerunt in platea Frisonum, secundum in platea SS. Machabaeorum, ibique venerabilis mater Maria Henrici tam suas, quam alias ejusdem ordinis virgines Amstelodamo, Harlemio, Mechlinia, Delphis, Gouda, Alemaria, aliisque ex locis profugas collegit, claustralem vitam intra angustias domus saecularis bene, et viriliter auspicata est. Anno denique mdxcix. nobilis et devota virgo Margarita Heldin domum ipsis insignem donavit in platea Fielzengraben ea conditione, ut monasterium construerent, quod intra duennium perfecerunt.

XL. Chiappinus, parentibus Nicolao Vitellio, et Gentilina Staffa Perusina, post varia egregia facinora exantlata tum in Italia, tum in Belgio, ubi a duce Albano constitutus fuerat castrorum praefectus, hoc anno Scaldiae occubuit; primo in Antuerpiensem civitatem, postea Tiphernum delatus, effusis honoribus, tumulo contegitur in sacello gentilitio franciscanae ecclesiae minorum conventualium.

Flaminius Strada de bello Belgico t. 1. pag. 562.

Digitized by Google

XLI. Ludovico de Requesens majori Castellae commendatario, et hispani exercitus praefecto, Bruxellis defuncto die v. Martii, aetate L. annorum, successit Joannes Austriacus, sub quo per Gallias clam in Belgium appulso, iisdem belli motibus vigentibus, ex diversis Bataviae, et Geldriae coenobiis ejecti fratres minores quaesiverunt asylum in civitate Coloniae apud amicos saeculares; quum interea in alias provinciae Coloniensis domos reciperentur ii, qui Embrica, Neomago, et Zutphania frequentissime adveniebant. Eos inter, qui fuga sibi consulebant, egerunt Geusii in patibulum ob fidei orthodoxae confessionem prope Antuerpiam, Nicolaum Delphium Belgam dire prius excruciatum, et prope Trajectum ad Mosam die XXVII. Decembris interfecerunt Adrianum Beverlo verbi Dei concionatorem, et confessarium monialium Montis Lucis. Qua ex crudelitate magis semper liquet, Geusios, praetextu sua jura vindicandi, religioni bellum inexpiabile indixisse; quid enim pauperibus franciscanis cum virorum principum contentionibus, aut rerum summae pondus addit, ut innocentissimi fratres gladio cadant? At hostes id unum moliebantur, ut effraenem illam libertatem acquirerent, quae eos florentesque Belgii, et Hollandiae provincias, dextera Domini scelerum ultrice, in lacrymabiles miserias, et extremas ruinas conjecit, exemplum nationibus, quae Numinis timore posthabito, in affectum cordis transire non verentur.

Nicolaus Delphius.

Adrianus Beverlo.

Arnoldus de Raisse in Auctario SS. Belgii in fine.

XLII. Nobilis Virgo Interamnensis tertii ordinis Bonaventura Cittadini instituit hoc anno in patria sua congregationem mulierum illustris generis, ex consilio Caroli cardinalis Borromaei, quem frater ejus germanus pluries domi suae excepit hospitio. De ipsa fusius ad annum MDCXVI., quo decessit, bonum nomen apud omnes, et praeclaram post se relinquens sanctitatis opinionem virtutibus optimis, quibus enituit.

XLIII. Petrum Antonium Camillum de Nuceria magistrum generalem conventualium hoc anno confirmatum in officio Assisii in coenobio S. Francisci scribit Leonardus a Neapoli; in quo errat sane, quum nihil necesse fuerit eum confirmare, expleto tantum biennio. Errat quoque Dominicus de Gubernatis recensens circa hunc annum ordinis protectorem constitutum Julium cardinalem de Ruvere, quem scimus, multo antea id muneris exsequendum suscepisse. Dubitanter tamen loquitur, eo quod praecisum annum non repererit. Ad historici partes interesse putamus, non solum facta recensere, verum etiam, quantum in nobis est, aliorum menda corrigere.

Leonardus tom. 2. part. 4. cap. 18. pag. 537.

De Gubernatis t. 1. lib. 3. p. 584. Ann. min. ad an. 1573. num. 85.

XLIV. Franciscanis se addixit in conventu S. Mariae de Jesu Platiae XX. annos natus Antonius de Nicosia laicus magnae sanctitatis, de quo ad annum MDCXXII. Emisit professionem annos natus XVIII. in conventu Liriae, custodiae S. Joannis Baptistae; die XII. Novembris Lucas Salas ab oppido Lazor in insula Majoricae, filius Francisci Salas, et Catharinae Garcia, cujus acta inferius prosequemur; fuit enim vir perfectus, et apostolus in Philippinis.

Tognoletti lib. 6. cap. 78. pag. 188.

Antonius Panes l. 3. c. 38. p. 543.

XLV. Franciscus Panigarola in frequentissima Parisiorum accademia ad quam anno MDLXXII., Pio V. hortante, adierat, tam mire illuxit in studiis linguarum hebraicae et graecae, in assequendis sacrarum Litterarum germanis sensibus, in evolvendis conciliorum generalium ac SS. ecclesiae Patrum doctrinis, in seligendis christianae eloquentiae puris

Argelati in Biblioth. Mediolan. tom. 2. col. 1030.

Digitized by Google

ornamentis, ut penitus theologus, excultus philosophus, dissertusque concionator opinione celerius evaserit, dignusque propterea habitus doctoris laurea in utraque facultate donari. Reginae Catharinae Mediceae, episcopis, optimatibus summe charus fuit. Tanto rationum pondere Calvinistarum errores insectatus est, ut plures ex ipsis summo genere natis ad catholicae ecclesiae sinum perduxerit. In Antuerpiensi primum, deinde in Lugdunensi civitate Italis diverso quadragesimali tempore italico idiomate e rostris dixit. Expletis ibidem non duobus, ut opinatur cl. Tiraboschi, sed quinque annis, majorum suorum ad italas regiones remeare jussus, Romam accessit, ubi apud celebre S. Laurentii in Damaso templum, aetatis suae XXVIII. quadragesimales conciones, omnium plausu, habuit hoc anno, sicut ipsemet in epistola data Bononiae anno MDLXXVII. die XIV. Januarii testatur. *Ughellus Italia Sacra tom. IV. col. 401. Venet. 1719.* *Tiraboschi Storia della Letteratura Italiana tom. 7. p. 426.*

XLVI. Joannes Riocha Britannus provinciae Britanniae minister scripsit *compendium temporum, et historiarum ab Ascensione Domini in coelum usque ad MDLXXVI.* Prodiit Parisiis hoc anno. Joannes Salon Hispanus Valentinus regularis observantiae, hebraicae linguae peritus, vulgavit Florentiae, et Romae opus *de emendatione Romani calendarii, et de paschalis solemnitatis ad propriam diem reductione*, summa sapientia restituta anno MDLXXXII. a Gregorio XIII. Cristophorus a Capitefontium Britannus ordinis minorum minister generalis edidit *assertionem catholicam de libero arbitrio et meritis bonorum operum ad Gregorium XIII.*, quae incipit *Redditae sunt mihi tuae litterae; et librum defensionis fidei majorum nostrorum, qua haereticorum saeculi nostri stratagemata deteguntur.* Romae MDLXXVI., Venetiis MDLXXXI. Lovanii in Belgicum idioma transtulit Martinus Myricanus ejusdem instituti. Ferdinandus Vintkius Germanus regularis observantiae typis mandavit Francofurti in fol. *enarrationes ecclesiasticas*, sive resolutiones diversarum controversiarum ecclesiastici status. Franciscus Fevardensius Gallus, vocatus a Maturino Quadrato in epistola ad archiepiscopum Ebredunensem *totius antiquitatis et eloquentiae quasi thesaurum*; et Petrus Courcier in *negotio saeculorum maria* eumdem appellat *inter doctos doctissimum.* Edidit et illustravit opera *S. Irenaei martyris cum eruditissimis scholiis* Parisiis, et anno MDXCV. Coloniae Agrippinae; *Idelphonsi Toletani Archiepiscopi ad codices multos MSS.* collata et emaculata, maxime vero librum de Virginitate illibata Mariae emendavit et auxit. Nicolaus Ramos Hispanus regularis observantiae provinciae Conceptionis scripsit *assertionem veteris vulgatae aeditionis juxta decretum Concilii Tridentini.* At prima pars prodiit Salmanticae hoc anno; altera pars Pinciae anno MDLXXVII. *Wadd. de Script. lit. J.* *Biblioth. Valentina pag. 281.* *Ex indice Biblioth. Barberinae. Sbaralea in Suplem. lit. C.* *Wadd. de Script. lit. F.* *Sbaralea ibidem lit. F.* *Wadd. et Sbaralea de Script. lit. N.*

XLVII. Indulgente Pontifice, collatum fuit Francisco Sporeno Utinensi beneficium erectum in ecclesia nuncupata *Praepositura* oppidi Hanshonen. in Alsatia Constantiensis dioecesis provinciae Maguntiae, ad quod praesentatus fuerat Pontifici a Ferdinando Archiduce Austriae, sub eodem die datis litteris ad episcopos Constantien. *Dignum arbitramur*, et Basileen. *Hodie* nonis Maii. Hoc eodem anno *die III. Julii* praeficitur in Episcopum *Sebasten. in Palestina* retentis redditibus *Praepositurae.* Capodagli in sua Utinensi illustrata scribit, Sporenum a Ferdinando Archiduce austriae ablegatum ad Sixtum V., ab ipso assumptum *Capodagli Utinen. illustrata part. 1.*

Digitized by Google

fuisse ad hunc episcopatum. Verum ex actibus consistorialibus in regestu producendis constabit oppositum.

Rodulphus p. 235. *Rodulphus ibid.*

XLVIII. Renuntiatur pro rex Aragoniae Bernardus de Fresneda archiepiscopus Caesaraugustanus. Eligitur in episcopum *Mayonen.* (Rodulphus mendose habet Majoricen.) *die IV. Julii in Hibernia Patritius Helius*, vel Hely, vel Ocheli, eo missus propagandae religionis caussa. In episcopum ecclesiae *Laonen. in Hibernia die VI. Augusti Cornelius Vianus*, vel Bianus ob translationem. Malachiae episcopi ad episcopatum Ducen. Haec ex laudatis consistorialibus tabulis. Alii duo ex observantium familia recensentur. In episcopum ecclesiae Ardachanen. qui unitus est Dromerensi sub archiepiscopo Armacano die XXIII. Januarii Richardus Macbrada. In episcopum ecclesiae Groeningae in Germania inferiori Joannes Knyphius memoratus in catalogo Augustini de Witte Bruxellensis.

Hieronymus a S. Augustino. *Boverius p. 796.*

Barthol. Rubeus in vita S. Caroli col. 181. in not. 3. et col. 194. not. 4.

XLIX. Sequuntur mortes illustrium virorum. Pestilentia mediolanensem urbem depopulante, aliquot inter multos ex familia seraphica sedulo aegrotis ministrantes interiere. Tres ex observantibus intercepit morbi crudelitas; unum ex conventualibus p. Hieronymum a S. Augustino, qui lue contracta in emendicando ostiatim aere pro aegrotis, in S. Caroli aedibus, licet medicorum accedente auxilio, animam exhalavit; decem ex capucinis. Attamen S. Carolus Borromaeus idibus Novembris ad Specianum scribens, ait: *Ex sacerdotibus meis aeque ac religiosorum ordinum multo minorem numerum interiisse, quem ex iis, quos domi velut in tuto delitescentes, ipsa opinio securitatis oppressit.*

Hieronymus Linus. *Monum. prov.* Ambrosius de Civitella. *Monum. prov.* Philippus Antinorius. *Monum. Custodiae Terrae Sanctae.*

L. Hieronymus Linus praestans theologus, et ecclesiasticus in ipso opere evangelico, dum Veronae ad populum verba faceret, spiritum Deo reddidit, conditus in coenobio sui ordinis minorum conventualium; in provincia S. Angeli observantium Ambrosius de Civitella vir innocens et sanctus; in conventu Hierosolymitano S. Sepulchri Philippus Antinorius patritius florentinus sacerdos, morum elegantia, regularis vitae zelo, et virtutum studio illustris.

Bartholomaeus de Carticeto. Franciscus de Nursia. *Calcagni p. 53.* Bonaventura Melitensis. Ioann. Mahusius. *Rodulphus lib. 3. pag. 327.* *Ann. min. ad an. 1572. num. 74.* Franciscus de Villalobos. Petrus Gutierrez. *De Guadalupe l. 10. c. 2. p. 478.*

LI. Defunctum in conventu S. Mariae novae Fani Bartholomaeum de Carticeto provinciae Marchiae jam ministrum recenset p. Cletus Calcagni; qua quidem in re vera dicit. At fallitur in hunc annum referens obitum Francisci de Nursia viri optimi, qui ibidem ministri munus exercuerat; aut saltem in eo non cohaeret, quod ipsum ministrum renuntiatum scribat Asculi an. MDLXXXVIII. quem scribere debuisset anno MDLII. In alium errorem incidit vel Hueberus, qui hoc anno ad diem VII. Julii signat mortem Bonaventurae Melitensis, vel Arturus, qui eum sepultum scribit anno MDXL. die XXVII. Octobris in conventu S. Annae Julianae, vel uterque, quum fieri possit, ut ambo fallantur. Minus etiam vere Rodulphus loquitur hoc anno de morte Joannis Mahusii episcopi Daventriensis, ut ex antea dictis, et dicendis patebit, nec audienda sunt monumenta provinciae Angelorum de morte Francisci de Villalobos, et Petri Guttierrez apud suos; eos namque Andreas de Guadalupe obiisse testatur Plumbini ad mare Tyrrhenum Romam pergentes anno MDLXXI. ad capitulum generale, illum ministri, alterum custodis munere, conditosque in ecclesia minorum conventualium.

Digitized by Google

LII. Incidit in hunc annum in conventu Villaenovae de Serena, provinciae S. Joseph, obitus Gasparis de S. Joseph sacerdotis Beotiani, quem et ipsi memorant Bollandistae. Aetate annorum xviii. seraphicam regulam professus, alios totidem sanctissime vixit, plurimosque fratres in summa pietate, et monasticis ritibus educavit. Mulierem ab oculorum gravedine, recitato S. Marci evangelio, quod in festo Ascensionis dicitur, et manibus super ejus caput impositis, sanam dimisit; quo portento excitata infirmorum multitudo ad illum confluxit sospitatem receptura. At is metuens, ne aliquid popularis aurae in se redundaret, advenientes declinavit, nulloque pacto impetrari potuit, ut eis imponeret manus.

Gaspar de S. Ioseph. Acta SS. Tom. I. Iunii pag. 158.

LIII. Unus tironum, quos Gaspar instruxerat, Joannes a Solitudine laicus magistro suo proximus fuit aut hoc anno, juxta Gonzagam, aut insequenti juxta Joannem a S. Maria. Nihil ardentius optavit unquam, quam stultus haberi pro Christo. Hinc viliores tunicas, magisque pannosas induebat, nudis incedebat plantis toto anni tempore, cute partim diffracta, partim obdurata, et callosa. Adfuit infirmis ut mater; ab eorum lectulis numquam ferme discedens, et languentibus exhibens cuncta plane charitatis obsequia. Eucharistici Sacramenti cultor orabat ante aram brachiis in modum crucis expansis, mirabiles inter ecstases longo spatio immobilis, aut sursum raptus, et splendoribus circumfusus. Cilicium ad carnes cingebat asperum, et licet austeritatibus attritus maximis, palam nihilominus se peccatorem, et omnium mortalium miserrimum praedicabat. Communis hostis insidias pertulit, et aggressiones tum sub noctis tenebras sibi apparentis, tum sub diem, nullo emolumento; numquam enim non victus hostis abscessit.

Ioannes de Solitudine. Gonzaga in prov. S. Ioseph conv. 18. Ioannes a S. Maria Chron. lib. 2. cap. 21.

LIV. Eos inter, quos in oceano sepulchrum nactos diximus in Mexicum proficiscentes, recensuimus Hieronymum Mallorquin, nobilibus parentibus in insula Majoricensi natum. Valedictis opibus, et honore equitum ordinis S. Joannis abdicato, aetate grandaeva inter laicos franciscanos cooptari voluit. Tanta humilitate eo in statu refulsit, ut viliora quaeque munia obire solemne habuerit. Nudis semper incessit pedibus, numquam coram sacerdotibus insedit, ferreoque flagello, praeviis solemnioribus diebus, ad sanguinis usque effusionem coram fratribus in mensa discumbentibus, suum corpus tundebat. Infidelium conversionem sitiens, iter ad insulas Philippinas una cum aliis aggressus est; at ob impensa infirmis charitatis opera, pestilentia affectus, die iii. Augusti mortem justorum oppetiit.

Hieronimus Mallorquin. Ioan. Franciscus de S. Antonio t. 1. pag. 511.

LV. Petrus etiam de Xerez de Badajox similia tulit in navigio. Parentum honoratorum filius, antequam seraphicam militiam iniret, vitam duxerat eremiticam in habitu franciscano sylvarum, et montium accola. Ad pietatem propensus ab incunabulis, paupertatis et humilitatis exemplar se exhibuit, incessu, vultu, et sermone modestissimus, comes praeterea, et urbanus cum omnibus, quibuscum agebat. In meditatione vulnerum Christi, aliorumque mysteriorum haerebat dies, noctesque. Romam venit ad capitulum generale cum Alphonso Lupo, ubi apud purpuratos patres, summumque pontificem Pium V. valuit gratia, et opinione sanctitatis. Moderator provinciae S. Joseph vigilavit, ne fratres sibi commissi a regulari observantia deflecterent, justitiam et mansuetudinem simul connectens, si in viam foret aliquis reducendus; in se vero

Petrus de Xerez. Ann. min. ad an. 1571. num. 7.

rigorem omnem exercuit, revinctus cilicio usque ad genua, sine calceis incedens, nutritus pane et caepis, excepto adventus, et quadragesimae tempore, quo panem tantum, et aquam sumebat, cubans in mappa, vel assere, et matntinas horas noctu persolvens una cum fratribus, deinde solus, caeterasque laudes flexis genibus, pariterqne officia defunctorum et B. Mariae Virginis cum precibus et suffragiis, quae in choro recitari solent. In montibus Pirenaeis, esca deficiente, angelos ad eum cibos detulisse ajunt. Quum Roma reverteretur, sociis praemissis, ut Deo liberius vacaret, solus remansit in via, a qua oratione distractus aberrans, aliam ingressus est, quae in arduas nimis ducebat rupes. Quod ubi advertit, ope divina implorata, e vestigio juvenem vidit revinctum stola candida, qui ipsum familiariter alloquutus, viae ducem se obtulit, et postquam in rectum tramitem deduxisset, extemplo disparuit. Ille autem breve post temporis intervallum socios, qui praeiverant, subsequentes respexit.

LVI. Alias hyberno tempore profectus a pago Ligni Pennarandam versus, subsedit sole jam occidente in oppido Canipetra, seu *Canta la Piedra*, hospitio exceptus a piis quibusdam viris, atque refocillatus, ductus est in cubiculum una cum socio, qui secum erat, ubi, lecto mollissime et delicate substrato, posthabito, alter super arcam, alter super stoream recubuit tota nocte. Precibus vero matutinis suo tempore persolutis, sub horam aurorae discessit, salute hospitibus dicta, qui mox cubiculum ingressi lectum invenerunt rosis pulcherrimis sparsum, quas etiam plures alii inspexerunt, Deum collaudantes mirabilem in sanctis suis. Devota qnaedam foemina graviter infirma, post aquae cichorii potum sibi a Dei famulo praestitum, protinus convaluit. Quod praeterea contigit mulieri alteri pericnlose aegrotanti, postquam bnglossae cibum sumpsisset ab illo conditum. Antequam navim conscenderet in Philippinas iturus, administrabat domnm Dominae nostrae de Gratia, seu Conceptionis Pennarandae de Braccamonte, dioecesis Salmaticensis, ad differentiam alterius oppidi ejusdem nominis prope Durium amnem. Joannes a S. Maria intra mare Hispanicum ad aquilonem defunctum anno insequenti scribit. Obiit post diem III. Augusti.

Ioannes a S. Maria ibid. cap. 21.

LVII. Finem eumdem habuit in navigio iisdem diebus Antonius de Barriales, Petri de Xerez socius, et amicus, in orientem iter aggressus a conventu S. Francisci de Alaesos dioecesis Vallisoletanae, in Methymnensi abbatia, in quo erat guardianus, spe conversionis infidelium. Eximia refertus charitate singulis, qui ad se accedebant, confessionis occasione, admiranda dabat salutis monita. In oratione fiebat a sensibus alienus, nec rebus circumstantibus movebatur, nec praetereuntium adspectu, et strepitu, quam ipsi data opera excitabant. Si quem audiret otiose loquentem, dicebat *melius esset, fili, ut mortis, et judicii recordarere.* Funeri proximus messem evangelicam, quae sibi eripiebatur, aliis enixe commendavit, et in dulcissimis Jesu, et Mariae nominibus placide obdormivit.

Antonius de Barriales.

Idem, et Arturus ad diem 7. Maii.

LVIII. Decessit Aurelius Grianus ab Urceis Novis ex observantium familia episcopus Litterensis, qui Michaeli Ghislerio, quo cum Bergomi amicitiam et familiaritatem contraxerat, doctrinae et morum similitudine, adfuit opibus, auxilio, et equitatu, quum, post quaestionem institutam

Aurelius Grianus. *Ann. min. ad an. 1566. num. 2.*

primo in Georgium Medullacum jurisperitum de haeresi suspectum, deinde in Victorem Superantium episcopum Bergomensem calumniose ab invidis traductum Bergomo excedere coactus foret, ne in insidias caderet hominum potentium, relictis apud Aurelium quaestionis actis. Guardianus coenobii S. Francisci de Urceisnovis templum nobilius constructum solemniter dedicari curavit. Profectus in Palaestinam custodem egit Montis Sion duobus annis, suffectus in locum Antonii de Bergomo, et anno MDLXII. conciones habuit quadragesimales in civitate Hicropolis. Dominica infra octavam Corporis Christi in conventu S. Salvatoris coram frequenti numero catholicorum, turcarum etiam et schismaticorum, recepit in gremium ecclesiae orthodoxae presbyterum quemdam, et duos nobiles viros Nestorianam haeresim detestatos. In Italiam redux administravit provinciam Brixiae; in capitulo Vallisoletano renuntiatus est diffinitor generalis, et in capitulo Aesii anno MDLXX. minister provinciae Marchiae, quam rexit paucos menses vocatus eodem anno ad cathedram episcopalem. Qua in re errat auctor chronicae Brixiensis, promotionem Aurelii referens in annum posteriorem, supponens, ipsum interfuisse capitulo generali Romae celebrato, quod aperte est falsum. Insignia ejus fuere duas cruces, una magna in parte superiori stemmatis, parva infra. Successorem habuit Joannem Bernardinum Grandopolum de Corigliano eodem anno die XIX. Septembris.

Ann. min. ad an. 1570. num. 53.

Ughellus tom. 7. pag. 276.

Petrus de Torremocha. Petrus Xarava.

LIX. Obierunt in provincia Carthaginensi Petrus de Torremocha, et Petrus Xarava. Ille conditus est die cinerum in coenobio S. Francisci Molinae de Aragona, dioecesis Saguntinae in sacello S. Antonii de Padua, postquam centesimo aetatis anno, in laetitiae signum missam solemniter decantasset, maxima ad spectaculum confluente oppidanorum multitudine. Claruit humilitate, charitate, et oratione, comis etiam et affabilis, etsi in moestitiam, et taciturnitatem natura propensior. Vitam ejus scripsit Huelamus in Hierarchia provinciae Carthaginensis, verbis magis, et eruditione, quam rebus, factisque copiosus.

Huelamus part. 1. cap. 7. §. 102.

LX. Alter Conchae natus familia perillustri, et magno spiritus fervore regulam franciscanam professus in coenobio S. Francisci patriae suae, absolutis artium, et sacrarum litterarum studiis, abivit Complutum cooptatus inter socios collegii SS. Petri et Pauli. Obsequutus ibi cathedraticis viris universitatis Complutensis scripsit librum contra errores Erasmi Roterodami, cujus opera seditionis, et rerum novarum plena per Hispaniam tum primum vulgata, inexpertos facile in errorem inducebant. Noluit tamen, ut suo nomine praelo committeretur. Reversus in provinciam suam apposuit notas ad marginem quamplurium codicum, et voluminum in bibliothecis coenobiorum. Qualificatorem agens S. Officii Conchae composuit *summam theologicam, opus contra Judaeos, et de modo quo Christus proficiebat.* Asservantur MSS. in bibliotheca conventus Conchensis. Excelluit linguarum peritia Latinae, Italicae, Gallicae et orientalium Graecae, Hebraicae, Syriacae, et Chaldaicae; eloquentia insuper, ut conciones ejus in celebrioribus Hispaniae urbibus plausu et admiratione exceptae comprobarunt. Semper aliquid vel scribebat ipse, vel dictabat aliis, incredibili praeditus ingenio, et eruditionis copia. Designatus theologus concilii Tridentini cum Antonio de Corduba, Guadalfajaram ivit in dioecesim Toletanam, ubi in coenobio S. Francisci

Ioan. Paulus Martir yco Historia Urbis Conchensis p. 308.

Digitized by Google

Antonius morabatur, desiderio ardens catholicas veritates tuendi inter patres. Sed iter Tridentum retardavit socio suo superveniens infirmitas, et spem omnem denique abstulit.

LXI. Moderatus est minister provinciam suam, et visitator provincias Castellae, Baeticae, et Majoricae, ubi oblatum sibi a patribus ministri munus recusavit. In Italiam venit, ut tumultus aliquot compesceret inter fratres provinciae Carthaginensis, nonnullisque ipse molestiis obnoxius constanti animo dicebat: *vidua est virtus, quam non firmat patientia*. Par in eo effulsit ingenio, et doctrinae pietas; nunquam enim ab observantia discessit regulari, paupertatis amantissimus, ac in humilitate, et poenitentia versatus. Stranguriae morbo correptus, post multos, vehementesque cruciatus, suscepit sacramenta devotissime morti se praeparans. Die postero dixit illi guardianus S. Francisci Conchae: *Pater, vultne paternitas vestra, ut mittam ad te confessarium?* cui infirmus: *conscientia mea me non accusat de aliquo, ob misericordiam Dei. Per annum quolibet die bis me expiavi sacramento poenitentiae. Opus meum consummavi. Faciat Deus opus suum, et recipiat animam meam.* Optavit subinde, ut sibi legerentur quidam textus SS. Cypriani, et Basilii, quibus maxime fuerat devotus. Jacuit in tumulo fratrum, ad funus assistentibus nobilibus passim, et plebeis. Didacus de Arze episcopus Lobetensis, seu Arbarracinensis in Aragonia franciscanus audita ejus morte dixit: *hodie franciscana religio perdidit firmam columnam, qua nitebatur.* Melchior de Quelamo theologus, qui edidit in lucem vitam S. Genesii de la Xara, et opuscula valde erudita de *Salve regina, et mysteriis missae*, fassus est, *tale ingenium, talemque poenitentem vitam, litteras et sanctitatem reperiri solum potuisse in uno Petro Xarava.*

LXII. P. magister Joseph Bonasi Netinensis conventualis his verbis laudatur a Pirro « *fuit* omnium Siculorum ornamentum, (Benoffi minorita conventualis legit *saeculorum*) qui Assisii coenobium, custodiam Neapolitanam ac provinciam Siculam sanctissime gubernavit MDLXIV. Episcopatum in Campania a S. Pio V. ipsi oblatum, invicta humilitate recusavit. Fuit concionator eximius ac fervens. Obiit Neti anno MDLXXVI. non vero anno MDLXVIII. ut habet laudatus Benoffi. Sepultus sub lapide marmoreo, ubi sculpta est ejus effigies. »

Compendio di Storia Minoritica p. 270. Pisauri 1829.

LXIII. Minorum capucinorum familiam illustravit plurium beata mors. Morbus, qui ubique lethalis vigebat, absumpsit in conventu Paduae Damianum Bergomensem sacerdotem, Joannem Gallum, et Antonium de Bononia laicos. Hic xv. post diebus apparuit Angelo Tentonico Bononiae degenti, eique renuntiavit, se ad patriam pergere absolutum tandem poena eundi quotidie Patavio Veronam nudis pedibus super accensas prunas, ob facetias, quibus vivens delectabatur. Portentum, non velut indubium, sed unice ad historiae integritatem posuimus.

Damianus a Bergamo.
Joannes Gallus.
Antonius a Bononia.
Boverius tom. I. ad hunc annum pag. 813.

LXIV. In conventu S. Genesii dioecesis Camerinensis vitam explevit Marinus a S. Victoria, olim franciscanus conventualis. Praefuit provinciae Marchiae, et Joanni Baptistae Anconitano sacerdoti membris attracto sanitatem restituit signo crucis. In conventu Mottae de Philocastro Petrus de Seminaria, olim novitius minorum observantium, sacerdos, novitiorum magister, et diffinitor in provincia Siciliae. Languentes

Marinus a S. Victoria.
De Arembergh t. 1. pag. 114.

Petrus a Seminaria.
Idem pag. 20.

Digitized by Google

ferme omnes dimisit sanos signo crucis. Praevisa transitus sui hora, Mottam accedens recondi voluit juxta Ludovicum a Rhegio, quem ducem sequutus erat ad capucinos. In conventu Buelae in Insubria Silvester ab Utino, cujus corpus incorruptum repertum est octo post annos. In provincia Hydruntina Petrus a Messapia sacerdos, cujus tumulum, cubiculum, et ecclesiam octo dierum spatio suavi odore fragrasse perhibent. In conventu Senarum Angelus Ferrariensis sacerdos, et magister novitiorum, gratia curationum excellens. Signo crucis Joannem Baptistam a Jensano eripuit a daemonis tentationibus. Apud montem Politianum oratione sua medelam attulit Cynthiae Cervinae infirmae, et Fabiano puero qui lapsu caput fregerat vulnere immedicabili. Praedixit conversionem trium adolescentum vitae paullo liberioris, qui subinde capucinis nomen dederunt.

Silvester ab Utino. *Idem pag.* 238.
Petrus a Messapia. *Boverius tom.* 1. *pag.* 806
Angelus Ferrariensis. *Idem ibidem.*

LXV. In conventu Fani Hieronymus de Pedona prius inter observantes sancte educatus. Huic tironum magistro illud singulare accidit, ut tres mulieres exciperet in ordine, quarum primam memoravit Michelesins. Alias fuisse scribit Boverius duas moniales professas in quodam monasterio Fanestri, quae sane non religionis spiritu motae, sed capitis vertigine agitatae virilibus indumentis simularunt se pueros aulae caesareae, et a Germania in Italiam advenisse, ut a saeculi periculis asylum quaererent inter capucinos. Receptae ad probationem, et commissae Hieronymo perstiterunt in conventu de Crocichio prope Urbinum, donec illarum alteram missae inservientem, adstans matrona agnovit tum ex voce, tum ex forma, et motibus muliebribus, admonitusque Hieronymus utriusque dolum detexit, animadvertens, unam de seipsa loqui genere foeminino. Quae quidem si vera sunt, ut etiam Petrus Maria Amiani in memoriis historicis civitatis Fani asserere non dubitat, perspicuum est, moniales istas mirifice fatuas fuisse, et catenis constringendas. Pertransiit vir Dei sicco pede rapidos torrentes, ambulavit mediis in imbribus non madefactus; synanchicum hominem, Dominicum nomine, signo crucis super eum facto, incolumem reddidit. In civitate Aesii liberos a Deo impetravit nobili familiae de Salvinis, Corneliae uxori Joannis Tarquinii melius se habenti in infirmitate mortem praenuntiavit. Cognovit etiam secreta cordium. Ejus corpus duobus mensibus a funere integrum perseveravit, ac veluti nudiustertius humi demandatum.

Hieronymus de Pedona. *De Arembergh p.* 175. *Ann. min. ad an.* 1565. *num.* 39.
Amiani part. 2. *p.* 215.

LXVI. In provincia Siciliae Blasius ab Hali sacerdos occubuit genibus flexis, atque ita octo horas permansit, accurrentibus civibus miracula, quae fiebant, inspecturis. Sebastianus Engiensis sacerdos spirituum malignorum victor, et in morte recreatus adspectu Deiparae, quae micantem inter lucem illum ad gloriam invitabat. In conventu Messanae Valerianus a Castrobono sacerdos lethifero peremptus contagio, dum assisteret ad nosocomia. In conventu Nasi Felix Messanensis clericus patritiae gentis de Mourollis. Carolo de Vigintimillis comiti de Naso praedixit subditorum rebellionem, quibus austerum, durumque se praebebat. Suavis odor effluxit ab ejus sepulchro, et defuncti tutela Polidorus medicus a quartana convaluit, prout Felix illi promiserat. In oppido Engiensi Aegidius a Mola, Julianus de Amestrata, et Paulus de Nicosia laici infirmorum peste laborantium curam agentes. Primus aetate et viribus validus brevi se interiturum dixit, idemque mox complevit sepulchrum, quod

Blasius ab Hali. *De Arembergh p.* 299.
Sebastianus Engiensis. *Idem pag.* 21.
Valerianus a Castrobono. *Idem pag.* 198.
Felix Messanensis. *Idem pag.* 331.
Aegidius a Mola. Julianus de Amestrata. Paulus de Nicosia. *Boverius p.* 810.

Digitized by Google

sibi effodi jusserat ad latus ecclesiae S. Petri martyris extra oppidum, ubi anno MDCXXV. miracula narrantur patrata. Alter in oratione positus in ecclesia S. Spiritus elevatus est sursum in ecstasim coram magna oppidanorum multitudine.

Thomas de Tipherno. De Arembergh p. 29.

LXVII. In conventu civitatis Plebis Thomas de Tipherno ex genere Vitelliorum. Adolescens adhuc saecularis peregrinatus est in Palaestinam. Lego, eum fuisse guardianum conventus Perusiae, flammamque improvisam illic collustrasse coenaculi formam, quum moderatoris provinciae munus acceptare detrectaret. Quod si, ut credere par est, contigit antequam summam ordinis praefecturam gereret anno MDLVII., vel insequenti juxta Rodulphum, nequit esse verum; inspecto enim catalogo Michaelis a Tugio, Perusina domus posita est anno MDLXXIII. Multa viri Boverius portenta narrat, cui etiam daemonem ducem facit viae, ne in manus haereticorum incideret Pedemontanam provinciam perlustrans officii jure. Capite corruscantem eminus illum vidit fr. Patritius, cui phoenomeni causam sciscitanti retulit Thomas, se tunc Deiparae pulchritudinem fuisse contemplatum. In Piceno multiplicavit vinum in dolio Thaddaei, a quo potum postulaverat. Baculo ejus in modum crucis signata filia Petri Pauli, et Catharinae conjugum de Tipherno, sana surrexit lecto, in quo febrili morbo decumbebat, dieque postero Assisium ivit ad festum S. Mariae Angelorum II. Augusti.

Joanna a Cruce. Isabella de Angelis. Monum. prov.

Isabella Ruiz. Ibidem.

Isabella a Conceptione. Ibidem.

LXVIII. Non defuerunt ordini circa haec tempora virginum palmae. Coelestem sponsum quem concupiverunt, et tenuerunt ad S. Clarae de Montilia provinciae Granatensis, Joanna a Cruce poenitentiarum rigore attrita, et Isabella de Angelis filia Ferdinandi de Cardona marchionis del Priego, et Elvirae Enriquez de Luna, virgo perfecti spiritus, et mirabilis innocentiae. Ad Joannis Baptistae de Caçorla Isabella Ruiz, quae Christi Jesu dolores quotidie meditata, hostem insultantem sustinuit, et gloriose superavit. Ad SS. Conceptionis de Almeria Isabella a Conceptione, cui morienti Redemptor adstitit ad columnam alligatus, praeter singulares visiones, et revelationes, quas antea divinitus exceperat.

Francisca de Belen. Monum. prov. Beatrix ab Aragonia. Monum. prov. Theresia de Gusman. Monum. prov.

Joanna a S. Nicolao Monum. prov.

LXIX. In Monasterio S. Isabella, Regiae Toleti provinciae Castellae, Francisca de Belen jam abbatissa, reperta saepe inter ecstases a sororibus suis. Beatrix ab Aragonia summo loco nata, raptibus insignis, quibus non raro visa est sursum efferri ante Crucifixum, oculos et genas perfusa fletu. Theresia de Gusman, quae rigente hyeme, familiaribus suis Mariae de Lacuna, Annae de Ayala, Luciae de Aquilar, Mariae de Columna, et Mariae Baptistae dixit: *venite, meditemur Jesum patientem.* Quod dum peragerent, repente spiritu concitae flagellis aspere adeo se caeciderunt, ut a vulneribus cruor efflueret. In monasterio Conceptionis Villae Novae de Escalona Joanna a S. Nicolao magistrae novitiarum, et domus praefectae munere perfuncta. Puellae saeculari, quae regularem vitam aspernabatur dixit: *frustra repugnas; hic enim nobiscum et tu habitabis;* ut evenit. Signis quoque corruscavit.

Violanta de Corduba. Monum. prov.

LXX. Violanta de Corduba genere perillustris aetate annorum ultra XC. quievit in monasterio Veronicae Murciano, quod fundatum in propriis aedibus ab Elisabetha de Alarconio auxit, et capax reddidit sororibus excipiendis, quae anno MDLXVI. in illud transierunt a monasterio sanctae Birgittae tertii ordinis. Fragrantia demortuae cubiculum implevit.

Corrigendus est Arturus, qui scribit ab ipsa Violanta constructum fuisse hoc anno monasterinm Veronicae, et eodem ipso anno ibidem sancte obiisse. In monasterio S. Clarae Conchae Camporum dioecesis Palentinae, in provincia Conceptionis, Christi ancillas, quae inibi antea floruerunt, Joannam a Guevara primam Abbatissam, Catharinam a Guevara, et Mariam a Montalvo, sequnta est die xiii. Aprilis Catharina de Salazar, culparum etiam levissimarum hostis, acrius idcirco peccantes interdum objurgata, in jejuniis et orationibus enutrita. Ultimum emissura spiritnm, genibus erecta super stratum, daemoni exprobravit viles insidias, et turpem imbecillitatem. Obdormivit in osculo Crucifixi. *Arturus ad diem 18. Maii.* Catharina de Salazar. *Monum. prov.*

LXXI. In monasterio clarissarum de Lurcine S. Marcelli in suburbio Parisiorum Philippa II. de Angennes, dicta de Rambouillet, quae anno mdlxiv. electa abbatissa, sororibus sanctissime praefuit usque ad hunc annum, quo ei successit Genovefa de Bezançon. Vocabatur *mater antiqua*, sub qua moniales, ob frequentes haereticorum impetus, intra civitatem se receperunt. In monasterio S. Clarae Amarantii dioecesis Bracarensis, Antonia a S. Paulo secunda hujus nominis, quae licet viribus extenuata, stratum reliquit sacrum auditura, quum, ut dicebat, sponsum suum salutare cuperet, antequam domum ejus ingrederetur in coelum, paucisque post diebus decessit. Juxta eam tumulum sortita est soror Ursula, quae tres annos nata monasterium ingressa, innocentissime vixit, sancteque spiritum creatori reddidit in illis verbis: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* In monasterio S. Clarae Perpiniani Elisabeth Belluera de Gerunda paupertatis, orationis, et humilitatis cultrix. Extremam infirmitatem longam, et gravem invicta animi constantia pertulit. In monasterio S. Clarae de Santarem Leonora a Regibus, et Violanta a S. Bartholomaeo, in quarum funere Angelos cecinisse a coelo adstantes, vocemque cum sororibus miscuisse, ac velum nigrum, quo Leonorae facies obtecta fuerat, in candidum repente mutatum refert Emmanuel a Spe in historia provinciae Portugalliae. Philippa de Angennes. *Monum. prov.* Antonia a S. Paulo. *Monum. prov.* Soror Ursula. *Monum. prov.* Elisabeth Belluera. *Monum. prov.* Leonora a Regibus. Violanta a S. Bartholomaeo. *A Spe part. 1. l. 5. c. 14. p. 545.*

LXXII. Deliberatum est hoc anno in provinciali comitio ad S. Francisci Beatiae, praeside Antonio Bellono provinciae S. Jacobi alumno, de partienda Baeticae provincia satis ampla. Sed res dilata in annum mdlxxxiii. Lithuanorum fratrum conditio eo jam devenerat, ut tum haereticorum furore, tum mortali grassante lue, coenobia cultoribus vacua remanerent, et ne nomen quidem provinciae brevi superesse videretur. In hoc rerum discrimine Antonius Tycociensis minister Lithuaniae, consultis regni proceribus, decrevit, unionem inire cum Polonis, et ex duabus provinciis sejunctis anno mdxxxii. sub Gothardo Polono, qui primus praefuit Lithuanis, unam efficere, ut viribus multiplicatis, publica cresceret securitas, et spes domorum possessionem facilius retinendi. Quapropter Romam misit Joannem Camenecensem praedicatorem conventus Vilnensis, Stanislaum de Vilna sacerdotes, et Joannem de Vitepsco laicum cum litteris suis, et commendatitiis Valeriani episcopi Vilnensis, canonicorum, virorumque nobilium ad summum Pontificem.

LXXIII. Negotio Romae confecto, nihil obstabat, quin unio fieret, quam tamen ante tres annos peragendam Sigismundi regis obitus, novaeque Polonorum vicissitudines in hoc tempus distulerunt, quo rex salutatus est Stephanus Bathorius egregius princeps de christianorum

republica, et ordine seraphico benemeritus. Unionem sanxerunt patres omnes, diffinitores, et custodes Cracoviensis, Posnaniensis, Varsaviensis, et Leopoliensis, Francisco de Sedziszou provinciam administrante usque ad annum sequentem, quo successorem habuit Nicolaum Roxolanum. Stetit provincia annos LIV. in quatuor postea divisa, nempe majoris, et minoris Poloniae, Lithuaniae, et Russiae.

CONVENTUS PROVINCIAE POLONIAE

Gonsaga in prov. Poloniae part. 2. pag. 463. et seq.

1. S. Bernardini Cracoviae metropolis Poloniae receptus a S. Joanne de Capistrano in vico Stradon, anno MCDLIII., aut posteriori juxta Gonzagam, ex liberalitate Sbignei cardinalis episcopi Cracoviensis, Joannis Olesnicii Sbignei fratris germani, D. Martenbelsii procuratoris, et sindici, aliorumque fidelium, Casimiro IV. rege fundationem approbante, diplomate edito anno MCDLIV. XV. calendas Augusti, feria II. ante festum S. Gregorii Papae. Quiescit B. Simon a Lipnicza medius inter Timotheum de Sylvano, et Bernardinum de Tarnowice viros sanctos, in sepulchro sectis marmoribus constructo.

2. S. Annae Varsaviae metropolis ducatus Masoviensis fundatus anno MCDLIV. ab Anna Masoviae ducissa in gratiam S. Joannis de Capistrano, qui Cracovia fabricae praefectum eo legavit Jacobum a Glovia. Quiescit B. Ladislaus de Gielnowo. Ecclesia anno MDCLVII. dum Sveci Varsaviensem arcem occuparent, accenso pulvere bellico abiit in cineres; splendidius postmodum aedificata publicis sumptibus, et Wielopolski palatini Cracoviensis.

Felix de Kosten, Fabianus Orzeskovuski.
Benedictus XIV. t. 6. pag. 25. in actis et decretis Beatif. et Canonis. Bassani 1766.

3. S. Francisci seu Immaculatae Virginis Posnaniae metropolis palatinatus ejus nominis, fundatus anno MCDLVII. in area Matthiae Czarnii, Andrea de Bnin Opolinski episcopo Posnaniensi ecclesiam, et civibus aedificium reliquum excitantibus. Nicolao de Kozle anno MCDLXXXVI., et Michaeli Cantor anno MCDXCII. die X. Octobris ibidem defunctis, accesserunt sub hunc annum Felix de Kosten provinciae olim minister, et Fabianus Orzeskovuski, qui cum esset bonis artibus et poesi clarus, scripsit *carmen rhytmicum* de B. Ladislao Gielnovin. citatum a Benedicto XIV. in decreto XIII. suorum operum.

4. S. Mariae Assumptionis Kostensis, seu de Kosciam, dioecesis Posnaniensis, ligno constructus extra moenia anno MCDLV. traditusque Gabrieli de Verona, et anno MDCII. solido lapide munitus. Quiescit anno MCDLX. Bernardinus, seu Bernardus, qui adhuc saecularis, et sacerdos immundos spiritus a multorum corporibus expulit. Anno MDLXII. Laurentius laicus, et anno MDXLII. Matthias de Rupno clericus adolescens, qui diem obitus sui praenuntiavit.

5. S. Annae, alias S. Mariae, vel S. Joseph Fraustadiensis, seu Uschovensis, dioecesis Posnaniensis, fundatus anno MCDLVI., et incendio sublatus a Lutheranis anno MDLVIII. Sigismundus III. rex jussit anno MDCXXIX. fratribus restitui aream, et loca ab haereticis occupata, fratrum causam agente Hieronymo Radomski capitaneo Uschovensi, et procuratore apostolico provinciae. Nicolaus Tarnowieski novum aedificium ex lapide construi fecit. Ecclesiam consecravit sub titulo S. Joseph Marianus Kurski franciscanus episcopus Bachoviensis, et suffraganeus Posnaniensis, qui obiit Varsaviae anno MDCLXXXI. Quievit anno MCDXCVII. Joannes de Prussia sacerdos.

Digitized by Google

6. S. Mariae ad Praesepe Cobilinii dioecesis Gnesnensis, fundatus anno MCDLVI. opera fratris Climaci, qui post mortem patris sui domini de Kobylin instituit apud fratres, quos habebat, uterinos, ut locum concederent pro conventu franciscanorum. Quiescunt idem fr. Climacus, fr. Joannes, et fr. Justinus sacerdotes. Ex catalogo SS. Poloniae Christophori Varsevichii refert Waddingus, Justinum obiisse Cobilinii anno MCDXXVIII. Alio in loco dicit, eum obiisse Cracoviae circa annum MCDLXXXIII., nulla antecedentium apposita correctione. Primum aperte est falsum, quum conventus Cobilinii non extaret praefato anno. Alterum contradicit Gonzagae, qui Justinum sepultum asserit in loco Cobilinii. Quare aut sentiendum cum Ludovico Zbasinio, qui obitus servi Dei signat annum MCDLXXXII, aut cum aliis, qui signant annum MCDLXXVI.

Ann. min. ad an. 1428. n. 3. et an. 1483. num. 33.

Gonzaga in prov. Poloniae conv. 6.

Zbasinius in Chronol. pag. 62.

7. B. Virginis Mariae ad Nives Tarnoviae dioecesis Cracoviensis, fundatus a Joanne Amor de Tarnovia comite, praefecto arcis Woymiensis, et a Raphaele ejus fratre canonico ecclesiae Cracoviensis, non anno MCDLXXX., ut scribit Gonzaga, sed juxta vetera monumenta anno MCDLIX cinctus subinde muro propugnaculi instar, et instructus cuniculis subterraneis ad propulsandas incursiones Tartarorum a montibus Carpathiis descendentium. Quiescit fr. Victorinus Melstinius diaconus ex nobilissima regni procerum familia.

8. S. Pauli Conversi, seu S. Bernardini Lublini metropolis palatinatus Lublinensis ad fluvium Bystrzna, fundatus circa annum MCDLXV. in area Nicolai doctoris civis Lublinensis ex ligno, traductus deinde ad formam lapideam.

9. S. Andreae Leopolis, seu de Lembourg in Russia fundatus eodem anno ab Andrea Odrovasio Russiae gubernatore, et capitaneo Leopoliensi. Quiescit B. Joannes de Dukla.

10. S. Barbarae Praevorsci in Russia dioecesis Przemiliensis, fundatus ab Iroslao regni mareschallo juxta Gonzagam anno MCDLXXXIX.; juxta vero monumenta provinciae anno MCDLXV. die XXVII. Maii, et receptus a Marco vicario generali post capitulum eodem anno, et die Viennae celebratum. Quievit Georgius de Nova Sadecz anno MCXC. die XXVIII. Martii.

11. S. Mariae Visitantis, seu S. Annae Calissii dioecesis Gnesnensis, fundatus non anno MCDLXXVI., ut autumat Gonzaga, verum anno MCDLXV. aut paullo ante a Jacobo de Glogovia vicario Austriae, Bohemiae, et Poloniae in area Joannis Gruszczynski archiepiscopi Gnesnensis. Successu temporis aedificium ex lapide posuerunt pii cives. Ecclesiam dedicavit Bernardus Macieionski cardinalis archiepiscopus Gnesnensis. Quiescunt Alexius Gebultouius, Ambrosius de Clodana, Simeon de Wysocike sacerdotes, et Joannes de Woinicz diaconus, artium magister, qui nullimode adduci potuit, ut altioribus ordinibus initiaretur. Morti propinquus voluit deponi in nuda humo, sibique dixit: *O hominum desidiosissime! Heu! quam oscitanter servitio addictus fuisti!* Postea cereum, et crucifixum poposcit, nomenque Jesu et Mariae ingeminans obiit.

12. S. Mariae Visitantis, et Divisionis SS. Apostolorum Coli seu Rotopolis dioecesis Gnesnensis, oppidi regalis Kolo dicti ob rotunditatem insulae, quam aquae fluvii Warthae circumdant, fundatus anno MCDLXVI. a Joanne Hincza de Rogowo Kmita, praefecto arcis Sandomiriensis, et

Digitized by Google

capitaneo Colensi, receptusque a Jacobo de Glovia, anctoritate Pauli II. summi Pontificis.

13. Assumptionis, alias Nativitatis B. Mariae Warthae, dioecesis Gnesnensis fundatus anno MCDLXVII. ad instantiam Gerardi a Brudzewo canonico Cracoviensi in area Svetoslai Darmpyski Warthensi, et receptus a Mariano de Jeziorko primo Poloniae vicario. Quievit anno MDXXXI. die I. Martii Joannes de Iroslowo Leopoliensis episcopi Sacellanus, et praepositus ecclesiae S. Stanislai, qui mutato habitu inter minores laudabiliter vixit.; Joannes de Siradia anno MD.; Franciscus de Siradia; fr. Melchisedech, seu Melchnski sacerdos anno MCDLXXX. die VIII. Junii. Ejus ossa Joannes a Lipie archiepiscopus Gnesnensis eruenda a pulvere sibi proposuit, quod antistitis mors impedivit. Raphael de Proszewice vicarius provinciae Poloniae anno MDXXXIV. die XXVI. Januarii aetatis suae LXXX. anno, cujus corpus idem archiepiscopus a terra sublevavit prope altare, ubi pia populorum devotione colitur, crescentibus miraculis. Tumulo marmoreo populorum sculpta est epigraphe: *Divi Raphaelis de Proszewice ordinis min. sacerdotis de observantia magna sanctitate vitae, miraculisque celebris exuviae sacrae a Joanne de Lipie archiepiscopo Gnesnensi a terra erutae, loco hoc donatae, et ab eo in eodem inclusae a suo obitu anno CVII. a Christo nato MDCXL. die II. Novembris.*

14. S. Francisci Vilnae fundatus anno MCDLVIII. Quiescit Stanislaus de Huyma vel Hurma, a S. Joanne de Capistrano habitu minorum donatus, defunctus anno MCDXCVII., cujus sanctitatem testatus est post ejus mortem ipse quoque malignus spiritus ex ore hominis lymphati. Marianus de Jeziorko primus vicarius, primusque laurea insignitus in accademia Cracoviensi. Obiit anno MCDXC.

Ann. min. ad an. 1468. num. 24.

15. S. Bartholomaei Lovicii dioecesis Gnesnensis fundatus a Joanne Gruszczynski archiepiscopo Gnesnensi anno MCDXXX., receptus a Mariano de Jeziorko, redactus postea in cineres a Svecis militibus, ac tandem restauratus. Quievit anno MCDLXXXIV. die V. Maii Pancratius Kozirski eximius ecclesiasticus, qui aedem sacram a fundamentis erexit, bibliothecam et muros ex lateribus addidit. Anno insequenti Joannes Smolka, qui orationibus suis Priori conventus Loviciensis ordinis praedicatorum, a decennio caecutienti visum restituit.

16. S. Catharinae Radomiae dioecesis Cracoviensis in palatinatu de Sandomiria fundatus sub annum MCDLXIX. et post XX. annos absolutus a Casimiro rege, post totidem alios muro praecinctus, vallo, aggere, et propugnaculis adversus Turcas, Tartaros, et Vallacos proximas regiones depopulationibus, et incendiis infestantes.

17 S. Georgii martyris, alias B. Mariae Virginis Caunae dioecesis Vilnensis, fundatus anno MCDLXXI. in curia, et horto adjacente, fratribus donatus a Stanislao Sandziewoiewicz Casimiri regis mareschallo, et capitaneo Grodnensi juxta fluvium Niemen. Alexander magnus dux Lithuaniae, et Poloniae anno MDI. aedificium ex lapide construi fecit.

18. Assumptionis B. Mariae Virginis Opatoni dioecesis Cracoviensis, fundatus anno MCDLXX., vel juxta Gonzagam, decennio post, in ecclesia parochiali, in suburbio.

Ann. min. ad an. 1470. num. 23.

19. Assumptionis B. Mariae Virginis, et S. Catharinae Samboriae in Russia ad fluvium Tyrae.

Ibid. ad an. 1472. num. 103.

Digitized by Google

20. S. Catharinae in Eremo fundatus non in Podalia, ut scribit Waddingus, sed in Polonia, loco solitario, quem incolebant eremitae primum sub Joaglavechio, qui miles fuerat regis Jagelloni, deinde sub Paulo Lancho Joannes de Rzeszowo episcopus Cracoviensis anno MCDXXX. locum in monasterii formam a se promotum fratribus tradidit. *Ibid. ad an. 1477. num. 36.*

21. S. Mariae Visitatae, seu XII. Apostolorum Tykoczini dioecesis Vilnensis, ad fluvium Narew, fundatus a Martino Gastold palatino Trocensi non anno MCDXIX., ut dicit Gonzaga, bene vero anno MCDLXIX., ut exprimitur in litteris Sixti IV. *Piis fidelium* anno MCDLXXX. quibus approbat fundationem peractam.

22. SS. Trinitatis Bidgostiae civitatis regiae in majori Polonia dioecesis Uladislaviensis, fundatus anno MCDLXXX. a fratre Michaele Bal vicario Poloniae, ad instantiam Casimiri IV. regis, annuentibus Sixto IV. et Sbigneo Oleniski episcopo Uladislaviensi, in loco vepribus oppleto, et arbustis, quae sceleratorum hominum nefaria crimina abscondebant. Sutor quidam, Mislo nomine, ante cruces inibi erectas saepius dicebat: *tempus veniet, in quo eodem hoc in loco Christus Dominus religiosissime colatur, et mala procul eliminentur.* Quievit anno MCDXCVII. peste absumptus Blasius Lithuanus laicus simplicissimus, qui majorem domus partem manibus suis construxit; anno MDVI. die XXXI. Martii Stanislaus de Slapi VII. vicarius Poloniae, qui omnia ordinis privilegia conscripsit, et confirmationem privilegiorum pro fide propaganda a Sixto IV. impetravit. In romana curia, et apud reges, principes, episcopos negotia provinciae suae strenne egit; Joannes, et Urbanus laici pientissimi.

23. Annuntiationis B. Mariae Virginis Skempensis dioecesis Plocensis, fundatus anno MCDXCIX. a B. Ladislao de Gielnowo in area ei oblata a D. Koscielecki episcopo Culmensi, assentiente Joanne Lubranski episcopo dioecesano, quem etiam inter episcopos Posnanienses recensitum comperio.

24. SS. Quinque Martyrum Casimiriae dioecesis Posnaniensis, fundatus a Raphaele de Proszewice supramemorato, sub annum MDXIV. in area praefati Joannis Lubranski, et fratris ejus palatini Posnaniensis. Haec retulimus ex monumentis provinciae. *Ann. min. ad an. 1514. num. 36.*

LXXIV. Conventus S. Mariae Thorunii dioecesis Culmensis, S. Francisci Neoburgensis, seu Novensis dioecesis Uladislaviensis, S. Andreae Apostoli Vatenburgensis dioecesis Varmiensis, Brunsbergensis ejusdem dioecesis, S. Georgii Elbingensis, SS. Trinitatis Gedanensis ad mare Balthicum in Pomerania, Regiomontanus in civitate ducali, et Potocensis deerant hoc tempore ab acatholicis occupati. Eorum aliquos subinde fratres recuperarunt.

LXXV. Non omittemus hic litteras regias, quibus hoc anno confirmatur fundatio conventus Posnaniensis.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samozitiae etc. nec non Transylvaniae Princeps.

Significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest, universis, et singulis harum notitiam habituris, reproductas esse coram nobis, et certis consiliariis nostris, pro tunc lateri nostro assistentibus,

nomine, et ex parte religiosorum fratrum Posnaniensium ord. min. S. Francisci, litteras pergamenas infrascriptas sanas, salvas, et omni suspicione carentes. Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae etc. dominus, et haeres. Significamus tenore praesentium, quorum interest, universis praesentibus, et futuris harum notitiam habituris, quia quum expositum esset coram nobis ex parte conventus religiosorum ordinis S. Francisci de observantia monasterii, in suburbio civitatis nostrae Posnaniensis consistentis, quod litterae consensus serenis. olim Casimiri fel. memor. regis, parentis nostri desideratissimi, quibus erectio, donatio, et fundatio dicti monasterii in area, seu loco, eundo de ecclesia Omnium SS. versus ecclesiam divinissimi Corporis Christi in sinistra parte, et immediate supra fluvium Wartha jacentem, ita late, et longe, prout locus iste aqua circumlabitur, cum inclusione septem domuncularum, quae ante eamdem aream sunt locatae, prout id latius litterae fundationis in se continent, et habent, quae per illius auctoritatem fuerunt admissae: casu quodam fortuito essent perditae, supplicatumque esset nobis, ut ad praefatam fundationem, et erectionem, donationemque monasterii Bernardinorum denuo auctoritate nostra regia, in vim litterarum praefati consensus, de praedictis consentire, ac omnia et singula praedictae fundationis litterarum contenta, et specificata, de benignitate, et pietate nostra erga ipsos religiosos approbare, et confirmare dignaremur. Nos illorum hujusmodi supplicationi, eo quod pro cultu divino illic habendo, et manutenendo cederet, benigne, uti par et aequum est, annuentes, praenominatis fratribus religiosis de observantia in praefatam eorum monasterii erectionem, et fundationem modo praemisso factam, de certa scientia, et auctoritate nostra regia, consentimus, ac omnia et singula in fundationis privilegiis hujusmodi monasterii contenta approbamus, ratificamus, et confirmamus, praesentium per tenorem. Decernentes, eam ipsam erectionem, et donationem praedicti monasterii, et omnia ac singula litterarum fundationis ipsius contenta perpetuae firmitatis robur debere obtinere, harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio.

Datum Cracoviae feria II. *post festum SS. Trinitatis proxima anno Domini* MDXXXIX. *regni nostri* XXXIII.

Samuel Macieiowski decanus Cracovien. et regni Poloniae Vice-Cancellarius.

Post quarum quidem litterarum exhibitionem, supplicatum nobis est, nomine et ex parte eorumdem religiosorum fratrum ordinis S. Francisci, ut litteras praeinsertas ipsis concessas approbaremus, ratificaremus, et confirmaremus. Cui petitioni, ut justae, nos annuentes, litteras superius descriptas ratas, gratasque habemus, ipsasque, et omnia in eis contenta, in quorum usu debito praefatum monasterium consistit, confirmamus, approbamus, et ratificamus. Decernentes, eas, et omnia illarum contenta, in omnibus punctis, clausulis, articulis robur debitae firmitatis obtinere harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio litterarum.

Datum Varsaviae die XXX. *mensis Junii anno Domini* MDLXXVI. *regni nostri anno* I.

L. S. STEPHANUS REX

LXXVI. Hoc anno ad normam litterarum Clementis VII. *In suprema* die XVII. Novembris anno MDXXXII. minister generalis erexit in custodiam sub titulo Nominis Jesu quinque domos fratrum recollectorum provinciae Cataloniae, quibus anno MDXXIV. sub Antonio Calcena ministro traditi fuerant conventus de Figueras, de Dertusa, et de Illa. Hunc postremum in catalogo domorum provinciae non invenio, ignotumque est, quaenam fuerint domus aliae, praeter notas illas de Figueras, et de Dertusa; nam conventus S. Mariae Angelorum Hortae et S. Mariae a Jesu Ilerdae, posteriori tempore occuparunt recollecti. Post triennium renuntiatus est novus custos juxta praescriptum litterarum, quas subjicio. *Ann. min. ad an. 1532. num. 22. Custodia Nominis Jesu.*

Fr. Christophorus a Capitefontium totius instituti minorum regularis observantiae generalis minister, et servus rev. pp., pariterque carissimis in Christo filiis, et fratribus provinciae Cataloniae ejusdem ordinis salutem.

Quum nihil magis habeamus in votis, quam viam reperire, qua ad pristinum regulae nostrae observationis candorem fratres reduci queant, eo praecipue, quum hac tempestate, nostro quidem magno malo, videamus, quamplures a suo instituto utcumque deviare; illam penes nos viam amplecti statuimus; nempe in singulis ordinis nostri provinciis, ubi commode fieri potest, nonnullas domus erigere, seu ex electis seligere, ubi vera regulae nostrae observantia vigeat; easque multis gratiis, et favoribus illustrare, quo veri zelatores liberius devotioni, orationi caeterisque spiritualibus exercitiis facile operam navent, ac proinde caeteri conventus provinciae reformentur, et a somno, et segnitie quodammodo exporrecti resipiscant, Domino fideliter, ac B. P. N. Francisco militaturi gratanti animo. Verum quia, Deo sic disponente, in provincia vestra quinque inveniuntur conventus recollectionis, ut vocant, ubi fratres spiritui libenter in summa paupertate, et aliis virtutibus, Deoque inserviunt, et expetunt a nobis, ut in custodias praefatas domus erigere dignemur. Nos eorum votis honestissimis annuentes, easdem domus, et conventus in custodiam erigimus, et erectam his praesentibus declaramus. Praecipientes rev. pp. ministro et definitoribus per obedientiam, et sub poena excommunicationis majoris latae sententiae, ut in primo proximo futuro capitulo dictae provinciae dent et assignent alium conventum dictae custodiae reformatorum per nos inibi erectae, et institutae, ut habita conventuum copia, queant qui velint, ad eamdem custodiam convolare, juxta SS. D. Clementis VII. Pont. max. bullam circa modum vivendi fratrum reformatorum per Hispanias, et Italiam concessam. Hac tamen lege, ut custos, et tota custodia semper subdantur ministris provincialibus, quorum peculiaris cura erit, eidem reformationi, quantum potuerint, favere, et illam ampliare. Illis vero, qui semel in custodia vixerint, fratribus nullo pacto liceat, nisi ob apertissimam infirmitatem, aut urgentem necessitatem, de licentia ministri, et custodis exire, illamque deserere pro suo arbitratu. Item custos valebit nedum novitios a saeculi vanitate conversos recipere, verum et quosvis fratres provinciae; qui fratres teneantur licentiam a rev. p. ministro prius petere, licet non obtineant, ut honestius a cu-

stode recipiantur. Damus etiam, ut idem minister una cum custode et custodiae gravioribus patribus statuta condere valeant, a nobis confirmanda, et limitanda, si opus fuerit. Nulli igitur nostro inferiori licebit per obedientiam, et sub poena excommunicationis latae sententiae, officiorum privatione, aliisque nostro arbitrio infligendis poenis, hujusmodi erectioni, institutioni, et litteris contraire; imo tam pium, sanctumque opus promovere in Dei obsequium studeant, si nos devinctos habere cupiunt. Valete. Custodis autem electio fiat a patribus guardianis, et discretis conventuum praedictorum, quamcitius commode fieri poterit, ipso ministro dictae electioni praesidente, eamque confirmante.

Datum Romae die XII. Martii anno MDLXXVI.

Loco ✠ Signi *Fr. Christophorus a Capitefontium Minister Generalis*

LXXVII. Aliis litteris ad eosdem datis die XV. Martii exprimit, se custodiam praedictam instituere, ut impediat fratrum transitus hinc inde in provincias S. Gabrielis, S. Joseph, et capucinorum. Concedit insuper recollectis privilegia, quae anno antecedenti largitus fuerat fratribus reformatis provinciae romanae, et hoc etiam amplius, ex facultate Gregorii XIII. sum. Pont., ut custos aliquod litterarum exercitium in custodiam introducat, dummodo lectores, et studentes communem recollectorum vitam gerant. Quoad receptionem fratrum statuit, quod custos possit illos recipere a quacumque provincia cum licentia sui provincialis venientes, et si quos probatae vitaé invenerit, eos incorporare in custodia post annum. Item quod custos, et fratres recollecti sint subditi, et subjecti correctioni ministri provincialis, ut in bulla Clementis VII. continetur.

Iacobus Gualtieri in Tabulis Chronographicis num. 73. Lugduni 1636.

LXXVIII. Omittenda non sunt ea, quae hoc anno evenerunt in civitate Castilionensi hisce verbis descripta a cl. Jacobo Gualtieri teste de aurito « Anno MDLXXVI. die XXI. Junii duce Alensonio regis christianissimi fratre in urbe Castilionensi commorante, pedestribus autem copiis in villa Soulci dicta urbi vicina excubias agentibus, tres milites imaginem S. Antonii prae foribus templi erectam multis primum scandalis, ludibriis, dicteriis impetunt: deinde caput ejus galea, manus vero armant hasta, hanc inter alias blasphemiam evomentes: *tu si quid vales, si qua tibi potestas, nunc eam demonstra contra nos, ac te defende*. Quibus dictis suorum armorum crebris ictibus imaginem feriunt; atque unus quidem bis terne displosa bombarda faciem ejus inter mentum et inferius labrum globulo tormentario sacrilege dilacerat. At non impune: eodem quippe momento ejulans exclamat, *totus ardeo, totus comburor*, statimque in terram prolapsus demoritur, igne qui illum vorabat, per eum faciei locum quasi facta via erumpente, ac perlucente, quo imaginem laceraret. Alter quoque Dei manum sentiens exclamat, ignis vim se ferre non posse, volensque intestina tormenta per aquam effugere; in proximum torrentem insiliens, statimque aquis submergitur. Tertius horrendum commilitonum exitium intuitus, sui impos atque exanimis in domum vicinam deportatus est, ardentissimisque febribus aestuans, ad commiserationem movit circumstantes catholicos, qui ad templum confugientes hominem tum

« augustissimo missae sacrificio coram ipsa S. Antonii imagine celebrato, « tum aqua benedicta, tum assidua comprecatione ita adjuverunt, ut « miser statim sibi redditus crimen agnoverit, Dei misericordiam inclamavit, errorem accusavit, omnium deprecationem supplex flagitavit. « Quibus omnibus ita Deus placatus est, ut pristinam illi valetudinem « statim restituerit. Haec suis videre oculis tria minimum hominum millia, ut refert auctor historiae miraculorum illustrium supracitatae, ex « libello Parisiis illo ipso anno MDLXXVI. apud Guilielmum Merlinum « edito. Cui consentit quod memini me per id tempus rem eamdem, « quasi tota Gallia pervulgatam audivisse. »

LXXIX. Sub hoc tempus in ecclesia S. Francisci Ulyssiponensi collocata est imago S. Antonii de Padua pulcherrima, et devotissima, quam retulerunt aliqui visam nunc turbata fronte, nunc hilari, juxta eorum, qui ante illam preces fundebant, animi dispositionem, et imminentia mala, vel bona regno Lusitaniae. Anno MDCXXVIII. alio signo coruscavit. Alia prodigia contigerunt his temporibus in oppido de Alcochete, seu Alde-Galega, dioecesis Ulyssiponensis, ubi dum absolveretur fabrica coenobii B. Mariae de Succursu, Antonius Lopetius uno ex lapidibus, quos in propria cymba, devotionis causa, deferebat, graviter percussus in capite, et in tabulato stratus per horam absque respiratione, piorum hominum precibus surrexit illaesus. Alter nomine Hieronymus a S. Maria curru suo, quo coementa, et ligna advehere solebat in coenobium sine ulla mercede, pertransiit inopinato super virum nobilem, qui humi jacebat, equo suo delapsus. Semimortuum itaque videns, oravit SS. Virginem, nec mora incolumem ille se sensit, nulloque affectum incommodo.

De Spe t. 1. lib. 2. cap. 5. n. 5. p. 197.

Leonardus a Neapoli part. 4. t. 2. lib. 7. c. 17 p. 536.

LXXX. Martha Thaboureta abbatissa monasterii Auxoniensis a mortis periculo se praeservatam testata est eodem tempore, quo fidem legitima depositione faciebat beneficii S. Coletae meritis accepti anno MDL. ab Adriana Pielley. Ruente enim tunc loci tabulato, in quo Adriana consistebat, proximamque se lapsui adspiciens et submersioni ob fluvium subtus decurrentem, ab invocata ferventer tali in articulo Beata, promptum experta est auxilium, et religiosam conspexit, quae eam utrique discrimini exemit. Martha igitur ornatura Beatae altare in pervigilio festi ejus, ut papilionem super illud extenderet, scalas ascendit, quibus dissilientibus in partes, ipsa gravi lapsu deposita est in lapidem, « cui « alterum tempus ita allisum fuit, ut mortalem fuisse plagam nihil me« dici dubitarent; nisi invocata inter labendum Coleta ostendere voluis« set, quod certe sibi devotis opem afferre posset. »

Acta SS. ad diem 6. Martii n. 4. et seq. pag. 624.

LXXXI. Circa id tempus Anna nobilis domini de Bessey filia octennis cum matre sua ascenderat in summitatem turris, tum pene a fabris in arce absolutae; ex eaque despicere in imum volens, praeceps in fossam corruit, absque ulla alicujus membri ruptura, vel distractione, omnino indemnis. Quinimo reperta est placide assidens, et solutas vestium aciculas refigens, per merita et intercessionem S. Coletae, cui grata esse deinde cupiens, ejus instituto in conventu Auxoniensi se addixit, ubi multo tempore vitam singulari sanctitate commendabilem egit.

LXXXII. Hieronymus Morales de Torres has supplices litteras dedit ad Gregorium XIII., quibus exorabatur Pontifex, ut ei facultas largiri dignaretur quasdam SS. Martyrum reliquias ab Urbe exportandi, easque collocandi in ecclesia discalceatorum S. Bernardini oppidi Matritensis.

Franciscus Matritensis in bull. discalc. tom. 1. pag. 242.

Digitized by Google

BEATISSIME PATER

Cum devotus Sanctitatis Vestrae orator Hieronymus de Morales Oxomensis dioecesis ob singularem, quem ad ecclesiam domus novae Sancti Bernardini, ordinis fratrum minorum de observantia discalceatorum nuncupatorum, et loca sacra oppidi de Madrid Toletanae dioecesis gerit devotionis affectum, illarumque, et illorum augmentum, ornatumque, et decorem totis exoptet viribus, ideoque nonnullas gloriosorum Christi Martyrum super terram jacentes reliquias, prout quemcumque decet christifidelem ampliori honore, et reverentia, optat venerari, extrahendi licentiam sibi impartiri desideret; supplicat igitur humiliter Sanctitati Vestrae dictus orator, quatenus ejus pio ac laudabili desiderio in hac parte favorabiliter annuentes, sibique gratiam specialem facientem, eidem oratori, ut ex monasteriis, basilicis, ecclesiis, intra et extra muros almae Urbis existentibus quascumque Sanctorum, et Sanctarum Martyrum sacras reliquias, per monasteriorum, et ecclesiarum praedictorum abbates, commendatarios, priores, archipresbyteros, vel sacristas, seu quascumque alias, ad id deputatas personas, prout eis respective placuerit, extrahendas, eidemque oratori, seu pro eo agenti tradendas et consignandas ad dictam domum Sancti Bernardini, et ecclesias, ac loca sacra praefati oratori benevisa deferre, et transportare, et ibidem in loco decenti, et honesto absque alicujus sententiae, sive censurae incursu collocare et reponere, libere et licite valeat concedere et indulgere dignemini de gratia speciali.

Hinc cum sua Sanctitas petitis annuisset die 1. Decembris, septem SS. Martyrum particulae, nimirum S. Coenonis, S. Vincentii, S. Anastasii, S. Bernardini, S. Hieronymi, S. Laurentii, et S. Sebastiani eductae ex oratorio beatae Mariae Virginis de Scala-Coeli monasterii Cisterciensium S. Anastasii ad Aquas Salvias extra muros urbis Romae, ei traditae fuerunt Alexandri S. R. Ecclesiae presbyteri cardinalis Farnesii, loci perpetui commendatarii favore. Monasterium hoc ab anno MDCCCXXVI. beneficentia Leonis XII. *Ex sacris locis* die XXIII. Junii incolitur a franciscanis observantibus.

LXXXIII. Sedis apostolicae concessiones hujus anni his continentur. Conceditur indulgentia confratribus societatis Recomendatorum B. Mariae Virginis Confalonis de Urbe recitantibus coronam, quam S. Bonaventura ejus institutoribus praescripsit anno MCCLXV. *Pastoris aeterni* die XII. Octobris; indulgentia in die Conceptionis ad hospitale S. Sebastiani de Chile: *Ex commisso* nonis Dicembris; in oppido Rivitalis provinciae ejusdem: *Salvator noster* IX. cal. Septembris; in ecclesia S. Rochi tertiariorum Caesenae: *Romanus Pontifex* IV. idus Januarii; in sacello Conceptionis ad dexteram majoris altaris S. Bernardini Aquilae, instar indulgentiae S. Gregorii de Urbe. Concessio insculpta est marmore in eodem sacello; indulgentia confratribus Conceptionis Forolivii in ecclesia S. Francisci conventualium: *Cupientes* di X. Januarii; in ecclesia monialium S. Elisabeth Vallisoleti: *Veluti Jesu Christi* die XXII. Septembris; in ecclesia clarissarum Annemiaci dioecesis Gebennensis: *Salvator noster* IV. cal. Februarii; in ecclesia S. Rochi de Urbe: *Salvatoris*

Domini die IV. Januarii; *Cogitantes* die V. Januarii; *Inter praecipuas* die XV. Martii; in civitate de Valdivia provinciae Chilensis pro die Conceptionis: *Ex commisso* nonis Decembris; in ecclesia sancti Francisci Visciae: *Ex commisso* cal. Maii; pro iis qui interfuerint missae confraternitatis Coofalonis de Urbe: *Salvator noster* die XX. Februarii; in die S. Aotonii de Padua in ecclesia extra oppidum de Villanova Coimbricen. dioecesis: *Ut fidelium* die XIII. Februarii; in die Purificationis B. Mariae Virginis io ecclesia S. Mariae del Paradiso Mediolanen. *Ut fidelium* die V. Augusti; in die Annuntiationis B. Mariae Virginis, et in festo S. Francisci in ecclesia ejusdem S. Francisci observaotium Granaten. *Ut fidelium* die XIII. Augusti; pro institutione societatis Conceptionis in aede hospitali Burgen. *Pastoris aeterni* nonis Februarii; pro institutione capellaniae in altari Conceptionis S. Blasii Forolivii: *Vitae ac morum* V. cal. Augusti.

LXXXIV. Accedunt indulta alia. Pro capella fratrum minorum Methymiae del Campo: *Ex commisso* VI. idos Martii; pro mooasterio clarissarum S. Thomae Firmi: *Commissum nobis* X. cal. Decembris; pro episcopatu Conceptionis de Arequipa: *Illius fulti* XVII. cal. Maii; pro hospitio capucinorum terrae Salatracensis: *Quum ordo* IV. idus Januarii; pro usu aquae virginis in mooasterio S. Clarae regionis S. Eustachii de Urbe: *Ut commoditatibus* die XXVIII. Aprilis; pro usu ejusdem aquae in monasterio S. Jacobi de Morattis: *Votis eorum* die XX. Augusti; ut Christophoro Moreno alumno provinciae Valeotiae non officiat irregularitas ex defectu natalium: *Exponi nobis* die X. Februarii; ut fr. Eillermus Zaporta minorita possit transire ad canonicos regulares S. Augustini: *Nuper per nostras* die XV. Martii; ut Christophorus de Capitefontinm possit mandare typis opus de libero arbitrio: *Quum sicut accepimus* die XIII. Decembris.

LXXXV. Non leves turbas excitarunt in provincia Aquitaniae Martialis Blander, et Joannes Catsalaiy sacerdotes studeotes theologiae in coenobio majori S. Francisci de observantia Tolosae metropolis Occitaniae, qui inconsultis superioribus ordinis transieront ad minimos S. Francisci de Paula promissis et litteris illecti Martini Roselli minimorum ministri. Roberto Rocques guardiano praefati coenobii suos repetente, res primum acta est militibus armatis, qui fugitivos reduxerunt; deinde fratribus minimis instantibus, calamo, et scriptis coram senatu, et archiepiscopo Tolosano, qui sententiam protulit pro observantibus. Appellarunt minimi ad summum Pontificem, a quo clanculum litteras obtinuerunt hoc anno: *Exhibita nobis* die XIII. Julii, in quibus declaratur, Martialem, et Joannem spoote, nulloque suasore ad mioimos abiisse, et minimorum ordinem, utpote esum carnium interdicit, striciorem esse aliis ordinibus regularibus. Re accuratius perpensa, atque iterum examinata in curia Tolosana, actoribus non solum mioorītis, verum etiam fratribus ordinis praedicatorum, carmelitarum, et S. Augustini, qui ne praejudicium aliquod sibi inferretur, metuebant, decretum est, observantes jure suos domum reduxisse; et sic quaestioni finis tandem impositus.

ARGUMENTUM

Controversia de habitu B. Clarae de Montefalco definitur. Erigitur in provinciam custodia S. Joannis Baptistae Valentiae. Franciscani appellunt ad Philippinas Insulas. Exsurgunt novae custodiae in Indiis occiduis. Augentur numero coenobia. Obeunt viri, et virgines. Narrantur res quaedam memorabiles. Ornatur ordo privilegiis.

I. Gravior et indagine dignior controversia acta est inter fratres eremitanos S. Augustini, et franciscanos de habitu B. Clarae de Cruce, seu de Montefalco, utrisque sibi jus esse proprii instituti insignia sacro ejusdem corpori aptandi. Occasionem causae huic praebuit Maria Emmanuel filia comitis S. Stephani, uxor Alvari de Brascano marchionis S. Crucis, quae pericnloso conflictata morbo sanitatem recuperavit Beatae tutela, cui erat devotissima, et enixe, instanterque supplicaverat. Hinc grates redditnra Montefalcum accessit die x. Aprilis, et arca christallina affabre elaborata, repagulis, vectibusque argenteis septa, quam secum detulerat, ejus corpus condidit, texitque habitu serico coloris cinericii, sub quo asseruit, Beatam sibi in somnis apparuisse. Fnlvius Ursinus episcopus Spoletanus habitum removeri jussit, quod aegre ferentibus franciscanis, excitata lis, disputatnmque est in romana curia. Victoriam augustinianis adjudicatam ostendunt litterae cardinalis S. Sixti ad episcopum praedictum.

Reverendissime Domine

Controversiam, quae in hoc libello continetur, SS. D. N. illustriss. cardinalibus interpretationi decretorum S. Con. Trid. praepositis cognoscendam commisit, qui auditis saepe utriusque ordinis procuratoribus, et quae ab utraque parte adducebantur mature, et decenter consideratis, postea rem totam ad ejus Sanctitatem retulerunt, qui etiam ex sententia ipsorum cardinalium declaravit, B. Claram de Montefalco esse ordinis S. Augustini, ideoque restituendum esse corpori ejus habitum dicti ordinis, nec non picturis, et imaginibus de ea factis aptandum esse habitum, et colorem, qui conveniat eidem ordini S. Augustini. Tua igitur amplitudo tam in civitate Spoletana, quam in caeteris dioecesis suae locis, haec ita exequendo sedulo curabit, et bene in Domino valebit. Romae die XVII. Octobris MDLXXVII.

Amplitudinis tuae ut frater

Philippus Boncompagnus Cardinalis S. Sixti.

II. Nescio quid franciscani pro se tunc adduxerint, quibusve certaverint rationnm momentis. Exitns in rebus communiter attendi solet, ac propterea non est causa, cur aliquis queratur. Caeterum rationum momenta, quibus franciscani, jam emanato decreto, hac in re reverenter usi sunt, videri poterunt apud Lucam Waddingum, qui fusiori oratione controversiam hanc tum ad annum MCCCVIII. a num. LXXII. usque ad num. LXXVI., tum etiam ad annum MCDXCI. a num. LXI. ad num. usque LXVIII. prosequitur.

III. Aucta coenobiorum, fratrumque numero custodia S. Joannis Baptistae discalceatorum in regnis Murciae et Valentiae, fundata primum

a S. Petro Alcantarensi, ac subinde confirmata a Francisco de Gusman commissario generali in comitio ad S. Mariae de Angelis Cadahalsi, provinciae dignitatem assequuta est. Praeterito anno Franciscus Ximenez custos vir bonus, in sui locum suffecto Josepho de Herencia, Romam profectus exposuit Pontifici, custodiam suam, quae juxta litteras Pii IV. *Hodie a nobis* VIII. cal. Februarii anno MDLXIII. in provinciam erigenda erat, statim atque decem coenobiis donaretur, jam alia plura possidere; ideoque optimo jure in provinciam esse advehendam. Annuit Pontifex, reversoque in Hispaniam Francisco, Augustinus Vinez alumnus provinciae Cataloniae, et guardianus S. Mariae Hortae, delegatus a ministro generali, et ab Antonio Belon commissario generali apud Ultramontanos, visitata custodia, comitium indixit hoc anno in conventu S. Joannis Baptistae de la Ribera, ubi die XI. Augusti novae provinciae ministrum constituit Christophorum de la Plaça, qui egregia cum laude praefuerat coenobiis de Castalla, et de Lorito, eximium ecclesiasticum, virumque integerrimum.

IV. Custodes hactenus discalceati habuerant anno MDLXI. Alphonsum a Llerena laicum, renuntiatum a S. Petro Alcantarensi; anno MDLXIV. Alphonsum de Mazanete; anno MDLXVI. Gasparum de Tordesillas, sub quo custodia sejuncta est a provincia sua S. Joseph, subjectaque praelatis generalibus; anno MDLXX. Petrum a S. Maria; anno MDLXXIII. Franciscum Ximenez. Majus provinciae sigillum, prout describitur ab eodem Ximenez, exhibet imaginem Praecursoris stantis, pellicea veste induti usque ad genua, sinistro brachio magnam crucem tenentis, quae a sinistro pede attollitur supra caput. Ad pedem dexterum visitur agnus, quem Praecursor indicat digito manus dexterae. In ambitu legitur: *S. M. M. Prov. Provin. S. Joan. B. Fratrum Discalceatorum.* Descriptio haec alteri non respondet, quam tradit Gonzaga. Sigillum minus repraesentat imaginem abscissi capitis S. Joannis in disco figurae ovalis cum titulo: *Sigillum minus M. S. J. B.*

Ximenez in descript. prov. ad an. 1583.

Gonzaga part. 3. pag. 1163.

CONVENTUS PROVINCIAE S. JOANNIS BAPTISTAE.

1. Conventus S. Joseph Illicae, seu de Elche dioecesis Oriolanae, fundatus non anno MDLVIII., ut scribit Gonzaga, verum anno MDLXI. quo S. Petrus Alcantarensis votis obsequutus Joannae de Portugal marchionissae Illicae, die II. Februarii dominica septuagesimae habitis comitiis in conventu B. Mariae de Pedroso, commissarium suum eo misit Alphonsum a Llerena, ut possessionem acciperet eremitorii S. Joseph CCC. pas. ab oppido, quam inivit circa medietatem mensis Aprilis. Postea dux de Maqueda loci dynasta conventum posuit juxta archetypum humile et simplex sibi a fratribus oblatum, accepto jure patronatus.

Ibidem conv. 1.

Panes ibid. c. 2.

2. Dominae Nostrae de Lorito extra oppidum de Monforte dioecesis Oriolanae, cujus fundationem, quemadmodum et insequentis Gonzaga minus vere rejicit in annum MDLVIII., quum notum sit Isidorum de Santiago, alterum ex commissariis S. Petri anno MDLXI. die VII. Septembris obtinuisse eremitorium S. Mariae de Lorito in loco de Fontanella, permittente Stephano de Almeida episcopo Carthaginensi; et octo post dies Marcum Soriano episcopum Arcadiensem ecclesiae solemniter benedixisse, praesentibus Mosen Petro Seba parocho de Monforte, Bernardo de Puxalt teste, et Didaco Aracil scriba, ut ex instrumento, quod pro-

Gonzaga ibid. convent. 3.

Digitized by Google

Panes ibid. c. 3. fert Antonius Panes. Scripserunt aliqui, fundationem contigisse anno MDLXII., quod verum esse nequit; siquidem Joseph Condè, seu de Cardenete, peracto inibi anno integro probationis, professionem emisit anno MDLXII. die XX. Decembris in manibus Joannis de Cordovilla.

3. Dominae Nostrae Pietatis de Sollana dioecesis Valentinae, fundatus anno MDLXI. a Federico de Portugal, et Margarita de Borxa in eremitorio ejusdem tituli, deserto, et insalubri loco de Alcaicia. Inde fratres migrarunt in alium conventum extructum a civibus, M. pas. ab oppido; probabiliter anno MDLXXXII. sub titulo Conceptionis. Hinc corrigendus Gonzaga, qui eidem Federico acceptum refert, quod fratres anno MDLVIII. translati fuerint a crypta seu eremitorio praefato, quasi ab aliis, quam a Federico hujusmodi cryptam acceperint, vel in eam fuerint immissi, antequam domus de Elche, et de Lorito fundarentur. *Gonzaga ibid. convent. 2.*

4. S. Annae de Villena dioecesis Carthaginensis, fundatus die XII. Aprilis anno MDLXIII., non in sequenti juxta Gonzagam, in eremitorio S. Annae, M. P. ab oppido orientem versus ad radices montis S. Christophori, Alphonsus de Llerena custos instituit inibi primum guardianum Josephum de Herencia. *Ibidem conv. 5.*

5. S. Jacobi de Almansa dioecesis Carthaginensis, fundatus die XVI. Novembris anno MDLXIII., in eremitorio S. Jacobi, dimidio ferme milliari ab oppido ad orientem. Locum a civibus recepit fratrum nomine Petrus Lopez notarius, qui instrumentum confecit, ex quo discimus, hic quoque deceptum Gonzagam, qui signat annum anteriorem. *Ibidem conv. 4.*

6. S. Mariae Magdalenae de Yecla, non de Tecla, ut habet Gonzaga, dioecesis Carthaginensis, fundatus anno MDLXV. die XXVIII. Januarii in eremitorio ejusdem tituli, dimidia ferme leuca ab oppido. Anno MDLXXXII. translati sunt fratres in coenobium aliud sub invocatione S. Francisci. *Ibidem conv. 6.*

7. S. Annae de Monte Jumillae, de quo sicut et de sequenti actum est ad annum MDLXXIII.

8. S. Antonii de Ayora.

9. Dominae nostrae de Angelis Lyriae, qui non reperitur in catalogo Gonzagae, quia desertus a fratribus, antequam is opus suum publicaret.

10. S. Joannis Baptistae de la Ribera Valentiae.

11. Dominae nostrae de Nivibus seu de Angelis Almenarae; de his ad annum MDLXXIV.

12. S. Sebastiani de Castalla.

13. S. Onuphrii Sebatis, seu de Xativa. De his egimus ad annum MDLXXV.

14. S. Antonii de Beniganin, de quo ad annum MDLXXVI.

Conventus de Villa Regali. V. His domibus accessit hoc anno aliam Dominae nostrae de Gratia, dimidia leuca a civitate Regali, seu Villa Real dioecesis Dertusensis, ad ripam fluvii Millares in quam Christophorus de la Plaça minister aliquot fratres introduxit, quos oppidani virtutibus eximios, et animarum zelo refertos ad commode, et salubriter habitandum, in aliam translatos voluerunt anno insequenti.

Joannes Franciscus a S. Antonio t. 1. p. 356. n. 80. VI. Reliquimus in portu de Acapulco Philippinarum Apostolos, qui mense Februario hujusce anni conscensa navi iter susceperunt, parati animam pro Christo ponere. Manilam appulsos, regionis gubernatore

Francisco de Sandino absente, eorumdem adventum praecipuis laetitiae signis cohonestavit Petrus de Chaves, militiae praefectus. Hospites domicilio exceperant augustiniani, et navigatione fessos recrearunt, haud praetermissis amoris et benevolentiae signis, non primis tantum diebus, sed et subsequentibus, unanimes in eodem coenobio sacris operati, et in ecclesiae administratione solliciti, sic ut solo habitu distinguerentur utriusque professores instituti. Narrat Blasius a Matre Dei franciscanos Manilam ingressos die II. Augusti, eosque S. Mariae Angelorum sacrum solemniter fecisse in ecclesia augustinianorum. At hoc minus vere dixisse, inferius constabit. Aderant illic clericus quidam saecularis, Bivero nomine juvenis eruditus, postmodum decanus ecclesiae cathedralis Conceptionis b. Mariae, et Joannes de Quiñones augustinianus theologus, qui Indorum linguae discendae vacabat. His duobus magistris franciscani usi sunt ad regionis idioma intelligendum.

VII. Jacent Philippinae sub zona torrida in archipelago S. Lazari, sub gradu longitudinis a CXXXII. usque ad CXLV., latitudinis ab uno usque ad XXIII. protensae a cauro ad euro-notum, et a borea ad meridiem. Attingunt uno latere fretum de Sincapura, XXV. leucis a Malaca, altero Molucas sub linea aequinoctiali, distantque ab occidentali ora maritima Cambojae c. fere leucas, CC. ab insulis Latronum in Americae termino. Non omnes peculiari nomine designantur, vel designari queunt, quum plurimae ignotae adhuc sint, nec quidquam aliud in comperto habeamus, nisi archipelagum, qua late patet, iis esse undique disseminatum, diversae magnitudinis, figurae, et distantiae. Nonnullae latissimum occupant spatium; nonnullae veluti exiguae terrarum portiones a mari relictae mediis in fluctibus attolluntur; aliae mutuo propemodum adhaerent parvo isthmo sejunctae, ut sunt insulae de los Jardines, de Matelotes, de Buenas Señales; aliae ingenti intervallo separantur.

VIII. Pestilentiae contagio regiones obnoxias retulerunt primi nautae. Sed experimento deinceps patuit, temperato illic, grato, et innoxio sub coelo homines vitam traducere. Tellurem apprime foecundam ostendunt sata laeta, et copiosae productiones oryzae, siliginis, olerum, mellis, et saccari plantarum exquisiti fructus, ferarumque, et armentorum genus omne per arva vagantium, et frequentia nemora palmis consita. Lacus, et marium littora piscibus et margaritis abundant; montes ferro, et auro, licet non optimo. Incolae fusco inficiuntur colore, qui aliquibus in locis desinit in nigredinem, procerae omnes, elegantisque staturae, animi tamen fracti, et demissi. Nudi incedunt, zonis tantum ex gossypio ad umbilicum religati, et venustatis gratia vultum, et membra coloribus tingunt, ut fieri solet potissimum in insula de Zebu, quam propterea vocant de Pintados.

IX. Suberant quondam imperio Sinensium, quorum tirannide excussa, potentiorum hominum jugum tulerunt, quorum aliquot regis nomine donatos in insulis de Zebu, de Mathan, et de Messane reperit Ferdinandus de Magellanes, populares inter tumultus, et bella civilia ad rerum summam evectos; quod non parum Hispanis profuit, ut facilius admitterentur. Debiliores, et pauperiores, qui erant in alienis domibus, solvendoque impares, apud divites mancipiorum loco serviebant. Ante Hispanorum adventum poligamiam exercebant simultaneam, partim

Digitized by Google

Mahumedani, partim idololatrae, solem, lunam, et simulacra plurima splendidis ritibus, mactatisque victimis venerati. Festa publica sacerdotum more indicebant mulieres, Holaoy dictae, quae modo clam, modo coram populo petebant responsa daemonium, incantationum ope, et carminum magicorum. Ajunt, insulanos de Iloques, et de Coyo sacrificia daemoni offerre consuevisse, gratias acturos pro auro, et divitiis, quibus abundabant. In insulis de Messane, de Buthuan, et de Calepuan non aliter numini obsequium praestabant, quam manibus in coelum protensis, invocatoque Deo *Abba*. Credebant animae humanae vitam perpetuo duraturam, quae tamen ab uno in aliud corpus abiret juxta Pytagorae placitum.

Mendoza p. 324.

X. Hispanorum armis subactae tantum sunt XL. insulae, etsi LXX. Boterus recenseat, qui veritatem fassus deinde dicta retractat. Notabiliores sunt insulae de Luçon, de Zebu, et de Tendaye. Illa novae Castellae nomine nuncupata, longa CC. leucas, lata inaequaliter, extensa CCCL. in perimetro, caeteris amplior, et septentrioni proximior, distat LXX. leucis a Sinis orientalibus, CCC. a Japonia Japygem versus, minimo spatio ab oceano orientali, regnisque occidentalibus Cochincinae, Siam, Camboyae, et Malachae. Insulae, et totius Hispanicae ditionis metropolis episcopalis est Manilia sub gradu ferme XIII. ab aequatore, aliarum instar Europae architectonico opere constructa, murisque vallata, ac eisdem per medium secta, ut si in unam partem circumnavigantes Japoniae, et Sinarum piratae irrumpant, in altera civibus confugium pateat. Exsurgit ante insulam de Mirabelle trans scopulos ad ripam fluvii a lacu de Vay decurrentis, et maris litus. Nova Segovia in provincia de Cugayan, et nova Caceres in provincia de Camarines aliae sunt inibi civitates episcopales.

Boterus part. 2. l. 3. pag. 130. Herrera Nov. Orb. cap. 10.

XI. Ab insula de Luçon CI. leucarum spatio distat altera de Zebu, XXX. leucas protensa ab austro ad boream. Habet metropolim episcopalem Nominis Jesu, portu instructam. Huc primo venerunt augustiniani, ubi inani deorum cultui deditus populus, regem et filium ejus baptizarunt, illum nomine Caroli, hunc nomine Ferdinandi, ut fecerunt in Insula de Messane, ubi rex cum Christi fide Joannis nomen suscepit. Insula de Tendaye primo omnium detecta, sita est ad septentrionem insulae de Mindanao, prae aliis magis ad austrum vergenti, duobus gradibus ab aequatore, longa XL. leucas, lata XII., et CLX. perimetro complectens, ditata oris, et portubus commodissimis navigationi, ac commercio, caeterisque insulis amoenior.

Convent. Maniliae.

XII. Franciscanorum ingressus accidit gratissimus omnibus christifidelibus. Interim domum illis construere coepit Martinus de Rea militiae dux, idem fortasse, quem Gonzaga minus vere vocat gubernatorem Maniliae. Errat etiam Andreas de Guadalupe, asserens, gubernatorem Philippinarum, quem dicit Franciscum de Sandino, dumum ipsis, et ecclesiam posuisse. Nam ecclesia titulo Dominae nostrae de Angelis propriis sumptibus excitavit Gabriel de Ribera vir nobilis. Extitit primo coenobium modicis angustisque aedificiis, ex tabulis, asseribus, et viminibus luto contextis, unius mensis spatio instructum, quod an. MDLXXXIII. incendio in cineres redactum fuit. Die II. Augusti, solemni supplicatione indicta, comitantibus augustinianis, Joanne de Bivero clerico, militibus,

Gonzaga in prov. S. Gregorii convent. 1. De Guadalupe l. 8. pag. 389.

Ioan. Franciscus de S. Antonio t. 1. pag. 339. num. 187. et seq.

Digitized by Google

optimatibus, e coenobio augustinianorum franciscani se contulerunt ad Dominae nostrae de Angelis, ubi, sacris in ecclesia peractis, erexerunt tabernaculum, seu custodiam *de assistentia*, in qua reposuerunt Sacramentum altaris. Domus primum guardianum instituit Petrus de Alfaro sacrarum expeditionum praefectus Joannem de Ayora, vicarium Augustinum de Tordesillas, Franciscum de S. Maria sacerdotem, Joannem Clementem clericum. Ili omnes Maniliae permanserunt.

XIII. Thomas Maria Mamachius de sacra in Insulis Philippinis hac missione agens, primo intuitu dominicanos suos caeteris societatibus religiosorum praeponere videtur. At si ejus verba rite perpendantur, facile intelligitur, dominicanos, franciscanos, augustinianos, carmelitas, capucinos, et jesuitas, conjunctis laboribus ad illam Domini vineam excolendam sese dedisse: *Incredibile dictu est*, inquit, *quantam in his* (Philippinis) *vim, quantamque copiam hominum dominicani, franciscani, augustiniani, carmelitae, capucini, jesuitae, ad veram religionem amplectendam induxerint.* Et in nota ad calcem ait: *Jam inde ab eo tempore, quo detectae eae insulae fuerunt, dominicani, franciscani, iique ex aliis ordinibus religiosi viri, quorum supra facta mentio est, introducere in eas, ibique propagare christianam religionem coeperunt.* Similiter intelligenda sunt ea quae suis tribuit in Tartaria Magna (*tom. II. de orig., et antiq. christian. cap. XXIX. pag.* 415.), in Bengala (*ibid. cap. XXX. pag.* 425.), in regno Tonquini (*ibid. pag.* 451.), in Cochincina (*ibid. pag.* 459.), in Syam (*ibidem*), in Camboya (*ibid. pag.* 460.), in insula Formosa (*ibid. pag.* 464.), in majori Armenia (*ibid. cap. IX. pag.* 112.), in America australi (*ibid. cap. XXVII. pag.* 363.), in America boreali (*ibid. pag.* 332.); ubi observandum, quod in nota ad calcem, desumpta a Joanne Melendesio ordinis praedicatorum, dicitur, primos sacerdotes, qui Colnmbum sequuti sunt, fuisse ordinis S. Francisci. In Palaestina nominat primos franciscanos, licet in nota subjecta (*ibid. cap. I. pag.* 63.) videatur dominicanis primum locum assignare.

Mamachius de orig. et antiq. christian. t 2. lib. 2. p. 465. Romae 1750.

XIV. Eodem redolent sensu verba ejus de missione in Japoniam: *In his* (*cap. XXVIII. pag.* 354.), nempe qui a Philippinis in Japoniam navigarunt, *dominicani anno MDCII. in Japoniam ingressi una cum sociis apostolatus franciscanis tot, tantosque progressus fecerunt, ut Nangasachi, multisque aliis in locis magna Japoniorum multitudine ad christianam religionem perducta, coenobia construxerint, sodalitia instituerint etc.* Hinc patet laudata ipsius verba minime contradicere monumentis illis, quibus ostenditur, anno MDXCIII. die ultima Maii Petrum Baptistam franciscanum provinciae S. Joseph, commissarium in provincia S. Gregorii, ab urbe Manilia ad Japoniam appulisse cum tribus sociis legatum ad Japoniae regem Taicozamam Cambacundoñum, ab eoque perhumaniter fuisse exceptum, ac postea anno MDXCVII. die V. Februarii Nangasachi martyrio affectum, tum ipsum, et quinque ejus socios, tum jesuitas, atque alios evangelii ministros in Crucem actos ob fidem Christi, cum etiam dominicani eo se contulissent anno MDCII., et una cum franciscanis hoc eodem anno apostolatus officia obiissent. Idipsum ex verbis proxime antecedentibus perspicue colligitur (*cap. XXVIII. pag.* 353.); *Longe lateque jam erat in Japonicis insulis propagata*

Acta SS. ad diem 5. Februarii cap. 1. num. 5. p. 743.

laboribus sacerdotum societatis Jesu christiana religio, cum aliorum ordinum alumni, quod magnum superesse numerum idololatrarum intellexissent, qui institutione egerent, si jesuitis subsidio venissent ex Europa in Philippinas insulas, indeque in Japoniam navigarunt.

XV. Caeterum testes historici nullo partium studio addicti tenent augustinianos primum, deinde minores observantes ad insulas Philippinas se contulisse, ut gentes illas fidei lumine collustrarent. Praeter alios scriptores audiendus est Petrus Davity, qui in descriptione Asiae sic loquitur: *Primi omnium qui evangelium praedicarunt in Philippinis, fuere augustiniani, quos sequuti sunt observantini, postmodum dominicani, et jesuitae.*

Davity p. 970.

XVI. De custodia S. Francisci de Malacha agens Gonzaga ita scribit: *Anno* MDLXXVII. *Pontificatus Gregorii XIII. anno* V. *aliquot franciscani custodiae S. Gregorii patres animarum salute maxime anhelantes, ad Philippinas insulas a nova Hispania trajecerunt, atque ad Manilam usque penetrarunt; indeque solventes Macau, quae earumdem insularum civitas est, se contulere, ubi et minoriticum conventum extempore aedificarunt.* Verum 1. constat, eo anno custodiam S. Gregorii erectam adhuc non fuisse, cum ipse paullo ante asserat, Petrum de Alpharo, et socios anno MDLXXVII. ad Philippinas appulisse; 2. civitatem Macau, seu Amacai non esse in Philippinis, cum sit apud Sinenses in provincia de Quanton; 3. Amacai conventum praedicto anno adhuc non fuisse aedificatum, ipso Gonzaga teste, qui praemittit Petrum de Alpharo, Joannem Baptistam Pisaurensem, et Sebastianum a Baetia sub annum MDLXXX. repulsos a Sinensibus, Amacaum petiisse, ibique ecclesiam posuisse, ut videre est apud Arturum a Monasterio, cum quo ipse Gonzaga consentit in descriptione coenobii Dominae nostrae de Angelis ejusdem civitatis.

Gonsaga part. 4. pag. 1357.

Ibidem pag. 1352.

Arturus ad diem 2. Aprilis, et 7. Novembris. Gonzaga ibid. p. 1355. conv. 2.

XVII. Sub haec tempora duas custodias invenio fundatas, alteram a Dominico de Ariçhaga sub titulo S. Francisci de Zacatecas, quam constituunt quamplures domus doctrinales administratae a fratribus provinciae S. Evangelii in Mexico; alteram a Roderico de Sequera sub titulo S. Salvatoris de Copola, et Tampico, constantem quinque vel sex domibus doctrinalibus ab eisdem fratribus administratis. Ejusdem provinciae domus doctrinales, seu *vicarias* recenset Augustinus de Vetancur hoc ordine.

Theat. Mexican. part. 4. tom. 2. p. 85. et seq.

1. Domus SS. Simonis et Judae de Calpulalpa, septem leucis a Tezcuco. Praeest ecclesiis S. Philippi, S. Marci, S. Matthaei, et S. Jacobi.

2. Assumptionis Dominae nostrae de Apa, duabus leucis ad orientem a Tepepulco. Praeest ecclesiis Conceptionis de Almoloyan, et S. Matthaei.

3. S. Bartholomaei apostoli de Tepetitlan, duabus leucis ab urbe Mexici. Praeest ecclesiis Assumptionis, Nativitatis, S. Matthaei, S. Petri de Nextlalpa, seu de Quiquihu, S. Francisci de Sayola, Nativitatis de Atenco, et S. Petri martyris una leuca a Dexò.

4. S. Joannis Baptistae de Atlancatepec, tribus leucis a civitate Tlaxcallae. Praeest ecclesiis S. Augustini de Tlaxcò, S. Michaelis de Mimiahuapan, et S. Jacobi.

5. S. Idelphonsi de Hueyotlipa, tribus leucis ab eadem civitate ad occidentem. Praeest ecclesiis Assumptionis, Nativitatis, S. Mariae Magda-

Digitized by Google

lenae, et S. Francisci. Praeest eremitoriis S. Michaelis, S. Joannis, S. Crucis, S. Laurentii, S. Francisci, S. Annae, S. Simeonis, S. Jacobi, et S. Blasii.

6. S. Joannis Baptistae de Totollan in confinio Tlaxcallae ad occidentem. Praeest ecclesiis S. Mariae, S. Balthasaris, S. Ambrosii, S. Nicolai, et S. Georgii.

7. S. Mariae Visitationis de Tepepan, quatuor leucis ab urbe Mexici, Xochimilcum versus. Praeest ecclesiis, seu populis de Xochicalco, et de Xocalco.

8. S. Marci de Mexicaltzinco, una leuca ab urbe Mexici. Praeest ecclesiis S. Joannis Evangelistae de Nexticpac, Assumptionis, et S. Crucis.

9. S. Mariae de Tlexcalac, duabus leucis a civitate Tlaxcallae. Praeest ecclesiis S. Jacobi de Ocotlan, S. Bartholomaei de Matlaloca, S. Francisci de Tezcatzotic, S. Mariae de Toctla, S. Cosmae de Zalozque.

10. Hieronymi de Aculco. Praeest ecclesiis duabus sub titulo S. Mariae, S. Petri, S. Michaelis, S. Jacobi, S. Lucae, S. Francisci, S. Idelphonsi, et S. Clarae. In ecclesia S. Jacobi uno leucae quadrante a turri de Todos ditionis de Hueychiapan moratur quotidie unus ex fratribus.

11. S. Mariae de Atzompan in jurisdictione de Tlalmanalco. Praeest MCCXXX. circiter animabus.

12. S. Andreae de Calpa, una leuca cum dimidio ab Huexotzinco. Praeest ecclesiis S. Jacobi, S. Nicolai, S. Matthaei, S. Bonaventurae, S. Joannis de Tianquizmanalco, S. Balthasaris, et S. Helenae. Praeest eremitoriis Assumptionis, S. Michaelis, S. Joannis Evangelistae, S. Francisci, S. Mariae, S. Joannis, S. Annae, et S. Didaci.

13. S. Joannis Baptistae de Quauhtinchan, quinque leucis ab urbe Populae de Angelis. Praeest ecclesiis. S. Thomae, et S. Annae.

14. S. Michaelis de Coatlychan, una leuca a Tezcuco. Praeest ecclesiis Assumptionis de Tehuehue, S. Jacobi de Quauhtlalpan, et S. Philippi.

XVIII. Sequuntur domus aliae, quas vocant *assistentias*.

1. Nativitas de Tepetlatzinco, media leuca ab urbe Mexicana.

2. S. Michaelis Archangeli de Chapultepec ad occidentem Mexicanae urbis, loco amoenissimo, ubi rusticari solent pro-reges Mexicani.

3. S. Matthiae Apostoli de Iztacalco in lacuna, tribus milliaribus ad meridiem Mexicanae urbis.

4. S. Michaelis Archangeli de Acambaye, sex leucis ab Hueyciapan. Praeest ecclesiis S. Mariae de Tixmadehe, et S. Francisci.

5. S. Marthae ad orientem urbis Mexicanae in ripa lacus Salada. Praeest ecclesiae populi de los Reyes de Caxahuacan.

6. S. Antonii de las Huertas in villa de Manzera, quam fundavit Antonius Sebastianus de Toleto pro-rex Mexici anno MDCLXVI. Hinc nisi fratrum domus illic antea extiterit, ad recentiorem aetatem pertinet.

7. S. Gregorii de Acapulco, duabus leucis a Xochimilco in ora lacus. Praeest ecclesiae S. Ludovici episcopi.

8. S. Petri de Atocpam, uno leucae quadrante ad orientem de Milpa. Praeest ecclesiae S. Bartholomaei, dimidia leuca a monte Teuhtli, et eremitoriis quibusdam.

9. S. Francisci de Cadereyta, quinque leucis ab Hueychiapa ad radices de la Sierra Gorda. Oppidum fundavit circa annum MDCXXXVII.

D. Lope Diaede Armendatis, marchio de Cadereyta pro-rex Mexici, ut irruentes reprimeret barbaros Chichimecas. Hinc domus fratrum est recentior.

10. Dominae Nostrae de Angelis de Tecaxic, una leuca a Toluca ad septentrionem.

11. SS. Regum de Jxhuacan, duabus leucis a Xalapa. Praeest ecclesiis Assumptionis, et S. Didaci, ac eremitoriis S. Petri, S. Andreae S. Ambrosii, S. Martini.

12. SS. Conceptionis de Tolantonco prope Tezcucum, cujus ecclesiam dedicatam invenio anno MDCLXXVI. die II. Februarii. Annuentibus Francisco de Aguiar, et Seyxas de Betanzos in Gallaecia archiepiscopo, et Gasparo de Sandoval, Cerda, Sylva, et Mendoza comite de Galbe pro-rege Mexicano anno MDCXCIV. sejunctae sunt ab administratione fratrum hujus domus ecclesiae S. Antonii de la Capilla cum tribus populis, S. Marci de Amanalco, de Tzinacantepec cum octo populis, et ecclesia de Mazatepec cum decem populis, quorum duobus praesunt fratres in unaquaque assistentia.

13. S. Andreae de Cholula, locus fundatus anno MDLVII., die IX. Aprilis in regione meridionali de Chollollan, absolutus piorum eleemosynis anno MDCLXX.

14. S. Joannis de Ahuacatlan, duabus leucis a Zacatlan. Locum occupavit postmodum clericus saecularis, qui antea cum religiosis illic moratus erat de eorum vivens eleemosynis.

15. S. Thomae de Monte in regione deserta. Inde fratres excesserunt ob gravia incommoda, et alimentorum penuriam.

XIX. Custodia de Tampico S. Salvatoris habet coenobia.

1. S. Jacobi Majoris Villae de los Valles ad ripam fluvii de Panuco in ipsius custodiae umbilico. Huc translata sunt ossa Didaci Franco Mexicani, filii Joannis Francisci Adorno, et Catharinae Sandobal, qui obiit anno MDCLVIII. die XXVI. Martii, et Francisci Montero Hispalensis, filii Antonii Montero de Caxmina, et Mariae de los Angelos Hispalensis, qui obiit anno MDCLXXV. die III. Septembris; uterque professi in conventu Mexicano S. Francisci.

2. S. Ludovici de Tampico, ad ostium fluvii de Panuco in litore oceani. Oppidum, ejusque portus subjacet excursionibus barbarorum. Cives non raro supplicarunt guardianum pro suorum redemptione ab hostium manibus. Quiescit hic Andreas de Olmos translatus a conventu de Tamaolipa, ubi diem supremum obivit. *Ann. min. ad an. 1571. num. 74.*

3. Assumptionis Dominae nostrae de Azoloama, XL. leucis a Tampico ad austrum.

4. Assumptionis Dominae nostrae de Tamaolipa in regione olivetis consita inter Tampicum, et Floridam, XXX. leucis a portu de Tampico ad austrum, fundatus ab Andrea de Olmos apostolo de Huasteca, ad pedem montis, quem incolunt sylvestres Chichimecae. Hic obiit fundator, ut diximus.

5. S. Jacobi Apostoli de Tamui, VI. leucis a Tampico inter montes inhabitatos ab eisdem Chichimecis.

6. S. Francisci de Tanquayalab, XII. leucis a Tampico ad austrum.

7. S. Jacobi Apostoli de Tampazquin, xii. leucis a Tampico ad occidentem in regione Huastecana. Praesunt fratres quatuor ecclesiis Indorum nationis de Pames montana incolentium.

8. SS. Petri et Pauli de Talnacu, viii. leucis a Tampico ad occidentem, septentrionem versus, in regione Indorum, qui per montes peregrinantur.

9. S. Antonii de Padua de Guayabos, xvii. leucis a Tampico ad occidentem in asperis montibus.

10. Conceptionis Dominae nostrae, seu S. Mariae de las Palmas de Tamitas, xxx. leucis a Tampico ad occidentem, septentrionem versus, in regione populi de Calpolco. Hic decesserunt Didacus, Franco, et Franciscus Montero, qui populo sedem primo posuerunt anno mdcxliv., et coenobium fundarunt.

11. S. Michaelis Archangeli de Tamapachi, seu Tamaquicha, xv. leucis a Tampico ad occidentem, in regione de Guazrecos, et de Pamez.

12. S. Didaci de Huehuetlan, xiv. leucis a Tampico ad austrum. Titulus indicat, coenobium posterioris esse aetatis, nisi fortasse titulum alium antea obtinuisset. Primum obviat euntibus a provincia S. Evangelii in custodiam S. Salvatoris.

XX. De his domibus et coenobiis ne verbum quidem Gonzaga. Quare opportunum duximus de eis mentionem hic facere. In eisdem Americae regionibus indulsit Pontifex hoc anno fundationem duorum domorum hospitalium S. Jacobi, alterum in urbe Mexici, alterum Limae, datis litteris ad Christophorum de Capitefontium ministrum generalem, et Didacum Valades procuratorem ordinis: *Exponi nobis* die xxi. Aprilis, nimirum ut inibi exciperentur peregrini, qui locorum enormi distantia, et navigatione prohibiti, Brigantium in Gallaecia adire non possent, et decedentes indulgentiam lucrarentur. *Gonzaga part. 4. pag. 1274.*

XXI. Hoc anno coenobium S. Martini ab Aggere dioecesis Cremonensis sub titulo SS. Fabiani, et Sebastiani, fundatum a b. Sixto de Riparolo, desertumque anno mdxxxv. ob iniquissima proditione necem illatam guardiano a nebulone quodam propinqui oppidi Bozuli, recepit Franciscus Gonzaga primus diffinitor provinciae S. Antonii, consentientibus provinciae patribus Veronae congregatis, Nicolao Sfondrato episcopo Cremonensi, Julio cardinali de Ruvere ordinis protectore, et germanis fratribus ipsius Francisci, Pirro, Scipione patriarcha Hierosolymitano, Ferdinando et Julio, oppidi S. Martini dominis. Die xxiii. Aprilis S. Georgio martyri sacra, Franciscus primum posuit lapidem aedis restaurandae, sumptibus piorum, et ejusdem Pirri Gonzagae. Aemilia ejus mater ecclesiam ditavit pretiosis reliquiis, praeter illas, quas dono acceptas a Maria Austriaca Philippi II. sorore uterina Franciscus in eam intulit. Habitant xii. fratres. *Conv. S. Martini ab Aggere.* *Idem in prov. S. Antonii conv. 40.*

XXII. Non procul a castello Turturino dioecesis Cassanen. in provincia Basilicata, curante episcopo Cassanen., duobus ab hinc annis, absque sedis apostolicae facultate concessa fuit pro xii. fratribus una cum aedificiis annexis saecularis ecclesiae Annuntiationis B. Mariae Virginis. Hoc anno ratam habet Pontifex hujusmodi cessionem: *Sedes Apostolica* die viii. Januarii. Quare coenobium hoc nec aedificatum, nec fratribus ad inhabitandum traditum fuit anno insequenti, ut scribit Gonzaga. *Conventus castelli Turturini.* *Idem in prov. Basilicata conv. 25.*

13*

Digitized by Google

Conventus Insulae

XXIII. Annibal Caracciolus episcopus civitatis Insulae in ulteriori Calabria, parvae quidem sed illustris ob Annibalis Carthaginensis castra ad oppidum Castellorum maris, non procul Crotona, quatuor milliaribus a mari Adriatico in sinu Tarentino, suis, et civium expensis, construi fecit coenobium S. Nicolai, dimidio a civitate milliari, quod fratres strictioris observantiae paucis annis habitarunt, et resumpserunt anno MDCII. Scribit Ughellus, sub episcopo Caracciolo, quem unicum nominat Annibalem, conditum coenobium tertiariorum S. Francisci. At in catalogo Antonii de Sillis, qui omnia numerat loca tertiariorum provinciae Calabriae, ipsum non reperio. Aliunde vero, Ughello teste, non desunt in dioecesi Insulanensi aedes fratrum reformatorum.

Ughellus tom. 9. pag. 506.

De Sillis tom. 1. cap. 1. pag. 44.

Conventus Biguliae.

XXIV. Conventum S. Francisci Biguliae, seu de Bigaglia dioecesis Marianensis in Corsica hoc anno suppressum, deficientibus fratribus, qui eum incolerent, in jus cessisse ecclesiae parochialis, declarant Pontificis litterae: *Exposcit cura* die XXII. Martii. In Chronica tamen Gonzagae edita post annos decem, adhuc conventus memoratur, et aetate quoque nostra superest. Ex divenditis bonis minorum conventualium S. Francisci de Mira, seu Udemira dioecesis Eborensis in regione Transtagana, restauratur in totum coenobium, quod, iis reformatis, transierat ad observantes provinciae Algarbiorum. Habitant XVI. fratres, qui patronos habent oppidi comites. Transferuntur in locum commodiorem fratres coenobii S. Mariae de Saxo prope oppidum Fundao dioecesis Braccarensis, conditi anno MDXXVI. a Didaco de Sylva franciscano, Ceptanae prius ecclesiae, deinde Braccarensis antistite, qui patriam suam Fundao nobilitaturus, antiquum eremitorium in domum minoriticam evexit.

Gonzaga in prov. Corsicae conv. 8.

Conventus Mirae.

Idem in prov. Algarbiorum conv. 17.

Conventus de Fundao.

Idem in prov. Pietatis conv. 15.

Conventus Mirabelli.

Idem in prov. Turoniae Pictaviensis con. 1.

XXV. Ludovicus a Borbonio dux Montispenserii refecit hoc anno coenobium Mirabelli, seu Mirebeau dioecesis Pictaviensis, non multo ante Hugunottorum armis direptum, et flammis saepius combustum, quod circa tempora S. Francisci, fundavit nobilis vir Rodulphus de Brisajo redux in Galliam a terris Saracenorum cum duobus sociis franciscanis, primumque fuit in Gallia possessum a fratribus de regulari observantia, ut compertum est ex actis Concilii Constantiensis hisce verbis: *volumus et expresse ordinamus curae et regimini praedictorum Vicariorum subesse, ea ex causa, ut sicut in eo haec stricta regularis observantia in partibus illis sumpsit exordium, ita in illo tamquam in aliorum speculo semper elucescat.*

Concil. Constantiense sess. 19.

Conv. Castelfavip.

Gonzaga in prov. Valentiae conv. 25

XXVI. Domum S. Guilielmi de Valle Ebron oppidi Castelfavip dioecesis Turolensis, fundatam a Guilielmo anachoreta, qui multis ibidem defunctus miraculis claruit, translatus propterea solemni pompa in ecclesiam parochialem, carmelitis alio migrantibus, obtinuerunt hoc anno fratres de observantia provinciae Valentiae, in illam deducti a Petro Manrique ministro, cui cives locum libere concesserunt. Sub idem tempus, ut chronicae ejusdem provinciae testantur, etsi Gonzaga annum signet MDLXXVI., in minoriticum coenobium evectum est, civium eleemosynis, vetus eremitorium S. Mariae de Gratia juxta oppidum de Biar dioecesis Valentinae. Habitant XII. fratres. Gaudet c. dierum indulgentia, quam anno MDXIV. die XII. Junii concesserunt tres episcopi, et septem cardinales, a primis vesperis ad secundas in festis Nativitatis, et Resurrectionis Domini, Assumptionis, et Annuntiationis Deiparae. Coenobii

Conventus de Biar.

Ibidem conv. 24.

Monumenta prov. Valentiae.

formam suscipere coepit hoc anno, ampliatis ecclesia, et claustro, domus S. Sebastiani martyris Savignani, seu Sabiniani dioecesis Ariminensis, quae antiquitus fuerat hospitium fratrum Veruculi ejusdem dioecesis, deinde annexa domo hospitali pauperum oppidanorum, ac tandem cesserat franciscanis observantibus, ut scribit Gonzaga, an. MDXXI.; de quo licet nullum adsit monumentum, certum tamen est, Angelum de Forolivio ibidem fratribus praefuisse an. MDXXXIII. Habitant XVI. fratres.

Conventus Savignani. *Idem in prov. Bononiae conv. 27.* *Flaminius de Parma tom. 2. pag. 517.*

XXVII. Petrus de Ajala comes de Fonsalita initium dedit coenobio S. Mariae Misericordiarum Fonsalitae dioecesis Toletanae, non hoc anno, ut putat Gonzaga, verum annis praeteritis; quum enim paullo splendidior fabrica evasisset, abnuentibus illam recipere fratribus provinciae S. Joseph, Philippi Sega in Hispaniarum regnis a latere legati decreto, sui juris fecit minister provinciae S. Gabrielis, qui hoc anno constituit illic Melchiorem a Cruce guardianum, Franciscum de Belvisio, Antonium de Gata, Damianum de Saldaña praedicatorem, et unum clericum. An. MDXCIII. primum introducti sunt fratres provinciae S. Joseph. Juspatronatus exercent fundatoris haeredes. Habitant XII. fratres. Ara maxima donatur privilegio altaris Gregoriani de Urbe, quod a Gregorio XIII. praefatus comes impetravit. Educatus est ibi vir apostolicus Franciscus de Collaguto, et obierunt cum opinione sanctitatis an. MDXCVII. Antonius de Oporto Lusitanus, et anno MDXXII. Franciscus a Jesu Matritensis.

Conventus de Fonsalita. *Gonzaga in prov. S. Gabrielis conv. 27.* *Franciscus Matritensis in Bull. discal. tom. 1. p. 250.*

XXVIII. Uno ferme milliaris quadrante a moenibus Xeresii de Equitibus dioecesis Badajocensis trans Guadianam, obtenta licentia Philippi II., et Joannis Navarro commissarii a generali ministro instituti in provincia S. Gabrielis, ex oppidanorum facultatibus positum est coenobium B. Mariae de Aquis Sanctis, in eremitorio ejusdem nominis, longam ob distantiam Xeresium inter et coenobium S. Margaritae, quod anno MDXXII. observantes reformarunt sub Bernardino de Prato ministro generali. Aquae fontis pulcherrimi, et gratissimi inibi defluentes, B. Mariae tutela, aegris sanitatem restituunt. Habitant XII. fratres.

Conventus Xeresii. *Gonzaga ib. conv. 28.*

XXIX. Extra oppidum de Consuegra jurisdictionis militiae S. Joannis Hierosolymitani, in fundo, quem rusticus quidam donavit, addita eleemosynae fratribus faciendae promissione, Petrus Diaz Toletanus construi, et absolvi curavit coenobium S. Petri Apostoli, quod etiam ditavit SS. reliquiis Roma allatis. Hic quievit hoc anno Franciscus a S. Joseph guardianus, qui quum sub horam refectionis meridianae cibi deessent, laetus fratres suos in ecclesiam duxit de more Deo grates acturus. Interim servus quidam inopinato adstitit januae, esculentis, et poculentis onustus, quae fratribus numero XV. satis fuerunt.

Conventus de Consuegra. *Idem in prov. S. Joseph conv. 24.* Franciscus a S. Joseph.

XXX. Polixena uxor Antonii de Corduba equitis militiae S. Jacobi, ut votum solveret, quo se adstrinxerat ponendi domum minoriticam, si regius commendatarius fieret vir suus, MD. pas. a civitate Toleti fundavit hoc anno coenobium S. Joseph, brevique absolutum necessaria instruxit supellectili. Habitarunt XVI. fratres provinciae S. Joseph usque ad annum MDXCVI., quo sub Petro de la Rivera ministro propter aeris inclementiam, et rivulorum inundationes, abierunt in valetudinarium hospitii S. Antonii, donec post novem annos receperunt coenobium aliud in vico S. Cypriani, et domum pueris christiana doctrina instruendis

Conventus Toleti. *Idem in prov. S. Joseph conv. 25.*

destinatam, in jugo collis supra Tagum, ex placito regis, Bernardi de Rosas, et Sandoval cardinalis archiepiscopi Toletani.

Conv. Aunionis. Ibid. conv. 26.

XXXI. Melchior de Herredia marchio Aunionis, seu de Aunion, in aedicula S. Sebastiani propinqua oppido erexit coenobium sub eodem titulo, reservato sibi, et haeredibus suis jure patronatus, electoque majori sacello in sui sepulturam, ubi elegans mausoleum construxit. Aedem quoque posuit coenobio contiguam, quam incoleret, fratribus deinde traditam a nepotibus ad aedificium augendum. Quieverunt ibi Joannes Ruitius sacerdos anno MDLXXXVII., Petrus Caracensis, seu de Guadalaxara laicus circa idem tempus, Alphonsus de Esperilla laicus anno MDXCIV., Alphonsus a Valconete sacerdos anno MDCVIII. Accidit olim casus mirificus, quem referam, prout describitur in authenticis monumentis. Guardianus noctu orans, vidit ingentem turbam damnatorum. Cupiens vero nosse causam damnationis, audivit sonitum aeris campani ad januam coenobii, qua ab ostiario reserata, intravit homo sub aethiopis forma, qui accitis fratribus dixit, se esse daemonem, projectamque epistolam jussit ut legerent. Lecta autem haec verba continebat: *Ego Lucifer inferni princeps tibi guardiano notum facio, condemnationem animarum, quas vidisti, oriri culpa praedicatorum; qui non praedicant secundum Altissimi voluntatem, sed ad suos plausus, et conceptus attendentes. Quapropter praedicatores, et audientes descendunt in aeternum chaos.* Epistolam his verbis refert Alphonsus de Andrada societatis Jesu, eamque memorat p. Gaberri. At etiam illius meminerunt seniores aliquot probatae vitae oppidi Aunionis, qui non multo post decesserunt, testati id contigisse tempore cujusdam guardiani, qui erat de Leganes prope Matritum, viri sancti, quem imago Conceptionis b. Virginis in ascensu scalae ducentis ad patroni domum alloquuta est. Emmanuel Pacieco, et Michael ab Aunione praedicatores apostolici provinciae S. Joseph epistolam se vidisse retulerunt in Populo Montalbani, seu Puebla de Montalvan, habentem papyrum coloris rubri, et litteras sulphurei. Haec profecto aetatis nostrae sapientissimi pseudo-philosophi, qui nihil admittunt, nisi in ordine causarum naturalium, nullo negotio deridebunt.

Andrada tom. 1. Scholae Christi materia 7. lect. 6. punct. 3. Gaberri instruct. 1. num. 2. pag. 1.

Conv. Abulae. Gonzaga ibidem conv. 23,

XXXII. Rodericus ab Aquila, seu del Aquila equestris ordinis S. Jacobi ccc. pass. a civitate Abulae in Castella Veteri extruxit coenobium S. Antonii, ad cujus culmen adductum curavit hoc anno, ut senatus Abulensis civilis, et ecclesiasticus XXIV. fratres provinciae S. Joseph introduceret. Modo pertinet ad provinciam S. Pauli discalceatorum. Jacet humili sepulchro pius fundator, cui sine liberis decedenti nullus alius patronus successit. Obierunt Petrus Navarro anno insequenti, Philippus de Barcinone anno MDXCI., Idelphonsus a Pallentia anno MDCXIII., Bartholomaeus ab Angelis de Argente, et Joannes Baptista laicus Italus anno MDCXXVII., Didacus de Vera, Joannes a S. Maria de Aranzane, Lazarus a Resurrectione de Lerna, virtutibus et miraculis fulgentes.

Franc. Matritensis in bull. disc. tom. 1. pag. 245.

XXXIII. Joannes Ruiz minister ejusdem provinciae discalceatorum licentiam obtinuit hoc anno a Philippo Sega episcopo in Hispaniarum regnis Nuncio, construendi coenobium pro suis in oppido Talabricae, vulgo *Talavera de la Reyna* Toletanae dioecesis. In illud intrarunt fratres anno insequenti. Laudati episcopi litteras hic exscribimus.

Digitized by Google

Philippus Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Ripan., Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Gregorii divina providentia Papae decimi tertii, et praedictae sedis cum potestate Legati a Latere in Regnis Hispaniarum Nuncius. Dilecto in Christo filio fratri Joanni Ruiz ordinis fratrum discalceatorum nuncupatorum provinciali provinciae S. Josephi ordini S. Francisci in regnis Hispaniarum commoranti salutem in Domino.

Ex parte tua coram nobis propositum fuit, quod tu ob singularis devotionis, quem geris affectum ad ordinem S. Francisci, cupis pro augmento cultus divini, et ad Dei laudem, et honorem, unam domum, seu monasterium sub regula, et ordine S. Francisci fratrum discalceatorum, in oppido, seu villa de Talavera Reginae Toletanae dioecesis erigere, construere, et aedificare, et pro adimplemento tui desiderii ad archiepiscopum Toletanum recursum habuisti, qui, auditis precibus, tibi dictam domum, seu monasterium in dicta villa de Talavera construi, et aedificari licentiam concessit, et indulsit. Sed quia asseris, non solum ab ordinario loci licentiam obtinuisse sufficit, sed etiam a generali totius ordinis similem facultatem impetrare necesse habeas; cumque in regnis Hispaniarum dictus generalis modo praesens non existat, nobis humiliter supplicari fecisti, ut absentiam, et auctoritatem tui generalis in hac parte supplere dignaremur. Nos igitur attendentes, quod in his, quae in divini cultus augmentum tendunt, favorabiles esse debemus, atque benignis tuis in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica nobis concessa, qua in hac parte fungimur, attento suae catholicae majestatis beneplacito desuper concesso, tibi, ut unam domum S. Francisci, vel alia vocatione tibi bene visa, ac regula, et ordine ejusdem S. Francisci in dicta villa, cum illius claustro, refectorio, dormitorio, horto, et aliis necessariis officinis, sine tamen alicujus praejudicio, auctoritatem tui generalis, in hac parte tantummodo supplendo, erigere ac construere, et aedificare libere et licite possis et valeas, tenore praesentium concedimus et indulgemus, tibique licentiam, et liberam facultatem impartimur.

Datis in oppido de Madrid Toletanae dioecesis anno Incarnationis Dominicae 1577. pridie nonas Januarii, Pontificatus praelibati SS. Domini nostri Gregorii divina providentia Papae XIII. anno ejus sexto.

Philippus Episcopus Ripan. Nuncius Apostolicus.

XXXIV. In oppido Cymbao Abulensis, seu Barco d'Avila dioecesis Abulensis, dominii temporalis ducum de Alva, ad radicem gelidorum montium, qui Veterem Castellam disterminant ab amoena valle Placentina, Mariae de Toleto Albanorum ducissae, et civium sumptibus fundatum est coenobium S. Francisci, duobus post annis a XII. fratribus inhabitatum, sub Francisco de Fonseca ministro provinciae S. Gabrielis. Scribit Gonzaga, Franciscum Gusmanum jam commissarium generalem familiae ultramontanae an. MDLXXVI. litteras dedisse ad ministrum provinciae S. Gabrielis, ut fratres eo destinaret operis praefectos. Degebant antea in eremitorio de Martyribus, quod acceperant ab Alvaro de Mendoza episcopo Abulensi, illinc postea translati in oppidi Xenodochium. *Conventus Cymbae Abulensis. Idem in prov. S. Gabrielis conv. 25.*

Modo inhabitatur a patribus discalceatis provinciae S. Pauli, sub titulo S. Lazari.

Conv. Bonillae. *Ann. min. ad an. 1570. num. 15.* XXXV. Rursus incoluerunt hoc anno fratres provinciae S. Joseph coenobium S. Matthiae Bonillae dioecesis Abulensis, quod casu igne combustum, Gaspari ab Hortunnio fundatoris pietas restanravit; pariter fratres provinciae Nominis Jesu de Guatemala coenobium de Comajaqua, fundatum anno MDXXXVII. desertumque fratrum penuria. Hoc diversum ab altero S. Antonii de Padua Comajaquae de las Honduras, quod inchoatum a Bernardino Piretio, Petrus Hortitius perfecit, demonstrat, tum tempus fundationis, tum loci qualitas; Comajaqua enim de las Hondnras est civitas episcopalis in provincia S. Georgii de Nicaragua alia ab oppido ejusdem nominis in provincia de Guatemala. Bonaventura de Aquila minister provinciae S. Bernardini impendit quamdam pecuniae vim, quae spectabat ad universitatem S. Petri de Guenca, in usum valetudinarii coenobii S. Bernardini Aquilani ex pontificia concessione: *In his, quae* die XXII. Martii.

Conventus de Comajaqua. *Gonzaga in prov. Nominis Iesu de Guatemala c. 11.*

Conv. S. Pauli de Monte. XXXVI. Antonius Bravo, quondam franciscanus conventualis, amplexus reformationem discalceatorum peractam in Portugallia, operam dedit restaurando coenobio S. Pauli de Monte. Hoc illi nomen a S. Paulo martyre, quem in viridi aetate annorum circiter quatuordecim occiderunt Mauri post relatam ab eis anno CMXXVI. victoriam de christianis in valle de Junqueira, aedem posuerat, ut ferunt, Gundisalvus Marinho una leuca a Mosteiro ad maris litus, quum Didacus Arias fundaret alteram S. Mariae in eodem oppido sub annum MCCCXCII. Defectu eleemosynae, cui erogandae satis non erant proximi oppidani Villae Novae de Cerveira, anno MCDLX. fratres excesserunt, curamque omnem collocarunt in ampliando oratorio S. Francisci de Ves, seu Oens in termino Villae de Peñela. Locum vacuum occuparunt conventuales, a quibus an. MDLXVIII. rediit ad observantes, qui illum denuo reliquerunt binos post annos, donec praefatus Antonius Bravo ex Pontificis facultate, eo accessit, vidensque aedificium pene collapsum, omni spe dejectus, abiit Bragam patriam suam, alio deinde iturus. Infirmitate correptus in itinere, mortique proximus, in visione S. Martyrem adspexit, qui ei jussit, ut domum suam repararet, si vellet sanitati restitui. Assumpto itaque socio Emmanuele Durado, superatisque maximis difficultatibus ob situs asperitatem, rerum omnium inopiam, et ministri provinciae Portugalliae repugnantiam, in meliorem formam redegit ecclesiam, organi pegma, et duo cubicula construxit cum officinis, suppetias sibi ferentibus finitimis populis, praesertim Villae Novae de Cerveira, excitis fama miraculorum S. Pauli, quae in dies fiebant in ecclesia sua, Portugallia, et Gallaecia. Horum CLXXX. peracta partim hoc anno, partim anno MDLXXXVI. authentica publicavit idem Antonius, addito catalogo, in quo exprimuntur caeci, surdi, vexati a spiritibus immundis, membris mutili, contracti, doloribus cruciati, in quibus etiam defunctus unus vitae redditus.

Emmanuel a Spe part. 2. lib. 10. cap. 35. pag. 453. et seq.

XXXVII. In ecclesia Assumptionis extra emporium in Tuscia institutum est sodalitium SS. Rosarii in sacello Visitationis B. Mariae Virginis, auctoritate Sixti Fabii Lucensis procuratoris generalis ordinis praedicatorum sub dat. Romae in conventu S. Mariae supra Minervam hoc anno die II. Julii. Post annos LIX. sodales se transtulerunt in novum

Terrinca dec. 4. an. 1577. pag. 72.

Digitized by Google

sacellum erectum liberalitate Barnabae Malaspinae marchionis Terrae Novae, picturisque eleganter exornatum sumptibus Eleonorae ejus conjugis.

XXXVIII. Franciscus Joannes Roca decanus Gandiae accepit hoc anno die XVIII. Februarii juspatronatus coenobii S. Joannis de la Ribera Valentiae, quod promovit, auxit, perfecitque. At paullo post illud dimisit penes sedem apostolicam, sibi reservans solam aram maximam, rogansque Pontificem, ut fratribus adesset, ac fratres, ne patronum alium asciscerent. Imitati sunt ejus pietatem haeredes, praesertim Vincentius Roca canonicus Valentinus, archidiaconus Xativae, et episcopus de Abarracin, qui peculiari cura fratres complexus est. Cessit hoc anno recollectis sub Antonio Marco guardiano coenobium Dominae nostrae de Monlora in montis cacumine, una leuca ad septentrionem Villae de Luna, in provincia Aragoniae.

Antonius Panes p. 1. cap. 24. pag. 85. et seq.

XXXIX. Aucta quoque est coenobiis sacra capucinorum familia. Recepit in provincia Basilicatae conventum S. Mariae de Constantinopoli Pollae dioecesis Caputaquensis; in provincia Barii conventum Visitationis b. Mariae Andriae archidioecesis Tranensis, sumptibus Vincentii Carafa primogeniti ducis Andriae, et prioris Capuae, et conventum Monopolis in sacello S. Jacobi Albi ad clerum spectante; in provincia Neapolis Conventum Conceptionis Madaloni dioecesis Casertanae, sumptibus Marii Carafa, et Victoriae Spinelli ducum Madaloni, in vetusta ecclesia S. Mariae de Vallefreda, conventum S. Mariae de Constantinopoli Montis Sarculi, sive Herculei dioecesis Beneventanae, sumptibus civium ad instantiam marchionis Caracciolo *di casa d' Alboro*, et conventum S. Francisci Pedemontii dioecesis Alifanae, in fundo Bernardini Tartaglia, civium sumptibus, ad instantiam Cassandrae de Capua sororis ducis Bubae, ducissae Trajetti, et oppidi dominae; in provincia Rhegii conventum S. Mariae de Gratia Mileti, ad fratrum petitionem, qui degebant in conventu alio duobus a civitate milliaribus. De ipso nihil Michael a Tugio.

Conventus Capucinorum. Ex indice Michaelis a Tugio, et ex Boverio.

XL. In provincia S. Angeli recipiunt conventum S. Mariae Angelorum Aeserniae fundatum, contradicente primum Joanne Baptista Lomellino Rhodio episcopo, deinde acquiescente ex mandato S. Congregationis Concilii, crucem, primumque lapidem ponente, expensis publicis, et ducis de Montenegro civis Aesernensis; in provincia Brixiae conventum Rumani dioecesis Bergomensis; in provincia Genuae conventum S. Laurentii Pontremoli dioecesis Sarsanensis, fundatum extra oppidum in oratorio ejusdem Sancti, quod confratres cesserunt, reservato sibi jure postliminii, si capucini inde excederent, ut accidit anno MDCXLI., quo migrarunt in locum salubriorem, et commodiorem.

XLI. In provincia Marchiae recipiunt conventum Spiritus Sancti Mondavii, vel Montis Avium dioecesis Fanensis, et conventum S. Annae oppidi S. Genesii dioecesis Camerinensis; in provincia Mediolani conventum S. Materni Melegnani dioecesis Mediolanensis, sumptibus Octavii Gonzagae, Barbarae Marchionissae conjugum, et Caeciliae eorum filiae; in provincia Romana conventum Civitatis Castellanae; in provincia Tusciae conventum Aretii, in fundo societatis S. Mariae de Misericordia; in oppido del Viso dioecesis Toletanae conventum fundatum ab Alvaro de Lacan marchione S. Crucis in memoriam victoriae ad Echinadas,

Digitized by Google

oblatumque capucinis ex apostolico indulto: *Inter caetera* die xxvii. Aprilis. At *executionem harum litterarum*, subjungit Michael a Tugio, *subortae variae difficultates impediverunt, et* rr. pp. *Discalceatis domum constructam occupandi sortem contulerunt;* in provincia S. Angeli conventum Venafri, fundatum antea ab Andrea Matthaeo Acquaviva archiepiscopo Cosentino in praedio Abbatiae S. Nicandri, quam ipse administrabat: *Exponi nobis* die x. Decembris.

Michael a Tugio Bullar. Capucin. tom. 5. pag. 368.

XLII. Degebant capucini Venetiis ab anno mdxli. in regione de la Giudeca ad S. Mariae de Angelis, recepti a fratre Bonaventura Veneto alumno minorum de observantia, qui non egressus a suis, sed ex licentia, et consensione superiorum sui ordinis, cum socio inibi morabatur in domo ei tradita a germanis sororibus gentis Cornariae, quibus aderat a confessionibus, etsi postea hospitibus suis obsequutus, tunicam mutaverit, et barbam nutriverit. Hoc anno prope aedem S. Mariae die iii. Maii Aloisius Maourocenus dux, et Joannes Trevisanus Venetiarum patriarcha jecerunt fundamenta magnifici templi SS. Redemptoris ex voto Deo nuncupato pro salute patriae mediis in exitiis furentis contagii, ut indicat epigraphe marmore sculpta supra ostium: *Christo Redemptori civitate gravi pestilentia liberata Senatus ex voto* mdlxxvii. In templum subinde immissi sunt capucini, qui hoc anno aere DD. de Lipomanis emerunt fundum ad conventus amplificationem, quod anno mdcvii. iterum peregerunt.

Ann. min. ad an. 1538. num. 17. Monum. prov.

XLIII. Minoribus conventualibus hoc anno accessere in provincia Calabriae coenobium S. Mariae de Succursu Petrae Malae dioecesis Tropensis, fundatum opera fratris Seraphini de Stilo, receptumque a Francisco Flassina Magistro, sub Hieronymo Rustico Romano Tropeae episcopo; in provincia Sicilia coenobium Buteri, seu Butorae dioecesis Syracusanae, fundatum in ecclesia S. Mariae de Patrocinio sub invocatione S. Francisci, opera magistri Matthaei Joannis Monaco Terranovensis, seu Lornonaco, ut scribit Rodulphus, qui fundum obtinuit a Fabritio de Brancinfortis oppidi dynasta. Habitant vii. fratres; coenobium Bussemae ejusdem dioecesis S. Francisco sacrum, quod memorat Pirrus, fundatum a fratre Francisco Appulo in ecclesia confraternitatis S. Bartholomaei; in provincia Bononiae coenobium B. Mariae Saxoli dioecesis Regiensis, extra oppidum dimidio milliari, traditum Alphonso Finotto Ferrariensi magistro provinciae die vi. Junii, assentiente Francisco Martellio episcopo, interposita pactione, ut discedentibus conventualibus, locus redderetur communitati, quae juspatronatus obtinebat. Habitant vii. fratres. Post omnium conventuum jacturam, anno mdcccxxvii. pia liberalitate Francisci IV. ducis Mutinensis observantibus cessit.

Conv. Petrae Malae. Ex Arch. SS. XII. Apost. de Urbe.
Conv. Buterii. Ibidem.
Rodulphus lib. 2. pag. 282.
Conv. Bussemae. Sicilia sacra t. 2. p. 680., et 689.
Conv. Saxoli. Monum. prov.

XLIV. Hoc anno litteris incipientibus: *Ad exequendum* idibus Januarii concessit Pontifex patribus conventualibus urbis Savonensis parochialem ecclesiam S. Dalmatii de Lavagnola prope et extra muros Savonen. tunc vacantem, eo quod conventus dictorum fratrum ad preces ducis et urbis Genuensis a Paulo IV. fuit suppressus, ut illorum ecclesia fieret cathedralis episcopi Savonae. Fratres vero interim morabantur in conductoria domo cum oratorio a nonnullis eis concesso cum quadam conventione et concordia inter utramque partem inita, sed a magistro generali ejusdem ordinis minime confirmata, a qua Pontifex

Conv. Lavagnolae. Sbaralea in suppl. ad an. 1577.

fratres exemit, ita tamen ut tenerentur paroeciam regere per se, vel per alios. Ad construendam domum multa contulit Franciscus Ferrerius patritius Savonensis, reliquamque pecuniam impendere partim Savonenses, partimque fratres conventus ejusdem civitatis. *Storia dell' apparizione de' miracoli della Madonna di Savona p. 19.*

XLV. In provincia Neapolis eis accessere coenobium S. Francisci Serini dioecesis Salernitanae, receptum a Jacobo Scavo de Itri provinciae magistro, consentientibus Laelio Jordano archiepiscopo, et Petro de Tolfa comite Serini, ex convento, ut ibi manerent v. sacerdotes, et duo laici; coenobium S. Mariae de Rocca ejusdem dioecesis supra montis jugum, concessum conventualibus a praefato archiepiscopo commendatario abbatiae Matris Domini, assentientibus monachis, cum onere annualis tributi quatuor librarum cerae fabrefactae. Apostolicus visitator coenobii S. Francisci Papiae jussit dirui sacellum, et altare S. Sebastiani ad templi valvas, loco minus decenti. Conventus Castrensis in Tuscia custodiae Urbevetanae incertae fundationis est; erat autem primitus eo in loco, ubi postea constructa fuit arx. Cum enim Octavius Farnesius dux Parmae et Castri dominus urbem muniendam duceret, nullibi magis censuit arcem construendam, quam ubi coenobium fratrum erat; alium proinde locum illis construi fecit, quem ingressi sunt anno MDLXXVII. sub Gregorio XIII. cujus primus guardianus fuit fr. Alexander Viterbiensis. Praesefert titulum S. Francisci.

Conv. Serini. *Pirrus ibidem p. 418.* *Conv. de Rocca. Ibid. pag. 421.* *Flavia Papia Sacra pag. 21.* *Conv. Castrensis. Sbaralea in suppl. MSS. ad an. 1291. num. 42. Bonaventura Teuli pag. 112.*

XLVI. Emmanuel Philibertus, jam strenuus Maximiliani II. Imperatoris apud Belgas militiae praefectus, nunc dux Sabaudiae, et Pedemontium princeps, cum vellet in civitate Montis Regalis, sive Montis Vici ditionis suae arcem vel propugnaculum in loco cathedralis ecclesiae S. Donati episcopi et martyris, ac in aedibus eidem annexis excitare, una cum Vincentio illius civitatis episcopo, capitulo, canonicis, dominicanis, conventualibus, jesuitis interesse habentibus, expetivit a Pontifice, cathedralis ecclesiae ad ecclesiam insignis structurae, et domum S. Francisci conventualium, constructam anno MCCXL., et familiae eorumdem fratrum translationem ad parochialem ecclesiam S. Andreae, contiguam domui S. Francisci, retenta tamen S. Fundatoris invocatione. Annuit Pontifex hoc anno: *Superna dispositione* idibus Martii, proindeque non recte scribit Ughellus, eam occupatam fuisse anno MDLXXIII. Animo gratificandi dominicanis, conventualibus, et jesuitis, pontificiam bullam per extensum dabimus in regesto.

Conventus Montis Regalis. *Ughellus Italia Sacra tom. 4. pag. 1085.*

XLVII. Excesserunt hoc anno fratres de observantia a coenobio Lympurgi dioecesis Trevirensis ad Lahnum fluvium, quum pauci ibidem forent, nec aliis domibus incolendis sufficerent, postquam CXIII. annos a fundatione in illo permansissent. Ita Gonzaga. At ex antiquis MSS. provinciae Coloniae liquet, coenobii initia ab anno MCCXXXIII. esse repetenda, in quibus referuntur instrumenta indulgentiarum, quas Joannes Sambiensis episcopus suffraganeus archiepiscopi Trevirensis concessit visitantibus ecclesiam fratrum minorum in Lympurg anno MCCLII. feria IV. ante festum S. Laurentii, quasque concesserunt Conradus archiepiscopus Coloniensis in festo SS. Petri et Pauli Apostolorum eodem anno, et Alexander IV. anno MCCLVI. pontificatus II. Eadem MSS. docent, Jacobum de Eltz archiepiscopum Trevirensem coenobium hoc patribus societatis Jesu attribuisse. Ad instantiam Danielis Brendel ab Hompurg archie-

Conv. Lympurgi. *Gonzaga in prov. Coloniae conv. 9. Monum. prov. Coloniae. Ann. min. ad an. 1464. num. 52.*

Conv. Moguntiae.

piscopi Moguntini coenobium S. Francisci ejusdem civitatis concessit Summus Pontifex patribus ejusdem societatis hoc eodem anno: *Piam animi tui* die vii. Augusti.

Conven. Obrovatii dirutus. Greiderer tom. 1. l. 2. n. 182. p. 147.

XLVIII. Dirutum scribit circa hoc tempus Vigilius Greiderer in provincia Bosniae Croatiae coenobium Obrovazense custodiae Cettinensis Glavinichii, verisimilius situm in oppido ejus nominis inter Krupam, et Bihazium ad ripam Unnae orientalem. In chartis hodiernis topographicis Croatiae locus non exprimitur. Hinc eruditus historiographus opinionem suam sic explicat « Si nec modo, nec antea talis locus in praetacta vicinia consedisset, conventum hunc Ostrosatii, oppido a Turcis anno MDLXXVII. occupato, et in Passarovicensi pace augustiss. domui Austriacae relicto, locarem. De caetero Obrovatii oppido in superius et inferius diviso, a quibusdam Croatiae, ab aliis Dalmatiae adjudicato infra Zuonigradium cubante, hic conventus poni nequit, quum extra sphaeram custodiae Croato-Cettinensis versetur, et conventibus custodiae Corbaviae, et Tersactensis, in sensu Glavinichii inspectae, cingatur. » Si Ostrosatii coenobium constitit, hoc certe anno Turcarum armis eversum est. Saeviente in provincia Germaniae inferioris haereticorum perfidia, non solum expelluntur fratres, tum a coenobio castri Herentali fundato anno MCDLXXIII., tum ab altero Bulsuardiae erectum anno MCDLXXIV., verum etiam impudenter utrumque solo aequatur.

Et conv. Herentali, et Bulsuardiae. Gonzaga in prov. inferioris Germaniae conv. 23. et 32.

Et Conv. Reollae. Idem in prov. Aquitaniae conv. 21.

XLIX. Concidit hoc anno, non antecedente ut ait Gonzaga, coenobium de Reolle, seu Regula in ripa Garumnae, viii. leucis a civitate Burdigalae, irrumpentibus militibus, D. de Fabas regis Navarrae satellitis, et perditorum hominum antesignani, qui supellectilem omnem, et vasa sacra abstulerunt in vigilia Epiphaniae, fratribus verberatis, et carcere inclusis, quorum aliquot ab eorum manibus elapsi Burdigalam profugerunt, reducti non multo post a catholicis, qui hostes bello devicere. Haereticorum dux, dum omnia diriperentur, mandavit militibus suis, ut disjecta coenobii janua, extraherent quatuor columnas marmoreas pulcherrimas; quod illi, columnis jam loco motis, et ad limen adductis, perficere nequiverunt, licet tria boum paria ad opus adhibuissent. Constat id ex actis processus instituti anno MDCXX. die vii. Septembris, auctoritate consulum Reollae. Furor idem pessumdedit coenobium Mirandae in Vasconia ad fluvium Baise, vi. leucis ab Augusta Ausciorum, vastatum penitus, et incendio combustum. Martyres duo impiorum gladiis ea occasione interfecti memorantur; die quidem xvii. Martii Joannes Cozerius, alias Gozerius, vel Cosetus sacris concionibus operatus per quadragesimam, juxta Gonzagam, in civitate Faverense, sive, ut interpretatur Arturus a Monasterio, Voci-Ferrutensi; et die xiv. Decembris, qua coenobium extremam pertulit ruinam, Dominicus Beraldus praedicator adventus tempore, juxta eumdem Gonzagam in civitate Tarrubia, melius Tarbae, vel de Tarbes ad fluvium Aturi, seu de Adour in Vasconia. In eadem provincia Oppidi Villae-novae Conventus, anno MDLXI. ab haereticis illius patriae eversus, oppidanorum inde eleemosynis magna ex parte refectus, hoc anno fratribus ad incolendum traditur. Inhabitent xiv. fratres.

Monum. prov.

Et conv. Mirandae. Idem in provinc. Aquitaniae recen. conv. 9.

Joannes Cozerius.

Dominicus Beraldus.

Et conventus Villae-novae. Idem in provinc. Aquitaniae antiq. conv. 31. Ann. min. ad an. 1561. num. 4.

L. Quamvis sacerdotum sanguinem sitirent, et nihil aliud, quam aedium, rerumque sacrarum direptionem inhiarent hugonotti, catholicis hominibus semper infestum genus, non aegre tamen impetratum est, ut

Digitized by Google

pacis foedera jungerent cum catholicis Bergeraci, apud Petrocorios statutis conditionibus, quas solemni edicto publicavit Henricus III. rex in urbe Pictavorum. Hinc tempus idoneum illuxit monasticae disciplinae restituendae in ordine minorum; fieri enim non potuit, quin in summa rerum omnium perturbatione communem et illa temporum vicissitudinem sequeretur, debacchante circa haeresi xxxvii. annorum curriculo, et quia dum fratres virtute praestantiores hostium victimae corruebant, caeteri metu perciti desertis claustris diffugerent, saluti suae consulentes. Ex quo pronum fuit, ut pedetentim excusso obedientiae jugo, liberiorem arriperent vitae rationem, nec legum custodes officio suo jam fungi possent in eos, quos veluti errantes oves hoc illuc nullo ductore, vix quidem reperiebant.

LI. Pacem initam excipiebat egregia regis voluntas in religionem propensior, qui licet ab adolescentia armis generose innutritus, aliisque deditus curis, in oppositam tamen viam repente delatus, sacris concionibus, publicisque supplicationibus frequens aderat. Versabatur inter capucinos, et jesuitas, monasteria, et sacella exstruebat, corollam lateri appensam ad sacras preces deferebat, psalmos in aula cum Hieronymianis recitabat, nec ullum intermittebat austeritatis genus in corpus suum, ciliciis quoque et flagellis usus. Quae quum ita forent opportunissime, cogitatum est de reformandis provinciis franciscanis, teste Gualtero jesuita in Chronologia, etsi quid praecise actum fuerit, quibus auctoribus, et mediis res incoepta, lateat. Ex statutis editis anno mdii. a Martiale Boulier vicario generali observantium, et confirmatis anno mdxxv. a Francisco de Angelis ministro generali, constat, jam antea extitisse in Galliis coenobia recollectorum. Hinc non ad rem Rapinaeus, ut suadeat hoc anno primum illic reformationem institutam, adducit litteras Francisci Gonzagae anno mdlxxxiii. ad Martinum Boerium guardianum recollectorum in conventu de Cluys dioecesis Burgensis, aliaque monumenta, quae aut nihil conficiunt, aut probant oppositum. Crediderim, hoc anno superiorum ordinis, et fratrum domus Dei zelatorum animos vehementius incitatos ad collapsam disciplinam restaurandam, pietatis spiritum majora suscepisse incrementa, et virtutum semina jacta, quae in foecundas propagines, benedicente Deo, excreverunt.

Davila ad an. 1577. vol. 2. pag. 58.

Rapinaeus de orig. recoll. dec. 10.

LII. Non ea erat rerum conditio apud Belgas, quibus praeerat Joannes Austriacus, (non Alexander Farnesius, ut scribit Benedictus Sambenedetti, qui capucinos illi socios adjungit), edicto publico patriae hostis declaratus, tamquam pacis foedus Gandavi ictum violasset, Namurcum secedens. Civitas Amstelodami, quae franciscanorum laboribus adhuc orthodoxa perseveraverat, obsessa hoc anno, et expugnata a Ruychaver militum praefecto, et a comite Helling, durum tulit Geusiorum jugum, qui damnatas sectae caeremonias publice exercere sibi licitum contendebant. Cum viris tamen illic pugnatum est. At Gandavi in mulieres bellum exarsit, Coletanas, inquam, sorores hostium vi domo ejectas, ut scilicet nemini dubium foret, quin praeclarum foret Belgarum privilegium, quidvis aggredi et facere. Nonne ipsi, ut ait Le Clerc, summa consensione sanxerant inter se, *ut religionis christianae bases essent charitas, et bona politica?* Nihil ad nos de politicis artibus. Charitatem sane mirifice servarunt acatholici, qui imbelles virgines, claustro inclusas, nemini

Ann. Capuc. t. 1. part. 2. n. 38. p. 543. Famianus, non vero Flaminius, ut per errorem notavimus; Strada de bello belg. tom. 1. pag. 305. et seq.

Monast. Gandavi.

Le Clerc tom. 1. Hist. prov. unit. lib. 3. pag. 66.

noxias, Deo in humilitate, et innocentia servientes, vexarunt, spoliarunt, expulerunt. Illae miserae monasterio excedere compulsae, et quo tenderent incertae, partim Cameracum, partim Hesdinium, partim Atrebatum properarunt. Quae dum Atrebatum ibant, matris suae S. Coletae exuvias secum abstulere, non sine praesentia ipsius Divae visibili specie quibusdam apparentis, pignusque comitantis; quod juxta ipsius praedictionem evenisse ex Atrebatensis conventus MSS. asseritur. Quum enim de illo fundando ageretur, ipsaque rogaretur, num illuc se conferre vellet datura initium novae coloniae, erectis in coelum oculis: *ibo*, inquit, *si non viva, at mortua saltem*. Anno postea MDLXXXVI. die XIV. Januarii, reversae ab exilio sorores, eodem, quo antea, loco, et modo reposuere reliquias, instaurato, quod haeretici fuerant demoliti, sacello. Virgines etiam ordinis S. Clarae Harlemii dioecesis Trajectensis, prope maris litus in Hollandia australi, quae incolebant monasterium constructum anno MCDLVIII. in fundo D. Gisbertae de Huissen, ejectae sunt, civibus in Aurasii principis factionem abeuntibus, et Geusiorum furore sacris omnibus profanatis, atque destructis.

Acta SS. ad diem 6. Martii p. 622.

Monast. Harlemii.

LIII. Piis petitionibus Michaelis de Moura Sebastiani Portugalliae regis a secretis, et Beatricis de Costa conjugibus Ulyssiponen. indulget Pontifex, ut propriis expensis construant monasterium monialium juxta ecclesiam b. Mariae de Martyribus, oppidi Sacaven. ad VI. m. a civitate Ulyssiponen., datis ad hoc litteris cardinali Henrico Infanti Portugalliae apostolicae sedis Legato: *Exponi nobis* die XXIV. Junii. Quoniam autem delecti erant a Pontifice Damianus de Torres, et Alvarus de Olivenga pro redigendis statutis, et ordinationibus ad bonum regimen ejusdem monasterii, alia sua constitutione anctoritatem eidem concedit, eligendi alium fratrem sibi bene visum in locum Damiani defuncti: *Exponi nobis* die IV. Decembris. Verum hac de re ad annum MDLXXIX. Hoc anno jam piarum quarumdam mulierum largitionibus auctum evasit in monasterium clarissarum, titulo S. Marthae, collegium fundatum anno MDLX. a Sebastiano rege Portugalliae et Algarbiorum pro instituendis et dotandis pauperibus orphanisque virginibus civitatis Ulyssiponensis, indulgente Pontifice: *Debitum pastoralis* IX. calendas Octobris. Cautum tamen fuit, ut puellae ibidem degentes, si nubere voluissent, dotarentur. Errat proinde Emmanuel a Spe dum scribit anno MDLXXXIII. hoc monasterium fuisse aedificatum.

Monast. Sacaven.

Monast. Ulyssiponense.

Emmanuel a Spe part. 1. pag. 156.

LIV. Desivit circa hunc annum monasterium S. Clarae de Estremoz in provincia Portugalliae, fundatum anno MCDXXVIII. die XXVI. Septembris sub Martino V., ab Alphonso de Paradiso minorita; non, ut putat Damianus de Goes, ab Emmanuele rege; hic enim regni initium auspicatus est anno MCDXCV. Waddingus fundationis annum statuit MCDXXV., eaque de ipso dicit, quae conveniunt monasterio S. Clarae Portus Laeti, utrumque confundens, etsi ambiguitatem auferre potuissent litterae, quas dat in regesto, in quibus habetur: *S. Clarae de Stremos, Eborensis dioecesis;* quum oppidum Portus Laeti pertineat ad dioecesim Guardiensem. Reformatione ibidem peracta, neque redditus, neque cubicula satis erant virginum numero qui mirum in modum exereverat. Aliunde vero fundatio monasterii facta ab Aloisio regis Emmanuelis filio, sub titulo S. Joannis de Poenitentia ordinis Melitensis, quo orphanas, et pauperes filias in-

Mon. de Estremoz.

De Goes in chron. Lusit. p. 4. c. 85.

Ann. min. ad an. 1425. num. 34.

De Spe part. 2. l. 2. cap. 42. p. 633.

clusit sub cura fratrum minorum, spem omnem in posterum auferebat a civibus opem obtinendi novae domui impensius faventibus. Quare moniales de Estremoz translatae sunt in monasterium Portus Laeti, atque hodie prioris loci vix aliqua supersunt vestigia.

LV. Hoc anno in aedibus parochialibus S. Joannis Baptistae terrae Montiscassiani Auximan. nunc Lauretan. dioecesis in provincia Marchiae erigitur monasterium virginum: *Sacrosanctae militantis* vii. calendas Julii. Pro illius regimine, et novarum monialium eruditione die xx. Septembris anno mdlxxxiv. adductae fuere, auctoritate cardinalis Matthaei, tres moniales e monastario S. Clarae terrae S. Severini, Crescentia videlicet Boccaurati, Eugenia Nicolai de Monte S. Severini, et Angela Possi de Monticulo, cujus monasterii primus confessarius deputatus a Petro de Petracuta observantium tunc provinciae ministro, fuit Valentinus Servanzi a S. Severino Reformatorum custos. Post omnium coenobiorum amissionem, anno mdcccxxiv. curantibus Roberto de comitibus Carradori Recineten. praeposito oratorii S. Philippi mihi conjunctissimo, et germana Angela Theresia illic professa, denuo revocatae sorores, arctioris vitae institutis Deo ibidem famulantur. Monasterium S. Clarae Villae de Almazan dioecesis Seguntinae fere derelictum, ingredi destinarunt Isabella, Maria Anna, Aloisia de Mendoza, et Isabella Cachon professae in Monasterio Populae Montalbani dioecesis Toletanae ordinis S. Clarae, ad domum augendam et reparandam: *Exponi nobis* die xxviii. Januarii. Monialibus Corporis Christi Bononiae facultas prorogatur colligendi annuos proventus in districtu Centi, et Plebis ex bonis libere resignatis ab Hercule et Alexandro de Bentivolis: *Promeretur* die vi. Julii. Bona et redditus monialium S. Clarae Burdigalae, quae transierunt in monasterium clarissarum Annuntiationis b. Mariae, huic annectuntur, integra permanente ecclesia S. Clarae, supportatisque oneribus consuetis: *Officii nostri* die xxviii. Junii.

Mon. Montiscassiani.

Compagnoni de ecclesia Auximana tom. 4. pag. 143.

Mon. de Almazan.

Mon. Burdigalae.

LVI. Francisco Bossio episcopo Perusino iterum mandavit Pontifex, ut venderet domum monialium S. Agnetis, pretiumque impenderet in fabricam clausurae: *Relatum nobis* die xxiv. Augusti; Paulo Aretin cardinali archiepiscopo Neapolitano, ut supprimeret duo manasteria Neapolis, alterum S. Mariae de Angelis, alterum S. Antonii de Padua dictum de observantia, eorumque moniales una cum suppellectili, et bonis transferret in monasterium S. Mariae de Consolatione: *In his, quae* die xx. Aprilis. Sebastianus de Medicis vicarius Alexandri Medicaei archiepiscopi Fiorentini die xx. Januarii litem composuit inter moniales S. Francisci, et moniales S. Elisabeth de capitulo Florentiae super aquarum decursu, quibus aditum moniales S. Francisci immerito intercluserant.

LVII. Constructo jam sumptibus Beatricis de la Quadra nobilis mulieris Neapolitanae monasterio in insula Pithecusa, seu Ischiae, b. Mariae de Consolatione ordinis S. Clarae, accedentibus quoque eleemosynis communitatis, praefecta est prima ejus abbatissa Beatrix de la Quadra monialis monasterii S. Mariae Magdalenae Neapolis: *Exponi nobis* die xxii. Februarii. Erogati sunt in aedificando monasterio S. Clarae Neapolis redditus bonorum stabilium, quae acquisiverat Covilla Magistra Judex monialis ejusdem domus: *Petitionibus* die v. Martii. Cyprianus Pallavicinus archiepiscopus Genuensis facultatem accipit alienandi centum

Monast. Ischiae.

loca montis S. Georgii in utilitatem monasterii S. Clarae: *Ex injuncto nobis* die v. Julii. Vetus Xenodochium Gisortii dioecesis Rothomagensis in Normannia ad fluvium Epte, a S. Ludovico rege pauperibus excipiendis, curandisque infirmis destinatum, praefectorum incuria fatiscens, hoc anno duabus monialibus clarissis incolendum tradidit Henricus III. ex civium voto, novamque aedem minister generalis aliarum provinciae Franciae Parisiensis albo adscripsit.

Monast. Gisortii. *Gonzaga in prov. Franciae Parisiensis mon. 32.*

LVIII. A monasterio S. Clarae Palmae missae sunt in monasterium S. Mariae de Jesu Villae de Alanis dioecesis Hispalensis reformatrices, Leonora de Angelis abbatissa, et Francisca de S. Maria vicaria, ut moniales, quae tertium institutum S. Francisci professae erant usque ad annum MDLXXI., ac tandem regulam S. Clarae susceperant, novam vivendi normam docerent. Renuerant antea eaedem moniales de Alanis, nimirum Isabella de Cruce abbatissa, Anna de Matre Dei vicaria, et octo aliae subesse reformationi a Pio V. indictae, et jurisdictioni fratrum minorum provinciae Angelorum; acquieverunt tamen circa annum MDLXXII. sub Francisco Murillo commissario ejusdem provinciae, qui eodem anno decessit die S. Andreae sacro. Hinc minus vere Gonzaga scribit, eas alio declinasse, et monasterium cessisse clarissis Urbanistis.

Mon. de Alanis. *Daza part. 3. chron. prov. Angelorum monast. 4.* *Gonzaga in prov. Angelorum mon. 4.*

LIX. Intra moenia civitatis S. Francisci de Quito in America meridionali, XXXV. prope leucis ab orientali littore maris pacifici, inter anfractus montium de los Andes, et desertum de Piccincia, aerarii regii, et virginum quarumdam sumptibus positum est hoc anno monasterium SS. Conceptionis, non absque sedula minorum cura. Habitant XXXV. sorores. Curantibus eisdem minoribus incoepit Mexicanum monasterium virginum, et confraternitas sub invocatione S. Luciae: *Unigeniti Dei* IX. calendas Septembris.

Monast. Quiti. *Idem in prov. S. Francisci de Quito pag. 1325.* Mon. Mexicanum.

LX. Monasterii S. Clarae urbis Mexici administrationem fratribus minoribus auferre conabatur Petrus Moya de Contreras archiepiscopus, licet eorum laboribus fundatum foret, et optimo jure eidem praeessent. Sunt ejus litterae amarulentae et prolixae ad summum Pontificem hoc anno datae, in quibus alia inter quae congerit, affirmat, bis sibi relictum monasterium a franciscanis occupatis in evangelii praedicatione. Quod satis probat, ni fallor, eos ad tempus tantum monasterii curam dimisisse, atque ex eo, quad ipsi Mexicanae dioecesis fines dilataverint, consequens non esse, ut, mercedis loco, monasterii amissione multarentur. Litterarum rationem insequenti anno habuit Pontifex, sapientia sua dignam, et ad rerum circumstantias accomodatam, ut dicemus.

LXI. Joannis laici Salmanticae defuncti meminerunt hoc anno ad diem primam Julii Scriptores actorum SS., sed de ipso nihil aliud habent praeter nomen. Hic si est Joannes Hortulanus, de quo loquitur Arturus a Monasterio ad diem XI. Januarii, (alium namque ejus nominis, qui Salmanticae obierit, non invenio), sane non hoc tempore, sed sub initium saeculi XVI. decessit inibi, vel, ut scribit Rapinaeus, qui hac in re singularem se praebet, in conventu Complutensi. In conventu S. Josephi de Tula provinciae S. Evangelii vitam commutavit cum morte Petrus de Castillo inter minores observantes antea cooptatus in provincia Conceptionis. Is lingua mexicana, et otomica mox instructus, licet adversa fere semper valetudine, ad Christi fidem quamplures infideles

Joannes Laicus. *Rapinaeus part. 1. praefat. §. 4.* Petrus de Castillo. *Torquemada tom. 3. l. 20. cap. 59. pag. 521.*

Digitized by Google

adduxit. Oculorum visu orbatus, sacras die, noctuque Indorum confessiones excipiebat, eosque in fide confirmabat, atque aliquid de sacro evangelio eis pro suggesto explanabat. Ejus corpus ante majoris sacelli gradus fuit tumulatum. Scripsit vocabularium linguae Otomicae. Andreae de Castro Burgensis obitum in conventu de Toluca, non Tubricano, ut scribit Waddingus, recensuit Michelesius ad annum MDLXVII., quamvis plerique sint, qui illum referunt ad hunc annum, melioribus fortasse monumentis innixi. Scripsit Andreas *dictionarium, seu artem perdiscendis linguis Hispanica, Mexicana, et Matlazingsca perutilem, Catechismos vulgari sermone, Conciones ad populum posteris commodissimas Matlazingsca lingua permultas.* Corrigendus est Arturus, qui historiam sequutus Joannis a S. Maria, obiisse dicit hoc anno Joannem a Solitudine. Non enim video, cur deserere debeamus Gonzagam testem coaevum, qui post relatam mortem Gasparis a S. Joseph, de Joanne ejus discipulo addit: *ejus mors eodem prorsus anno MDLXXVI., sed non eodem die contigit.*

Benslaid lit. C. — Andreas de Castro. — *Waddin. de Script. lit. A.* — *Torquemada tom. 3. lib. 20. cap. 65. pag. 539.* — *Arturus ad diem 2. Junii.* — *Gonzaga in prov. S. Joseph conv. 18.*

LXII. Obierunt hoc anno in conventu S. Francisci Castrinovi Carfaniani Joannes a Monte Fullonico, theologus profundi ingenii, disertissimus ecclesiasticus, et poenitentiarius apostolicus archibasilicae Lateranensis de Urbe; in conventu S. Christophori Castilionis Aretini Guido a Castilione, tertio diffinitor provinciae Tusciae annis MDXXXIV., MDXLVI., et MDXLIX.; in conventu Posnaniae Blasius de Klenzon, praedicator in aula Elisabethae Hungarorum reginae uxoris Sigismundi regis Poloniae, vir sanctae conversationis, et spectabilis vitae; in provincia Marchiae Sebastianus a Ripatransonum, tempore Pii V. visitator, et reformator provincia S. Francisci, in provincia sua diffinitor, eximius litterarum sacrarum peritia, ingenio, morum integritate, et animi constantia, qua arctioris disciplinae jugum detrectantes fratres nonnullos Assisii in officio continuit, et in viam vel invitos redegit; in eadem provincia in coenobio S. Francisci Montisflorentini Angelus a Miratorio, vir magnae perfectionis.

Joannes a Monte Fullonico. *Monum. provin.* — Guido a Castilione. *Monum. prov.* — Blasius de Kleuzon. *Monum. prov.* — Sebastianus a Ripatransonum. *Ann. min. ad an. 1569. num. 62.* — Angelus a Miratorio. *Monum. prov.*

LXIII. In conventu S. Francisci Populae de Angelis die XII. Decembris his temporibus, probabilius juxta Torquemadam anno MDLXXV., et auctorem Bibliothecae Hispano-Americanae, nullo autem modo anno MDLX. juxta Josephum Mariam de Ancona, Rodericus de Bienvenida. A provincia S. Jacobi, octo religiosis secum assumptis, transfretavit in Mexicum, ubi mexicani idiomatis doctus, Indis adfuit sacrorum curator, non paucos etiam infideles baptizavit in Michoacano, Xalisco, et in Valle de Vanderas, quam Franciscus Laurentius montanis populis a barbarie ad humanitatem a se adductis, incolendam tradiderat. In oratione, cui plurimum studuit, singulares gratias recepit. Joannes a S. Francisco, qui episcopalem ecclesiam de Jucatan anno MDXLI. administravit, quamque postea abdicavit, ad patriam subinde pergens, quatuor post annos die XXX. Julii in conventu Mexicano Roderico oranti in ejus cubiculo in coenobio Deiparae de Cuernevaca, seu Quauhnauhac, se ostendit luce fulgidum, sociumque suum in evangelii praedicatione recreavit. Ei autem dixit, se XII. horis purgatorii poenas sustinuisse, indeque ereptum coelos ascendere, et eamdem viam ipsi patefactam virtute perseveranti. Delectabatur sanctus librorum spiritualium lectione, et potissimum SS. PP. historia a qua exempla seligebat, concionibus suis accomodata. Cu-

Rodericus de Bienvenida. *Torquemada tom. 3. lib. 20. cap. 64.* *Benslaid lit. B.*

Digitized by Google

stodias Mechoacani, et Xalisci semel secretarii munere pluries pedester lustravit, ut ex archivis fratrum praeclara gesta colligeret, et in volumen referret, quo et topographiam, et physicam locorum descriptionem complexus est. Moderabatur hoc circa tempus coenobium S. Michaelis Arcangeli de Huexotzinco, XII. leucis a Mexico ad orientem in radicibus *de la Sierra Nevada* in regione de Teochichimecas. Eodem in coenobio decessit. Melchior de Benavente sacerdos, qui ex S. Gabrielis provincia Mexicum venerat, ut Indorum saluti consuleret. Triginta annorum spatio, quibus inter Indos vixit, suis ferventissimis concionibus, optimisque sanctitatis exemplis uberes in dominicum horreum intulit fructus, plurimisque salutis caussa extitit. Ibidem etiam meritis et annis cumulatus quiescit Joannes de Bejar, qui ex Hispania Indiam solverat sub anno MDXLII. Adeo S. Josephum B. Virginis sponsum coluit, et suis extulit sermonibus, ut eo auctore, universa ferme Nova Hispania eum sibi peculiarem delegerit patronum.

Melchior de Benavente. *Torquemada ibid.*

Joannes de Bejar. *Idem ibidem pag. 539.*

LXIV. In conventu S. Joannis Regum Toleti obiit Martinus de la Torre, accola coenobii Dominae nostrae de Castaneto, seu Castañar dioecesis Toletanae, valetudinis causa Toletum missus. Videre meruit Christum Dominum in Hostia, dum sacrum conficeret; in provincia S. Antonii Portugalliae Alphonsus a Gama familiae illustris, qui adolescens in orientem ivit, reversusque in patriam, aliquot post annos praeclara obivit munera in aula regis. Quum autem apud Catharinam conjugem Joannis III. structoris maximi officium gereret, ferme sexagenarius, immutato repente consilio, in ordinem minorum referri voluit, suscepto habitu, votisque emissis in conventu Dominae nostrae de Insula ad ostium fluminis Minii, ubi duos annos mansit asperrimas inter poenitentias, sublimes meditationes, et quotidiana humilitatis exercitia. Postquam subinde in oppido de Caminha sacrum audivisset, et eucharistia se refecisset, veluti eventus praescius, cymbulam ingressus cum socio, naufragio periit, absorpta navicula mediis in fluctibus. Corpus, paucis transactis horis, repertum in littore ex parte Gallaeciae, adsportatum est in ecclesiam conventus de Insula, et honorifice tumulatum hoc anno, die quodam Dominico quadragesimae, ut habetur in Agiologio Lusitano.

Martinus de la Torre. *Monum. prov.*

Alphonsus a Gama. *Monum. prov.*

LXV. In conventu Aldenardi ad fluvium Scaldis provinciae S. Andreae coelestia petivit Joannes Mahusius, episcopus electus Daventriensis, quem fidei hostes vulneribus affecerunt. Ex Rodulpho habemus, ipsum ingenti corporis mole praegravatum, hydropisi accedente, mortuum anno superiori; alii scribunt ex commentariis Belgicis Emmanuelis Demetrii id contigisse anno MDLXXII. De ipso haec Miraeus « Joannes Mahusius, vulgo Mahieu, Aldenardensis, quondam primus in scholis artium « Lovanii, dein ordinis fratrum minorum religionis, nominatus fuit primus Daventriensis episcopus anno MDLIX. Sed oriente jam tum haeresi, multaque oppositione statuum Transylvaniae circa dotem dignitati ejus assignatam, consecratus non fuit. Anno MDLXV. interfuit concilio provinciali Ultrajectensi, factusque paullo post impar oneri episcopali, sponte renuntiavit. Tum Aldenardi vitam agens privatam, anno MDLXXII. die IV. Octobris, in expilatione oppidi hujus, multa ab haereticis, et rebellibus passus, vulneribus sauciatus, pedibus conculcatus, ac semivivus relictus fuit. Obiit ibidem die X. Maii an. MDLXXVII.

Joannes Mahusius. *Ann. min. ad ann. 1572 num 74. Rodulphus lib. 3. pag. 327.*

Miraeus in opere diplom. tom. 1. pag. 797.

« sepultus apud fratres minores ». Scripsit, teste Sbaralea, *Epitome annotationum ex 5. Erasmi Roterodami in novum Testamentum* Antuerpiae MDXXXVIII.; proscribitur in Indice donec corrigatur; *D. Joannis Chrysostomi in evangelium Matthaei commentarium* Antuerpiae MDXXXVII.; estque *Opus imperfectum* attributum Chrysostomo. Belgice scripsit: *Sermones VII. super hymnum: Veni Creator Spiritus, Sermones XXVI. super illud: oportet semper orare, Expositionem S. Bonaventurae in Lucam,* castigatam ex mss. cod. Gandavensis, Bruxellensis, Trajectinae, et Lovaniensis Bibliothecarum invicem collatis; panegyrim in Matthaeum Dordracenum ejusdem instituti. Sbaralea in Suppl. ad Scriptor. Ord. Min.

LXVI. Coenobii SS. Conceptionis de Matozinhos dioecesis Portuensis alumnus Antonius a Resurrectione, ex oppido Arrifanae de Sousa inter Durium, et Minium, sex leucis ad orientem a Portu, obsequia spiritualia praestabat infirmis lue contagiosa in privatis domibus, et nosocomiis. Defunctus jacuit in specu prope eremitorium S. Rochi, in via, quae Portum ducit. Ejus ossa, majoris venerationis causa, recondita sunt in sepulchro marmoreo coloris purpurei, illuc translato a veteri ecclesia S. Martini de Moazeses, cum hoc epitaphio: *Tegit hic lapis ossa p. fr. Antonii a Resurrectione fratris S. Francisci, qui obiit cum reputatione sancti, confessiones excipiens in hoc loco anno MDLXXVII.* Ad eumdem annum ejus meminerunt Agiologium Lusitanum, et Balthasar de Rocha, qui morienti adstitit una cum Hieronymo de Meireles. Ex quo patet, minus vere aliquos asserere, eum insequenti anno defunctum, qui in eo quoque falluntur, quod Dei virum faciant alumnum coenobii S. Francisci Portuensis. Antonius a Resurrectione. *Agiologium Lusit. tom. 1. die 25. Februarii.* *De Spe part. 2. lib. 10. cap. 49. pag. 499.*

LXVII. Joanni de Nursia laico anno MCDLXXXI., fratri Matthaeo anno MCDLXXXIII., et Francisco Brixiensi anno MCDXCIII. die III. Junii viris sanctis tumulatis ad sancti Bartholomaei Fulginii, additus est hoc anno Matthaeus de Rochicciola, comitatus Assisii oppido, laicus annorum plenus, orationi deditissimus, simplex et timens Deum. Nihil aliud in ore habebat, quam *Jesu et Mariae* nomina, quae cum diceret, ubicumque foret, genibus sese projiciebat in terram. Meruit saepius cum b. Virgine Deipara ad faciem loqui. Exiguo et vili cibo reficiebatur, charitate aestuans erga omnes, malorum spirituum victor, quibuscum bellum continuum gessit. In conventu S. Francisci Pinciarum in Veteri Castella die VI. Augusti obiit Franciscus a Turre sacerdos, qui ob magnam vitae perfectionem, et regularis observantiae zelum, XVI. annis educandis novitiis ibidem praefuit. Matthaeus de Rochicciola. *Monum. prov.* Franciscus a Turre. *Monum. prov.*

LXVIII. Bartholomaeus in oppido de Guadalupe, sive Aquis Lupiis in Bethuria nobili ortus genere, regulam minorum professus est aetate annorum XXV. anno MDXIX., vel anteriore, in conventu S. Francisci de Monte provinciae Granatensis, alias Baeticae, inter laicos. Paullopost a fratribus suis, et ab episcopo de Barrionuevo canonico ecclesiae Cordubensis instantissime requisitus, sacris ordininbus ab eodem episcopo initiatus est in ecclesia S. Francisci de Arriçafa, stadio XVI. a civitate Cordubae. Ad sacra translatus, quo proprius ad Deum accessit munere, accedere et curavit spiritu. Favebat ei locus inamabilis, quem inhabitandum elegit, S. Francisci de Monte. Quamvis enim antiquior conventus consitus in latere montis *de la Sierra Morena*, non excedens pedes XL. in Bartholomaeus de Guadalupe. *Alphonsus de Torres in prov. Granatensi pag. 281*

Digitized by Google

longitudine, xxiv, in latitudine, cum ecclesia concava, et cellulis in saxo excisis, desuper modicum luminis recipientibus, quae mortuorum potius sepulchra, quam vivorum domus videri potuissent, circa annum MCCCXCIV desertus fuerit, aliusque constructus; hic tamen non procul inde surgebat inter rupes amplior et commodior, non tamen gratior, aptatis aedificiis eremitorii instar, quae mundanis curis expellendis, divinisque mysteriis contemplandis idonea, pauperes et ferventissimos anachoretas continerent.

LXIX. Hac in solitudine spatium adeptus opportunum in viam mandatorum Domini celerius excurrendi, procul negotiis omnibus, terrenisque occupationibus, eremitico vivendi generi se totum dedit, orationi vacans assiduae, asperrimis ciliciis revinctus, et flagellis caesus, extenuatusque vigiliis, atque jejuniis, quae ad longas dies, mensesque producebat, crudis oleribus, herbarumque radicibus victitans, quum extrema tantum necessitas id postularet. Ibi in secretis recessibus, sive in petrarum foraminibus, qua specus patebat, sive in montis vertice, sive inter umbrosa cacumina fagorum, atque ilicum, sensibus in Deum suum, et oculis erectus, inter raptus, ac ecstases mirabiles versabatur, modo humi quiescens expansis in coelum brachiis, vultuque subpallido deficienti similis, modo sublimis a terra, et in aere immobilis micanti splendore circumdatus; quum interea sanctorum chori ordine procedentes, et coelestes triumphi sub apparatissimi, et magnificentissimi spectaculi forma se illi praeberent intuendos.

LXX. Non discedebat ab oratione, nisi incitatior ad illam rediturus, quam appellabat *panem animae*, sine quo vita deficeret, et squalore, ac macie ii potissimum obducerentur, qui claustro, et severiorum legum vinculis se mancipassent. Sacris peragendis liturgicis sacramentalem expiationem sedulo praemittebat, et austeritates duplicabat, antequam aris proximus fieret, quas lacrymis spargebat charitatis igne copiose expressis. Christum Dominum sub specie formosissimi pueri sibi apparentem vidit in azymis immaculatis, et saepe non solum fratres, quin etiam propinqui oppidani Villae Franchae, Adamusii, Carpii, Montorii, et Perabadii virum Dei admirati sunt, post consecrationem non semel, sed iterum, ac pluries diu haerentem, et labiis verba sussurantem, veluti si sopore correptus foret, et insomnia mentem ejus agitarent, haut oporteret interdum limbum tunicae non leviter pertrahere, ne sacrificium multas in horas produceretur.

LXXI. Reformandis fratribus ejusdem coenobii non sedulam parvam operam impendit institutus guardianus; tunc enim non pro sua tantum, sed et pro aliorum salute sibi ad laborandum animadvertit. Severiorem itaque disciplinam, et ad unguem expressam legum observantiam, quae primis temporibus Ferdinandi de Andugyar viri nobilis aedis vetustioris fundatoris illic viguit, non collapsam quidem, verum, ut humanarum rerum fert conditio, aliquantulum laxatam, restituit, primus ipse ad matutinas summa nocte, ad silentium, orationes, labores, omnia demum quae sanctos decent, pietatis studia. Valebat exemplo, zelo, auctoritate, ac signis praeterea. Nam quum claustrum, et dormitorium, quibus cubicula paullo distractiora conjungerentur, forent extruenda, nec apti lapides adessent aut haberi commode possent excisione silicum, et scopulorum

circum impendentium, precibus Deo nuncupatis, sciensque quid agendum esset, humum effodi jussit ante valvas ecclesiae; indeque erutus, praeter spem, ingens lapidum malleo expolitorum acervus aedificio inchoando, perficiendoque satis fuit. Alias quum ignis fortuito accensus sylvas undique depasceretur, et vento delatus jamjam coenobii moenibus immineret, summo in periculo nihil turbatus, prosiluit in medium fratrum, et in Dei nomine imperavit flammis, ne forent noxiae, statimque illae sunt extinctae.

LXXII. Miraculis insignem, rectum, innocentissimum, *in quo*, ut verbis utar Gonzagae, *Adamus humani generis protoplastes peccasse minime videretur*, apud proximos populos sic bene audiebat, ut nemo sanctum non praedicaret. Non inibi tamen illum tulit Deus, sed in conventu S. Laurentii Montiliae, hoc anno die S. Ceciliae sacro, x. cal. Decembris, ut ex luculentis monumentis discimus. Atque hinc Gonzaga et Arturus emendandi, quorum ille signat annum MDLXXXI., alter eumdem annum IX. cal. Martii. Cucurrerunt ad ejus funus cives omnes, viri nobiles, dynastae, seu marchiones del Priego, qui eum confessarium, et consiliarium adhibuerant. Quiescit in ala sacrae aedis, eodem tumulo, in quo Petrus de Angelis, Ferdinandus de Torres, et Antonius de Cruce jacent. *Gonzaga in prov. Granaten. conv. 18. Alphonsus de Torres ibidem.*

LXXIII. Burgensis provinciae, totiusque seraphici ordinis ornamentum Bernardus de Fresneda, seu Fraxineto in Castella Veteri, vir magnus tum virtutibus suis, tum dignitatibus, quibus est functus, vitam explevit hoc anno, provinciam moderante Joanne de Salcedo, die xxv. Novembris in capitulo S. Francisci de Logrono iterum electo in ministrum. Natalem diem adspexit anno MDXCIX. in praefato oppido, parentibus Bernardo de Alvarado, et Velasco, et Catharina Maria Mattheo conjugibus, nobilitate quidem claris, sed rei familiaris copia destitutis. Sortitus bonam indolem, et facile ingenium, moribus aeque, ac litteris mirum in modum profecit, annumque agens XVI. ordini minorum nomen dedit in conventu S. Bernardini de Monte, seu *de la Sierra*, sesquimilliari a patria sua, ut ipsum pluries narrasse ferunt. Semel transiens, jam episcopus, juxta Villam Francham in montibus de Oca, his, qui in suo comitatu erant, retulit, se in jugis et vallibus proximis pastorem egisse armentorum, pane, et aqua victitasse, donec a Deo vocatus franciscanum institutum inibi suscepit. Hinc erroris revincuntur aliquot, qui contendunt, Bernardum religiosae militiae adscriptum ad S. Mariae Angelorum Cidamonii, quamvis eorum opinionem refellant scriptores omnes vetustiores cum Gonzaga. *Bernardus de Fresneda.* *Gonzaga in prov. Burgensi conv. 7.*

LXXIV. Sapientiae viam ingressus, in humanis divinisque litteris eruditus, et disertissimus verbi Dei concionator Burgi, in aliisque Castellae urbibus, anno MDXXXIV. collegae nomine cooptatus est in majori collegio SS. Petri et Pauli Complutensi, electusque subinde, quum custos esset provinciae suae, diffinitor generalis in capitulo generali Salmanticae habito anno MDLIII., statuta ordinis in methodum redegit, ex quibus potissimum ea sunt, quae Segobricensia vocantur.

LXXV. Eo Carolus V. imperator a sacris confessionibus, et rerum gerendarum auctore usus, donec Hispaniarum se regno abdicavit, Philippo II. filio, et successori suo dixit, se illi non tam regnum tradere, *Famianus Strada de Bello Belgico tom. 1. pag. 394. et 396.*

Digitized by Google

quam duo regni firmissima propugnacula, Bernardum de Fresneda, et Cobas secretarium, viros in negotiis agendis exercitatissimos, singulari prudentia, et dexteritate praeditos, quorum consilio si regni habenas moderaretur fore, ut fausta fortunataque omnia evenirent. Quare hominem egregie commendatum, rex Philippus adhibuit interpretem, et judicem testamenti patris sui una cum Didaco de Espinosa praeside regii consilii Castellae, et generali contra haereses inquisitore, episcopo Seguntino, et tandem cardinali, secum in Angliam duxit nuptias initurus cum regina Maria Angliae coronae haerede, domumque reversus confessarium suum instituit, praefectum rationum, et auditorem gratiae in triremibus classis Hispanae, et anno MDLXI. episcopum Conchensem nominavit.

LXXVI. In theatro ecclesiae Conchensis magistri Gonzalez de Abula historiographi in aula regia Philippi II. sequentem ephemeridem invenio ex hispano latine redditam. *Anno MDLXIII. die XX. Augusti Bernardus adstitit ad latus regis, dum ille auspicaretur solemnem fundationem coenobii S. Laurentii Regalis. Anno MDLXIV. die IV. Septembris posuit primum lapidem coenobii Dominae nostra de los Remedios, ordinis S. Mariae de Mercede in urbe Matritensi. Anno MDLXV. adfuit concilio provinciali Toletano, indicto ob translationem corporis S. Eugenii. Anno MDLXVI. celebravit synodum suae dioecesis. Anno MDLXVIII. benedixit sacello magnifici et realis coenobii S. Mariae Angelorum S. Dominici de la Calzada, regemque est sequutus ad aulam Aragonensem in civitate de Monson, quem Concham deinde duxit. Confecit processum pro canonizatione S. Didaci cum episcopis Segoviensi, et Seguntino. Eodem anno die II. Martii in paroecia S. Petri Apostoli instituit sodalitium Conceptionis, et S. Juliani episcopi Conchensis. Anno MDLXX. praesens fuit scribendis obsignandisque tabulis nuptiarum inter Philippum regem, et D. Annam ejus consobrinam. Anno MDLXXI. intervenit solemni baptismo principis Ferdinandi in vesto pontificali, et ad sedem Cordubensem translatus est, postquam ecclesiam Conchensem decem annos administrasset.* Subdit Hieronymus Quintana in historia Matritensi, Bernardum eodem anno justa solvisse funeri Isabellae reginae, eamque pro concione laudasse; quin etiam Conchae posuisse monasterium virginum, vulgo Bernardas, et XL. ducata erogasse in fabricam collegii.

Quintana pag. 370. et 485.

LXXVII. Haec ille. Collegium tamen tunc fundatum non est, obsistente utraque accademia Vallisoletana, et Salmaticensi, multoque magis ob Bernardi mortem, qui illud construere decreverat sub invocatione S. Bonaventurae in civitate S. Dominici de la Calzada, ad normam franciscani collegii SS. Petri et Pauli, erecti in civitate Cordubae a Francisco Ximenez de Cisneros cardinali et archiepiscopo Toletano. In hunc finem licentiam jam obtinuerat a Gregorio XIII., suaeque voluntatis erat ut inibi pauperes, bonaeque indolis juvenes educandi reciperentur ex Cantabria, Ruconia, Aragonia, et Navarra.

LXXVIII. Dum adhuc Conchae esset episcopus, Toletanam cathedram metropolitanam regiis litteris sibi oblatam recusavit, agnoscens reginae in votis esse, ut illam obtineret aulicus suus confessarius. Hinc tantam meruit gratiam in aula regia, ut prius ad sedem Cordubensem transferretur,

deinde ad Caesaraugustanam anno transacto, cujus possessionem eum non accepisse fere omnes oarrant. Ex Pii V. mandato exsequutus est bullam Crucissignatorum, ut scribit Aloisius a Cruce in dissertatione peculiari sub initium. Auctor fuit, ut haereticos, hominesque improbos, quos ab Anglia Philippus rex in Hispaniam adduxerat, quod errorum veneoum, et seditionis semina spargere non verereotur, acriter insectaretur quaesitor Vallisoletanus. In Germania legatus pro rege, detexit Caesari grave, quod illi impendebat, periculum ex conjuratione potentium, qui vitae ejus insidiabantur. Aragoniam regis nomine administravit. Sapientum in numero eum habuerunt viri litterati. Franciscus Zamorensis minister generalis honori et meritis ejus dedicavit anno MDLXIII. vel insequenti editionem Venetiis cusam opusculorum S. Bonaventurae, quem ab illo sciebat impensius coli. Idem egerunt alii, quos inter ejus nomini inscripsit primam partem historiae pontificalis Gundisalvus de Illescas. Posteritati reliquit a se exarata: *Concionum variarum tom. 1., annotationum in Tridentinum tom. 1., institutionum regularium alphabetica methodo tom. 1., de promissis religiosorum tom. 1.* In bibliotheca collegii S. Bonaventurae Calceatensis asservaotur autographa: *constitutiones et decreta ecclesiae Cordubensis a minorita anonymo de Fresneda* collecta, et hoc anno typis Antuerpiae impressa. Pia et docta etiam ejus *Epistola* legitur in limine opusculi spiritoalis P. Ludovici Granatae. *Sbaralea in Suppl. ad Scriptor. Ord. Min.*

LXXIX. Enituit catholicae religionis zelo, vitae sanctitate, constantia, et animi fortitudine. Ad cives Cordubenses, quorum plerique famosis imaginibus, et divitiarum splendore elatiores de eo detrahebant, objiciebantque, ut fieri solet, parentum paupertatem, concionatus est, fassus, parentes se sortitum inopes quidem, sed eos, qui nemini injuriam fecissent, neminem oppressissent. Quidquid autem de parentibus sit, fatemur tamen inspiciendos hominis mores, qui si sint ad virtutem et religionem compositi, nihil divitibus superesse, quam currus auratos a quibus eveluntur, nec tamen ex hoc veram gloriam comparare sibi possuot, a qua longissime absunt. Refert chronica Burgensis Joannis Baptistae de Gallareta, ea occasione a Bernardo accitum Cordubam patrem suum aetate confectum, iisdem indutum vestibus, quas deferebat in oppido de Fresneda, rudibus atque inelegantibus, ad mensam adhibitum, in convivas adductis pluribus ex superbis illis auri veneratoribus; quin etiam primum accubitum ei obtulisse maxima cum veneratione, et pietate, ac postremo seoem egregium, atque optimum multis verbis coram omnibus collaudasse. *Joannes Baptista de Gallareta pag. 36.*

LXXX. Calceatense coenobium minoritium, veluti primus fundator instruxit praeclara bibliotheca ex libris impressis, et codicibus MSS., inter quae habetur vetustissimum opus Ruperti super Psalterium Davidis. Ecclesiam ditavit vasis aureis, et argenteis, atque omnimoda sacra supellectili; sacrarium reliquiis, nempe capite unius ex undecim mille virgibus, tribus ossibus notabilis magnitudinis SS. Martyrum Asciscii, et Victoriae, et osse S. Philippi apostoli, quod a rege Philippo dono accepit. Majus sacellum condidit, et ornavit, supremisque tabulis sanxit, ut Philippi regis stemmata inibi ponereotur, et quotannis die S. Philippi solemne sacrum fieret; quod audiens rex, ad caput imaginis, quae Ber-

Digitized by Google

nardum exhibet, stemmata appendi jussit his verbis: *O veracem amicum in vita, et in morte!*

LXXXI. Tantis muneribus perfunctus, post dies suos religiosissime traductos, sancte obiit in eodem coenobio, inter beatos ordinis numeratus in martyrologio franciscano. Jacuit primo in sacello S. Jacobi apostoli a se consecrato, translatus postmodum ad tumulum adfabre elaboratum sumptibus D. Francisci de Alvarado, et Velasco germani ejus fratris, marchionis S. Crucis de Valle, comitis del Rio Cavadu, et militum tribuni. Effigies ornatu pontificali visitur in tumuli fornice. Ad latus epistolae supra portam, quae ducit in claustrum, legitur

Arturus ad diem 18. Octobris.

Qui sacros census sacros consumpsit in usus,
Dum triplex cinxit nobile mitra caput;
Hoc superis templum exstruxit, musisque lycaeum,
Bernardus toto clarus in orbe pater.

Ad latus evangelii in sacello S. Petri quiescit idem Franciscus de Alvarado, defunctus anno MDLXXX. die XXIV. Decembris.

LXXXII. Suos caelo dedit inclyta capucinorum familia in provincia Messanensi Clementem a Buccherio laicum, quem in oratione positum Rufinus a Rametta vidit semel perfusum luce candida circa lumbos, in signum angelicae pudicitiae; in provincia Hydruntina Cosmum de Martina tironum praefectum, et daemonum victorem, recreatum adspectu, et adloquio Deiparae ad stratum adstantis in ultimo vitae suae discrimine; in provincia Neapolis Franciscum de Avellino clericum innocentem, atque ita simplicem, ut in agone negaret se moriturum, nisi ex obedientiae merito id sibi imponeretur, acceptaque a guardiano suo licentia, in hoc verbo: *benedicite*, oculos clausit; in conventu Conceptionis Neapolis Joannem Illyricum, qui pluribus administratis coenobiis, egit multis annis confessarium virginum S. Mariae Hierusalem Neapolis, suamque, et monialis cujusdam intra certos dies futuram mortem praedixit. Obiit die XXIV. Junii S. Joanni Baptistae sacra, cui fuerat devotissimus; in conventu Vicentiae Andream a Rhodigio sacerdotem, novitiorum magistrum, prophetia et ecstasibus insignem, a quibus nonnisi multa vi ab aliis adhibita ad sensus redibat; in provincia Rhegiensi Hieronymum a Paradisonio sacerdotem, in cujus funere accensas faces coelitus apparuisse narrant.

Clemens a Buccherio. *De Arembergh. p. 419.*
Cosmus de Martina *Idem pag. 39.*
Franciscus de Avellino. *Idem pag. 337.*
Joannes Illyricus. *Idem pag. 238.*
Andreas a Rhodigio. *Boverius 818.*
Hieronymus a Paradisonio. *De Aremberg. pag. 300.*

LXXXIII. Virtutis cursum consummavit in provincia Syracusana Paulus de Alcamo novitius, se noscens interiturum die sacro Deiparae in coelum assumptae, quam luce fulgentem dulcissimis verbis salutavit; in provincia Panormitana Vitus de Monte laicus, praenuntiato vitae suae termino, et victoriis de inferno relatis, et Pacificus Calaber laicus, quem Arembergius primo Pacificum, deinde Franciscum, postremo rursus Pacificum, nominat. Mulierem de Castro Veterano, fune, quo praecingebatur, ad lumbos ejus admoto, sanavit fluxu sanguinis laborantem. Corruptum vinum ex dolio haustum Guilielmi Montisleonis vertit in optimum, utre pleno ad conventum delato. Laurae Gambacurtae conjugi Modesti Gambacurtae praesidis jamdiu sterili, liberos a Deo impetravit, praedixitque, primogenitum ejus futurum capucinum, ut evenit; suscepto enim habitu vocatus est fr. Timotheus a Panormo, et claruit pietate singulari. Praedixit etiam Simoni filio ducis Terrae Novae purpuram

Paulus de Alcamo *Idem. pag. 49.*
Vitus de Monte. *Idem pag. 420.*
Pacificus Calaber. *Idem pag. 419.*
Sicilia Sacra tom. 2. pag. 893.

Digitized by Google

cardinalitiam. Quiescit in conventu Castri Veterani Archangelus Saccensis clericus, qui prudenti astu mulierem sibi insidiantem delusit; domi enim ejus inclusus januam sibi aperiri postulavit ad vocandum socium suum, qui cum alia femina inibi degente rem haberet, egressusque discessit; Sebastianus Vibonensis laicus defunctus dum peste infirmis adforet; quod etiam Panormi contigit Hieronymo Zarensis, et Bernardo Panormitano sacerdotibus, qui jussu Pauli de Termis vicarii provincialis ad nosocomia assistebant.

Archangelus Saccensis. *Idem pag.* 333. Sebastianus Vibonensis. *Idem pag.* 447. Hieronymus Zarensi., Bernardus Panormitanus. *Boverius p.* 816.

LXXXIV. His proximi fuerunt hoc anno Ludovicus Agrigentinus sacerdos in patria sua sepultus, praenuntiato obitus sui die; et Archangelus Panormitanus patritiae gentis de Caprona, qui cum se Deo in capucinorum ordine perpetuo devovisset, tam constanter in proposito perstitit, ut cum pater id aegre ferens, complures theologos collegisset, qui ob aetatis defectum eo illum voto non adstringi, pluribus illi persuaderent, ille iis praesentibus, oculis in coelum sublatis: ego, inquit, Deo omnipotenti voveo, me in capucinorum ordine ad mortem usque famulaturum. Iam vero ad eos conversus, si primum votum infirmum fuit, hoc firmum et validum esto: quo sane omnem priorem dubitationem sustulit, stabileque animi sui propositum declaravit. Hoc pacto capucinorum numero adscriptus, vitia acriter in concionibus insectatus est, nil veritus vel ipsum Siciliae proregem, et aulicos liberius coram reprehendere. Videbatur ei, se diem perdidisse, in qua Dei causam non perorasset. Instituit Drepani sodalitium eorum, qui inservirent in nosocomiis, eorumque qui curam haberent carcere inclusorum, et montis Pietatis. Hospitium inibi fieri curavit, in quo reciperentur pauperes a nosocomiis egressi. Feminam sibi turpiter blandientem ad meliorem frugem redegit. Sacculo ad humeros suspenso petebat eleemosynam ostiatim; erga inopes, fratresque suos liberalis, quibus et femoralia sua, et tunicas ultro dabat, vilioribus, et refectis ipse contentus.

Ludovicus Agrigentinus. *De Arembergh p.* 300. Archangelus Panormitanus. *Idem. pag.* 177.

LXXXV. Meminit Hueberus fratris Salvatoris his verbis: *Salvator Portugalliam in sui aedificationem, et admirationem traxit, et vehementissimas diaboli infestationes marianis apparitionibus elusit.* Hujus nomen nec apud Boverium, nec apud Arembergium invenio ad hunc annum, minusque verisimile existimo, capucinos, qui vix Cataloniam hoc tempore incolebant, in Portugalliam penetravisse. Quidquid de his sit, martyrum sanguine decorata est capucinorum familia. Duo siquidem ejus alumni, ignoti nominis, qui Hierosolymis erant religionis causa a Turcis capti, primo fustibus contusi, postremo transfixi jaculis, pro Christi fide vitam profuderunt die vii. Novembris juxta urbis moenia, tumulati in conventu S. Salvatoris. Agit de iis Boverius, codex mss. Hydruntinus, et Waddingus sub hoc eodem anno.

Frater Salvator. *Hueberus ad diem* 18. *Decembris.*

Martyres Hierosolymitani.

LXXXVI. Accedunt minorum ordini virginum palmae. In monasterio Assumptionis civitatis S. Clementis in confinio orientali Aragoniae, provinciae Carthaginensis, obiit Isabella Rodriguez septuagenaria, omnium prima post monasterii fundationem, et votum clausurae. Parentum rusticorum, et divitum filia, annos xx. nata ibidem professionem emisit, laudabilis ob rigidam poenitentiam, orationem fervidam, affectu, quo Christi vulnera recolebat, ecstases, revelationes, coelestesque glorias, et sanctorum agmina, quae videre meruit; in monasterio SS. Conceptionis

Isabella Rodriguez. *Monum. prov.*

Maria Gonsalva. *Monum. prov.*

de Veas ejusdem provinciae, Maria Gonsalva de Fuente, tertii ordinis, charitate aestuans erga pauperes, humanitate referta erga omnes, austera in seipsam, humi cubans, toto fere anni tempore jejunia peragens, corpusque innoxium flagris cruentis caedens, altissimas inter coelestinm mysteriorum contemplationes.

Agnes de S. Anna. *Monum. prov.* Seraphina Perusina. *Monum. prov.* Joanna de Bracamonte *Monum. prov.*

LXXXVII. In regio monasterio S. Isabellae Toleti dioecesis Agnes de S. Anna magnis virtutibus fulgens, supernisque donis cumulata; in monasterio Montis Lucis Perusiae die xxiv. Januarii Seraphina Perusina, quae septennis virginitatem illic Deo vovit, ad pedes Crucifixi plorans legere didicit, signisque claruit; in monasterio Conceptionis Abulensis, provinciae Conceptionis, Joanna de Bracamonte. Haec sororum praefecta, semel quum hora prandii panis deesset, ad Dominum preces fudit, ut esurientes pasceret ancillas. Orantem ostiaria vocavit ad cratem ferream, ubi inter duas crates panes invenit ita artificiose confectos, ut per foramina interius immitti possent.

Stephana Perpinianensis. *Monum. prov.* Anna Jarba. *Vidal in epitome prov. Cataloniae part. 2. pag. 33.*

LXXXVIII. In monasterio S. Clarae Perpiniani provinciae Cataloniae obiit Stephana Perpinianensis, magnae orationis, et poenitentiae, constantiae propterea, quae accerbissimos cruciatus pertulit ex infimitate. Defuncta novitiae in tibia, et cruribus sauciae sanitatem reddidit. Eam sequuta est die vii. Octobris Anna Jarba Perpinianensis, officiorum omnium regularium observantissima. Jugiter orabat ante, et post matutinas laudes, et ab aliarum consortio studiose fugiebat, ne a rebus divinis meditandis retraheretur. Agebat animam Raphaela Rodes domus vicaria, ad negotia tractanda magnopere sedula, et expedita, cujus ex more perpendens illa non pauca sororibus obventura incommoda, oravit, ut loco vicariae ipsa moreretur, et paullopost Raphaela convaluit. Ipsa vero, pie receptis sacris, hilari, placidoque vultu abiit ad sponsum. In monasterio S. Clarae de Santarem provinciae Portugalliae Maria de Angelis, tertio abbatissa rarae humilitatis et perfectionis, in die nativitatis Deiparae, ut multo antea praedixerat. Quatuor post annos reseratum ejus sepulchrum suavi odore fragravit. In monasterio S. Antonii Baetiae in provincia Baetica uno eodemque anno decesserunt Aldonça de S. Martha, Aloisia de Navarette, et Leonora de Valencuela, quae avito censu relicto, vitam inter austeritates, et Christi Domini passionem jugiter recolendam duxerunt. In eadem provincia Christi Sponso in coelis adhaeserunt in monasterio S. Elisabeth de Angelis Batae, Maria de Pedrosa abbatissa; in monasterio de Angelis Granatae Maria Mexia; et in monasterio S. Clarae Baetiae Aloisia de Castillo.

Maria de Angelis. *De Spe part. 1. lib. 5. cap. 14. p. 545.* Aldonça de S. Martha, Aloisia de Novarette, Leonora de Valencuela. *De Torres in prov. Granat. pag. 578. et seq.* Maria de Pedrosa, Maria Mexia, Aloisia de Castillo. *Idem ibidem.*

Benedicta de Bettinis.

LXXXIX. In monasterio S. Ursulae Florentiae obiit Benedicta de Bettinis tractantis pharmacis ab ineunte aetate assueta. Ejus gratia Cosmus I. magnus dux Etruriae apothecam pharmacorum monasterii amplicavit anno mdlx. reditibus et privilegiis, accedente etiam civinm florentinorum liberalitate, sic ut Fesulanis fratribus de observantia, et quamplurimis pauperibus infirmis necessaria ex illa abunde darentur. Sacrorum codicnm lectioni vacabat, utque facilins eos intelligeret, quamplures ex latino in vernaculum idioma transferri curavit a doctissimo fratre Dionysio Pulinari, versionesque nonnullae, videlicet liber Landulphi de vita Christi, conformitates Bartholomaei Pisani, et opuscula quaedam S. Bonaventurae; supererant adhuc post c. annos in archivo monasterii,

ut testatur Antooius de Terrinca, qui alia periisse refert, vel alieni facta esse juris. In humilitatis et charitatis spiritu incedens, anno MDL., licet invita, mooasterii praefecturam gessit, et hoc rursus anno in eodem munere sanctissime decessit mense Septembri. *Terrinca dec. 4 an. 1577. pag. 72.*

XC. Renuntiatus est episcopus *de Tucuman*, acta consistorialia habent *Jucaman*, non *Nicaraguae*, ut scribit Augustinus de Witte, in consistorio ad S. Petrum, instante Alexandro cardinali Sfortia pro catholico rege, Heronymus de Villacarillo provinciae Carthaginensis alumnus die XXVI. Martii. Hactenus noonisi franciscani eidem ecclesiae praefuerunt, post institutam ioibi cathedram episcopalem a Pio V. anno MDLXXI. die X. Maii. Primus sedit Franciscus Belmonte, cui successit eodem aooo Hieronymus de Albornoz defunctus hoc anoo. Ex Josepho Torrubia habemus, Hieronymum de Villacarillo, dignitate recusata, electum anno MDLXXIX. commissarium generalem io Peruvia, officium gessisse XIV. aonos, et obiisse io coenobio Limaoo. Eodem io cousistorio renuntiatus est *archiepiscopus* de *Charcas*, seu *del Rio de la Plata* Joannes de Campo alumnus provinciae Castellae, secnodo guardianus conventus Limae, secundo minister, semel autem commissarius generalis in Peruvia institutus a Christophoro de Capitefontium die XXVII. Martii. Hanc quoque ecclesiam ab anno MDXLVII., quo Paulus III. illam erexit in cathedralem, ad hunc usque, si excipias Thomam de S. Martino, qui successit Joanni de los Barrios primo episcopo anno MDLII., semper rexerunt franciscani. Episcopatum et ipse renuit, defuoctus Limae inter suos. In consistorio die XV. Aprilis, erecta in episcopalem ecclesia *Truxilli Venetiolae*, renuntiatus est primus episcopus Franciscus de Ovaodo, qnem Rodulphus vocat *de Occarido, et episcopum de Mixillo*. Scripsit *Breviloquium scholasticae theologiae*, quod prodiit anoo MDLXXXIV. Salamanticae, et anno MDLXXXVII. Matriti, *Commentaria in IV. Librum Sententiarum* Matriti eodem anoo. Edidit etiam *Additiones in quartum sententiarum librum; Elucidationem philosophiae moralis, et rationalis; et Expositionem in regulam fratrum minorum*, quae postrema manuscripta asservantur in bibliotheca cooventus observantium Paceosis in Extremadura. Non praetermittimus hoc aono Joannem de Ayora provinciae Angelorum alumnum episcopatum de Mechoacan, seu Vallisoleti, ad qnem regiis litteris vocabatur, dimisisse, ut transiret in Philippinas insulas cnm Petro de Alpharo. Auctor Bibliothecae fraociscanae eum in itinere, minus vere obiisse narrat. Memorat Caliola Jacobum Capharum Messanen. electum episcopom Bovensem io Calabria, de quo et Coronellus. Ughellus de eo nihil habet, forsan quia extitit episcopus Bovensis in Africa. Iocerta ut sunt, ponimus.

Hieronymus de Villacarillo. *Hieronymus de Albornoz.* *Torrubia lib. 1. cap. 44. num. 352. pag. 212.* *Joannes de Campo.* *Franciscus Ovando.* *Waddingus de Script. lit. F.* *Sbaralea in suppl. ad script. ord. min.* *Torrubia ibidem pag. 5.* *Sbaralea ibidem lit. J.* *Caliola pag. 58.* *Coronellus in Bibliotheca tom. 6. Ughellus tom. 9.*

XCI. Eusebius Gonzalez in suis chronicis a Michelesio relatis scribit, Albertum Pomerium Flandrum episcopum Tripolitanum sanctum finem obtinuisse eo anoo MDLXXIV., quo episcopali dignitati nuotium remisit in coenobio Dominae oostrae de Spe Occaniae. Eum tamen hoc anno adhuc superstitem fuisse, constat ex actibus consistorialibus, in quibus patres circa ejus pensionem ducatorum 500. refragabantur hisce verbis: *Romae apud S. Petrum in aula Constantini feria II. die XIV. Mensis Octobris fuit consistorium. Remus DD. Cardinalis Senonen. et Card. Sancteseverinae, qui circa pensionem ducatorum 500. pro*

Ann. min. ad an. 1574. num. 114. *Ex actibus consist. Greg. XIII. pag. 603.*

16*

F. Alberto Pomerio Ord. S. Francisci refragabantur, eo quod esset contra regulam et professionem et insolitum, ut fratribus mendicantibus assignetur pensio, sed SSmus D. N. dixit non resignari, et relatorem dixisse pro personis nominandis; praedicti vero DD. Cardinales responderunt in cedula expresse esse pensionem hujusmodi pro eo fratre etc. Attamen pridie idus Octobris: *Religionis zelus* data illi fuit facultas recipiendi pensionem hanc beneficiariam.

Petrus de Alva in Indiculo bullar.

XCII. In generalem magistrum franciscanorum conventualium Pontifex, impedita comitiorum celebratione, ob invalescens contagium, confirmavit Petrum Antonium Camillum de Nuceria: *Quum sicut accepimus* die III. Octobris. Hieronymus a Monte Rodonio, provinciae Romanae observantium, successit commissarius generalis in curia Ludovico Mirandulano. Sebastianus Marzichius florentinus Romae aderat a confessionibus Ferdinando Cardinali Medicaeo, antequam hic Etruriae principatum obtineret. Florebant minores litteris. Balthasar de Castillo, theologus, ecclesiasticus et in coenobio S. Ludovici episcopi de Huexotla, dimidia leuca ad austrum Tezcuci, administrator, seu rector ecclesiarum Assumptionis de Tequyxquinahuac, S. Petri de Quauhtla, S. Bernardini de Atenco, Conceptionis de Acayacac, et S. Francisci Otlalitec, typis edidit hoc anno egregium librum, cui titulus de modo opem ferendi infirmis ad bene, sancteque moriendum, additis petitionibus doctrinae christianae. Subinde in lucem emisit explicationem quatuor orationum, et mandatorum Dei, lingua Hispana, et Mexicana. Mauritius Hilaret franciscanus eloquentem habuit orationem die XXVIII. Octobris in ecclesia S. Crucis, in funere Joannis X. Morvillerii Blesensis, episcopi Aurelianensis. Laudatur ab auctore Galliae Christianae. Antistes Turonibus extinctus tumulatus est apud fratres minores Blesenses, marmori ad parientem in choro his inscriptis: *Johannis Morvillerii effigiem ne frustra contemplator, sed simulandas virtutes excitator.* Joannes Antonius Faventinus, seu Aventinus ecclesiasticus clarissimus scripsit italice *meditationes quasdam non minus doctas, quam utiles*, et alia. Joannes Dominicus Hessius Ingolstadii vulgavit *tractatum brevem de coena Dominica* Joannis Nass, latinitate a se donatum, postquam alia ejusdem auctoris opera ex Germano latine reddidisset. Idem Nass edidit *refutationem cujusdem libri a Josua Opitio exarati*, quae tantam ei conciliavit existimationem, ut concionator ecclesiae cathedralis Brixinensis assumeretur.

Gallia Christiana tom. 8. pag. 1486.

Ex chronol. Justini Kaltprunner Svazensis p. 146.

XCIII. Novae ordini plantae accreverunt, honoris, et honestatis fructibus spectabiles. In conventu Mexicano professionem emisit die XXVIII. Augusti, Joannes de Tovar natus Mexici parentibus Michaele Hieronymo, et Anna Ponce. De ejus laboribus in conversione infidelium dicemus ad annum, quo obiit; etsi minus verisimilis videatur annus MDCLXXXVIII. quem assignat Augustinus de Vetancur. Andreas Rodriguez ortus in pago de Carmena dioecesis Toletanae, jurisdictionis temporalis villae de Maqueda, honestis conjugibus Bartholomaeo Hernandez, et Maria Rodriguez, et sacro ablutus fonte in ecclesia parochiali die XV. Martii an. MDLIV., litterarum primis elementis excultus, agricolturam exercuit, non minus in arte sua diligens, quam exemplar omnibus modestiae, mansuetudinis, et devotionis erga Deiparam. Dei mandata lux erant pedibus suis, nec

Vetancur ad diem 5. Februarii.

Digitized by Google

ab illis vel transversum unguem discedebat, abditus in montium latebris, et nemoribus, ubi coelestium meditationi, vigiliis, et jejuniis instabat. Horis subcessivis vel legebat aliquid de libris sanctis, vel sententias memoriae demandatas attentissime recolebat. Ad S. Francisci regulam, quam in pera deferebat, vitam suam, quantum poterat, componebat, ut juratus asseruit Franciscus Hernandez del Arroyo parochus regiae domus de misericordia Joannae Austriacae in urbe Matritensi, viri Dei frater germanus. Versabatur quotidie cum fratribus S. Francisci Villae do Torrixos, duabus leucis a Carmena, et in eorum coenobio curam omnem in operibus pietatis, et religionis impeudebat. *Antonius Panes part. 1. cap. 50. pag. 869. et seq.*

XCIV. Divinum lumen sequutus, domo excessit sua Jumillam profectus, oppidum dioecesis Carthaginensis, ubi intuitus fratres discalceatos: *Hos*, inquit *imitabor*, *his adhaerebo*. Nulla mora properavit ad coenobium S. Annae de Monte positum antiquas inter cupressus, scopulos impendentes, et spiritui gratem solitudinem, ibique contemplatus sacella circumposita imaginibus exornata mysteriorum passionis Dominicae, illectusque tum loci opportunitate, tum exemplo virorum Dei, habitum religiosum sumpsit elapso anno die XXIV. Novembris, et hoc anno die XXV. ejusdem mensis vota emisit uti laicus, proprium, quod in baptismo acceperat, nomen retinens Andreae, addito *de la Rosa* ex signo rosam referente, quod habebat in vultu. Missus paullopost ad S. Magdalenae de Yecla, cives universos in sui admirationem traxit, maxime rusticos, sic ut illum abire inde non sinerent. Vocabatur passim *Pater sanctus de Yecla*; quumque transeuntem adspicerent mulieres, dicebant: *Beati oculi, qui possunt videre fratrem Andream.*

XCV. Vitales auras respiravit in oppido de Montnysi insulae majoricae Gabriel Miralles, filius Antonii Miralles, et Catharinae Compañy, de quo vitae sanctitate eximio ad annum MDCL. Similiter in oppido de Sigmaringa in Suevia, ditionis DD. de Hohenzollern prope Danubium, Fidelis, qui zelo salutis animarum, praedicationibus, et glorioso martyrio ordinem suum capucinorum, et catholicam religionem illustravit. Natus nobilissimo parente Joanne de Rey, cujus genitor aut voluntate sua, aut compulsus temporum iniquorum vicissitudine, Antuerpia excesserat, et matre Genuefa de Rosenbergerin ex civitate Tubingae in Alsatia, et Sueviae circulo, in baptismo Marci nomen accepit. Narrat Angelus Maria de Rossi a Voltaggio, matrem parituram summos pertulisse cruciatus in visceribus, atque ad extremas incitas redactam ferrum petiisse, quo venter scinderetur, ob ingentia conamina, quae puer exerebat. A tutore suo, quem, Joanne mortuo, Genuefa transiens ad alteras nuptias ei adscripsit, Friburgum in Brisgoja studiorum causa missus, philosophicis, et legalibus disciplinis operam dedit, una cum Georgio fratre suo seniore, qui adepta laurea artium liberalium, capucinis se addixit nomine Apollinaris, optimus praedicator evangelicus evasit, saepiusque inter diffinitores provinciae cooptatus, decessit cum sanctitatis opinione. Apollinarem sequutum fuisse Marcum anno MDCXI., assumpto Fidelis nomine, post peragratam Italiam cum equitibus quibusdam Suevis, ad eum annum referemus. *De Rossi lib. 1. cap. 3.*

XCVI. Hoc anno, Dominica prima Augusti, indicta Vimarani dioecesis Bracarensis, inter Durium, et Minium, solemni supplicatione cleri

Digitized by Google

utriusque, senatus et civium, oppidi viis, et plateis lustratis, pompam ducente Fulgentio priore ecclesiae Vimaranensis, filio Jacobi ducis Brigantinorum, illatum est in sacellum aere publico structum in ecclesia S. Francisci, corpus Gualteri, socii b. Zachariae, conditumque arca holoserico rubro contecta. Ad arae latus exurgit Beati simulacrum, ad dexteram habens sepulchrum miraculis gloriosum, ad laevam apertum librum pectori admotum, haec verba praeferentem: *evangelium in corde meo servavi*. Sepulchro marmoreo inaurato insculptus legitur versus: *Gualteri tegit hoc venerabilis ossa sepulchrum*. In sacelli fastigio litteris majusculis: Divo Gualtero D. F. D. (*Divi Francisci Discipulo*) Vimaran. Patrono instaurati festi voto IIII. (*quarta vice emisso*) annoque MDLXXVII. P. V. F. C. (*populus Vimaranensis fieri curavit.*)

XCVII. Nemo quem sciam, circa annum obitus Beati, a Waddingo dissentit, qui signat MCCLVIII., praeter Antonium a Purificatione Waddingo posteriorem, qui decessisse illum autumat anno MCCXXXVI. Diem mortis scribit in Monarchia Lusitana Antonius Brandaon XXX. Junii juxta necrologium S. Crucis Conimbricae, quod de Gualtero nostro non loquitur. Ferrarius die XXII. Augusti his verbis: *Alaquerii in Lusitania b. Gualteri Ordinis Minorum disciPuli S. Francisci*. At ipsum errare liquet innixum chronicae Marci Ulyssiponensis, apud quem nec habetur Alaquerium, nec dies XXII. Augusti, sed Vimaranum, et dies II. Augusti.

Ann. min. ad an. 1573. num. 41.

XCVIII. Devotionis erga sanctum commendandae gratia, Summus Pontifex hoc anno plenariam indulgentiam iis concessit, qui deinceps in perpetuum confraternitatem b. Gualteri, de qua ad an. MDLXXIII., ingrederentur, eo die, quo confratrum catalogo adscriberentur et in receptorum, vel recipiendorum mortis articulo, dummodo confessione culpas expiarent; aut, si id non possent, Jesu nomen ore, vel corde invocarent, contritionis signa ostendentes. Eamdem indulgentiam largitus est confratribus, reliquisque fidelibus, (XX. tamen annos solum duraturam), qui die II. Augusti, qua Beati festum celebratur, ejus sacellum visitarent a primis vesperis usque ad occasum diei sequentis, ut ex diplomate, quod citat Gonzaga, die XVII. Decembris hoc anno. Alias indulgentias concessit Gregorius XV. in ejus die festo, ut ex litteris: *Considerantes* die XV. Aprilis MDCXXI., quo tempore ob celebritatem miraculorum ejus publico edicto regio decretum est, ut supplicatio fieret in oppido eadem solemnitate, qua fieri solet in festo Corporis Christi. Anno MDCXXX. quinque diebus continuis supplicatio splendida peracta est, curante Gonsalvo Feixeira Coelho, post impetratam Beati meritis filii sui sanitatem. Scripserunt de viro Dei Marianus lib. I. cap. XII., et lib. XII. cap. XVII., Ferrario in catalogo SS. die II. Augusti, Estaço cap. XIX., Antonius de Sousa de Macedo in excellentiis Portugalliae cap. IX. excell. X., Emmanuel de Faria in epitome historiae Portugalliae part. III. cap. VI., Historia ecclesiastica Bracarensis part. II. cap. XXVII., Augustinus Barbosa ecclesiae Vimaranensis major thesaurarius, et episcopus Ugentinus apposuit ad frontem operum suorum editionis romanae imaginem Beati.

Gonzaga in prov. Portugalliae conv. 5.

De Spe part. 1. lib. 1. cap. 39. p. 161.

XCIX. Miraculis fulgebat b. Pacificus de Ceredano Minorita. Hoc anno Angela uxor magistri Joannis Lavatelli Ceredanensis XII. diebus dolore partus cruciata, tandem filium peperit mortuum. Voto ab ipsa facto eleemosynam largiendi pro celebratione unius missae ad altare Sau-

cti, puer vitam recepit. Pariter Antonia uxor quondam Jacobi Gualtera, mense Setembri paralysi uno ex brachio liberatur. Tandem Gaudentius filius Baptistae Genardo paralyticus a medietate corporis perfecte sanatur. Die xxi. Novembris ab incurabili morbo in manibus et brachiis duobus ferme ab hinc annis affecta, illico sospitatem adepta est comitissa Camilla Corvi Anconitana, dum ei coram frequenti populo Valentinus Servansi de Sanctoseverino coenobii praeses b. Gabrielis Ferretti pallium imposuit. *Ex processu pag. 33.*

C. Gravissima lues Mexicano regno incubuerat. Cadavera passim strata tumulis congerebantur. Civitates, et oppida squalebant vidnata cultoribus, non tamen, ut narrat auctor Monarchiae Indianae, bis decem centena hominum millia desiderata fuisse putandum est, quum notae tunc temporis in Mexico regiones tot fortasse incolas haud continerent. Votis nuncupatis Dominae nostrae de Tacuba, circumque delata ejus imagine, ex decreto Petri Moya de Contreras, et Martini Enriquez proregis, contagium evanuit. Peste aegrotanti Octavio Fiscardo viro nobili in civitate Vicentiae, mortique proximo, apparuit S. Franciscus medius inter duos fratres, cujus tutelam ille imploraverat, eique vitam promisit, si tres annos incederet in habitu franciscano. Brevi autem convalescens infirmus dicto paruit. *Torquemada tom. 1. pag. 642.* *Monum. provinciae.*

CI. Non pauca notatu digna accidisse refert Boverius; feminam lymphatam orationibus, et flagellis capucinorum Lilybaei liberatam; Vincentium a Termis sacerdotem, et Bonaventuram a Basilicata laicum insperato, pane pastos in Siciliae montibus inter Cameratam, et Massomillum; duobus aliis capucinis in eisdem locis ostensum aquae rivum ad ficulneae radices praeterlabentem, panemque tostum, quem defatigati comederunt; concionatorem quemdam a provincia Romana Mediolanum euntem, et lethaliter infirmum in conventu Parmae, visum fuisse spuere in faciem Crucifixi, quem fratres ori ejus admovebant, quum spuere vellet in faciem doemonis alio ex latere adstantis, hostemque fuga se eripuisse statim atque regulae seraphicae codicem in manibus ejus posuerunt: qua in re mirandum, doemoni regulam potius, quam Jesu Christi imaginem metum injecisse; eundem doemonem in conventu Sarnani ingenti fragore tamquam tubae insonuisse, duobus capucinis ab ordine deficientibus; Quintium de Francavilla hominem nobilem ex-capucinum, post occisum fratrem suum germanum suspendio poenas dedisse, ac pari affectum supplicio juvenem alium ex-capucinum ob patrata nefaria crimina, (id etiam contigisse Vincentio de Castro-Joanne, et Benigno de Syracusis sacerdotibus, qui in Antonium de Platea vicarium provinciae Syracusanae violentas manus injecerunt, tradunt apostolicae litterae: *Expositum nobis* die xxiv. Decembris); Petrum Antonium Contusium medicum, qui obstabat aedificationi coenobii Tusculani, equo decidisse, et misere contusum sanitatem recuperasse, emisso voto, se ecclesiam capucinorum positurum; apud Castrum Plebis in territorio Urbini, tempestates, quae agros quotannis vastabant, sedatas, eo profectis capucinis, qui eleemosynas reciperent; Veronae domo gentis de Vimercatis ex dolio vinum miraculose fluxisse, quo recentes a morbo fratres, aliique reficerentur. Haec omittere non potuimus, ne mancam historiam conscriberemus. *Sambenedetti tom 1. part. 2. p. 540*

CII. Maximiliano II. imperatori defuncto anno antecedenti successit filius Rodulphus II. Parentem ejus post mortem videndum se praebuisse Margaritae de Cruce filiae ejus, quae nondum hoc anno in Hispaniam transierat, et a piacularibus flammis, quibus detinebatur, allevamentum recepisse ajunt. Notat tamen Vigilius Greiderer, apparitionem post lapsum plurium annorum factam, ac proinde Margarita jam probabiliter professa erat inter clarissas discalceatas Matritenses, quarum habitum susceperit anno MDLXXXIV. die XXV. Januarii.

Greiderer tom. 1. lib. 3. num. 359. pag. 475.

CIII. Translata est hoc anno, teste Casimiro de Roma, in ecclesiam S. Mariae de Paradiso prope Viterbium ab alia ecclesia, imago devotissima S. Mariae Virginis, dicta *de Partu*, vel ob multa, quae praestat in puerperio periclitantibus beneficia, vel quia reginam coelorum filium recens natum colentem exhibet. Addam hic, Indum quemdam gentilem dominum civitatis Negapatani, seu Serpentum in regno de Tanjaour, et ora maritima de Coromandel, exercitum coegisse in Lusitanos, quos oderat. Illis classe excedentibus, christianorum ultra tria millia in civitate remanserunt, in quibus LX. Lusitani; naves enim aliae deerant, quibus aufugerent, nec in summa trepidatione satis recte deliberatum est de consilio capiendo. Hos hostis domibus expulit, donec vir franciscanus a victore obtinuit non solum, ut Negapatanum redirent, verum etiam, ut pax esset ipsum inter, et Lusitanos, aequis conditionibus. Factum hoc anno contigit, ut scribit Gonzaga non numeris, sed litteris, et sermone. Attamen Joseph Maria de Ancona ipsum rejicit in annum MDLVII. ipsius Gonzagae verbis usus.

Casimirus mem. hist. pag. 463.

Gonzaga in prov. S. Thomae conv 7. Ann. min. ad an. 1557. num. 31.

CIV. Cum templum Aracoelitanum, in ea parte qua majus altare, et chorum continetur, tecto, tegulis, trabibusque solummodo indecorata remaneret, veniam dedit Pontifex Senatui, conservatoribus, et prioribus Almae Urbis, eam quamprimum construendi, conficiendi, et ornandi, ad instar alterius laquearii deaurati alae maximae ejusdem ecclesiae: *Cum sicut accepimus* die III. Septembris.

CV. Die XXVI. Septembris consecrata fuit ecclesia monialium S. Laurentii Panis-Pernae de Urbe, exorante Pontificem Gulielmo Sirleto cardinali titulari. In ara maxima hujus ecclesiae translata fuerunt hoc eodem tempore SS. martyrum Crispini, et Crispiniani corpora, anno MDLXVI. ibidem in arca plumbea fortuitu inventa, dum nova illins ecclesiae ferme collapsae fundamenta poneretur.

Ex autographo hujus monasterii.

CVI. Coenobii S. Mariae Angelorum extra Assisium, praefecto Antonio de Stronconio, destinatur in eadem basilica quatuor minores de Observantia poenitentiarii in festo Portiunculae, ac quinque, vel sex diebus praecedentibus, de quibus sequens extat epistola Pontificis.

GREGORIUS XIII.

Dilectis filiis guardiano et conventui domus B. Mariae Angelorum prope et extra muros Assisien. Ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat.

Desiderantes cunctorum christifidelium animarum salutem, ea libenter concedimus, per quae ipsi christifideles eorum conscientiae pacem per sacramentum confessionis Deo, propitio, consequi valeant. Cum itaque sicut accepimus magnus populi concursus in die festo, quod in ecclesia B. Mariae Angelorum prope et extra muros Assisien. sin-

Ex regesto Secret. Brevium lib. 2. pag. 372.

gulo quoque anno, videlicet II. Augusti, celebratur devotionis causa confluat, ad hoc, ut ibidem convenientes indulgentiarum, et peccatorum remissiones, quae dictam ecclesiam visitantibus concessae sunt participes fiant, vestris hac in parte supplicationibus inclinati, vobis quot annis dicta die festo, ac quinque, aut sex diebus eumdem diem immediate praecedentibus, quatuor dictae domus fratres ejusdem ordinis professores ad audiendas eorumdem fidelium confessiones a loci ordinario prius approbatos et idoneos esse, christifideles ad dictam ecclesiam eodem die calendis Augusti, vel aliis diebus eumdem diem immediate praecedentibus accedentes, et peccata eorum contrito corde confitentes eorumdem confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et singulis per eosdem commissis peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam sedi apostolicae, et locorum ordinariis reservatis, non tamen in litteris in die Coenae Domini legi solitis contentis absolvere, ac quaecumque vota religionis, et castitatis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant, deputandi licentiam et facultatem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die V. Julii anno VI.

Caesar Glorierius.

CVII. Quamvis ex mox data constitutione evidenter pateret, poenitentiariis Basilicae S. Mariae Angelorum largitam fuisse facultatem absolvendi etiam a casibus reservatis ordinario loci, nihilominus de eo conquestus est coram sacra poenitentiaria Octavius Ringhieri episcopus Assisiensis. Sacra Congregatio auditis, serioque pensatis utriusque partis rationibus, ut sequitur, edidit decretum « *Signatura sacrae poenitentiariae coram Eminentissimo D. Vincentio cardinali Petra majori Poenitentiario congregata die XXVI. Novembris MDCCXXXVII. relatis litteris venerabilis in Christo patris episcopi Assisiensis, super aliquibus difficultatibus exercitii facultatum poenitentiariorum Ecclesiae S. Mariae Angelorum dictae civitatis, ordinis fratrum minorum observantium Sancti Francisci, quoad absolutionem a casibus reservatis eidem ordinario Assisien. in vim facultatum eis tributarum ab eodem Eminentissimo majori Poenitentiario, et mature discussis documentis ab ipso episcopo remissis, et aliis in archivo sacrae poenitentiariae repertis, ac rationibus opportune ad rem facientibus hinc inde productis, et a praedictis exhibitis, idem Eminentissimus Dominus communi consilio officialium dictae signaturae ita decrevit. Quoad poenitentiarios S. Mariae Angelorum pro die Portiunculae, et quinque vel sex diebus praecedentibus a s. m. Gregorio XIII., et venerab. servo Dei Innocentio XI. institutos, habuisse, et habere facultatem absolvendi a reservatis ordinario, ex concessione eorumdem Summorum Pontificum, neque circa eos aliquod innovandum. Quoad confessarios quoscumque ejusdem ordinis, et ecclesiae, alias approbatos, habere facultatem pro die dumtaxat Portiunculae absolvendi a casibus reservatis ordinario, ex concessione s. m. Urbani VIII. Quoad vero poenitentiarios quotidianos praedictae ecclesiae, habuisse, et habere facultatem absolvendi ab iisdem casibus reservatis tum ordinario loci, tum aliis. Verum idem Eminentissimus major Poenitentiarius mandavit, ut praedicti quoti-*

Chronologia Seraph. tom. 3. part. 2. pag. 214.

diani poenitentiarii, infra duos menses a die intimationis faciendae religioso viro commissario generali curiae fratrum minorum observantium, sub poena suspensionis earumdem facultatum, teneantur recurrere ad eumdem Eminentissimum Dominum pro obtinendis novis litteris patentibus, quas arbitrio tantum ejusdem Eminentissimi alias obtinuerunt, quae concedantur ad triennium, et interim arbitrio ipsius Eminentissimi, qui de communi consilio officialium sacrae poenitentiariae, adhaerendo curae pastorali, episcopo praedicto incumbenti animarum a Christo Domino commissarum, censuit, quod in dictis litteris patentibus facultas absolvendi a casibus reservatis ordinario limitetur quoad dioecesanos ejusdem episcopi.

L. ✠ S. V. Cardinalis Petra major Poenitentiarius.

Franciscus Petrucciolus Sacrae Poenitentiariae Secretarius.

CVIII. Guardiano domus S. Nicolai Antibarensis datur facultas absolvendi a casibus reservatis, donec ecclesiae Antibarensis provideatur de novo episcopo: *Quum sicut accepimus* die xvi. Novembris; Christophoro de Capitefontium facultas instituendi confraternitates corporis Christi in regno Galliarum: *Ut erga* die viii. Maii. Eadem facultas tribuitur Matthiae de Salodio commissario generali capucinorum in Galliis: *Inter caeteras* die xxv. Junii; Didaco de Valades procuratori generali observantium facultas transferendi in Indias occidentales SS. reliquias: *Exposcit tuae* die xxi. Junii; procuratoribus, et collectoribus observantium facultas recipiendi a fidelibus eleemosynas pro locis Terrae Sanctae: *Inter coetera* die xix. Jannarii; Joannae de S. Clara moniali S. Clarae Alaquerii facultas eundi ad balnea: *Expositum nobis* die v. Februarii; Mariae Enriquez moniali de las Huelgas Vallisoleti transuendi in monasterium S. Clarae Palentiae, seu oppidi de Rioseco ordinis S. Clarae: *Exponi nobis* die xii. Martii; Mariae Manuel marchionissae S. Crucis facultas transferendi Joannam de la Cueva, et monialem aliam ejusdem nominis a monasterio S. Nicasii de Ubeda in monasterium oppidi del Viso: *Sincerus tuus* die xx. Augusti; Fratri Joanni facultas habendi beneficium in loco de Castelubio dioecesis Soranae: *Dignum arbitramur* calendis Septembris.

CIX. Monialibus decimarum solutionem minuit: *Cum nos nuper* die xvii. Septembris; Decano et magistris theologicae facultatis Parisiensis interdicitur disputatio de Conceptione Deiparae: *Pastoralis officii* die xx. Januarii. Erigitur in conventu S. Germani confraternitas S. Antonii de Padua: *Pastoris aeterni* ix. calend. Octobris; confraternitas Conceptionis in ecclesia S. Francisci Parmae: *Romanus Pontifex* vii. idus Novembris. Privilegiatum pro defunctis declarat altare capellae S. Mariae Angelorum de Portiuncula prope Assisium, instante cardinale Sfortia: *Salvatoris* i. Martii; altare S. Francisci conventualium Assisii: *Omnium saluti* pridie idus Octobris; altare SS. Crucifixi ecclesiae S. Francisci conventualium Bononiae: *Salvatoris* die xvii. Septembris; altare S. Crucis ecclesiae conventualium S. Francisci Asculi ad instar S. Gregorii de Urbe: *Salvatoris* die iv. Octobris; altare majus ecclesiae S. Francisci conventualium Rochae-Contratae: *Omnium saluti* die xxiii. Decembris; altare Conceptionis capucinorum Montis-Ugonum prope Florentiam: *Salvatoris nostri* die xx. Novembris; altare S. Catharinae Limae: *Ad*

Digitized by Google

augendam die xxiv. Martii; altare S. Mariae Angelorum Conventus Valentini S. Joannis Baptistae: *Salvatoris* die xxvi. Januarii; altare S. Mariae Pietatis provinciae S. Angeli: *Piis fidelium* v. calend. Februarii; altare SS. Sepulchri: *Salvatoris* die v. Novembris; altare S. Andreae ecclesiae S. Francisci Senarum: *Salvatoris* die viii. Maii; altare b. Mariae in ecclesia de Jesu Valentiae: *Salvatoris* die xv. Octobris. Conceditur indulgentia in ecclesia tertii ordinis S. Francisci Perusin. in festivitate S. Antonii Patavini: *Ut fidelium* die v. Januarii; in ecclesia monialium S. Mariae Montissancti in Dominica infra octavam Assumptionis: *Ut fidelium* die xiii. Februarii; in ecclesia monasterii S. Clarae de la Laguna Canarien. dioecesis: *Ut fidelium* die vii. Martii; in ecclesia S. Francisci Montismilonis provinciae Marchiae: *Salvatoris* die xxx. Octobris; in ecclesia S. Francisci Fani: *Salvatoris* die xx. Novembris; in sacello de la Candelaria Limae: *Ad augendam* die xxiv. Martii; in ecclesiis discalceatorum Indiarum, de la China, et insularum Philippinarum: *De salute gregis* die xv. Novembris; in ecclesiis franciscanis Peruviae, et Mexici: *Velut Jesu Christi* die vii. Januarii; in ecclesiis Peruviae in festis SS. Ordinis: *Salvator* die xxvi. Martii; in ecclesia de Truxillo in Peruvia: *Omnium saluti* xiv. calend. Maii; in ecclesia S. Mariae Angelorum Valentin. pro die xxiv. Junii: *Ad augendam* die xvi. Jannarii; in ecclesia S. Jacobi de Almansa in festo ejusdem: *Ad augendam* die xvi. Januarii; in ecclesia S. Clarae de Alaquer in festis Conceptionis, et undecim mille Virginnm: *Ad augendam* die xiii. Aprilis. Pro confraternitate Conceptionis erecta in ecclesia S. Francisci de Talleacotio provinciae Aprutinae, tam in die Conceptionis, quam in die aggregationis confratrum, et in mortis articulo: *Cupientes* die i. Januarii; pro die aggregationis confratrum confraternitâti S. Rochi de Urbe, et in die ejusdem festi: *Cogitantes* die v. Januarii.

CX. Alias indulgentias memorat Gonzaga, et mss. provinciarum. In altari SS. Annuntiationis Parmae die xxx. Augusti; in ara maxima S. Mariae de Campanea Placentiae die xx. Martii; in altari SS. Crucifixi SS. Annuntiationis Fori-Sempronii ad metaurnm die xxvii. Februarii; in ecclesia S. Francisci Sartiani dioecesis Clusinae in die Conceptionis; in altari SS. Crucifixi S. Spiritus Ferrariae, cum facultate transferendi privilegium in altare novae ecclesiae propediem absolvendae. Vetus enim saltem ex parte una cum coenobio in burgo *delle Pioppa* dirnta est anno mdxii. jussu Alphonsi I. ducis, metuentis arma Julii II., Hispanorum, et Venetorum, translatis fratribus prope parochialem ecclesiam S. Vitalis in eremitorium S. Onuphrii, ab eis auctum sub titulo S. Ludovici. Anno mdxiv. transierunt in ecclesiam S. Hieronymi in loco *de terra nuova*, eis concesso a Petro Blanchini rectore, ubi posuerunt coenobium S. Spiritus anno mdxix. die xxviii. Julii cum ecclesia, quae culmen non attigit nisi anno mdcxxxiv. sub Bonaventura de Ravenna guardiano. Haec notamus ex memoriis Flaminii de Parma, quia rem Gonzaga aliter describit ex chronica minus accurata Malazappi Carpensis.

CXI. Indicantur a Petro de Alva, praeter alias, etiam quae sequuntur, apostolicae litterae. Pro monasterio monialinm S. Joannis Firman. *Sacrosanctae* iii. idus Maii; pro monasterio convertitarum de Alcaudete Giennen. *Sacrosanctae* idibus Martii; pro conventu Conceptionis Pa-

normitan. *Superna dispositione* vi. calend. Februarii; circa quamdam venditionem pro fratribus conventualibus Ferentini: *Ex injuncto* nonis Decembris; pro fundatione conventus capucinorum de Monte Rosso Peccioli Volteran. *Piis fidelium* iii. idus Maii; pro capellania in altari b. Mariae conventus de Bejar: *Vitae, et morum* idibus Junii; pro monasterio clarissarum Ulyssiponis: *Debitum pastoralis* ix. calend. Octobris; pro conventu Tolentini: *Ex injuncto* idibus Octobris; pro confirmatione archiconfraternitatis Confalonis de Urbe: *Omnipotentis* iii. calend. Maii.

Anno Christi	Gregorii XIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1578.	an. 6. et 7.	anno 2.	an. 371.

ARGUMENTUM.

Instituitur custodia reformatorum in provincia Siciliae, in qua plurimum in signis et virtutibus emicat S. Benedictus a S. Philadelphio. Decedit b. Paulus a Palatiolo. Reformantur nonnullae aliae provinciae. Exsurgunt novae aedes. Viri et virgines beato fine ordinem illustrant. Destruuntur ab haereticis coenobia, vexantur, et necantur martyres. Capucini comitia habent. Mittunt commissarios in Galliam. Creantur episcopi. Florent litterati. Recensentur sacrae familiae capucinorum alumni, qui sancte obierunt, et Pontificis concessiones.

Pirrus tom. 1. in notitia eccl. Catanensis col. 1. p. 587.

I. Morabantur decennio ante minores reformati provinciae Siciliae in coenobio S. Mariae de Jesu extra plateam, dioecesis Catanensis, cui opera Antonii, seu Antonini de S. Angelo ministri statim accessit alterum S. Nicolai longius Agrigento in solitudine peramoena, adhuc sine ullo peculiari custode, sub immediata ministrorum provincialium cura. Hoc anno, visitatore provinciae Petro de Cilento, et ministro Seraphino de Ficarra, primum custodem acceperunt Bonaventuram de Agrigento laicum, et coenobia alia scilicet S. Mariae de Jesu Messanae, S. Mariae de Jesu Syracusarum, S. Mariae de Jesu Panormi, S. Mariae de Jesu Calatahieronis, et S. Mariae de Jesu Herbitae, seu Nicosiae, quae propterea custodiae titulo sunt decorata. Duobus post annis in capitulo Messanensi loca Messanae, Syracusarum, Calatahieronis, et Herbitae commutarunt cum coenobiis S. Viti prope Agrigentum, S. Petri Apostoli non longe Platea, et S. Annae Julianae in penetralioribus sylvae, quae Julianam, Busachinum, et Clusas ab invicem distinguit. Hinc non recte scribit Leonardus a Neapoli, in has postremas domos reformatos hoc anno immissos.

Leonardus tom. 1. lib. 8. cap. 57. n. 192. pag. 407.

II. Viri sancti novam custodiam, florentes virtutibus, summaque animorum conjunctione caeteris observantibus diu conjuncti, illustrarunt; sed prae aliis S. Benedictus a S. Philadelphio numero Sanctorum adscriptus a b. m. Pio Papa VII. die xxiv. Augusti mdcccvii. Michelesius ex

Digitized by Google

autenticis ejus beatificationis ac canonizationis actibus plura edidit. Iis adjicimus, quae hoc anno praestitit Sanctus. Die xv. Februarii dum in coenobio S. Mariae Angelorum Panormi, praeside Petro de Cilento, ageretur provinciale comitium, S. Benedictus conventus S. Mariae de Jesu prope Panormum guardiani munus suscipere coactus est. Ea in dignitate constitutus, licet plene rudis, et illitteratus, ita familiaria colloquia coram suis habita, sacrarum litterarum oraculis, sanctisque ecclesiae Patrum sententiis exornabat, ut quemlibet eruditissimum longe praestaret. De juvenum institutione solicitus, horis nocturnis diurnisque expletis, difficiliora divinarum rerum eloquia, mira claritate non absque admiratione etiam sacerdotum, illic ad eum audiendum confluentium, eisdem explanabat.

Ann. min. ad an. 1573. n. 4. et seq.

Joannes a Capistrano in vita S. Benedicti pag. 37. n. 40. et seq.

Ibid. p. 60. n. 50. et seq.

III. Varia per id temporis futura praedixit. Dum simul cum sodali fr. Vito ab Agrigento laico thynnos Solanti emendicabat, prima sub nocte dixit ei: *Oramus Dominum, ut hac nocte ipse liberare dignetur e Turcarum manibus homines hujus thynnariae.* Cui socius: *quomodo tu scis, Pater, hac nocte hic accessuros Turcas?* Cui sanctus: *sufficit; ita erit.* Media in nocte comprobatur eventus: at domus thynnaria, singulique homines, Benedicti precibus, innocui fuere ab aggressione Turcarum. Die xxx. Septembris eo orante in sacello domus Vincentii Platamonis, ejusdem uxorem ob partus difficultatem a mortis discrimine eripuit, parvulumque recens natum, et religiosum, et inculpatae vitae futurum praedixit. Quando per aetatem licuit, inter sodales societatis Jesu cooptatus, mire illuxit in Verbi Dei praedicatione, tantoque charitatis ardore erga proximum ferebatur, ut lue Panormum depopulante, animam suam pro medendis animis et corporibus infirmorum posuerit.

IV. Servi sui Benedicti merito multiplicavit Dominus cibaria in coenobio S. Mariae de Jesu Panormi, ubi praesulis munus explebat. Jusserat eidem fr. Vito, cibaria singulis pauperibus ad coenobium accedentibus ministrari. Is superioris voluntatem humana prudentia perpendens, tantam quadam die panis copiam reliquit, quantam pro refectione fratrum proxima satis esse putavit, distributo interim aliquibus, non omnibus indigentibus pane. Benedictus divina illustratione id praenoscens, et unice Dei providentiae innixus, caeteris etiam pauperibus mox panem erogandi jubet. Eo erogato, ita, qui supererat, auctus est, ut ne frustulum quidem fuisse egentibus distributum, laico manifeste patuerit.

V. Miris interim ecstasibus, coelestibusque raptibus illum saepe glorificavit Dominus, potissime dum intensius orationi in cella vacaret coram b. Mariae Virginis imagine. Accidit aliquando, ut Chrysanthus de Panormo una cum socio ad coenobium reversus, ejus cubiculum petieriut, benedictionem, ut moris est, postulaturi. Eum cum a sensibus alienatum invenissent, variis adhibitis modis, ab divini amoris aestu avocatus, eos sic allocutus est: *parcat vobis Deus: estote benedicti.*

VI. In ecclesia S. Nicolai Agrigenti contigit hoc anno beata mors Pauli de Palatiolo, qui unus ex auctoribus Siculae reformationis fuit. Natus anno mdvi. die ii. Februarii in eodem oppido dioecesis Syracusanae, parentibus Didaco Bono, et Joanna Giliberti conjugibus, vocatusque in baptismo Paulus Marius, et educatus diligenter a matre le-

Paulus de Palatiolo.

Ann. min. ad an. 1568. num. 46

Petrus Tognoletti part. 2. lib. 6. p. 2. et seq.

Digitized by Google

Arturus ad diem 21. Octobris.

ctissima femina, pietatis et religionis valde studiosa, humaniores litteras didicit Syracusis, in eisque profecit, licet non admodum felici ingenio praeditus.

VII. Infirma mater filium suum in patriam arcessivit, illi benedictura, antequam moreretur, verbisque efficacibus ad ordinem franciscanum eum pertrahere conata est; ita enim praeterita nocte se Deo promisisse asserebat, oblato sibi per somnum ostento exterritam. Videbatur siquidem illi filium humi stratum videre magnis vulneribus confossum, et peremptum; mox autem vitae redditum, precibus nuncupatis in ecclesia S. Martini tum a se, tum a b. Francisco, qui coram coelorum regina genuflexus, incolumitatem miseri juvenis profusis lacrymis postulabat. Etsi vero matris votum ratum habuisset filius, illa tamen defuncta, mansit in aula una cum patre, qui erat ab epistolis, et intimis consiliis dynastae Palatioli, ubi in coaetaneorum adolescentum, et praecipue Flaminii cujusdam consuetudinem se insinuavit, abiitque in mores dissolutos, inter aleas, choreas, et dedecora versatus, laxatis licentiae fraenis, et praeceptorum oblitus optimorum, quibus paterna in domo animum imbuerat.

VIII. Optabat in praeceps ruentis filii saluti Didacus consulere, ipsum hortatus pluries ad resipiscentiam, et secessum in claustra, ubi tuto consisteret, et vitam in melius commutaret. At surdo canebat, propter improba consilia Flaminii, cui ille magis, quam parentis monitis, obsequebatur. Interea dynasta solatii causa venatum egressus secum ambos duxit Paulum, et Flaminium, quumque essent in agro, oborta tempestate, fulminis ictu Flaminius cecidit extinctus ad pedes amici sui, qui non solum spectaculo expalluit, quin etiam multis post diebus incessit ad spectri similitudinem, consumpto vultu, oculisque dejectis, atque paventibus. Enimvero demortui umbra sibi quotidie ob oculos obversabatur, dormientem quoque excitantis horribilibus formis; modo namque fletu madidus misere ille assiduis singultibus ejulabat, modo lugubria indutus tacitus consistebat; catenas demum ferreas, quae pendebant ab ejus humeris, quatiebat cum strepitu, et cubiculi concussione.

IX. Excitus juvenis paullatim ad se redibat; nihil enim magis in viam homines reducit, quam animi dejectio ex malorum, quae ipsi experiuntur, consideratione. Sub haec dynasta, praetextu rusticationis pergens in villam suburbanam, secum assumpsit Paulum, eique multis persuadere voluit benevolentiam suam, et egregiam voluntatem, si fideliter, ut adhuc fecerat, in aula inserviret, ex quo plurimam utilitatis esset consequuturus. In spem itaque adducto commodorum, et felicitatis mandavit, ut in oppidum noctu, et secreto regrederetur et equitatum ad se adduceret, quod quum ille continuo peregisset, eadem nocte, conscensis equis ambo oppidum petierunt, et intempesta nocte ingressi sunt curiam. Nesciebat Paulus quo res tenderet, dominumque suum tacitus sequebatur, qui simulatque in cubiculum penetravit uxoris suae pulcherrimae, et adolescentulae, eam in lecto quiescentem pugione adortus necavit, nullaque mora abscessit, jubens socio, ne rem alicui unquam patefaceret, si divitias, et honores adipisci vellet.

X. Crudele et horrendum facinus ille detestatus, nec quid ageret, nec ubinam foret, reperiebat, trepidationem inter, et lacrymas. In exitu ab oppido a domino suo aliquantulum sejunctus audivit vocem desu-

per factam: *Vae tibi Paule, si eorum oblitus es, quae promisisti matri tuae morienti!*, animoque turbatior panem toto illo die non comedit. Pervulgabantur jam multorum sermones de mulieris nece. Non una erat omnium opinio; quisque vero homicidam diris devovebat. Laudabatur illa ob religionem, humanitatem, ingenuos mores, quibus excellebat, nec dubitabant prudentiores, quin maritus homo nefarius turpi amore ductus alicujus pellicis eam perdidisset. Quae quidem, licet sanguine innocens, nulloque scelere obligatus, juvenis perferre non poterat, cogitationum aestu veluti quodam agitatus dies, noctesque, quum se nosset facti testem, socium, et quodam modo fautorem, ac perpenderet, fieri non posse, ut ab infami sicario, qui fidem omnem, et sensum exuisset, boni aliquid speraret. Quapropter consilio suscepto, mane quodam, sole nondum lucescente, aula excessit, et guardiano coenobii S. Mariae de Jesu, dimidio milliari a patria sua, instantissime supplicavit, ut sibi adesset, qui in ordinem minorum cooptari exoptabat, paratus, illinc non amplius abire, si eo die religionis habitu donaretur. Non multo post voti compos tirocinium exegit anno MDXXXV. in coenobio S. Mariae de Jesu Plateae, ubi anno insequenti professionem emisit inter clericos, retento, quod in sacro fonte acceperat, Pauli nomine.

XI. Aegre impetratum est ab ipso, ut sacris ordinibus initiaretur, qui demississime de se sentiebat, et sua interesse existimabat, humiliora exequi munia, aliisque fratribus sedulam praestare operam. At ne praesulum suorum voluntati nimium repugnaret, acquievit demum, et sacerdotio insignitus primum sacrum fecit in patria sua ad S. Mariae de Jesu. Moratus inibi aliquot annos, domum fatiscentem restauravit, auxitque aedificiis guardianus ad rem hanc consulto institutus; discessum siquidem jam inde fratres moliebantur, potissimum labente ecclesia, ad quam reparandam sumptus deerant. Neque vero difficile ipsi fuit, singulari vitae probitate, et exemplo, civium amorem, et venerationem sibi conciliare, qui propterea eleemosynas ultro, libenterque ad illum deferebant, ac certabant mutuo, quis esset liberalior, cum magno numero coenobium frequentarent, singulis sabbatis una cum fratribus interessent Deiparae laudibus solemniter decantandis, et aedes sacra vix sufficeret multitudini. Restauratorem quoque, ut diximus, et reformatorem eum habuit coenobium S. Mariae de Jesu Plateae.

XII. Tironibus in ordine educandis pluries praefuit. Dignitates recusavit, et diffinitoris provinciae suae officio functus est semel, obedientia adductus. Doctrinam, qua non valde praestabat, compensabat zelo, et charitate in verbi praedicatione, quam sancte obibat, spectaculum factus proximis, et longinquis populis, qui ad eum passim affluebant regnum Dei evangelizantem, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis. Orationi amicus post matutinas horas numquam cellulam suam repetebat, divinarum rerum contemplatione tota nocte in ecclesia occupatus, dictus idcirco *Pater Paulus de Nocte*. Jejunia agebat diebus singulis, praeter dominicum, in pane et aqua, humi cubabat, flagellis caesus, et aspero carnes cilicio revinctus.

XIII. Signo crucis hominibus spiritu malo obsessis opem tulit. Ministrabat infirmis, compatiebatur pauperibus, et captivis, quibus alimenta libentissime donabat conquisita labore suo, et aliqua semper explicabat

ex sententiis christianae fidei. Rogatus a viro nobili conterraneo suo, qui cum duobus presbyteris saecularibus ad eum venerat, ut fratrem, quem habebat germanum morbo decumbentem Deo commendaret, respondit: *de fratre quidem tuo ne sis amplius solicitus, qui dum limen ecclesiae hujus subires, diem explevit suum. Sed tui potius curam gere, quem eadem sors brevi manet.* Verbo ille territus praemisit culparum suarum confessionem, sacrisque receptis, domum rediens apoplexia correptus occubuit.

XIV. Simoni de Calataxibeta laico, qui sub annum MDXXXIII. reformationem suscitaverat in provincia Siciliae, adhaesit laborum particeps et molestiarum, quae in illum redundarunt, ex fratrum nonnullorum contradictione, qui novitati potius rei, quam sancto operi adversari videbantur. Hoc anno custodiam suis praesertim sudoribus plantatam, exurgere tandem vidit. At illa diutius frui non potuit cum sociis suis viris optimis Ludovico, et Thoma de Calatahierone, Bartholomaeo de Bizinio, Paulo de Sirgosa, Cherubino de S. Lucia, S. Benedicto de S. Philadelpho, Bonaventura Agrigentino, caeterisque, defunctus paucos post menses die XXI. Octobris, annos natus LXVII., cum sanctitatis opinione.

XV. Eodem reformationis spiritu, et restituendi in provincia Mediolanensi observantiam regularem zelo succensi Antonius de Vigevano, Jacobus Gandinus, et Seraphinus Torniellus de Nobiola postularunt a Summo Pontifice exsequutionem litterarum Clementis VII. *In suprema* die XII. Novembris, circa modum vivendi reformatorum; quod et obtinuerunt. Itaque ad provinciam reformandam misit Pontifex visitatorem, et commissarium suum apostolicum Christophorum de Fulginio: *Fuit nobis* die XXVIII. Januarii. Hunc Ludovicus Jacobillus in catalogo scriptorum Umbriae appellat Christophorum de Honuphriis; errat vero, asserens, reformationis munus ei demandatum anno MDLXX. Ad reformandam provinciam Terrae Laboris, quam anno elapso minister generalis sibi visitandam reservavit, datis litteris Taurino die XXVIII. Octobris ad Antonium Ginestretum commissarium generalem, misit Rodericum de Avalos: *Fuit nobis* die IV. Februarii; ad reformandam provinciam Bononiae Bonifacium de Burgo S. Sepulchri custodem reformatorum provinciae S. Francisci: *Fuit nobis* die IX. Aprilis; ad reformandam provinciam Austriae Joannem Nass, seu Nasum: *Cupientes* die IV. Julii.

Jacobillus lit. C. pag. 89.

XVI. Hoc anno Petrus de Alfaro missionum Insularum Philippinarum praeses suos hoc ordine distribuit per provincias, juxta ea, quae ex autographis MSS. collegit Joannes Franciscus de S. Antonio rerum nostrarum sedulus scriptor. Provincias de Ilocos, et Pangasinan Joanni Baptistae Pisaurensis, et Sebastiano de Baetia assignavit, quorum labore in loco Ago nuncupato, sito in extremitate Ilocos, Pangasinan versus, oppidum et ecclesiam seraphico Patri dicatam excitarunt, ubi, fama est, Joannis de Ayora, et Petri Munique corpora quiescere; jam enim in Ilocos, totius provinciae caput, a Guidone Lavezares extructa fuerat ecclesia una cum pago *Fernandina* appellato; Paulo a Jesu, et Bartholomaeo Ruiz provinciam de Camarines. Ibidem quatuor oppida cum totidem ecclesiis fundavere in Naga, Quipayo, Nabua, et Libong, ad haec usque tempora existentibus; Alphonso de Medina, et Petro Munique provincias de Panay, et Zebu, in quibus pariter pagos et ecclesias,

Joan. Franciscus a S. Antonio tom. 1. pag. 361. et seq.

aliis aliorum ordinum postea traditas, erexerunt; Joauni de Placentia, et Didaco de Oropesa lacum de Vay, et montes de la Silanguan usque Tayabas. Ad ripas Maniliae fluminis oppida et templa posuerunt in Dilao, Quiapo, Sancta Anna de Sapa, Antipolo, Silan, Taytay, Binangonan, in lacu Vay, in Pila, Lumbang, Mahayhay, Pangil, Morong, aliisve in locis praesertim in montibus, et nemoribus, in provincia Taybas, in Calilaya, et in Meycavayan, et in provincia de Bulacan, quae a Polo ad Bocavi usque protendebatur; Stephano Ortiz, et Joanni de Porras, qui opus inceperunt, postea ad perfectionem perductum ab Antonio de S. Maria, provincias de Balayan, et Mindoro, in quibus oppidum et ecclesiam fundarunt primum in Balayan totius provinciae caput, deinde in Tyauong titulo S. Jacobi de Nayon, in Binangonan, Valer, et Cosiguran; haec ad provinciam Mindoro tunc spectabant, nunc vero ad Taybas.

XVII. Petrus de Alpharo hac illac cursitabat, rerumque summae consulebat, ut omnia recte et ordinate fierent. Andreas de Guadalupe in historia provinciae Angelorum Joanni de Ayora contubernali suo non solum domus praefecturam, verum et omnes fere tribuit regiones illas evangelii lumine collustrandas; nimirum provincias de Luzon, Tagala, Balayan, Tuley, Camarines, Palacali, et inaccessos, sive asperos montes de Silaga, primumque facit ecclesiarum, et piarum congregationum fundatorem apud populos de Ilocos, Pangasinan, et Panay. Quae si vera essent, pauca sane sociis aliis peragenda supererant. *De Guadalupe p. 389.*

XVIII. Iis sic distributis, inter caetera pietatis, et evangelicae praedicationis officia, in quibus fratres qui Maniliae degebant sese exercebant, maxime adnumeranda est erga aegrotos solicitudo. Quorum exemplo commoti cives, nosocomium pro Hispanis institutum sui juris fecerunt, ut animabus, infirmorumque corporibus solatio essent, et medela. Aliud de novo fidelium largitionibus in foribus conventus Dominae nostrae de Angelis Maniliae excitavit pro infirmis Joannes Clemens laicus, brevi tempore multis reditibus auctum. Cessit postea sodalibus S. Joannis de Deo.

XIX. Denuo receperunt hoc anno minores de observantia provinciae S. Antonii Venetiarum coenobium Glemonae in montibus Fori Julii supra civitatem Utinae, fundatum anno MCDLXXXVI. a pia muliere Catharina Glemonensi, relictum alimentorum penuria, et occupatum a fratribus eremitanis S. Augustini. His alio digressis, Franciscus Gonzaga minister provinciae fratres aliquot in locum immisit, ad civium postulationem, qui eisdem necessaria omnia victui, et vestitui promiserunt se praestituros. Habitant X. fratres. Conventus Glemonae. *Gonzaga in prov. S. Antonii conv. 30.*

XX. Ab eremitorio Dominae nostrae de Gratia extra Villam Regalem, dioecesis Dertusen., tum ut oppido fierent propiores, utilioresque civibus, tum ut aerem insalubrem devitarent, transierunt fratres in eremitorium Dominae nostrae de Rosario, edito, et amoeno in loco ad orientem, duabus leucis a mari, sub Christophoro de la Plaça ministro, qui sacrum inibi celebravit die III. Novembris, et die postero, translatis fratribus, guardianum praeposuit Joannem Pastor virum sanctum. Ad aedem, et hortos ampliandos fundum dedit Guilielmus Almerique; sumptus pii cives erogarunt. Intercesserunt proximorum agrorum domini, veriti, ne novis substructionibus via in praedia obstrueretur, clerici saeculares, qui officium aliquod in ecclesia exercere postulabant, ac denique fratres ordinis prae- Conventus Villae Regalis. *Idem in prov. S. Joannis Baptistae conv 14.* *Antonius Panes 1. part. cap. 28. pag. 102. et seq.*

dicatorum, qui in locum sibi jus esse contendebant, emptum antea pretio ducatorum CD., quod cum civibus pacti erant, eorumque rationibus favebat Joannes Izquierdo ejusdem ordinis episcopus Dertusensis. Praevaluit tamen religiosorum patientia, et odor boni nominis, qui eos, amotis obicibus, stabili in sede tandem locavit. Honestatur coenobium exuviis S. Paschalis Baylon, Antonii Irles, Joannis Vidal, Antonii Vela, Martini Oñtivi, et Didaci Baylon S. Paschalis consobrini, ejusque virtutibus et miraculis emuli. Hi duo postremi religiosum habitum ibidem susceperunt.

Conventus de Benicarlon.
Gonzaga ibidem conv. 15.
Panes ibidem p. 104.

XXI. Eodem anno die XV. Iunii Christophorus de la Plaça in possessionem venit coenobii S. Francisci Villae de Benicarlon dioecesis Dertusensis, et jurisdictionis ordinis de Montesa, a se fundati CL. pass. a porta de Calich in regione laetissima, jucundi prospectus ad maris litus, agri omnes frugiferi, vinique feracissimi. Retinet adhuc domus veterem paupertatis, et humilitatis formam. In ordinem illic cooptati sunt Gabriel del Olmo, et Leo Perez. Obierunt Franciscus Ordonnez guardianus, cujus corpus permanet incorruptum, et Michael Borras laicus, de quo deinceps.

Conventus de Agres.
Gonzaga in prov. Valentiae conv. 26.

XXII. Gaspar a Calatajud dominus castri Agres dioecesis Valentinae, propriis, aliorumque sumptibus fieri curavit coenobium b. Mariae prope idem Castrum, ubi pulsis, caesisque mauris, pulcherrimam gloriosae Virginis christiani imaginem invenerunt, cui in gratiarum actionem aediculam construxerunt, in qua subinde crebris miraculis coruscavit, accedentibus undique peregrinis vota reddituris. Die XVI. Februarii hoc anno domum inhabitandam acceperunt XIII. fratres recollecti (ea enim lege fuerat fundata, ut recollectioni deserviret), quibus paullopost successerunt totidem observantes, qui oblatas a fidelibus missas recipere, eisque satisfacere possent.

Conventus Turrisnovae.
Idem in prov. Arabidorum conv. 9.
Monum. XXI. prov.

XXIII. E coenobio b. Mariae de Aegypto an. MDLXIII. fundato a Joanne Averanorum duce ad III. lapidem ab oppido Turrisnovae, ob aeris insalubritatem transierunt hoc anno fratres ad aliud prope eumdem oppidum positum sub invocatione S. Antonii Patavini.

Conventus Pennarandae.
Idem in prov. S. Joseph conv. 12

XXIV. Sub hoc tempus absolutum est omni ex parte coenobium Dominae nostrae de Gratia Pennarandae de Braccamonte dioecesis Salmaticensis, fundatum octo annos ante juxta Gonzagam, sexennio vero juxta chronicam provinciae S. Pauli discalceatorum, sumptibus communitatis, Joannis comitis de Braccamonte ex *Ammirantum* Franciae prosapia, et Annae Davila, et Gusman ejus uxoris, prope antiquum sacellum Dominae nostrae de Gratia, seu Vinearum, quod episcopus Salmaticensis fundatoribus libere donavit. Retinuit titulum usque ad annum MDCXXXIV., quo elegans signum Conceptionis in ara maxima templi a fundamentis excitati et suum indidit. Invenio in eadem chronica defunctum inibi hoc anno, licet Joseph Maria de Ancona Arturum sequutus signet annum MDLXXX., Didacum a Saçedo laicum patria Cantabrum summae simplicitatis, innocentiae, et humilitatis, orationi assiduum, recreatum interdum praesentia S. P. Francisci, et B. Mariae Virginis, quae ad stratum ipsius adstitit morientis. Quamobrem fratres, et saeculares, qui eum visitatum ibant, enixe rogabat, ut se devote, et reverenter componerent ante Virginis majestatem, et coronam angelorum, qui illic aderant. Quod sane in dubium vertere illis piaculum fuit ex notis virtutibus

Ann. min. ad an. 1554. num. 23.
Didacus a Saçedo.

Digitized by Google

viri Dei. Decesserunt quoque Sebastianus de Montalvan in Aragonia novitius, et Joannes de Sanctis laicus de Valthanas dioecesis Palentinae anno MDXCIX., Thomas a S. Francisco a Methimia del Campo anno MDCI., Antonius a S. Paulo de Quiñones Legionensis anno MDCXII., Petrus a S. Marco laicus a Villa Conancio dioecesis Palentinae anno MDCXXXIV. Habitant XXIV. fratres.

XXV. Anna Manrique conjux D. Vargas Philippo II. regi a secretis, divenditis propriis monilibus, pretiosisque ornamentis auri, et argenti, c. pass. a Turre Stephani Ambrani dioecesis Toletanae oppido, in quo jurisdictionem temporalem exercebant, aedificavit, rebusque necessariis instruxit coenobium S. Joanni Evangelistae sacrum. Didacus a Fonsalita in sua chronaca MSS. anno MDCLXXXI. ubi agens de hoc conventu, narrat eventum hisce verbis. « In hoc conventu ad religionis honorem quidam » accidit casus. Nam cum tempore carnis privii se congauderent quae- » dam adolescentulae, una ex illis habitu religionis, quem domi habe- » bat devotionis ergo, se induit: et cum quidam homo male religiosis » affectus callem pertransiret, per fenestram adolescentulas ludentes aspe- » xit, seque complexibus inhaerentes cum illa, quae habitum portabat » indutum. Ille et alii per totum oppidum divulgarunt unum religiosum » cum mulieribus inhoneste vidisse ludentem. Pervenit notitia ad aures » Dominae D. Mariae de Hyala, quae tunc in oppido illo commora- » batur. Vocavit ad se praelatum conventus illique dixit: pater guardiane, » in oppido hoc increvit scandalum (de illo relationem faciens) et ad- » didit: pater mi, si hoc verum est, satagemus operire silentio; si autem » falsum, ut credo, rigoroso supplicio plectar, et puniam hominem tam » depravatae conscientiae. Guardianus satisfecit affirmans nullum eo tem- » pore e domo religiosum exiisse, neque extra conventum ambulasse; » his tamen non obstantibus se inquisitionem facturum repromisit, et » de omnibus allecturum notitiam. Constitit ex illa religiosos innocentes » existere, et ab impositis esse liberos. Vocavit hominem Domina, ut ab » ipso notitiam acciperet; ille autem juravit esse verum quod erat per » oppidum divulgatum, et alios juvenes vocavit in testes, sed tacuit » domum ubi casus acciderat. Jussit Domina illum hominem carceri » mancipari, usque dum casus informatio fieret, vel inquisitio. Et qui- » dam servus Dei religiosus laicus ejusdem conventus incola, solicitus » et anxiatus infamia et inhonore religioni et religioso tributis, in ora- » tione positus, postulabat a Deo, ut pro religionis honore benigne re- » spiceret; et illi a Deo fuit revelatum, se et religiosos omnes esse ab » omni culpa immunes, fuitque illi ordinatum ut illi Dominae inno- » centiam religiosorum patefaceret cum credulitatis certificatione, in » illa futura facultate a guardiano postulata, et obtenta, ut illi Domi- » nae satisfaciendae adiret, sicut ipsi praeceperat Deus; postquam vale » ei dixit, sic est allocutus: *Domina mens religiosus est ita ab omni* » *culpa immunis, et delicti insons, sicut ego sine laesione ab istis* » *prunis liber evadam*; et ingrediens in prunarium magnum, quod ibi » positum erat, coepit prunis unum cum altero operire pedes inter quos » per spatium sufficiens permansit, et postea evasit illaesus. Stupefacta » Domina, viso tam singulari prodigio, hominem fecit rigorose puniri: » et postea via alia, veritas fuit propalata; nam adolescentulae fassae

Conventus Turris Stephani.
Gonzaga ibidem conv. 29.

Didacus a Fonsalita monum. prov. S. Josephi p. 136.

» sunt, quod acciderat, referentes ludum suum; quo miraculum fuit di-
» vulgatum; et visum fuit Deum ignis virtutem suspendisse, ut religio
» illustriori honore claresceret, plusquam infamia, testimonio falso iu-
» crescere potuit: et ipso igne ignis infamiae fallaciter obortae, ad ser-
» vorum Dei honorificentiam fuit mirabiliter extinctus ».

Conventus Zamorae. Idem ibid. conv. 27.

XXVI. Sumptibus potiori ex parte R. Simancas episcopi Zamorensis, ad civium petitionem, constructum est coenobium S. Joannis Baptistae in eremitorio S. Praecursori sacro non longe a civitate Zamorae, seu Senticae juxta Durium amnem in regno Legionis; quam veterem esse Numantiam nonnulli tradunt antiquitatis studiosi. Joannes Ruitius ab Occania minister provinciae S. Joseph electus anno praeterito in comitio S. Andreae de Monte Arenarum, domum tradidit hoc anno xiv. fratribus, qui illam annos post xciv. in aliam commutarunt ad borealem plagam civitatis. Hic tirocinium egerunt Sebastianus a S. Joseph de Methimia del Campo martyr in insula Matthaea anno mdcx. mense Majo; et Antonius a S. Bonaventura Vallisoletanus martyr Nangasachi in Japonia anno mdcxviii. Decesserunt Bartholomaeus de Aranda Dorii dioecesis Oxomensis anno mdlxxxiv., Gaspar a Viminoso Lusitanus prius jesuita anno mdxciii., Balthasar a S. Antonio Toletanus anno mdcxx., Joannes a Villanova eodem anno, Didacus a S. Agnete de Beyar dioecesis Palentinae anno mdcxxiv., Martinus a S. Maria laicus de Montano, seu Espinosa de los Monteros dioecesis Burgensis anno mdcxxxi., Didacus Baptista theologus a Methimia del Campo anno mdclii.

Conventus Talabricae. Ibid. conv. 28.

XXVII. Joannes Ruitius praefatus caeteris adscripsit coenobia S. Annae Talabricae, et S. Francisci de Yepes, utrumque dioecesis Toletanae. Illud posuerunt cives, etsi opere tum primum non perfecto juxta fluvium, et circumjacentes paludes. Centum post annos abierunt fratres intra moenia in fundo Joannis de Monte-negro, impetrato placito cardinalis Aragonii archiepiscopi Toletani, et Caroli II. regis, quum fundus ad primogenitos pertineret, secum adductis ossibus fratrum defunctorum; in quibus fuerunt corpora Nicolai a Conceptione ab Alveario Avicolari, seu Colmenar de los Pajaros, qui obiit anno mdcv., et Petri Baptistae Tarancon, qui obiit anno mdcxii.

Conventus de Yepes. Ibid. conv. 30.

XXVIII. Domum alteram Ruitio cives obtinuerunt, datisque syngraphis polliciti sunt se nisi ex communi aere intra biennium illa absolveretur, ex privatis facultatibus suis eam perfecturos fuisse. Quod nentiquam opus fuit; breviori enim tempore culmen attigit, incredibili omnium sollicitudine, quum certatim mares et feminae, senes et pueri, nobiles et ignobiles operi manum admoverent. Accessit licentia Gaspari a Quiroca archiepiscopi, et confirmatio Philippi Sega episcopi Placentini sedis apostolicae nuntii apud regem catholicum. Yepensium pietatem miracula comprobarunt; nam corruenti ex editiore loco ingenti lapidi quum casu juvenis quidam se opposuisset, et lapide alio adactus, collisus ab omnibus crederetur, nihil mali perpessus est. Alius quidam puer dum oppressus praecipiti lapide a circumstantibus judicaretur, exiliente praeter naturam gravissimo in altum saxo, periculum mirabiliter declinavit. Tumulatus est ibi Petrus Manzanares clericus adolescens; qui fratri Augustino a Sylva, ut ipsemet in chronicis testatur, ipso die obitus in cella bibliothecae oranti apparuit, ab eoque rogatus: *Quae tibi sors*

Petrus Manzanares. A Sylva in chron. part. 2. pag. 120.

Petre?, respondit: *Felix utique;* et hymnum *Te Deum laudamus*, cecinit alternatim cum illo usque ad finem, quo expleto evanuit ab oculis, et coelesti fragrantia cubiculum redoluit.

XXIX. Franciscus de Garnica quaestor regius aedificium S. Bernardini M. P. a civitate Matriti asseribus, storeisque pro discalceatis contectum, aere proprio complevit, servato sibi suisque haeredibus honorifico patronatu, ac jure sepulturae, necnon onus missae conventualis singulis diebus juxta ejus mentem celebrandae. Omnia haec approbavit Pontifex: *Piis fidelium votis* die XVIII. Julii. Habitant XX. fratres. Nostris hisce temporibus transivit in nosocomium pauperum.

Conventus Matriti.
Ann. min. ad an. 1570. num. 16.

XXX. Petrus de Alva in descriptione provinciae Basilicatae fundatum dicit hoc anno coenobium S. Mariae Magdalenae extra civitatem Acherontiae in Appenninis juxta fluvium Branduno in pervetusto sacello, seu eremitorio ejusdem tituli. In codice alio fundatio refertur in annum MDLXXXV., quod probabilius existimo, alioquin locum Gonzaga memorasset. Daniel de Monferrato minister provinciae Basilicatae opus incoepit, perfecitque. Habitant XII. fratres.

Conv. Acherontiae
Monum. mss. prov.

XXXI. In provincia Terrae Laboris die I. Maii coenobium S. Francisci Turris Graeci in Campania ad radices Montis Vesuvii austrum versus, ridenti et amaeno in loco positum est; verum defluentibus deorsum flammarum torrentibus obnoxio, qui non raro oppidum incenderunt.

Conventus Turris Graeci.
Gonzaga in prov. Terrae Laboris conv. 21.

XXXII. Accrevit provinciae S. Angeli coenobium S. Joannis, seu S. Matthaei in Lamis dioecesis Sipontinae, in monte Gargano, uno milliari ab oppido S. Marci. Vincentius Carafa eques S. Joannis Hierosolymitani, prior Hungariae, et loci commendatarius, possessionem aedis derelictae a monachis Cisterciensibus transtulit ad minores de observantia: *Exigit injunctum* die XIV. Februarii, pactis conditionibus, quae in ipso Pontificis diplomate exprimuntur. Favet solitudo religiosorum quieti. Infirmi inde mittuntur curandi in coenobium S. Bernardini civitatis S. Severi XII. milliaria distantis. Ecclesia, in qua quiescit Carolus Sfortia abbas a S. Carolo Borromaeo baptizatus, veterem servat structuram altaribus dumtaxat renovatis, S. Joanni sacra, sed passim dicta S. Matthaei, cujus digitus illic colitur, accurentibus populis, qui oleo ejus lampadis hydrophobia liberantur tum ipsi, tum eorum animalia statim ac parti male affectae illud illinunt. Habitant XI. fratres.

Conventus in Lamis.

XXXIII. Cives Carthaginis desiderio habendi apud se fratres minores, qui sibi sacramenta ministrarent, et salutis semitam felicius aperirent, hoc anno ex publicis facultatibus intra communem ambitum construi curarunt coenobium S. Francisci. Locum ita Gonzaga describit, *Carthago Peruana, et Popajanicae regionis civitas ab istius patriae expugnatoribus, qui pro majori parte ex nova Carthagine oriundi erant, sic dicta, Georgium Robledo militiae ducem sui auctorem sub an.* MDXII. *habuit; sitaque est inter duos fluvios supra elevatum quemdam, sed planum colliculum; qua etiam de causa difficilis ad eam patet accessus, praesertim vero hyberno tempore, estuantibus supra modum fluviis, copiosioribusque imbribus e coelo decidentibus. Adjacens regio foecunda est, fructiferisque arboribus, et diversi generis animantibus abundat. In ea siquidem plures cervi, cuniculi, leones, quoddamque animal vulpi simile (hoc chiucha indice appellant), quod aperto ad*

Conventus Carthaginis.
Idem in prov. S. Fidei conv. 8.

bursae instar ventre circum se vagantes foetus, atque ad quemcumque strepitum paventes secretioribus excipit latibulis levissimoque cursu notum sibi lustrum petit, inveniuntur. Quid quid sit de hac re non est confundendus hic locus cum coenobio Dominae nostrae de Laureto Novae Carthaginis, seu Cartajena in ora maritima novi regni Granatensis, quorum utrumque spectat ad provinciam S. Fidei, neque cum coenobio S. Francisci Carthaginis in Costarica inter sinus Dacien, et Mexicanum, quod sibi vindicat provincia S. Georgii de Nicaragua. Duo priora sunt in America australi, tertium in boreali. Caeterum Carthago in Popajana improprie dicitur civitas, quum sit tam parvum oppidum nostri etiam temporibus, licet auctum aetatis decursu.

Collegium Divionis. *Gonzaga in prov. S. Bonaventurae conv. 8.* *Fodere hist. prov. S. Bonaventurae pag. 470. et 677.*

XXXIV. In capitulo habito superiori anno in coenobio Charriarum, seu de Cherie in Burgundia decreverunt patres provinciae S. Bonaventurae instituere in coenobio S. Nicolai Divionis, seu Dyon, dioecesis Lingonensis, collegium non juniorum fratrum ejusdem provinciae, ut scribit Gonzaga, sed saecularium, teste Jacobo Fodere, qui etiam rei causam adducit; quum enim primo iidem saeculares, qui ordini nomen dare cupiebant, educarentur, et grammaticam ac rhetoricam discerent in conventu Viennae Allobrogum in Delphinatu, eo ab Hugonottis everso, vix aliqui amplius reperiebantur, qui in ordinem cooptari vellent. Decretum exsequutioni demandatum est hoc anno, renuntiato inibi guardiano Nicolao Vochard alumno conventus Charriarum. Divionem describit Gregorius Turonensis his verbis: *Castrum firmissimis muris in media planitie, et satis jucunda compositum. Terra valde fertilis, atque foecunda, ita ut arvis semel scissis vomere, semina jactentur, et magna fructuum opulentia subsequatur. A meridie habet Oscam fluvium piscibus valde praedivitem, ab Aquilone vero alius fluvius venit, qui per portam ingrediens per aliam rursus egreditur, totum munitionis locum placida unda circumfluens.* Hodie Divio est civitas episcopalis, electo in primum episcopum D. de Bouhier a Clemente XII. Summo Pontifice. Habitant LXX. ad minus fratres.

Gregorius Turonensis lib. 3. histor. cap. 19.

XXXV. Abiit in collegium juvenum, qui litteris studerent, ad petitionem Joannis III. Svecorum regis, coenobium S. Francisci regiae urbis Stocholmiae dioecesis Upsalensis, desertum jamdiu a fratribus ob invalescentem in regno Sveciae haeresim Lutheranam: *Praeclara bonitatis* die XVIII. Julii. Aedem fundatam scribit Waddingus anno MCCLXXXIX., anno II. pontificatus Nicolai IV., a Maguo Ladalaas, quem Folcus archiepiscopus Upsalensis, caeterique episcopi regem substituerunt in locum impii fratris sui Valdemari. In rationario temporum Dionysii Petavii invenio ad annum MCCL. regem Valdemarum, ad annum MCCLXXVI. Magnum II., ad annum MCCLXXXI. Birgerum a suis solio dejectum, ad an. MCCCXXV. Magnum IV. Fieri potest, ut Magnus II. post Birgerum regnum recuperaverit; id tamen in serie regum non exprimitur.

Ann. min. ad an. 1289. num. 46. *Petavius pag. 159.*

XXXVI. Excesserunt circa hoc tempus fratres provinciae Aragoniae a coenobio S. Mariae de Maella, dioecesis Carthaginensis, una leuca ab oppido, ubi fuerant antea monachi cistercienses in ecclesia S. Susannae, translati subinde in principatum Cataloniae. His aedem suam repetentibus minores non restiterunt, licet optimo jure in loci possessionem immissi, nec nisi anno MDCX., die XVIII. Martii sub ministro provinciae

Ex monum. prov. Aragoniae p. 979.

Antonio Pahones, annuente Thoma de Berja antistite Carthaginensi, fr. Martinus Ayncia recipit coenobium a fundamentis constructum juxta oppidi moenia. In coenobio Sluinensi, seu de Szlunad confluentes Coranam, et Sluinchiczam sub dominio archiducum Austriae, in provincia Croatiae Carniolae, hoc anno unum monachum extitisse et illum strenue contra Turcas propugnasse narrat Valvasor apud Vigilium Greiderer. Quatuor post annos oppido ab hostibus expugnato, et Slunensi arce diruta, coenobium incolas omnes amisit, ac quae inibi colebatur prodigialis statua lignea Deiparae Virginis illata est a fratre Bernardino de Lopussiinich, Lupusinich, aut Loparinich in coenobium S. Mariae Gratiarum Tersacti, dioecesis Corbaviensis, seu Segniensis, in sinu maris Adriatici, qui Flanaticus dicitur. Illic Summus Pontifex hoc anno affecit privilegio quotidiano, et perpetuo pro defunctis aram S. Petri: *Omnium saluti* IV. nonas Julii.

Greiderer tom. 1. lib. 2. §. 2. num. 166. pag. 143.

XXXVII. Immissis praeterito anno in coenobium fratrum minorum Moguntiae presbyteris societatis Jesu a Daniele Brendel ab Hompurg archiepiscopo Moguntino, initaque ab eis loci professione die VII. Septembris, archiepiscopi factum Pontifex confirmavit: *Alias pro parte* die XVII. Maii hoc anno. Danielis litterae hac super re expeditae sunt sequentes.

Daniel Dei gratia sanctae Moguntinae sedis archiepiscopus, sacri Romani imperii per Germaniam archicancellarius, et princeps elector universis et singulis praesentes nostras inspecturis salutem in Domino, et praesentibus fidem indubiam adhibere.

Quum in dioecesim nostram Moguntinam, communicato consilio cum venerabilibus, et honorabilibus decano et capitulo ecclesiae nostrae, ante annos aliquot, religiosos viros societatis Jesu assumpsissemus ad instituendam in pietate, et disciplinis variis juventutem, atque erudiendum populum nostrum in fide catholica, tandem eisdem anno praesenti templum et monasterium fratrum minorum, ex concessione, atque voluntate sedis apostolicae tradidimus cum omnibus attinentiis, atque per nobiles, ac clarissimos viros Christophorum Fabrum cancellarium, et Henricum Hupp utriusque juris doctores, atque nostros consiliarios in corporalem, realem, et actualem possessionem immitti, atque induci curavimus, prout in istrumento dictae possessionis latius habetur. Ne autem praedicti religiosi societatis Jesu unquam valeant molestari in possessione dicti monasterii, nos auctoritate ordinaria injungimus omnibus officiatis nostris tam ecclesiasticis, quam saecularibus, hisce litteris, ut non permittant, dictos possessores a quocumque quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, et rebelles, ac sedis apostolicae ordinationi, unioni, suppressioni, et incorporationi hujusmodi contradicentes, ac mandatis ejusdem sedis, ac nostris non parentes, per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, atque opportuna juris, et facti remedia, postposita omni appellatione, compescant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Hoc enim nobis a sede apostolica injunctum est, atque mandatum, etiam non obstantibus privilegiis ordinis minoritarum, ordinationibusque apostolicis quibuscumque etc. quare per quoscumque judices, quavis auctoritate fungentes, secundum hoc judicari, et definiri debere decernimus, irritumque declaramus, et inane, si secus super hisce a quo-

Nicolaus Serarius rerum Moguntin. lib. 5. cap. 10. pag. 931.

cumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. In quorum fidem praesentes nostras litteras manu propria subscripsimus, ac sigilli nostri appensione fecimus communiri.

Datum apud arcem S. Martini in civitate nostra Moguntina die xx. Julii anno Domini MDLXXVII.

Ibidem pag. 933.

Sacchinus par. 4. lib. 1. pag. 107.

XXXVIII. Addit Nicolaus Serarius, a quo exemplar desumpsimus harum litterarum, eas magno cum Danielis zeli et pietatis elogio laudavisse, ratasque habuisse anno MDLXXXVIII. ejus successorem Wolphgangum. Franciscus Sacchinus in historia societatis Jesu ad annum MDLXXVIII. haec habet: *Moguntinus antistes suum collegium in dudum desertum franciscanorum patrum coenobium in urbis umbilico situm, de patrum ipsius ordinis voluntate transtulit.* At pace tanti viri dixerim, Jesuitarum translationem *de patrum ordinis minorum voluntate* haud factam fuisse; idipsum enim perspicue reddunt archiepiscopi solicitudines, qui litteris in antecessum obtentis a Pontifice pro translatione non contentus, alias hoc anno impetravit, in quibus praeterea nihil dicitur aliud, quam quod jam dictum fuerat in anterioribus, nimirum unum tantum fratrem ibidem extitisse.

Flaminius de Parma tom. 2. pag. 458. n. 15.

Idem tom. 1. pag. 225. n. 6.

Idem tom. 2. pag. 536. n. 10.

Conventus de Terupio.

XXXIX. Restaurata, et ampliata est hoc anno ecclesia S. Mariae Gratiarum extra Ariminum in duas alas utrimque divisa, et tria sacella lateralia, postquam anno MDLXIX. piorum eleemosynis constructum foret novum majus sacellum cum organi pegmate et sacrario. In Ecclesia S. Petri Centi dioecesis Bononiensis, erigitur insignis confraternitas SS. Conceptionis, religiosorum cura, et studio, quam annis post duobus univit archiconfraternitati Urbis Alexander cardinalis Farnensius. Ita Flaminius de Parma, apud quem memoriam reperio conventus S. Mariae prope S. Secundum relictam a Sylvio Ferrariensi, qui ibidem hoc anno munus obibat guardiani. Laudat familiae de Rubeis amorem erga fratres, et asserit, monumenta omnia ad conventum pertinentia ante unionem Amadeorum cum observantibus, incendio periisse. In chronica provinciae Sardiniae memoriam invenio conventus S. Francisci Villae de Terupio veluti de loco, in quo hoc anno guardianus instituebatur. Apud Gonzagam nulla ejus mentio.

Conventus Poli. *Lib. mss. arch. Araceli pag. 724.*

Coventus Sardi. *Ibid. pag. 576.*

Conv. Marani. *Ex arch. conv. Montis S. Petri Angelorum.*

XL. In provincia Romana recipiunt minores conventuales die VIII. Septembris coenobium S. Mariae de Monte Poli dioecesis Praenestinae, duobus milliaribus ab oppido supra celsum montem, ubi olim situm erat castrum S. Angeli. Colitur in ecclesia imago devotissima b. Mariae Virginis, quae petentibus gratias largiri solet. Aedificium exiguum est sine claustro; in provincia S. Nicolai coenobium S. Mariae de Gratia extra montem Sardum, dioecesis Alexanensis, seu Leucadiensis, fundatum ex auctoritate Caroli Perreca oppidi domino a fratre Antonio Andrada de Andria; in provincia Marchiae conventus Marani dioecesis Ripatransonis erectus in quodam eremitorio, ea tamen lege, ut si ipsi e loco excederent, rediret ad plebanum loci patronum, quod an. MDCLIII. evenit.

Conventus Capucinorum. *Ex indice Michaelis a Tusio, et ex Boverio.*

XLI. Capucini obtinent in provincia Cosentina conventum S. Nicolai Turani dioecesis Bisinianensis, fundatum dimidio milliari a moenibus, instante Petro Paulo Cavalcanti Turani dynasta; in provincia Neapolis conventum Arpini dioecesis Soranae; in provincia Hydruntina conventum Nativitatis Deiparae Mandurii, seu Casalis Novi dioecesis Oritanae; in

provincia Messanensi conventum S. Mariae de Itria Melatii dioecesis Messanensis, de quo Michael a Tugio ad annum MDLXXX., fortasse quia tum primum fuit inabitatus; in provincia Panormitana conventum S. Michaelis Licatae dioecesis Agrigentinae, ad latus montis Gela prope viam publicam; in provincia Genuae conventum S. Bernardi S. Romuli dioecesis Albiganensis, translatum ab oppidi moenibus in locum alium anno MDCLXXXI. ob ruinae metum; in provincia Marchiae conventum Conceptionis Auximi, conventum Spiritus Sancti Matilicae dioecesis Camerinensis, et conventum S. Joannis Baptistae S. Victoriae dioecesis Firmanae, uno fere milliaris quadrante ab oppido; in provincia Pedemontana conventum Purificationis Astae, uno circiter a civitate milliari; in provincia Tusciae conventum S. Michaelis de Monte Rosso prope oppidum Peccioli: *Piis fidelium votis* III. idus Maii.

XLII. In provincia Cataloniae obtinent conventum Montiscalvariae Barcinonis extra civitatis moenia, non longe a conventu S. Mariae de Jesu minorum observantium, conventum S. Matronae, et conventum S. Eulaliae pariter Barcinonis. S. Matronae locum, quem deserendum observantes statuerant anno MDLXXV., eos adhuc sub hunc annum tenuisse scribit Boverius, qui etiam ab observantibus ad capucinos abiisse refert Ludovicum Romeo de Cerveria, Michaelem Mochiales, Hieronymum Forestum, Josephum de Roccaberti, aliosque XIV. numero, receptos ab Arcangelo Alarconio alumno provinciae Neapolis, et commissario generali, qui cum sociis suis Matthaeo de Guadix sacerdote, Seraphino, et Raphaele de Neapoli clericis, Pacifico de Genua, et Cherubino de Neapoli, jussu Heronymi de Monteflorum, Barcinonem petierat. Sed illorum aliqui ad observantes suos statim rediere, quos inter Joseph de Roccaberti Compluti defunctus hoc eodem anno, ut dicemus. Cives Barcinonenses hoc anno receperunt, inquit Michael a Tugio fr. Archangelum Alarconium, et quinque alios socios, quibus eis cesserunt domum cum oratorio S. Eulaliae titulo. Quo posito, minus verum existimo inscriptionis annum ab ipso relatum, ibidemque exaratum in erecta Cruce: *Haec est prima Crux, quam nostra religio in Hispania pro gloria Christi plantavit anno MDLXXVII.* *A Tugio Bull. tom. 5. pag. 307.*

XLIII. Aureliam quoque ad fluvium Ligerim hoc anno capucini adventarunt missi a rege, et regina matre, eosque die XVIII. Maii maxima cum exsultatione suscepit populus universus, clerus, et Maturinus de la Saussaye Blesensis, episcopus Aurelianensis. *Gallia Christiana tom. 8. pag. 1488. Carolus Saussayus ann. eccl. lib. 15. pag. 666.*

XLIV. Romulus Caesius episcopus Narniensis confirmavit hoc anno die VII. Julii, traditionem peractam fratribus tertii ordinis coenobii S. Mariae Annuntiatae extra S. Geminum. Composita tandem est controversia, quae biennio viguit inter fratres minores conventuales domus S. Mariae de la Foce, et observantes S. Francisci Sarni, super redditibus ejusdem domus S. Francisci, datis litteris nomine Francisci cardinalis Alciati ordinis vice-protectoris ab Ascanio Libertano, ad guardianum S. Mariae de la Foce sub die XXVIII. Januarii, quibus eidem injungit, ut restituat observantibus medietatem reddituum, quos perceperat, lite pendente. Negotium tamen tranquille transegerunt observantes, majori reddituum parte conventualibus relicta, ut ex instrumento publico notarii Ferdinandi Odierno die XXVI. Decembris anno MDLXXVIII. *Conventus S. Gemini. Bordonus in Chronologia pag. 379.*

Digitized by Google

XLV. Anno transacto duae nobiles germanae virgines Leonora de S. Paulo, et Isabella de S. Petro cum obtinuissent a Pontifice facultatem suis copiis construendi intra moenia oppidi Alcaudetae dioecesis Giennensis in provincia Baetica monasterium pro monialibus clarissis sub invocatione Jesus-Mariae, hoc anno ibidem ingressae regularem vitam professae sunt, omnium prima abbatissae munere functa Isabella de S. Petro, quae anno MDC. illic sanctis ditata operibus decessit. Subest jurisdictioni ordinarii. Cum sanctitatis fama obierunt eodem in loco anno MDCXXVIII. Irenaes de S. Maria, anno MDCXXX. Maria de S. Bernardo, anno MDCXXXIII. Leonora de Christo, anno MDCXXXIV. Elvira de S. Anna, anno MDCXXXVII. Anna de S. Magdalena, anno MDCXLVII. Catharina de Conceptione, et anno MDCXLIX. Maria de S. Thoma.

Monasterium Alcaudetae. Alphonsus de Torres in prov. Granat. pag. 914.

XLVI. Fundatum monasterium S. Clarae Montis Feretri in provincia Marchiae referunt indubia monumenta, quae nihilominus nec de auctoribus, nec de circumstantiis quidquam habent. In oppido Montisfilotrani dioecesis Auximanae ejusdem provinciae aliud monasterium S. Clarae extitit. De eo haec habetur inscriptio: *Has sacras aedes humanis usibus paratas, virginum divae Clarae commoditatibus ergo in hanc formam reducendas dedit populus Filotranensis, curantibus Dno Antonio Simone Mascilla, et Silvestro Gentilone Scindicis et Rectoribus dicti monasterii ad Dei laudem sub anno salutis MDLXXVIII.* Falso igitur scribit Compagnoni, anno MDLXVIII. jussu Pii V. subductas a regimine conventualium ad episcopi jurisdictionem ivisse. In nova hac domo abbatissae munus exercuit Angela de Mandaca, vicariae vero Francisca de Mercatillo ambae professae in monasterio S. Clarae civitatis Maceratae. In provincia Carthaginensi Petrus a Monteacuto vir pius bis mille aureos coronatos impendit in fabricam monasterii S. Clarae Villaenovae de la Xara, quod sub initium incoluerunt XV. clarissae urbanistae, magna paupertate laborantes; quidquid enim jure dotis ab adventantibus puellis recipiunt, id caementariis, lapicidis et fabris lignariis solvere coguntur ad monasterium absolvendum.

Monasterium Montis Feretri.

Monasterium Montisfilotrani.

Compagnoni Memorie della Chiesa e de' Vescovi di Osimo tom. 4. p. 61.

Monasterium de la Xara.

Gonzaga in prov. Carthaginensi monast. 5.

XLVII. Monasterium SS. Nominis Jesu de Setuval dioecesis Ulyssiponensis ex maximo ereptum discrimine sub hunc annum narrant; nam ignem qui fortuito inhaesit sacrario, et ipsum, aedesque circumpositas depascebatur, incendio in altum sublato, extinxit ampulla vitrea, quam vir nobilis Stephanus de Andrade, qui inibi filiam religiosam habebat, ad periculum accurrens inter flammas injici mandavit plenam aqua, quae lignum S. Crucis tetigerat. Aderat ingens spectatorum numerus, videruntque ampullam ab uno in alium locum mire saltitantem, atque elementi impetum refraenantem, donec ictu ferme oculi inceudium subsedit.

Torrubia lib. 3. cap. 16. num. 112.

XLVIII. Concessit Pontifex monialibus S. Clarae Oscae bona conventualium domus S. Francisci Oscae: *De Monasteriis* die III. Junii, et S. Francisci Jaccae: *De Monasteriis* eodem die; monialibus S. Catharinae Caesaraugustanae bona conventualium domus S. Francisci Exeae Equitum: *De Monasteriis* eodem die; monialibus S. Luciae Barbastri bona conventualium domus S. Francisci de Sarinicna: *De Monasteriis* eodem die; monialibus S. Clarae Turolii bona conventualium domus S. Francisci Turolii: *De Monasteriis* die XVIII. Junii; monialibus S. Clarae de

Digitized by Google

Monblane dioecesis Tarraconensis bona conventualium domus S. Francisci de Monblane: *De quorumlibet Monasteriis* die xx. Novembris.

XLIX. Sed et alia occurunt Pontificis mandata, nimirum, ut Carolus Cardinalis Borromaeus funditus diruat aedificia hospitiorum annexa monasteriis monialium regulae S. Francisci de observantia in civitate, et dioecesi Mediolanensi, reservato alicujus loci usu, si eo opus fuerit, et prohibeat monialium colloquutiones cum fratribus: *Quo quisque arctius* die xviii. Januarii; ut Mediolani erigat monasterium monialium capucinarum primae regulae S. Clarae: *Sacrosanctae militantis* v. calendas Septembris, et ut a monasterio capucinarum Perusiae quatuor moniales transferat ad illud incolendum: *Ad instituendam* die xxx. Augusti; ut Joannes de Acugna episcopus Aquilanus, et rector ecclesiae SS. Nicandri, et Martialis reducat ad vitam communem quasdam moniales S. Clarae Aquilae: *Exhibita nobis* die xviii. Martii; ut Hieronymus Federicus episcopus Laudensis absolvat moniales S. Clarae Laude, quod carnes comederint contra regulam, et instituta sua: *Exponi nobis* die xi. Martii; ut Petrus Moya de Contreras archiepiscopus Mexicanus suscipiat administrationem monasterii S. Clarae Mexici, dummodo moniales actu non sint sub cura fratrum minorum: *Pastoris universalis* die xxi. Januarii; ut episcopus Vicensis, et Augustinus Vinyes minister provinciae Cataloniae exequutionem denegent litteris Pii V. de uniendo monasterio Minoussiae cum aliis; sed ipsum tradant aliis monialibus reformatis deducendis a reliquis monasteriis: *Pius pp. v.* die xxi. Septembris; ut moniales S. Clarae Tuderti fruantur privilegio Pauli III. quo illas dispensat a quibusdam austeritatibus: *Devotionis vestrae* die xix. Martii; ut moniales neapolitanae S. Mariae Aegyptiacae eligant abbatissam, vel Joannam Theodoram, vel Camillam Beltranam, vel Isabellam Campanellam: *Ex bonis* die viii Augusti.

L. Decessit hoc anno in conventu S. Joannis Aretii fere centenarius Silvester Pupiensis, provinciae Tusciae ter diffinitor, semel custos, minister anno mdlvi., et diffinitor generalis anno mdlix. Praefuit annos ix. summa cum laude coenobio S. Alvernae Montis quod aedificiis, et supellectile ab eo auctum fuerat. Scripsit *pia carmina de S. Francisco, et Alvernae Monte, ac de mysteriis vitae d. n. j. c.;* in provincia Marchiae Augustinus a Rapagnano theologus, et visitator provinciarum Ragusii, S. Angeli, S. Bernardini; et Hieronymus de Carticeto diffinitor, quos memorat index Cleti Calcagni; in eadem provincia Franciscus Pennatia Anximanus minor conventualis, quem Altobellus in chronica narrat se egisse haereticae pravitatis inquisitoris officium in eisdem locis; in conventu S. Francisci de Luniano provinciae S. Francisci Raphael a Nursia sacerdos, quem Arturus ad diem xxii. Junii appellat discipulum b. Ambrosii Mediolanensis, et Gonzaga discipulum b. Ambrosini Mediolanensis. Arbitror hunc alium non esse, quam b. Ambrosium a Miliano, qui, dum quinto a Cascia milliari apud montem Leoninum sacras conciones ad populum haberet per quadragesimam, sarcina carnis solutus migravit ad Dominum anno mdxxv., conditus in coenobio franciscanorum conventualium ejusdem oppidi. Idem Arturus Raphaelem claruisse dicit an. mdxl. Hinc optime consonat ipsum ejusdem Ambrosii discipulum esse potuisse; praesertim quum Ambrosii a Miliano, non autem Am-

Silvester Puppiensis.
Terrinca in theat. part. 2. tit. 1. pag. 24. et part. 3. tit. 1. pag. 212.
Augustinus a Rapagnano.
Hieronymus a Carticeto.
Franciscus Pennatia.
Raphael a Nursia.
Gonzaga in prov. S. Francisci conv. 34. et 26.

Digitized by Google

brosini Mediolanensis nomen in catalogis beatorum ordinis nullibi legatur. Fuit Raphael eximius in liberandis obsessis a daemone, signis pariter, et spiritu prophetico, quo praedixit diem obitus sui, multaque alia, quorum veritatem eventus comprobavit.

Ambrosius Itinerarius.

Ivo Magister part. 1. manipuli pag. 10. et seq.

LI. In magno conventu Parisiensi Ambrosius Itinerarius natus in civitate de Laval, seu Vallis Guidonis, in extremis finibus dioecesis Caenomanensis, parente haeretico, matre catholica, et pia muliere, interque minores cooptatus, exemplar pudicitiae, orationi deditus, cui maxima cum lacrymarum effusione vacabat. Tulit eum Deus xxii. aetatis anno, die xxv. Julii. In conventu S. Antonii, seu S. Juliani de Capraria in territorio Segoviensi provinciae Castellae, ad Deum abiit circa hoc tempus Joannes Leganez laicus, virtutibus, et miraculis clarus. In conventu S. Joseph Toleti obiit Alphonsus a Zamora sacerdos, qui ob singularem pietatem suam erga Deiparam, illius suavissima praesentia paullo ante mortem perfrui meruit. Summa in laboribus, et infirmitatibus patientia enituit; etenim quum integro anno hydropisi, marcore et asthmatico morbo laboraret, numquam est conquestus, omnia quiete perferens, vultuque laetissimo. Ad ejus funus cucurrit fere universa Toletana civitas pedes deosculatura.

Joannes Leganez. *Monum. prov.*

Alphonsus a Zamora.

Leon. 4. part. tom. 2. lib. 7. cap. 37. pag. 550.

LII. Defunctum refert hoc anno Fortunatus Hueberus ad diem xix. Julii, cui adstipulatur Petrus Antonius a Venetiis, in conventu S. Francisci Tallae in Corsica Guilielmum a S. Bonifacio miraculis insignem. Ego Guilielmi nomen nullibi reperio. Fortasse Julianus a Bonifacio, qui reipsa miraculis claruit, et obiit an. mdlxvi. in eodem conventu, vocatur Guilielmus a praefatis scriptoribus, qui non raro manifeste falluntur. Item Bollandistae referunt vita functum hoc anno Franciscum Petrigorium virum apostolicum, qui xxx. annos in Mexico laboravit, addentes, ejus mentionem fieri in martyrologio ad diem xxix. Julii. At in martyrologio nominatur Petrus Franciscus Gori, et in nota: *Ex nobili Gordorum, seu Tortorum familia Montis Politiani*, nec quidquam habetur de laboribus ejus in Mexico, sed tantum de praedicationibus in Italia, quas dum perageret, tres micantes stellulae super illius caput apparuere. Tandem defunctus dicitur anno mdxiii., ac tumulatus Florentiae in ecclesia S. Crucis in Hierusalem, ubi a Florentinis ob aliqua miracula ab eo patrata, in maxima habetur veneratione. Idem obitus annus signatur in anteactis annalibus ordinis.

Guilielmus a S. Bonifacio. *Virid. Seraph. tom. 1. pag. 333.*

Franciscus Petrigorius. *Acta SS. ad diem 20. Aprilis p. 816.*

Ann. min. ad an. 1515. num. 11.

Franciscus de las Naucas.

LIII. Franciscus de las Naucas, seu Navas alumnus provinciae Conceptionis cum sex sociis fratribus missus in Novam Hispaniam anno mdxxxviii. ab Elisabetha Hispaniarum regina, regnorumque moderatrice, ob absentiam Caroli V. in Germania, feliciter adeo vineam Domini excoluit, ut omnium operariorum primus in valle de Tecamachalco xii. millia indigenarum gentis Popolacae anno mdxl. sacro tinxerit lavacro, duorum mensium spatio. Didicit accurate linguam Mexicanam, quam scitissime loquebatur, tamquam unus ex popularibus. Rexit guardianus conventum S. Francisci Mexici. Hoc autem anno praeerat conventui S. Jacobi, non de Jaticulco, ut scribit Gonzaga, verum de Tlatelolco, ubi Hispani sub initium Indorum exercitu fuso regionem subegerunt. Illic collegium administrabat, fundatum circa annum mdli. ab Antonio de Mendoza pro-rege ad pueros conterraneos grammaticae, musicae, lo-

Gonzaga part. 4. pag. 1245.

gicae, et philosophiae praeceptis instruendos, sacellaque, sive eremitoria circumposita, et quinque populos minorum curae demandatos, scilicet S. Magdalenae de Coatlayauhcan, seu Atepetlac, S. Andreae de Ahuchuetepanco, S. Bartholomaei de Atlapahuacan, S. Michaelis de Nonoalco, et S. Salvatoris de Quilan. Quum vero omnibus adesset vir sanctus, et omnia diligentissime ad Dei gloriam, et religionis incrementum exsequeretur, Mexicum advenit, ubi a vita migravit die XXIX. Julii, sepultus in conventu S. Francisci, non vero ut existimat Leonardus a Neapoli, qui conditum scribit in praefato conventu S. Jacobi.

Menologium Francisc. Mexici ad diem 29. Julii.

Leon. 4. part. tom. 2. lib. 7. cap. 26. pag. 224.

Joannes de Hierusalem.

De Guadalupe lib. 8. cap. 29. pag. 379. et lib. 10. cap. 7. pag. 489.

LIV. Joannes de Hierusalem, seu de Gongora patriam habuit civitatem de Carmona sex leucis ab Hispali, matrem Isabellam Barba ex nobilissimo genere veterum Victorum civitatis Beatiae, patrem vero Joannem Adalid de Gongora nepotem Dominici Munoz Adalid clari inter expugnatores civitatis Cordubae, et Didaci Martiñez Adalid, qui regi Ferdinando adfuit in expugnatione Hispalis. A pueris Hispali litterarum studiis operam dedit, ibique doctoris in jure lauream consequutus, fuit collega, cathedraticus, et rector in universitate de Maesse-Rodrigo, insignis doctrinae, et morum optimorum laude apud omnes, ac potissimum apud Ferdinandum de Valdes archiepiscopum Hispalensem, et Philippum II. regem, qui ipsum renuntiavit praesulem Panamae in America septentrionali, licet ille munus admittere renuerit.

LV. Molestia affectus instabilitatis rerum mundanarum, in album ecclesiasticorum referri voluit, et presbyter factus, privatam vitam instituere decrevit, quietam, et Deo placentem, procul negotiis, curisque omnibus, quae mortales tantopere torquent, et in diversa ferunt. Dum ita cogitaret, voluit idem archiepiscopus, eum esse judicem dioecesis suae, et beneficiis quamplurimis auxit. Non multo tamen post, Deo mentem ejus illustrante, bonis suis in egenos erogatis, domo, patriaque relicta, iter pedibus in Palaestinam instituit more peregrini, veste ad talos protensa, cucullata, marinis respersa cochleis circa humeros. Hastili innixus venit in Italiam, Romam invisit, ac demum Venetiis conscenso navigio in Asiam transfretavit, votique compos Hierosolymis fuit, custode Montis Sion primum Bonifacio de Ragusio. Postquam vero pietatis suae sinum illic effudisset, solitarium locum inhabitandum elegit in proximo monte Oliveti, valle Josaphat Hierosolymis separato, ubi caryotis, et nucleis pineis victitans, in oratione dies, noctesque perseverabat, et dominica mysteria meditabatur vel in ecclesia, quae ibi exurgit, S. Jacobi minoris, vel in alia, quae jugum occupat, in quo apostolis cernentibus nubes suscepit Christum ab oculis eorum, vel in Bethfage, aliisque in locis, quae humanae redemptionis servant vestigia, et Jesum exhibent salutis nostrae opus peragentem.

LVI. Intercesserant ipsi cum fratribus franciscanis non procul inde degentibus in Valle Josaphat amicitiae necessitudines. Ad eos saepe ibat, quos amabat ut fratres suos, colebat ut parentes, et spiritus sui moderatores. Interim, dum in oratione perstaret guardianus coenobii S. Salvatoris Hierosolymorum, vocem sibi de coelo factam audivit his verbis: *Perge in montem Oliveti, et dic sacerdoti Hispano, quem agnoscis, ut in ordinem tuum se adscribat. Haec est voluntas Altissimi.* Ut rem guardianus Joanni renuntiavit, statim ille: *Libenter*, inquit, *voluntatem*

faciam Dei mei, et id peragam, quod quamvis antea in votis meis foret, non tamen sum exsequutus, imbecillitate nihil ausus. Nec mora habitum sumpsit, tirocinium absolvit, et professionem emisit nomine fratris Joannis de Hierusalem.

LVII. Permansit illic annos plures in operibus poenitentiae, et charitatis, quotidianam impendens operam sacramentis ministrandis, et doctrinae pabulo fidelibus reficiendis, evangelizandis praeterea Aegyptiis, Syris, Persis, caeterisque barbaris, a quibus multas passim injurias, contumelias, et verbera perpessus est. Lego apud Andream de Guadalupe in historia provinciae Angelorum, eum aliquando institutum fuisse guardianum Montis Sion, legatum apostolicum, guardianum de Hierusalem; eadem enim iterum repetit. Verum neque in catalogo Didaci de Lequile, quem tamen valde imperfectum fatemur, neque in altero pleniori, et accuratiori Petri Antonii de Venetiis id ei muneris commissum narratur. Remeavit postmodum in Hispaniam, eleemosynarii locorum Terrae Sanctae titulo, si eidem historico credamus. Receptus in provincia Angelorum, nihil de vitae suae tenore immutavit, pergensque de virtute in virtutem, optimi sanctique viri nomen obtinuit, designatus idcirco non semel episcopus, regio diplomate Philippi II., quam dignitatem humilis Dei servus constantissime recusavit.

LVIII. In claustris moratus, ministri provincialis officium sibi concreditum anno MDLXXII., die VIII. Februarii in capitulo coenobii SS. Martyrum Berardi, et sociorum de Belalcaçar, provinciam visitante Garcia de Rivera alumno provinciae Baeticae, summa cum laude obivit, carus fratribus suis, et extraneis, quibus per pagos, et civitates non destitit praedicare verbum Dei ea, qua pollebat eloquentia, et zelo vere mirabili. Hoc anno demum, praedicta mortis suae hora sacris munitus, die XXX. Junii, non II. Julii, ut scribit Arturus, obiit in conventu S. Mariae de Pietate de Guadalcanal. Corpus ejus tunica ferreis cuspidibus contexta indutum usque ad genua, insepultum mansit in ecclesia tribus diebus, ut populis accurrentibus satis fieret, repertumque est XX. post annis omnino incorruptum.

LIX. Quievit in coenobio S. Francisci Eborae in provincia Algarbiorum senectute confectus Franciscus de Landin natione gallus, sacerdos aedituus coenobii, in oratione assiduus, et operibus humilitatis, cum odore sanctitatis. Tumulum nactus est in templo cathedrali Groeningae

Franciscus de Landin. *Monum. prov.*

Joannes Guyfius, seu Guieus Ultrajectinus ex minorum observantium familia, primus episcopus ecclesiae Groeningensis in Belgio ad ripam fluvii Hunes quatuor leucis a mari, electus anno MDLXI. Joseph Maria de Ancona ad eumdem annum reprehendit auctorem Viridarii Seraphici, quod Joannem appellet *Riccium* cognomine. Sed felicior ipse non est, qui Ruffium vocat. Scripsit latine et belgice *commentarium in psalmos miserere mei Deus, et de profundis*, editum Antuerpiae typis Steelsii.

Joannes Guyfius.

Jacobus Le Long in Bibliot. sacra pag. 579.

LX. Ante fores chori conventus Lovaniensis sepulchrum obtinuit, pestilenti febre correptus die XX. Aprilis, Petrus Montanus Parweranus, ex celebri municipio Gallo-Brabantiae in comitatu Namurcensi, germanus frater Aegidii Montani episcopi Daventriensis an. MDLXXVII. defuncti. Sbaralea Rodulphi testimonio innixus, putat Petrum obiisse anno MDLXXXVII.

Petrus Montanus. *Arnoldus Raissa pag. 401.* *Annal. min. ad an. 1570, num. 53.*

Adhuc in saeculo degens, in sacra theologia licentiatus, fuit rector Paedagogii Falconis Lovanii, et accademiae ejusdem civitatis. Quadam die indutus pallio honorario, ea pompa, qua solent illius praefecturae viri deduci ad solemnes conventus, praeeuntibus de more signiferis, seu *bedellis*, franciscanorum aedem petiit, cujus in limine sigillum dignitatis insigne illorum uni ad primores accademiae referendum tradidit, illisque ut abirent jussit his verbis: *haec requies mea in saeculum saeculi.* Minoribus adscriptus praefuit multis coenobiis, praesertim Lovaniensi, et Antuerpiensi, a quo his temporibus exulavit cum fratribus suis, ne se obstringeret juramento, quod contra regem, et catholicam fidem Geusii proponebant. Laudatur a Jacobo Le Long in Bibliotheca sacra verbo *Petrus Buretius.* Reliquit *commentarium in septem psalmos poenitentiales*, Antuerpiae MDLXIX. typis Steelsii. Opus hoc immerito Gonzaga dicit in lucem emitti non potuisse, quod Auctor principis Aurasii vitam acrius insectaretur, nisi fortasse verum id sit de unico sermone super psalmum CXVIII. *Enarrationem Dominicae passionis secundum quatuor evangelistas ex veterum doctorum commentariis concinnatam* ibidem MDLV., MDLVI., MDLXXI. De hac praefatus Le Longe honorifice loquitur.

Le Long ibid. pag. 658.

Gonzaga 3. part. pag. 997.

LXI. Morbo eodem, eodemque in loco obiit die v. Septembris Arnaldus Alostanus ex gente Mermanna, natus Alosti in Flandria ad fluvium Dendre inter Gandavum, et Bruxellas, sacrarum litterarum lector, historiae ecclesiasticae in primis peritus, vehemens in iconoclastas concionator. Jacet in loco capitulari decoratus hoc epitaphio: *Anno Domini MDLXXVIII. die V. Septembris contagiosa lue ex ergastulo carnis ereptus est venerandus provinciae pater, et definitor fr. Arnaldus Alostanus, qui quum provinciam in variis ordinis officiis praeclare ornasset, ecclesiamque Christi multis editis piis voluminibus illustrasset, diem hic clausit extremum, cujus anima requiescat in pace.*

Arnaldus Alostanus.
Monum. prov. Waddingus et Sbaralea de Script.

LXII. Edidit *Theatrum conversionis gentium, sive chronologicam de vocatione omnium populorum per universum orbem fidei, christianaeque religionis descriptionem* Antuerpiae typis Plantini MDLXIII., MDLXXII. cum appendice Fulgentii de Brabantia, et Lucana paraenesi de triumphalibus evangelii; *De quatuor plaustris haereticorum fabularum, quas Lutherani evengelistae adversus ecclesiam Christi passim agunt* ad senatum, populumque Antuerpiensem, ibidem apud Libertum Malutium MDLXIII.; *Orationem paraeneticam de haereticis deferendis, et accusandis* ad Franciscum Zamorensem ministrum generalem, Lovanii apud Joannem Bogardum MDLXIV.; *De fugienda consuetudine haereticorum orationem paraeneticam ad catholicos* apud eumdem; *Davus perduellis, seu rerum publicarum perturbator*, in quo agitur de catholica fide, apud eumdem; *Catechismum poenitentium instar dialogi, quo ratio poenitentiae ineundae declaratur* apud eumdem; *De exomologesi sacerdoti facienda* Antuerpiae eodem anno; *De poenitentia publica, et solemni* ibidem; *De rogationibus, peregrinationibus, hymnis, et solemnibus supplicationibus cum lucernis, et omni religionis panoplia libros tres* ibidem MDLXIV., et Lugduni eodem anno; *Tractatum confessionis* Lovanii MDLXIV., quod opus commendat Ludovicus Dupin; *De purgatorio ad ducissam Parmensem, de S. Cruce, ejusque religiosa*

Digitized by Google

adoratione MDLXVIII.; *de Eucharistiae sacramento contra sacramentarios* Antuerpiae MDLXVII. sermone vernaculo; *Imagines mortis cum epigrammatis, et iconibus* Coloniae eodem anno; *Medicinam animae* ibidem typis Birkmanni. Omnia fere Arnaldi opera dicata sunt D. Granvellano archiepiscopo Mechliniensi. *Querimonias de morum temporumque nostrorum inclementia*. MSS. asservatur in Bibliotheca Vaticana ex catalogo Montefaucon tom. I. Biblioth. MSS. pag. 140.

Joseph de Rocaberti. *Boverius tom. 1. pag. 829.* *Gonzales part. 6. lib. 3. cap. 51. pag. 476. Roxo lib. 5. cap. 2. pag. 346. A Tugio bullar. capuc. tom. 5. pag. 30*.*

LXIII. Hoc anno aetatis suae circiter XXXIX. transiit ad capucinos juxta Boverium Josephus de Rocaberti ex minorum observantium familia. Quod quidem si verum est, brevi inter ipsos mansit novus alumnus, qui non Barcinone, nec in Catalaunia, verum in remotiori provincia Castellae dies suos explevit XII. Decembris in conventu S. Mariae de Jesu Compluti inter observantes, ad quos, juxta Eusebium Gonzalez, et Antonium Roxo in vita S. Didaci, jam redierat hoc eodem anno. De ipso ita Michael a Tugio: *Abjecerunt fastum nobilitatis, eumque sub rudi capucino habitu occultarunt, praeter fratres Archangelum, et Joannem Alarconios ex loco Tordesillas in regno Castellae oriundos, fr. Josephus Barcinonensis ex nobilissima et baronali Roccabertorum familia Caprariae etc. domina, qui lector observantium ad nos transiit, et primus orationem XL. horarum in Hispania instituit etc.* Certe si lector erat inter observantes, nobilitatis fastum antea Joseph abjecerat; ut enim ex laudatis historiographis habemus, religionis vestem assumpsit anno MDLIV. in eodem conventu Complutensi. Fuit regulae observantissimus, quam semper gestabat in pera, ad eamque se totum componere nitebatur, sic ut in dubitationes, et scrupulos inciderit quorum occasione datis litteris: *Quum ex fide* die IV. Martii anno MDLXXI. Pius V. Pontifex Maximus illum consolatus est. Cilicium ad carnes cingebat, humi brevem captabat somnum, orationi vacans tota ferme nocte in ecclesia. Reliquit post se nominis, et sanctitatis praeclaram opinionem.

Ann. min. ad an. 1571. num. 83.

Antonius Cordubensis. *Gonzales ibid.* *Gonsaga in prov. Castellae conv. 4.* *Nicolaus Antonius tom. I. Biblioth. Hisp. pag. 88.*

LXIV. Tirocinium pariter transegit adscriptus inter minores observantes in eodem conventu Compluti anno MDX. Antonius Cordubensis, postquam a pueris ibidem humanioribus litteris, et philosophiae laudabiliter operam navasset. Ministri munus tertio obivit in provincia sua, et visitatoris semel in provincia Baeticae, antequam ea divideretur a provincia Granatensi. Narrat Eusebius Gonzalez eum a Philippo II. missum ad concilium Tridentinum. Nomen tamen ejus reticet Joseph Maria de Ancona in catalogo minorum, qui concilio interfuerunt. Episcopatum Placentinum in Bethuria sibi ab eodem rege oblatum recusavit, ut quietius viveret inter suos, studiis vacaret, et religiosis operibus in coenobio S. Francisci Guadalfagiarae, quod sibi recessum constituit. Illic nunquam, vel certe raro, prospera sibi aspirante valetudine, a matutinis horis, quibus continue, nisi gravi conflictatus infirmitate, intererat, lectulum repetiit, sed diversis evolvendis libris, quod noctis reliquum fuit impendit. Illic tamquam *Pythium* quoddam theologiae oraculum habebatur, ad quem omnes auxilii, et consilii gratia veniebant, ut veluti inter Pythagoreos sic jactaretur: *Ille dixit*; quin etiam in accademiis Salmaticensi, et Complutensi ejus dicta, ut dogmata suscipiebantur. Illic tandem XCIII. aetatis annos emensus sancte obiit hoc

Digitized by Google

anno, paulloque post apparuit Cypriano de Peñafiel magnarum virtutum viro, cui retulit, se beatitudinem assequutum fuisse ob exactam regulae observantiam.

LXV. Reliquit ingenii sui monumeota: *doctissimos commentarios in regulam S. Francisci, quaestionibus dispertitos* nitide recusos Parisiis MDCXI. cura Petri Navarri provinciae Parisiensis diffinitoris, et lectoris emeriti: *quaestiones quatuor de detractione, et restitutione famae*, quibus accesserunt annotationes ejusdem io Dominici a Soto relectionem theologicam de ratione tegendi, et detegendi secretum. Compluti MDLIII. Jacobus Echard in bibliotheca ordinis praedicatorum citat taotum editionem anni MDCLIII., nisi fortasse errore typographi annus ceotenarius sit auctus; *Arma fidei* Ingolstadii in Vindelicia MDLXI.; *Commentaria in quatuor libros sententiarum* Venetiis MDLXIX.; *Quaestionarium theologicum libris quinque distinctum* Toleti hoc anoo, Iogolstadii MDXCIII., ac demum suo pristino nitori restitutum ex bibliotheca Fraocisci Pennae Romanae Rotae aoditoris Veoetiis MDCIV. sumptibus Baretii. Opus hoc auctor dedicavit Bernardo de Fresneda episcopo Coochensi; *De potestate Papae* Venetiis MDLXIX.; *Summam casuum* hispanice, Caesaraugustae MDLXI.; io bibliothecis franciscanis habetur annus MDLXXXIII., Brixiae lingua italica MDXCIX., ut signatur in bibliotheca Barberina; *Annotationes ad compendium privilegiorum fratrum minorum, et aliorum ordinum mendicantium* Neapoli MDXXIX. Venetiis MDCIX., *Tractatum de Conceptione B. Mariae Virginis* hispanice MSS. Laudatur a Maraccio in bibliotheca Mariana, ex fratre Joanne de Carthagena in *arcanis Deiparae, Expositionem casuum praelatis reservatorum* MSS., et *Textum juris Canonici cum ejus divisione* MSS., quorum meminit Haroldus.

Echard tom. 2. de Script. Ord. Praed. pag. 173. num. 12.

Biblioth. Barberina t. 1. pag. 304.

Michael de Medina

LXVI. Michael de Medina patriam nactus oppidum de Belalcaçar dioecesis Cordubensis, nobilesque parentes de los Medinas anno MCDLXXXIX., maxima, quam a natura accepit, ingenii facilitate, memoriae vi, et perspicuitate mentis litteris studuit in civitate Cordubae, moribus quoque ornatus optimis, et pietate in Deum, tum ioclinatiooe voluntatis, tum probatorum juvenum contubernalium suorum familiaritate. Quum parentes fausta, fortunataque omnia a filio sibi obveotura sperarent, aetatem ille assequutus XX. annorum seraphico adscribi ordini deliberavit, petitaque ab eis venia habitum minorum observantium suscepit in conveotu S. Mariae de Angelis de Hornachuelos in montibus *de la Sierra Morena* VIII. leucis a Corduba, XV. ab Hispali, sub custode Fraocisco del Campo, qui secundo munus exercebat, succedens Francisco de Hinojosa; primo namque custos renuntiatus fuerat MCDXCV. die XXIX. Julii.

De Guadalupe lib. 8. cap. 20. et seq.

LXVII. Paucis post aoois emissa vota a praesulibus suis veluti io lucem extractus, jussusque Complutum ire, illic in collegio SS. Petri et Pauli, quo unum locum provinciae Angelorum alumnis Franciscus cardinalis Ximenez fundator assignaverat, quadrieonio mansit; utque discendi cupiditate tenebatur, mirum io modum profecit in arithmeticis, mathematicis, rhetoricis disciplinis, theologia insuper scholastica, ac positiva, linguis orientalibus Graeca, Hebraica, et Chaldaica, quorum magistros reperit viros praestantissimos Ximenii cardinalis potentia, et opibus eo adductos ex variis Europae, atque Asiae regionibus,

Digitized by Google

Complutensis Bibliae elaborandae gratia. Studiis peractis, in provinciam suam revertere frustra cogitavit; ne enim doctissimi viri jacturam facerent patres provinciae Castellae, sic egerunt apud supremos ordinis praefectos, ut Compluto non discederet, et in censum fratrum Castellae referretur.

LXVIII. Aliud studiorum quadriennium inibi exorsus, donatusque doctoris laurea in civitate Toletana, oblatam sibi cunctis suffragiis sacrae scripturae cathedram in universitate Complutensi moderatus est anno MDL., tantaque floruit existimatione apud omnes, ut primam ejus lectionem super caput II. Deuteronomii typis editam, et dicatam comitissae de Belalcaçar, maxima cum admiratione litterati viri susceperint. Curis tamen aliis praepeditus cathedra se abdicavit, rectius arbitratus, tranquille vivere inter suos, et in collegio SS. Petri et Pauli collegas aemulari Franciscum Gonzagam postea totius ordinis generalem ministrum, Bernardum de Fresneda, cui deinde inscripsit librum *disputationum de indulgentiis adversus nostrae tempestatis haereticos* impressum Venetiis anno MDLXIV. apud Jordanum Ziletum; et Antonium Manrique filium marchionum de la Guardia, postmodum commissarium generalem familiae Ultramontanae, qualificatorem S. Officii Toleti, et episcopum Calaguritanum in Veteri Castella. Praefatum librum de indulgentiis anno insequenti Venetiis prodiisse scribit Possevinus in apparatu sacro.

LXIX. Hispaniarum rex Philippus II. virum ab universitate Complutensi expresse commendatum, anno MDLX. Tridentum legavit ad concilium, ubi inita familiaritate cum Joanne Gallo ordinis praedicatorum cathedratico universitatis Salmaticensis ejusdem regis theologo, catholicorum causam strenue defendit adversus novatores, quos verbis, scriptisque oppugnavit, ac potissimum memorato opere de indulgentiis, in quo Ecclesiae, Romanique Pontificis ad eas conferendas antiquissimus usus, cum SS. veterum Patrum monumentis, tum apertis scripturarum testimoniis, asseritur, et haereticorum omnes in hac parte calumniae refelluntur, atque exploduntur.

LXX. Redux in provinciam suam, absoluto concilio, consecutus est guardiani officium coenobii S. Joannis Regum Toleti, custodis, et anno MDLXXI. diffinitor generalis Romae electus, dignus etiam habitus administratione totius ordinis, quum XXXIV. suffragia in eum consenserint. Curavit ut in provinciis studia institueruntur grammaticae, artium, et theologiae, tribus ad id coenobiis destinatis; nonnullae enim aderant, quarum fratres pietati tantum, et orationi operam impendebant, nihil de litteris, et eruditione soliciti.

LXXI. Prodierant in lucem circa idem tempus opera permulta Joannis Feri Germani minoritae, qui annos XXIV. ecclesiae metropolitanae Moguntinae ecclesiasticus eloquentissimus, paucos in evangelicae praedicationis officio pares reperit, nullum superiorem in Germania. Aliquot in plerosque ejus libros errores irrepserunt, aut haereticorum fraude sunt intrusi post ejus mortem. Quamobrem si excipias commentarios in evangelia Matthaei, et Joannis, ac in epistolam primam Joannis, examen quoque ordinandorum, *in quo ad quaestiones sacrorum ordinum candidatis proponi solitas aptae, et piae responsiones adjunguntur*, non

Digitized by Google

editionis Lugdunensis MDLV., sed posterioris MDLXXVII., caetera Feri litteraria opera in indice Romano vetitae reperiuntur, donec expurgentur. Anno MDLIII., idest multo ante quam anno praeterito MDLXXVII. commentarii in Joannem accurate recogniti publicam lucem Romae adspicerent, Dominicus a Soto insignis theologus ordinis praedicatorum edidit Salmanticae annotationes quasdam in eosdem, quibus LXVII. locis, seu propositionibus Feri censuram inussit, easque dicavit Ferdinando Valdes archiepiscopo Hispalensi, supremo fidei quaesitori in regnis Hispaniarum. Suarum partium esse duxit Michael de Medina Feri doctrinam tutari, quum commentarios, ejusdem Ferdinandi Valdes jussu, edi curasset Compluti a se diligenter revisos, approbatosque a magistro Aloisio de Leon ordinis S. Augustini, aliisque antecessoribus, et theologis universitatis Salmaticensis. Quare apologiam adversario suo opposuit primum anno MDLXVII., deinde hoc anno Compluti prelo commissam.

LXXII. Controversia haec litteraria, in qua quidem morum integritas, et spectata pietas, ingenium denique, et excellens doctrina ab omni animi minus orthodoxi suspicione Michaelem penitus liberabat, adeo exarsit apud religiosissimam Hispanorum gentem, ut causam dicere jussus coram Toletanis fidei judicibus, in carcerem conjectus fuerit, ubi V. annos cum dimidio inter squalorem et sordes misere vixit. Patientissime tamen aemulorum suorum potentiam tulit optimus senex. Hoc anno, qui postremus fuit suae captivitatis, morbi causa eductus a custodia Toletum lectica delatus est, ut in conventu S. Joannis Regum medicaminibus curaretur, aut honestius decederet. Antonius Manrique supra memoratus, qui illum domum deduxit, litteras attulit ad ministrum provinciae Castellae, et ad guardianum S. Joannis his verbis.

Domini Inquisitores. Doctor Joannes de Plano Valdes. Licentiatus Antonius de Matos de Norona. Alvarus de Reynoso in audientia de la Manana, die XXIX. Aprilis MDLXXVIII. injungunt patri fr. Antonio Manrique, quod attinet ad fr. Michaelem de Medina, ut nomine hujus S. Officii dicat patri provinciali, et patri guardiano S. Joannis Regum, prout sequitur. Provideant, ut dictus fr. Michael de Medina recipiatur in conventu S. Joannis Regum, ubi assignent ei unum ex melioribus cubiculis conventus, curam ejus agant cum omni charitate, et, si opus fuerit ministrent ei omnia sacramenta, ut fieri solet cum aliis religiosis decedentibus. Si moriatur, sepeliant eum cum pompa, quae de more convenit religiosis ejus qualitatis, in loco, ubi caeteri religiosi tumulo conduntur. Ita DD. Inquisitores providerunt, et mandarunt. Coram me. Ego Joannes Alphonsus Munoz Secretarius.

LXXIII. Exceptus a suis cum benevolentiae significatione, nullaque re praetermissa ad miseri senis sanitatem procurandam, parum supervixit; calendis enim Maii, receptis prius Ecclesiae sacramentis, inter pietatis et religionis affectus animam creatori reddidit in illis verbis: *In te Domine speravi; non confundar in aeternum.* Paullo ante, allata ad eum sacra synaxi, lacrymis instans, et suspiriis, professus est, se mori in confessione mysterii eucharistici, et caeterorum juxta doctrinam s. ecclesiae Romanae orthodoxae, veritatis columnae, et pro hac veritate se multa mala passum, Deumque in testem advocare, quod

nihil unquam adversus illam docuisset. Tum veniam petiit a fratribus suis circumstantibus, si forte alicui malum praebuisset exemplum, et scandali occasionem, ignovit adversariis suis, quorum opera tot aerumnas, et calamitates subierat. Toletani cives agmine veluti facto ad ejus funus cucurrerunt, cum senatu, viris nobilibus, praefectis coenobiorum, et ecclesiasticis saecularibus. Justis funebribus magnifice confectis, jacuit in tumulo fratrum prope aram SS. Crucifixi in ecclesiae sacrario.

LXXIV. Non multo post tempore, coram Joanne de Bovadilla ministro provinciae Castellae, Antonio de Mendoza guardiano S. Joannis Regum, Antonio Manrique jam consultore S. Officii, Petro de Angelis diffinitore, Melchiore de Yebra franciscanis, aliisque pluribus, judices S. Inquisitionis hanc decretoriam sententiam protulerunt.

Christi nomine invocato. Visis processu, et causa criminali, quae acta est coram nobis, et agitur inter partes; nimirum ex una inter Licentiatum Soto Cataeno procuratorem fiscalem hujus S. Officii, actorem, et accusatorem; et ex altera inter reum accusatum magistrum fr. Michaelem de Medina religiosum professum ordinis S. Francisci, quondam guardianum domus et conventus S. Joannis Regum hujus civitatis Toletanae defuncto etc. Decernimus, quod attentis actis, et meritis processus, debemus absolvere, et absolvimus dictum fr. Michaelem de Medina ab instantia hujus judicii, et mandamus, demitti, prout demittimus, sequestrationem, quae facta est jussu nostro super bonis praedicti fr. Michaelis de Medina, eademque reintegrari, et apponi inventario faciendo. Quae quidem hac nostra sententia pronuntiamus, decernimus, et mandamus his scriptis, et eorum vigore pro tribunali sedentes. Doctor Joannes de Plano Valdes inquisitor. Licentiatus Antonius de Matos de Norona inquisitor. Licentiatus Alvarus de Reynoso inquisitor.

LXXV. Non defuerunt qui criminis loco Michaeli objicerent infortunium suum; quod novum non est. Nihil namque hominibus facilius, quam judicium conformare ad rerum eventum sive prosperum, sive adversum; quorum proinde opinione optimus ille est, qui secundis auris navigat, pessimus qui tempestate defertur. Atqui id potissimum valet in rebus religiosis, quibus nemo unquam erroris insimulatur, et in suspicionem venit, quin, tametsi innocentissimus, omnium linguas in se acuat, et clamores excitet, maxime hypocritarum hominum, ignorantium, et malignorum. Eos, qui Michaelis nomen publicis etiam scriptis dedecorare sunt aggressi, latuit, ni fallor, postremum decretum judicum, nisi potius mala egerunt fide, ut injusti magis, quam eloquentes viderentur. Satis nobis est, Michaelem fuisse absolutum, serius quidem si persona spectetur; aliquando tamen, si innocentiae ratio habeatur. Hic consonat auctor Biblinthecae Hispanae sequentibus verbis » Michael de Medina in franciscana familia sic enituit, ut ob singularem cum doctrina conjunctam pietatem, suos inter dignitate claruerit, quod Joannem Ferum ordinis sui disertum illum in Germania ecclesiastem, sed non satis circumspecte scribentem, acrius defendisset, in jus accersitus, coram judicibus causam dicere jussus, innocens absolvitur, moriturque apud suos Toleti, magno sui desiderio relicto ».

Biblioth. Hisp. tom 3. Class. 3. Castellae.

Digitized by Google

LXXVI. Librorum, quos Michael in lucem emisit, catalogum, verbis a bibliotheca Waddingi mutuatis, recenset Joseph Maria de Ancona. Quocirca eum praeterire cogimur. Non omittemus tamen alia ejus opera, quae apud Waddingum desiderantur. Scripsit *enarrationem trium locorum ex capite II. Deuteronomii, cathedrae sacrarum scripturarum academiae Complutensis assignatorum, et in publico theatro explanatorum* Compluti MDLX. Hanc enarrationem publice in universitate Complutensi recitavit; *Animadversiones in S. Cyrilli Alexandrini librum adversus antropomorphitas ex interpretatione Bonaventurae Vuscanii* exstant ineditae cum aliis MSS. in codice bibliothecae Lugduno-Batavae; *Biblicarum annotationum libros, de praecepto, et dispensatione libros;* utriusque operis meminit ipse in sua *Christiana paraenesi*, seu *recta in Deum fide* libris VII. comprehensa ad Philippum regem catholicum, lib. III. cap. VIII., et lib. VI. cap. IX. Immerito Medinae nostro adjudicantur libri *de restitutione*, et *de poenitentia*, qui sunt Joannis Medinae Complutensis.

Ann. min. ad an. 1562. num. 390.

LXXVII. Caeterum litteratorum virorum in eum haec sunt elogia. Alphonsus Mendoza augustinianus eum appellat *reconditae eruditionis virum*. Didacus Covarruvias *religione, et eruditione insignem*. Sixtus Senensis *summa probitate, atque eruditione laudandum*. Hieronymus Magius apud Nicolaum Antonium, *eruditissimum, et antiquis christianae ecclesiae coriphaeis comparandum, ac novum quemdam theologiae Herculem*. Eysengremius in catalogo testium veritatis *sacrae theologiae doctorem Toletanum, omni litteratura doctissimum, subtilissimum, rerum divinarum interpretem, philosophum gravem, oratorem facundum.* Gibertus Nogueras episcopus Alipharum ad calcem operis praefati *de recta in Deum fide*, ubi egregie commendatur in prefatione a Hieronymo Magio, sic eum alloquitur « Tu vero, Medina doctissime, non » tantum longe ab horum hominum ingenio abes, sed proxime etiam » accedis ad eam normam religionem nostram tuendi, quam nascentis, » adolescentis, et natu jam grandioris ecclesiae facile principes Clemens » Alexandrinus, Athanasius, Hieronymus, Augustinus et aliae christianae » reipublicae columnae nobis tradiderunt ». Martinus del Rio jesuita in disquisitionibus magicis Medinam laudat; at eum qui libro II. cap. VII. *de recta in Deum fide* magiam daemonum tamquam impiam accurate refellit.

Mendoza in quolibetis quaest. 4. Covarruvias in reg. peccatum. §. 9. num. 6. Sixtus Senensis biblioth. sanct. tom. 1. lib. 4. pag. 418.

LXXVIII. Judicium non dissimulabimus cl. viri Dionysii Petavii, qui in libro de theologicis dogmatibus Medinae temeritatem notat, quod agens *de sacrorum hominum continentia* asserat, S. Hieronymum idem sensisse cum Aerio, cui idem erat presbyter, et episcopus, ejusdemque opinionis fuisse Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Theodoretum, et Theopylactum. Et merito; nam licet aliqua S. Hieronymi verba aliquibus in locis primo intuitu videantur episcopos inter et presbyteros nullum statuere discrimen, tamen ea rite perpensa et cum aliis ejusdem S. Doctoris verbis collata aperte eruitur, episcopos presbyteris superiores longe fecisse. De qua re videndus est idem Petavius. Hic tamen obiter notamus Medinae librum *de sacrorum hominum continentia* indicis censura semper immunem fuisse.

Petavius de ecclesiastica hierarchia lib. 2. cap. 8. num. 1. Venetiis 1757.

Possevinus in apparatu sacro pag. 444.

Antonius Gaspar Rodriquez.

LXXIX. Sancte obiit hoc anno Antonius Gaspar Rodriguez a S. Michaele Hispanus strictioris observantiae archiepiscopus Ansanensis, sepultus die I. Novembris in templo cathedrali. Praefuerat jam ab anno MDLII. ecclesiae Montis Marrani in Principatu ulteriori prope Beneventum. Ansanum translatus anno MDLXX. praeclara legatione functus est pro Gregorio XIII. Summo Pontifice ad Philippum II. regem catholicum, ut foedus adversus Turcas restauraretur. Reversus ad ecclesiam suam, eam optime administravit. Insignia ejus fuerant quinque virentes olivae in parma positae super montes.

Paulus Paruta historia Venetiana part. 2. lib. 3. Ughellus tom. 6. column. 791.

Natalis Staucanellus. *Petrus Tognoletti part. 2. lib. 6. cap. 20. et seq.*

LXXX. In eremitorio S. Joannis Baptistae Montis *Scarpello* XII. milliaribus a civitate S. Philippi in Sicilia decessit Natalis Stancanellus ejusdem civitatis, jam sequutus Philippum Dulcettum, qui instituit anachoretas inibi habitantes ab anno MDXXIV., sub habitu, et tertia minorum regula, eorumque curae subjectos anno MDXXX. die VI. Maii in congregatione intermedia ad S. Mariae de Jesu Camaratae, seu Camari, dioecesis Agrigentinae. In operibus humilitatis, et paupertatis se exercuerat, raro ligneis calceis usus, aspera indutus tunica, et fune praecinctus cum caputio assuto cuculli oni pendenti usque ad cingulum ab utraque parte, jejuniis deditus, vigiliis, et acerbissimis carnis suae macerationibus desertas illas inter rupes, sociosque suos aemulatus viros poenitentes, qui tum inibi secum Deo inserviebant, tum in proximis montibus de Judica, et de Rossomanno.

Franciscus de Luca.

LXXXI. Defuncti locum statim excepit sub nomine fratris Onifares Franciscus de Luca natus anno MDXLII. in oppido Francofontis, non *Francofurte*, ut Arturus scribit ad diem XXII. Junii dioecesis Syracusanae, Joanne de Luca, et Margarita conjugibus agricultoribus. Annum XVII. aetatis agens, parentibus suis orbatus, sibique uni relictus, licentiae plenum vitae institutum arripuit, sepositoque Dei timore, inter juvenes vitiosiores, et audaciores versatus, interque ballistas igneas, et gladios sicarii instar, omnibus metum, et odium sui maximum injiciebat. Elapso anno MDLXXVII. patria aufugerat, ne poenas daret, quod mulierem quamdam dolo malo in oppidum immisisset, pestis tempore, insciis salutis publicae curatoribus. Errabat per vicina loco armatus, invisusque conterraneis, qui ejus commercium, et familiaritatem devitabant nulla spe ad lares suos remeandi, cibum sibi vi, et terrore extorquebat. Interea derisus a quodam qui equo innixus flumen transierat, nec, uti pollicitus erat, equum remiserat in alteram ripam, ut alter etiam transiret, repente Deo illustratus, et ad cor reversus properavit in eremitorium de Rossomanno, ubi sumpto anachoretae indumento, ad anteactae vitae sordes poenitentia expiandas moratus illic est usque ad annum MDLXXXVIII., tunc enim stabilioris portus desiderio inter minores referri voluit in conventu S. Mariae de Jesu Panormi, sortitus nomen fratris Seraphini de Francofonte.

Ioannes a Basto.

LXXXII. Ferdinandus a Conceptione hoc anno die IX. Januarii, quum esset guardianus S. Mariae de Mosteiro in provincia S. Antonii Portugalliae, transtulit ossa b. Joannis a Basto laici a peristylo, ubi illa, ut diximus, condiderat Didacus de Angelis, quartana eo tutelari liberatus, in monumentum marmoreum, quod extruendum curavit in pariete ad cornu evangelii, gratus erga sanctum, a quo beneficia se accepisse fatebatur. Successor ejus monumentum undique inauravit. Legitur in eo

De Spe part. 2. lib. 16. cap. 33. pag. 447.

Digitized by Google

epigraphe: *Ossa sancti patris fratris Joannis de Basto huc translata sunt anno MDLXXVIII.* Refulsit ibi gloria miraculorum; quum enim Didacus de Angelis praefatus calculorum morbo gravissime laboraret, et in salutis desperationem a medicis adduceretur, dixit nosocomii praefecto: *Adjuva confidentiam meam, quam habeo in sanctum fratrem Joannem, ut salvus fiam. Faciam votum recitandi semel in die antiphonam in laudem ejus, ut Dominus ad tres annos vitam meam producat, quibus agam poenitentiam.* Voto emisso convaluit, obiitque Viannae post triennium. Religiosus alter natura sua adeo tristis, ut melancholicas vertigines ad insaniam usque pateretur, et mali spiritus validas aggressiones subiret, ut terram, seu pulverem tetigit ejus sepulchri, serenam sibi reddi mentem agnovit. Feminae cnidam oppidi de Bacelar sauciae in capite, et brachiis, guardianus immisit eumdem pulverem in vulnera, quae licet recentia, statim cicatricem obduxerunt. Similiter a mortali infirmitate eodem pulvere se recepit filia Simeonis de Cunha, gratesque redditura sancto, pia carmina composuit, quae ad sepulchrum appensa plerosque annos perstiternnt.

LXXXIII. Virgines ad Sponsum abierunt in monasterio S. Clarae Gienni provinciae Granatensis, Catharina de Angelis, humilibus parentibus nata in vico Turris Ximenii, ob charitatem, obedientiam, et assiduum orandi studium in veneratione habita apud omnes in vita, et post mortem ejus pretiosam. (Catharina de Angelis. *Leonardus loc. cit. cap. 37. pag. 550.*) Galterius in tabula chronologica saeculi XVI. eam vocat Genuensem; in monasterio S. Clarae Perpiniani dioecesis Elnensis in Catalonia die XXI. Octobris, Francisca de Donis, et Duxban, ex nobili familia equitum de Donis in Gallia. (Francisca de Donis.) A teneris annis claustralem vitam inibi professa est. Infirma, et viribus destituta, non solum plurima mala tulit in lectulo, ubi anno integro decubuit; verum et murium molestias, qui ingrediebantur inter ejus habitum et tunicam, atque interdum inter tunicam et carnes. (*Vidal in epitome prov. Cataloniae part. 2. pag. 34.*) Quod etiam accidit, quamvis lectum, et cubiculum commutaret.

LXXXIV. In monasterio Montis Lucis Perusiae die XXIX. Januarii soror Seraphina aetate L. annorum. (Soror Seraphina. *Monumenta prov. S. Francisci.*) Aliquando cupiens sacra refici synaxi, hostiam invenit in ore suo. Alias in oratione posita, mirabiliter translata est spiritu in vulnus lateris Salvatoris, ubi tamquam in speculo fidelium plurium imagines adspexit in diversis salutis gradibus. Tandem narrant, eam, absente conscientiae suae moderatore, confessarium habuisse S. Hieronymum, cui erat devota. Praedicta obitus sui hora, decessit in illis verbis: *Educ, Domine de custodia animam meam;* in monasterio S. Michaelis Angelorum Toleti Francisca a S. Joanne, cui Deus mortis horam revelavit; (Francisca a s. Joanne. *Monum. prov.*) in regali monasterio Angelorum Matriti Doria Anna de Mascarenas Lusitana, vocata in ordine Anna de S. Hieronymo, quae complexa crucifixum, quievit in ejus dulcissimo osculo. (Anna de s. Hieronymo. *Monum. prov.*) Exegerunt ambae vitam inter pietatis opera, poenitentias, et coelestium contemplationes in eadem provincia Castellae.

LXXXV. In monasterio S. Elisabeth de Jesu Arevali provinciae Conceptionis decessit Elisabeth de Verdugo frequenter ecstatica, et splendore in vulto perfusa. (Elisabeth de Verdugo. *Monum. prov.*) Semel in festo Corporis Christi nescio quid divini se vidisse dixit, quod verbis efferre non potuit, totaque octava mansit a sensibus suis aliena. Fide et perseverantia devicit maligni spiritus assi-

Digitized by Google

duas aggressiones. S. Patrem Franciscum intuita est aliquando, qui postulavit, ut in horto coenobii sacrum sibi sacellum poneretur, in quo moniales orarent, turbataque visione tacuit quinque dies, ac tandem ministrae, et sororibus rem narravit. Quum autem dicto fides deesset, manus in testimonium super ignem positas coram illis diu sustinuit illaesas; atque ita sacellum est conditum.

Anna de Fontaines. Monum. prov.

LXXXVI. In monasterio Humilitatis Virginis apud Longum Campum, tribus, vel quatuor ab urbe Lutetia milliaribus, in extremo nemore Boloniensi, qua itur Novientum, seu ad oppidum S. Clodoaldi, propter oram sequanae, obiit in festo S. Annae Anna de Fontaines loci abbatissa xxxii., quae successit Carolae de la Cambre defunctae an. mdlxxii. mense Septembri. Laudatur vitae sanctitate. Abbatissae munus ejus loco suscepit Joanna xiv. de Maisly; in monasterio Assumptionis b. Mariae Virginis, seu de la Coronada Aquilarii memoratae Granatensis provinciae, Maria a S. Gabriele; in monasterio S. Mariae Angelorum Granatae Catharina de Trinitate a civitate Granatensi, virgines magnarum virtutum, et perfectionis; in monasterio S. Mariae de Pace Malacae Maria Pacheco Malacensis abbatissa, quae multis horis moriens tenuit oculos in imaginem Crucifixi inter suspiria et fletus, animamque emittens reliquit corpus suum tenerrimum, et suavi odore perfusum. Ejus sanctitatem in praedicationibus passim laudem extulerant Joannes Navarro, et Joannes Nunez franciscani.

Maria a S. Gabriele. Catharina de Trinitate. Maria Pacheco. Ex Monum. provinciarum.

Joanna de Matre Dei.

LXXXVII. In monasterio S. Clarae de Santarem Joanna de Matre Dei. Anno mdxxxi. ingenti oborto terrae motu, oppidi moenibus dehiscentibus, periculo divinitus erepta est; quum enim sorores caeterae diffugerent, corruit cubiculi fornix, in quo ipsa recumbebat, et antequam lapidum ruina opprimeretur, Angelus Domini rapuit eam dormientem, et tuta locavit in sede. Gestabat in sinu suo particulam ligni SS. Crucis involutam papyro, quod subinde repertum est crucis imagine signatum, et quinque sanguinis guttis, quinque Redemptoris vulnera exhibentibus. Ad ejus tumulum in organi pegmate monasterii rosae spina tertio germinavit, radicibus in corde defixis. Haec de illa Agiologium Lusitanum, in quo nomen etiam invenio Joannae de Angelis monasterii ejusdem incolae, daemonum victricis, quos saepe insidiantes profligavit, saepe confudit. Siquidem dum noctu chorum peteret, in devia pertracta sub tenebris densissimis, maligno spiritu ductore, viam protinus suam reperit, fulgente de coelo luce, quae claustrum implevit. In aute diem tertium obitus sui recreata est adspectu Deiparae. Die secundo adstantem sibi vidit S. Barbaram, quam summa pietate coluerat, et Crucifixum complexa obdormivit vel hoc anno, ut testantur monumenta provinciae Portugalliae, vel praeterito, ut scribit Emmanuel a Spe.

Agiologium Lusitanum ad diem 7. Januarii lit. E. Joanna de Angelis. Ibid. ad diem 18. Februarii lit. F.

A Spe part. 1. lib. 5. cap. 14. pag. 546.

Maria Lusitana.

LXXXVIII. Ad hunc annum meminit Petrus Antonius de Venetiis Mariae Lusitanae, quam dicit peregrinatam fuisse in Palaestinam atque illic a Turcis clavo infixam supra lignum, et combustam. Ancilla haec Christi eadem est ac illa quam recenset Gonzaga, qui martyrium ejus describens, appellat Hispanam, nec clavo infixam, (quod de suo addit historicus), sed in rogum ignis ardentis injectam asserit.

Virid. Seraph. tom. 2. cap. 3. pag. 104. Gonzaga pag. 114.

Joanna Austriaca.

LXXXIX. Spiritum coelo reddidit Matriti Joanna Austriaca filia Caroli V. imperatoris, anno mdliii. Joanni III. Lusitaniae regi nupta, et

post viri obitum fundatrix monasterii regii Matritensis S. Mariae de Consolatione, seu regalium excalceatarum anno MDLIX., in quo ipsa jacet insigni tumulo. Auctor libri, cui titulus: *Facies provinciae Seraphico-Austriacae*, Joannae mortem non hoc anno signat, sed XX. ante annis, quod numeris non recte impressis a typographo acceptum referremus, nisi in eodem libro aliqua reperissemus a veritate aliena. Dicitur ibi, Joanna, marito defuncto, a Carlo V. in Castellam evocata fuisse, ut eo absente cum filio Philippo II. in Belgio, Hispaniarum regnis praesset. At Joannes rex Lusitaniae obiit anno MDLVII., Carolus V. anno MDLV. Hispaniarum regem constituit filium Philippum. Igitur post mortem Joannis III. jus amplius Carolo non erat constituendi filiam suam Hispaniarum regnorum moderatricem. Nec verum est, Carolum V. eo temporis fuisse in Belgio cum filio Philippo, quum jam ab anno MDLVI. secessisset in coenobium S. Justi ordinis Hieronymitani Placentiae in Bethuria, ubi anno MCLVIII. vitae finem imposuit. Errat etiam auctor reales excalceatas vocans sorores tertii ordinis, quae, Gonzaga teste, sectantur primam regulam S. Clarae. S. Petro Alcantarensi devotissima, eum Joanna Vallisoletum vocavit anno MDLVIII., advenientemque honorifice excepit, qua in urbe octo illas moniales invisit, quae a monasterio Gandiae dioecesis Valentiae, Matritum ibant fundatum monasterium. Iterum subinde eum arcessivit in aulam regiam Matritensem, rogavitque, ut sibi adesset a confessionibus, quod vir Dei officium renuit, solitudinis, et quietis suae amantissimus. Denique anno MDLIX. frustra tentavit, ut sanctus curam susciperet fundati monasterii; quod tamen postmodum regimen subiit immediatum ministri generalis ordinis, et a fratribus de observantia administratur. Eam hoc anno decessisse scribit Vigilius Greiderer ex genealogistis Austriacis.

Facies prov. Austriac. pag. 443.

Gonzaga part. 1. pag. 152.

Greiderer tom. 1. lib. 3. num. 467. pag. 524.

XC. Ejusdem sanguinis Joannes Austriacus in Belgio supremus dux Hispaniae militiae, vitam explevit die I. Octobris, anno XXXI. natus. Morienti adfuit confessarius suus Franciscus Horantius, qui corpus ejus in Hispaniam retulit. Ajunt, ipsum dolorem enectum quum auctoritatis suae limites videret admodum angustos, nec arbitrio suo bellum gerere posset, Philippo rege fratre suo omnia disponente. Alii suspicantur, ejus mortem non fuisse naturalem. Successorem habuit Alexandrum ducem Parmensem. Ejus mortem civiles tumultus, et exitia antecessere, et subsequuta sunt. Ambitiosi enim Flandriam, et Hollandiam tenebant satellitio stipati audacissimo hominum contaminatorum, ac perditissimorum scurrarum, et nebulonum, prodentium, et in nefas omne ruentium. Furor et arma franciscanos ejecere coenobiis Slusensi, Hulstensi, Aldernardensi, Cortracensi, Antuerpiensi ipso Pentecostes die, nempe XVIII. Maii, Bergensi die XV. Augusti Deiparae in coelum Assumptae sacro, Iprensi, Brugensi, ubi fratres vel capti fuerunt, vel fugati; non tamen omnes nisi anno postero. Manserunt illic quidam apud amicos absconditi, quos inter fr. Cornelius Braverius filius Adriani, ab originis loco dictus Dordracensis, qui privatis aedibus die, noctuque verbum Dei proponebat, impiorum errores refutabat, catholicos ad perseverantiam in fide hortabatur, et sacramenta ministrabat, verus Brugensium apostolus, nec zelo deficiens, nec laboribus unquam fractus.

Le Clerc tom. 1. lib. 3. pag. 76.

Joan. Isacius Pontanus hist. Geltriae lib. 14. pag. 934.

XCI. Domorum religiosarum aliae partim spoliatae, expilataeque, partim excisae, vel incendio combustae jacuerunt. Sed non his omnia complexi sumus. Apud Trajectum ad Mosam, duce Hensio nefariorum antesignano nequissimo, licet magistratus pro salute fratrum deprecaretur, tamen ii expelluntur, et coenobium militibus praeda cedit, tum quod sub titulo S. Mariae Magdalenae intra moenia surgebat, tum alterum prope civitatem Montis Lucis, seu montis divinae gratiae appellatum. Die xxv. Maii, aut mense Junio, diripitur coenobium Amstelodami, fundatum, non ut habetur apud Gonzagam anno MDLXI., (qui certe error est typographi), verum anno MCCCIV. juxta Jac-Torrinm, Pio II. Pontifice consentiente, et anno MCDLXII. reformatum, traditumque observantibus. Geusii, qui civitatem terra, marique armis claudebant, initis pactis, intra moenia recepti, magistratum catholicum expellunt, sacerdotes opprimunt, omnia vastant. Diripitur coenobium Amisfurti, seu Amesfordiae, tribus ab Ultrajecto milliaribus, ad ripas Amisii, seu de Eem, ubi situm est oppidum, quasi dicas Eems-furt, praesidii, seu munimenti vocabulo; coenobium Gandavi, ducibus dominis de Imbise, et de Ribove turbarum fautoribus, qui concitata plebe claustra destruxerunt, et supellectiles ecclesiasticas abstulerunt, omnesque ejecerunt catholicos; coenobium Dixmudae, in quo, dum alii fratres sibi fuga consuluerunt, remansit senex, et infirmus Andreas de la Dijck, quem hostes apprehensum, et vinculis constrictum carcerem repetere cogunt, ac tandem sub pietatis specie in coenobium reducunt, quo statim atque pervenit, animam Deo reddidit vexationibus, et afflictationibus consumptus.

Sbaraleà in supplem. ad an. 1304. num. 40.
Gonzaga in prov. Germaniae inferioris conv. 19.
Franciscus Haraeus Annal. tumultuum Belgicorum tom. 3. pag. 276. et seq.
Andreas de la Dijck.
Daza lib. 3. cap. 72.

XCII. Martyrii palmam quoque obtinuerunt die xxv. Octobris sex fratres Diestemil, seu Diest, in ducatu Brabantiae ad fluvium Demer VI. leucis a civitate Lovanii. Duo primi gladio Geusiorum occiduntur in via, dum pergunt ad sacramenta ministranda; alii duo in ipso coenobii limine; reliqui traduntur carnifici suspendio necandi. Quum vero ad patibulum traherentur, Xumida quidam haereticorum minister martyrem alterum verbis multis, et promissis solicitavit, ut ad reformatorum sectam transiret. At ille non solum vitam morti constanter postposuit, sed Xumidae, ut sibi in orthodoxa fide adhaereret, persuadere conatus est diserta oratione. Quibus minister irritatus, solutis argenteis, carnificem conduxit, ut monachum suspenderet cito. Nec mora carnifex ad proximae arboris ramum laqueo Dei virum oppressit, qui socium interea, ne deficeret, hortabatur. Deinde alio in ramo et socius pependit.

Martyres Diestemii.
Faustinus Tassus in hist. sui temporis cap. 30. pag. 540.

XCIII. In direptione coenobii Brugensis Franciscum Vingenare, Franciscum Martini, et Martinum Revelare insignes minoritas, insana plebs supplicio affecit, illorum etiam corporibus igne combustis, nec defuere flagitiosi qui inde ansam arriperent innocentes calumniandi. Nonnulli id Gandavi contigisse scribunt. Stephanus de Neef rem sic narrat: *Haeretici Brugis sub conficto crimine tres praeclaros patres morti tradidere; quorum pietatem quum Franciscus Everardus (fuit hic primus restaurator, et guardianus conventus Brugensis, defunctus anno MDLXXXIX.), optime agnosceret, nobis pro eorum innocentia reliquit hoc distycon.*

Florenti aetate, atque ipsis juvenilibus annis
Hos tres ad Christum sustulit una dies.

Pulso a civitate Amstelodami magistratu, franciscanos verberibus caesos,

Martyres Brugenses.
De Neef in chron. Fland. pag. 4.

et vulneribus saucios, Geusii furiose arreptos una cum optimis catholicis, in quibus erat fr. Arnoldus ab Isca vir pius, et doctus, navibus exportari jusserunt, nulla honestatis, aut venerandae canitiei habita ratione. Ex coenobii aedibus solo aequatis unicum remansit dormitorium, quo hostes pro lubitu suo abutuntur. Loco ab eis diruti monasterii clarissarum primae regulae, pauperum domunculas postmodum construxerunt. Non tamen hoc anno monasterium periit, ut dicitur in anteactis annalibus; his enim temporibus clarissae adhuc Amstelodami degebant in regulari observantia, piorum munificentia sustentatae, licet ab haereticis multa paterentur.

Ann. min. ad an. 1462. num. 93. Gonzaga loc. cit.

XCIV. Moniales SS. Annuntiationis b. Mariae Brugenses, quae ab anno MDXVIII. incolnerant coenobium extra portam asinariam civitatis, relictum a fratribus de observantia, hoc anno XLI. numero, transierunt die XXVII. Martii intra moenia in domum dictam *Het-Slwoeelhof*, confessario SS. Eucharistiae sacramentum, socio vero cor S. Margaritae reginae solemniter gestantibus. Manserunt inibi habitu saeculari, sine clausura, non tamen sine maximis periculis, a quibus Deus sponsas suas custodivit illaesas. Confessarius a Geusiis ejectus, ad eas redivit rustici veste indutus, spiritualia obsequia illis praestiturus. Vocabatur is fr. Reginaldus Betruyse. Fugatae a monasterio Ecloniano sorores tertii ordinis, primum Brugis, deinde Gandavi habitarunt in diversis domibus, secum semper ferentes miraculosam imaginem Deiparae, quam servant adhuc in monasterio suo Gandavensi. Earum tamen fuga in quibusdam MSS. narratur ad annum sequentem. Idem accidit monialibus urbanistis in Rosendale prope Ipras, quae pulsae sunt die II. Julii, earumque monasterium incensum, funditusque eversum corruit, ne regiis militibus ad urbem expugnandam quandoque inservire posset. Idem clarissis Iprensibus discalceatis; quae cum privatam illic vitam agere brevi ipsis licuisset, per varias Belgii civitates deinde errarunt, donec in restauratum monasterium denique rediere.

Sanderus in Flandria illustrata t. 1. pag. 380. et seq.

XCV. Flammis absumptum concidit ab haereticorum coborte immissis coenobium Sparrense in Aquitania recentiori, aedificatum an. MCCXI. pietate Senebronii aurati militis, et oppidi Sparrae domini, cum ecclesia, quam sumptuoso opere ampliarunt, seu potius totam exaedificarunt minores ipsi, qui loci possessionem acceperunt. Modo domus ne vestigium quidem ullum superest.

Ann. min. ad. an. 1240. num. 24. Gonzaga in prov. Aquitaniae recen. conv. 12.

XCVI. Hostibus fidei saevientibus occubuit cal. Maii in coenobio Moyne dioecesis Oladensis, in Hibernia, et comitatu de Mayo, ad ostium fluminis Moy prope mare, fr. Phalimaeus, vel Felimeus O Hara laicus provectae aetatis, filius Ioannis O Hara viri illustris, et primarii inter suos. Ministro provinciae, et fratribus illinc excedentibus, et ad mare in cymba se recipientibus, domus custos remanserat. Regressi fratres viderunt expilatam domum, et Phalimaeum coram majori altari interfectum, quem reverenter tumularunt in aede capitulari. Irruentes rursus satellites, sacerdotem quemdam saecularem, et alterum minoritam (dummodo is non sit Henricus Fremlamhaidh laicus, quem Waddingus Phalimaei socium appellat, et solum minus vere dicatur laicus), apprehenderunt, illoque suspenso, hunc cruciatibus, ut quae sacerdos sacramentaliter confessus fuerat, eis revelaret, miserrime torse-

Phalimaeus O Hara. Ann. min. ad an. 1460. num. 60.

In catalogo martyrum.

runt, ligatis ad tempora funibus, et tam arcte constrictis, donec cranium rumperetur, et cerebrum difflueret. Gonzaga Felimei obitum rejicit in annum MDLXXXII., quin imo Waddingus ipse cum Gonzaga consentit, et adnotat, se meminisse ejus mortis ad annum MCCXCI. At inibi non cognomen O Hara, sed Ocara ei tribuit, et martyrium signat anno MDLXV., locum autem metropolim Ardmachanam. Desunt monumenta, quibus rem illustremus.

In eodem catalogo.

Gonzaga part. 3. pag. 847.

XCVII. Sebastianus rex Portugalliae in Africam hoc anno transfretavit D. navium classe, quibus subsidium attulit Muleo Mahumeti, quem patruus Abdemelechus regno pepulerat. Tingim appulsus die IX. Julii cum delecta manu Lusitanorum, castra ad Alcazarem ponit, init pugnam, in qua Lusitani barbarorum equitatu fusi, fugatique sunt, caesi duo reges, aliique plurimi. Ei sucessit patruus suus Henricus cardinalis Emmanuelis regis filius, seu potius quinque viros designavit, qui rerum summae praessent, donec de successionis jure deliberaretur. Expeditionis infaustum exitum praedixit b. Petrus Nicolaus Factor; quum enim saerum esset faeturus, rogatus a fratre Michaele Llorente laico, ut quandoquidem cometes ingens regno Portugalliae funesta portenderet, Domino vota nuncuparet pro regiis armis, et rege ipso, qui in Mauritaniam ibat, respondit, *illum, si iret, non rediturum*. Eadem ferme se audivisse testatus est fr. Petrus Stephanus a Dei viro vestibus sacerdotalibus induto his verbis: *Quanto melius regi esset, illuc non ivisse, quia de eo laudem non erit consequuturus!*

Jacobus Gordonus oper. chron. tom. ult. ad an. 1578. pag. 436.

Ex processu Valent. num. 53. pag. 242.

XCVIII. Narrant, hoc tempore parietes monasterii S. Clarae de Guarda in tractu Beirensi sanguine manasse, quod etiam anno MCDLII., vel insequenti, die XXIX. Maii Fulginii contigisse fertur in sacello b. Angelinae Corbariensis, expugnato a Turcis Byzantio, prout Beata ipsa nocte postera pio viro revelavit. Cecidit praeterea parvum Crucifixi simulacrum ab abside organi pegmatis ejusdem monasterii tanto cum fragore, ut non moniales tantum, quae precibus coram instabant, sed absentes quoque crederent, templum funditus collapsum.

Monum. provinciae.

Ex processu pro adprob ejusd.cult. n. 2. §. 1.

XCIX. Hoc anno minores conventuales comitia, quae depopulante Italiam pestilentia anno praeterito, differre oportuit, habuisse in sacra aede S. Francisci, ibique Petrum Antonium Camillum a Nuceria in magistri generalis munere confirmasse, scribit Rodulphus et Benoffi, et tradunt litterae pontificiae. Nam Pontifex per suas epistolas largitur fidelibus eorumdem ecclesias visitantibus in die Annuntiationis, Paschatis, ac tribus diebus celebrationis capituli, decem annos, et totidem quadragenas de injunctis poenitentiis: *Cum sicut accepimus* die XXVI. Februarii. Petrus Camillus de Nuceria accipit ab ipso Pontifice facultatem indicendi comitium in coenobio S. Francisci: *Cupientes* die XVI. Aprilis, ejusdemque ordinis praefecturam confirmat: *Cum sicut accepimus* die XXVIII. Maii. Capucini, renuntiato in procuratorem generalem Joanne Maria de Tissa, eumdem Hieronymum a Monteflorum ordinis praefectum esse voluerunt in urbe congregati. In veteri regesto, quod profert Nicolaus Catalanus de S. Mauro, haec habentur: *Post confirmationem reverendis. patris Camilli de Nuceria die XXVIII. Maii, fuit confirmatus a reverendis. patre generali nostro (conventualium) vicarius generalis capucinorum reverendis. pater Hieronymus de Monteflorum, in congregatione generali Romae electus.*

Rodulphus p. 198. Benoffi pag. 272.

In lib. Fiume del terrestre paradiso pag. 9.

C. Cautum est in capitulo, ut novi commissarii in Galliam mitterentur. In provinciam Lugdunensem, seu S. Bonaventurae legatus est Hieronymus a Mediolano; in Parisiensem Anselmus a Petra Molaria. Ille, teste Benedicto Sambenedetti, fundavit conventum in sacello Sanctae Marthae Massiliae, vel potius locum fundationi praeparavit, quae facta est anno insequenti in fundo designato a Catharina Medicaea, quae dum primus lapis poneretur, praesens adfuit cum cardinali Borbonio. Alter fundavit conventum de Can, et de Ronane, seu Rodumnae dioecesis Lugdunensis, cujus tamen constructionem Michael a Tugio rejicit in annum MDCLXXVII. Scribit idem Sambenedetti, marchionem S. Crucis, scilicet Alvarum de Lacan (de quo nos ad annum superiorem) impetrasse a Pontifice, ut secum duceret hoc anno capucinos in Hispaniam, ad excitandum coenobium in oppido del Vito, seu Viso; ivisse autem illuc Joannem Alarconinm, Bernardinum Aragonensem sacerdotes, et Joannem Baptistam de Lycio laicum, eosque appulsos Barcinonem, interdicto aulae regiae ministrorum nihil agere potuisse. Quod et Rodulphus notat his verbis: *Regio mandato prohibitum fuit, ne ulterius progrederentur fratres capucini; unde in regno Cataloniae solum habitant.* Hinc dilatam dicit Annalista in aliud tempus fabricam hujus conventus. At nos Pontificis litteras jam attulimus, in quibus non de fabrica ponenda agitur, sed de jam posita, quae tradenda erat capucinis. Caeterum capucini sedem obtinuerunt anno MDCX. in villa Matriti dioecesis Toletanae in provincia Castellae.

Ann. Capuc. ad ann. 1578. pag. 546. num 1.

Ibidem pag. 549. num. 9.

Ann. min. ad an. 1577. num. 62.

Rodulphus lib. 2. pag. 201.

Tugius in tab. top. prov. Castellae t. 5. pag. 418.

CI. Anno MDLXXI. mortuo Alexandro cardinali Cribellio, titulum Sanctae Mariae de Aracoeli adeptus est hoc anno die III. Martii presbyter cardinalis Alexander Riarius Bononiensis, utriusque signaturae referendarius, patriarcha Alexandrinus, camerae apostolicae auditor, signaturae justitiae praefectus, Perusiae et Umbriae legatus.

CII. Renuntiatus est episcopus Catharensis, non Canlarensis, ut Rodulphus ait, in Dalmatia, sub archiepiscopatu Barensi *Franciscus Lupanus, sive de Zupanis ordinis minorum conventualium, in locum Pauli Bisantii, die XXI. Novembris.* Rodulphus signat diem XXV. Novembris; episcopus Alexiensis in Albania, sub archiepiscopatu Dyrachien., vel Antibaren. *Martinus Brianus Ragusinus die XV. Octobris;* Episcopus Chiensis *Jacobus de Chio die XIV. Novembris;* Episcopus Neapolitanus *in Africa*, juxta Augustinum de Witte, qui solus eum memorat, Joannes de Morellis. Ejus nominis civitates plures sunt, una notissima in Italia, altera Inachiae, seu de Romania in Peloponneso, quae Anaplia dicitur, sub graeco archiepiscopo, tertia in Samaria sub patriarcha Hierosolymitano, quarta in Caria, sub archiepiscopatu Stauropolitano, postrema in Arabia sub quarta sede Bithirae. Quam ecclesiam Scriptor designet, obscurum est. Franciscanis episcopis accenset Petrus Antonius a Venetiis Dominicum de Salazar, quem hoc anno electum scribit archiepiscopum Maniliae in Philippinis. Ex actis tamen consistorialibus primo constat, nonnisi anno sequenti die VI. Februarii, ecclesiam Maniliae erectam in episcopalem, subjectam jure metropolitico archiepiscopo Mexicano. Secundo constat ex iisdem actis, et regiis litteris, Dominicum de Salazar fuisse ordinis praedicatorum, cui defuncto successit anno MDXCV. die XIII. Augusti Ignatius de Santibañez franci-

De Witte pag. 48. num. 291.

Virid. Seraph. t. 1. part. 3. p. 549.

Joseph Torrubia Chron. in fin. pag. VII.

Digitized by Google

scanus, primus archiepiscopus post erectionem ecclesiae Maniliae in metropolitanam.

CIII. Angelus Justinianus, domesticae quietis, et studiorum suorum causa, dimisit ecclesiam Gebennensem, ut ex actis sequentibus constat: *MDLXXVIII., feria II., die XV. Decembris, Gregorio XIII. Sum. Pont. referente D. cardinale Alexandrino SS. providit ecclesiae Gebennensi in ducatu Subaudiae per cessionem R. P. F. Angeli Justiniani in manibus SS. sponte factam, et admissam vacan. de persona religiosi viri D. Claudii de Granier ordinis S. Benedicti professoris, in presbyteratus ordine constituti, aetate, natalibus, et suorum superiorum testimonio, juramento etc., fidemque ex formula professi; ipsumque dictae ecclesiae in episcopum praefecit, et pastorem, cum reservatione pensionis annuae cc. scutorum auri super fructibus mensae episcopalis Gebennensis pro ipso episcopo cedente, et retentione denominationis, absolvens etc., et cum gratia pro tertia parte etc.*

CIV. Joannes Nasus a Pontifice obtinuit officium commissarii ecclesiae cathedralis Brixinensis in Germania, postquam sexennio Oeniponti aulici concionatoris munus egisset. Item postulante Ferdinando archiduca Austriae indulget Pontifex, ut ad componenda ea, quae pertinent ad coenobium S. Crucis Oenipontis, illuc remaneat: *Ex litteris nobilitatis tuae* die II. Martii. Institutus est inquisitor Florentiae die XIX. Augusti magister Dionysius Costacciarius in locum Francisci Pisani, decreto Pontificis, et S. Congregationis cardinalium generalium inquisitorum, sublata antea magistris generalibus, et provincialibus minorum conventualium facultate, inquisitores per loca destinandi; eadem die Senarum magister Prosper de Urbino; die XIV. Novembris Justinopolis magister Franciscus de Catharo provincialis Dalmatiae; Spalati magister Valengus de Pirano.

Ex archiv. SS. XII. Apostol. de Urbe.

CV. Litteris florebant Jeremias Utinensis, *Buchia* appellatus, vir facilis, et ardentis ingenii, verbique divini praedicator eximius, qui vernaculo sermone edidit *expositiones in quosdam psalmos, in orationem Jeremiae prophetae, et in canticum Zachariae; conciones quadragesimales* quoque scripsit, at non prodierunt; Franciscus Maurus de Montegranaro Picenus auctor libri praenotati *Schola Monachalis;* Constantinus Porta Cremonensis, artis musicae peritissimus, primum Auximanae, et Ravennatensis majoris ecclesiae, deinde Patavino Sancti Antonii Templo musicorum praefectus, hoc anno transiit ad Lauretanum. Ejus discipuli fuerunt Gratianus de Bagnacavallo, Ludovicus Baldus Venetus, Ludovicus Vitellianensis, alias Vedana, Horatius Columbanus Veronensis, Joannes Pizzola Brixianus. Typis prodierunt ejus *carmina cum grato concentu notarum musicarum, quae passim inter sacra cantantur.* Extat Bononiae MSS. italicum *trattato di contrapunto, o istruzione di contrapunto, data al P. Gratiani da Bagnacavallo;* Jacobus Bertuglia alumnus conventus S. Francisci Mazariensis, et in sequenti anno magister provincialis in Sicilia, quem Pirrus dicit poetam, oratorem, et insignem ecclesiastem; Antonius de Angelis scripsit *de Terra Sancta,* teste Andriconio in catalogo auctorum, quibus usus est in conficiendo theatro Terrae Sanctae, ubi ita loquitur: *topographica delineatio civitatis Hierusalem Antonii de Angeli Minoritae, qui diu*

Rodulphus p. 320.
Sbaralea lit. J.
Rodulphus p. 316.
Sbaralea lit. C.
Sicilia Sacra tom. 1. pag. 671.

Digitized by Google

Hierosolymae habitavit, anno MDLXXVIII. Romae in conventu B. Mariae Aracoeli ab eo in lucem edita.

CVI. Terminum vitae imposuit nonis Septembris aetatis annorum XLIV. Julius Feltrius cardinalis de Ruvere protector ordinis minorum observantium, conventualium, et capucinorum, non Urbini, ut refert Ughellus, sed in civitate Forisempronii, quum Ravenna Urbinum reverteret infirmus. Ejus mortem Petrus Maria Amiani in historia Fanestri signat ad idus Septembris. In Ughelli errorem incidit Petrus Antonius a Venetiis. Ejus corpus Urbinum translatum jacet in templo S. Clarae cum hoc epitaphio: *Iulio Monfiltrio e Ruvere S. R. E. cardinali, Umbriae bis legatione magna cum laude functo, Urbini, Ravennae, aliarumque ecclesiarum antistiti, Lauretanae domus, et S. Francisci ordinum patrono, justitia, pietate, benevolentia principi celeberrimo. Mortalitatem explevit nonis Septemb. anno MDLXXVIII. aetatis vero XLIV.* Fratribus de observantia, et conventualibus suffectus est in ejus locum Franciscus cardinalis Alciatus Mediolanensis, creatus anno MDLX. a Pio IV., vice-protectoris munere antea perfunctus. Pro capucinis Julius Sanctorius cardinalis S. Severinae, qui eis pariter adfuerat vice-protector.

Ciaconius tom. 3. ad an. 1534. pag. 732.

Amiani part. 2. pag. 217.
Virid. Seraph. loc. cit. pag 373.

CVII. Sacrae hujus familiae alumni ad Deum migrarunt in conventu Messanae Aegidus Luppinensis sacerdos, provinciae Messanensis vicarius, cujus cubiculum coelesti luce perfusum vidit aliquando socius suus Antonius de Castrobono, dum ille in oppido Castriboni sacras conciones perageret; et Franciscus ab insula Chii Graecus genere, Deiparae adspectu dulcique sermone in proposito suo confirmatus, tirocinium inter laicos agens in conventu Herbitae, ubi maligni spiritus tentationibus vexabatur; in provincia Syracusana Petrus Aenneus seu de Castro Joannis laicus, poenitentiis attritus. Duobus a funere diebus apparuit Antonio conterraneo, et confessario suo, cui se bona sempiterna adeptum revelavit; in provincia Rhegiensi Franciscus a S. Petro sacerdos, qui in ultimo agone, priusquam moreretur, se Deo operum suorum rationem reddidisse, et ejus misericordia adscriptum inter electos testatus est guardiano suo; in provincia Marchiae Gratia Septempedanus, seu de S. Severino clericus (alter a Grato de quo diximus ad annum MDLXXV.) defunctus octo post dies ab emissa professione. Apparuit Antonio de Campo Rotundo, eique dixit, sibi optime esse; in conventu Serrae Capreolae Urbanus a Manfredonia sacerdos, concionator ferventissimus, et mirabilis, tum eloquio potens, tum signis. Publicos peccatores in viam salutis reduxit. Ruentibus imbribus, auditores suos sub dio perstantes dimisit non madefactos, aluit paucis panis frustis, quae vix uni, vel alteri sufficerent, artificum turmam, qui coenoblum reparabant S. Pancratii Collispieperis dioecesis Tudertinae. Validam morti proximus daemonis tentationem passus, conscriptas a se conciones flammis tradi jussit, quae tamen ardenti faci diu superpositae, non sunt combustae. Fuit vicarius provincialis in provincia sua S. Angeli, in provincia S. Francisci, commissarius generalis in provincia Bononiensi, et diffinitor generalis. Ejus corpus, triennio elapso integrum, et incorruptum perseveravit. In conventu Astae decessit Joachimus a Levanto Ligur provinciae Genuae laicus, maximis virtutibus, et meritis cumulatus, clarusque asperrimis poenitentiis, quibus carnem domuit, cruentis flagellis, quotidianis jejuniis, vigiliis per longas noctes

Aegidius Luppinensis.
De Arembergh pag. 114.

Franciscus a Chio.
Idem pag. 38.

Petrus Aenneus.
Idem pag. 425.

Franciscus a Sancto Petro.
Idem pag. 301.

Gratia Septempedanus.
Idem pag. 333.

Urbanus a Manfredonia.
Idem pag. 54.

Joachimus a Levanto.
Idem pag. 322.

productis, orationibus, ecstasibus, quas inter triduo aliquando sine sensu mansit, victoriis adversus daemonem insidiantem, atque insultantem, gratia curationum, signisque aliis, et miraculis, quae de eo narrantur. Obiit die xxiv. Januarii, juxta chronicam provinciae S. Thomae, dum devotissime recitaret pslamum: *Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.* In conventu S. Eulaliae Barcinonis Ludovicus Romeo unus ex iis qui ab observantibus ad capucinos transierant, patienter quatuor mensium infirmitate tolerata obiit.

Ludovicus Romeo. *Monum. prov.*

CVIII. Romae habita est hoc anno S. R. E. Cardinalium congregatio, ut duodecim Joannis III. regis Sueviae petitionibus consuleretur. Huic congregationi interfuit et Caesar, ut scribit Possevinus, forte Antonius Posius, de Monte Ilcino in Hetruria insignis theologus franciscanae conventualium familiae, qui ad easdem petitiones responsa in xii. articulos distributa dedit, Pontificisque Gregorii XIII. jussu hoc eodem anno Possevino societatis Jesu presbytero in regno Sueviae degenti communicata. Haec laudata Monte Ilcino responsa Augustae Vindelicorum typis denuo commissit anno mdcccxxxix. Augustinus Theiner presbyter Oratorii S. Philippi de Urbe, vir ingenio, et doctrina illustris.

La Svezia, e le relazioni di essa alla s. Sede p. 184. *in documentis.*

CIX. Matrona quaedam oppidi Erlae fratribus Dominae nostrae de Monlora devotissima, canistrum panis ad illos detulit, magna circum ingravescente inopia cibariorum. Domum reversam maritus, qui adversus fratres capitale odium gerebat, primo, atque secundo conatus est pugione confodere; deficientibus tamen sibi viribus, ferroque a manibus labente, necem patrare nequivit. Quod ille divinae acceptum referens voluntati, proprium crimen alteri ex fratribus sacerdotibus in confessione detexit, et quidquid sinistrae opinionis de pudica conjuge conceperat, longe a se abjecit, eorumque coenobium omni in posterum beneficiorum genere, non absque conterraneorum omnium admiratione, prosequutus est.

Gonzaga in prov. Aragon. conv. 16.

CX. Plura hoc anno Pontifex decrevit. Ut sartum tectumque foret antiquum jus cardinalium ordinis protectorum: *Provisionis nostrae* xv. calend. Januarii; ut observantes non essent amplius molesti fratribus excalceatis provinciae S. Joseph, hisque immediate subjiceretur custodia S. Gregorii in Philippinis: *Ad hoc nos Deus* die xii. Novembris; ut fratres Bosnenses sive de observantia, sive alterius ordinis, sub quocumque episcoporum patrocinio, claustris extorres, a ministro provinciali revocarentur ad obedientiam, prout Paulus IV. antea statuerat: *Ad ea* die xxxi. Januarii; ut iidem fratres possent sacris ordinibus initiari etiam extra tempora a quolibet antistite catholico, emere necessaria ab ipsis Turcis, administrare sacramenta catholicis in locis infidelium in absentia propriorum pastorum, eisque non officeret defectus natalium: *Debitum pastoralis* die i. Februarii; ut Joannes Matthaeus de Ulmo susciperet curam animarum christianorum loci Dracnizae in provincia Herzegovina sub dominio Turcarum: *Pastoris universalis* die v. Julii; ut commissarii generales Mexici, et Peruviae, expleto officio, illud continuarent, donec in eas regiones venissent successores: *Unicuique* die xiv. Maii; ut fratres eorumdem regnorum non redirent ad saeculum: *Ad compescendam* die eadem; ut venderetur praedium monasterii S. Clarae Firmi: *Ex commissi nobis* idibus Februarii. Arbitror hoc monaste-

Digitized by Google

rium esse illud, quod monialibus destitutum, fratres conventus S. Francisci ejusdem urbis, suo sacrario unierunt, et incorporarunt, virtute cujusdam indulti Sixti IV., quod Alexander VI. anno MCDXCVI. ratum habuit; ut venderetur praedium conventus b. Mariae Castri Occusii dioecesis Spoletanae: *His, quae pro* nonis Decembris; ut fratres de observantia conventus Genuen. petium terrae ipsis legatum a quadam muliere illius loci, per procuratorem vendant, ejusque pretium in fabricam domus, et ecclesiae impendant: *Exponi nobis* die XXVI. Martii; ut monasterio monialium S. Clarae Ravellen. applicentur aliqua bona ecclesiae sine cura S. Petri de Piazolla ejusdem dioecesis causa construendi clausuram: *Apostolicae servitutis* idibus Augusti; ut ossa Caroli Gonzagae ab ecclesia S. Petri congregationis S. Hieronymi oppidi Gazoli dioecesis Cremonensis, transferri possent in ecclesiam S. Sebastiani minorum de observantia apud castrum S. Martini: *Exponi nobis* die XVIII. Augusti; ut admitti posset ad professionem ante annum Ludovicus Correa clericus provectae aetatis civitatis Conimbriae: *Eorum* die VIII. Octobris; ut fr. Leo de Abbadia Florentilli capucinus esset habilis sacris ordinibus suscipiendis: *Sedes Apostolica* die XXVII. Februarii; ut Vincentius Macaranus civis romanus facultatem haberet construendi capellam in ecclesia S. Mariae de Aracoeli: *Exponi nobis* die V. Martii; ut archiepiscopus Patracensis absolveret Mutium Thomam de Lutis, qui milites armatos immiserat in ecclesiam minorum: *Exponi nobis:* die XXI. Martii; ut confratres archiconfraternitatis erectae in ecclesia SS. XII. Apostolorum de Urbe una cum cardinalibus protectoribus et judicibus domus piae reciperent curam et regimen convertitarum ibidem degentium: *Cupientes* die XII. Februarii. Dominicus de Gubernatis mendose scribit anno MDLXXVI. hanc constitutionem datam fuisse a Pontifice; ut quidam tertiarius professus manere possit in domo b. Mariae de la Fuente oppidi de Lira dioecesis Valent. sub habitu, et correptione ministri provincialis, et guardiani loci: *Dudum siquidem* die XV. Martii.

Cherubinus in Bullario tom. 2. pag. 422. Romae 1617.

Orbis Seraphicus tom. 2. pag. 934.

CXI. Affecit indulgentia ecclesiam b. Mariae de Piombo in Bosnia Argentina: *Cupientes* die XXX. Januarii; quasdam ecclesias domorum hospitalium existentium in regno del Perù: *Reddituri* die XXII. Martii; Ecclesias Franciscanorum del Perù, et Novae Hispaniae in festivitatibus SS. Bonaventurae, Antonii de Padua, Ludovici episcopi, ac S. Clarae: *Salvator* die XXVI. Martii; ecclesiam Jesu civitatis Regum in die Purificationis: *Ad augendam* XXVIII. Martii, et in die S. Catharinae: *Ad augendam* XVIII. Martii; altaria Conceptionis B. Mariae Virginis omnium confraternitatum existentium in regnis Indiarum in die Conceptionis: *Ad augendam* XXVI. Martii, capellam nominis Jesu Mariden. in Indiis: *Ut fidelium religio* die XIII. Decembris; ecclesiam S. Clarae Calaritanen. in festo ejusdem: *Ut fidelium religio* die I. Martii; ecclesiam S. Francisci, vulgo *parvuli*, Asisien. conventualium in die sacrarum Stigmatum: *Ad augendam* die XXVII. Januarii; ecclesiam de la Fara dioecesis Carthaginensis pro singulis remigibus, nautis, et officialibus confratribus confraternitatis S. Ginesii addictis triremibus Hispaniarum, tam in die S. Ginesii, quam in Nativitatis, et Resurrectionis Jesu Christi, ac Pentecostes: *Salutem cunctorum* die VI. Maii; ecclesiam conventualium Modoetiae: *Cum sicut accepimus* die XXII. Apri-

lis; ecclesiam S. Francisci Transtyberim *Ad augendam* die xxx. Augusti; ecclesiam Matris Dei de Ossuna dioecesis Hispalensis: *Gloriosi principis* II. calend. Julii; ecclesiam S. Joannis Pistorien.: *Romanus Pontifex* nonis Julii; ecclesiam b. Mariae de Consolatione Caprarolae dioecesis Hortanae in festo Assumptionis: *Ad augendam* die xv. Octobris; hospitale Conceptionis Venetiarum *Redditturi* v. Idus Junii; ecclesiam Pacensem, seu de Badajoz in Extremadura in festo SS. Francisci, et Antonii: *Illius* idibus Decembris; ecclesiam S. Antonii de Padua Salamanticae in ejusdem solemnitate: *Ad augendam* die xxvi. Februarii.

CXII. Altaria cum privilegio liberandi animam a purgatorio. Altare capellae Annuntiationis ecclesiae S. Francisci Vedanae, sumptibus excitatae gentis Avigni cum hac inscriptione: « Quod Hieronymus Avignus » Deiparae Virgini voverat vivens, Ambrosius, et Jo. Car. filii pie per- » solverunt » *Omnium saluti* die xiv. Octobris; altare majus ecclesiae S. Francisci Transtyberim: *Salvatoris nostri* die xvii. Januarii; altare confraternitatis Conceptionis Granatae: *Super gregem* nonis Maii; altare Conceptionis de Lorca Carthagioen.: *Gloriosi principis* nonis Maii; altare S. Sepulchri in ecclesia SS. Salvatoris de Pina dioecesis Carthaginensis: *Omnium saluti* die ix. Junii; sacellum Nativitatis Domini, alias SS. Crucifixi in ecclesia S. Andreae Baruli: *Omnium saluti* die x. Februarii; altare majus in ecclesia b. Mariae de Pace Perusin. capucinorum: *Omnium saluti* mense Septembris; altare majus in ecclesia b. Mariae Majoris Tiburtin. *Omnium saluti* v. calend. Augusti; altare majus in ecclesia S. Bartolomaei observantium Fulginei: *Omnium saluti* die viii. Octobris; altare sacelli Pietatis in ecclesia S. Francisci Villaefranchae dioecesis Sarzanen.: *Omnium saluti* pridie nonas Septembris; altare SS. Crucifixi in ecclesia conventualium Urbevetan.: *Omnium saluti* vi. idus Martii; altare SS. Crucifixi in ecclesia S. Francisci conventualium ad scalas Anconae: *Omnium saluti* pridie idus Aprilis; altare majus in ecclesia discalceatorum oppidi de Fuensalida Toletan. dioecesis: *Omnium saluti* pridie idus Junii; altare S. Euphemiae in ecclesia conventualium Surrenti provinciae Neapoletan.: *Omnium saluti* xv. calend. Septembris; altare S. Antonii Patavini in ecclesia S. Francisci discalceatorum oppidi de Alaejos Salmaticen. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Novembris; altare S. Antonii in ecclesia S. Francisci Leonissae Spoletan. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Decembris; altare SS. Crucifixi in ecclesia b. Mariae de Sciaueto oppidi Montis Barochii dioecesis Pisauren. *Salvatoris* die xv. Januarii; altare SS. Crucifixi in ecclesia Annuntiationis Forosempronii, ad instantiam Julii cardinalis de Ruvere episcopi Praenestini: *Omnium saluti* die xxv. Januarii; altare Conceptionis in ecclesia S. Francisci prope Vitelianum dioecesis Cremonensis: *Omnium saluti* die xiv. Octobris.

Ex regesto Ultramont. tom. 1. fol. 240.

CXIII. Sequentia habet autographus regestus Ultramontanus pro ecclesiis provinciae SS. XII. Apostolorum in regno Peruano. Altare capellae b. Mariae in ecclesia Incarnationis de Truxillo dioecesis Limacen. *Omnium saluti* xiv. calend. Maii. Sub eadem die privilegiatum declaravit altare capellae Conceptionis in ecclesia Limae; altare capellae Verae Crucis in ecclesia de Panama dioecesis Terrae Firmae; altare capellae

Digitized by Google

b. Mariae in ecclesia de Quanico Limacensis dioecesis; altare capellae S. Joannis in ecclesia del Cuzco; altare capellae b. Mariae in ecclesia de Ariquipa Cuzquez dioecesis; altare capellae b. Mariae in ecclesia de la Paz dioecesis Charcarum; altare capellae SS. Crucifixi in ecclesia Argentina ejusdem dioecesis; altare capellae SS. Crucifixi in ecclesia de Petrosi ejusdem dioecesis; altare capellae SS. Crucifixi in ecclesia de Pocona ejusdem dioecesis; altare capellae b. Mariae in ecclesia de Ica dioecesis Limacensis; altare capellae b. Mariae in ecclesia de Cannete ejusdem dioecesis; altare capellae b. Mariae in ecclesia de Xauxa ejusdem dioecesis; altare capellae SS. Crucifixi in ecclesia de las Collabas dioecesis Cuzquenzis; altare capellae SS. Crucifixi in ecclesia de Machaca dioecesis Charcarum; altare capellae b. Mariae de Caxamarca Limacensis dioecesis; altare capellae SS. Crucifixi in ecclesia de Chachapojas ejusdem dioecesis.

CXIV. Diplomata alia Pontificis mihi occurrunt. Pro monasterio Conceptionis civitatis Regum in Peruvia: *Romanus Pontifex* v. idus Octobris; pro monasterio clarissarum S. Proculi Interamnen. *His, quae pro* v. calend. Decembris; pro monasterio clarissarum Cortonen. *Ex commisso* viii. calend. Junii; pro altare privilegiato in conventu de Valentia Papien. *Omnium saluti* die xxx. Augusti. Instituitur capellania Conceptionis in ecclesia S. Francisci Tertae Bellantis in Aprutio: *Dignum* iii. calend. Junii. Erigitur capella Conceptionis in loco de Martelongo Silicen. *Vitae, ac morum* idibus Februarii; confraternitas Nominis Jesu in conventu Sarnen. *Unigeniti filii* calend. Februarii; confraternitas Conceptionis in ecclesia conventualium Modoetiae Mediolanen. dioecesis: *Cogitantes* die xx. Aprilis; eadem confraternitas Conceptionis in capella b. Mariae Limacen. *Ad apostolicae* xiii. Maii; eadem confraternitas Conceptionis in ecclesia S. Firmi Veronen. *Gloriosi principis* v. idus Octobris; confraternitas in ecclesia S. Bernardi Nolan. *Illius vices* idibus Februarii.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Describitur vita Francisci Gonzagae ministri generalis electi in capitulo Parisiensi, cujus series, et acta memorantur. In provincia Cataloniae dissentire incipiunt inter se fratres de observantia, et recollecti. Custodem ex seipsis renuntiant reformati provinciae Tusciae. Nonnullae domus ad severiorem disciplinam revocantur, aliae restaurantur, et construuntur, alias diruunt fidei hostes, quorum gladio cadunt martyres. Decedunt virgines, et viri Dei. Creantur episcopi. Summus Pontifex plura ordini largitur privilegia.

I. Coactis Lutetiae Parisiorum generalibus comitiis, franciscanum ordinem moderandum suscepit Franciscus Gonzaga minister proviciae S. Antonii Venetiarum, genere, litteris, et pietate insignis, natus anno MDXLVI. die XXI. Julii in oppido Gazoli dioecesis Cremonensis, parentibus Carolo Gonzaga dynasta, sacri Romani Imperii principe, et Aemilla Francisci Gonzagae filia, dictusque Annibal in baptismo. Ajunt, obstetricem intuitam infantis umbilicum plus aequo oblongum, nodis plurimis intertextum, veluti chordam, qua praecingi solent fratres minores, exclamasse: *natus est frater S. Francisci.* Tres habuit sorores, Camillam, Lauram, et Polixenam, fratres sex Pyrrhum gentis primogenitum, desumpto nomine ab avo suo Pyrrho Gonzaga, Scipionem, Julium Caesarem, Alphonsum, qui hoc anno supremum diem clausit Turonis in praelio, quod agebat in Gallia contra rebelles hugonottos, Ferdinandum, et Julium Caesarem alterum, prior namque infans obierat. Oppida genti suae subjecta numerantur Gazolum, Sabloneta, Riporolum, S. Martinus ab Aggere, Dosulum, Rotingum, Hostilianum, Insula Dovariensium, Belforte, Corrigium viride, Pomponiscum, Civitale, et Comessadinum.

Donesmondi in ejus vita.

Scipio Gonzaga in commentariis rerum suarum lib. 1. pag. 7. ad an. 1540.

II. Educationi filii sui studuit mater lectissima femina; Carolus enim strenuus militiae dux sequutus arma Caroli V. sub Ferrante Gonzaga consobrino suo praeside urbis Mediolani, ac postmodum Siciliae pro-rege, detinebatur bellis, quae per Italiam exardebant, nec diu in vivis superfuit, defunctus Gazoli anno MDLIV., et conditus in ecclesia S. Petri congregationis S. Hieronymi. Nihil autem adlaborandum matri fuit, ut filius optimis moribus, et religionis officiis probe instrueretur, in quae, puerilibus procul oblectamentis, et nugis, insita quadam animi propensione ferebatur, sacrarum rerum studiosissimus, et pauperum amantissimus, quibus quidquid ad manus habere poterat cibariorum, et vestimentorum, non solum libenter, verum etiam ultro donabat, affluentibus propterea ad aulae januam magno numero, et benefactorem suum requirentibus, qui illi extemplo aderat, rebus, verbisque unumquemque perhumaniter solatus. Quae quum Aemilia perspiceret, dixit aliquando: *Aut filius hic meus futurus erit magnus sanctus, aut magnus mendicus, et inutilis inter homines.* Aulici quoque ejus mansuetudine, humilitate, familiaritate cum egenis, pietate in Deum, mundique contemptu permoti, illum *fraterculi* nomine passim appellabant.

III. Mortuo, ut diximus, Carolo, Hercules cardinalis Gonzaga puerum

nepotem suum Mantuae in aula excepit litteris et pietate excolendum, contemplatus ingenium ejus in Deum erectum, et voluntatem ad cultum ac caeremonias religionis sponte proclivem, spiritum denique devotionis singularem, quem hortationibus suis augebat Paula Gonzaga germana soror Herculis cardinalis, virgo in monasterio S. Clarae Mantuae, qua cum Annibal sermones saepe conferebat. Reconciliatis interim familiis Gonzaga et Farnesia, quae graves antea simultates mutuo exercuerant, sub annum MDLVII. ex consanguineorum suorum placito, sequutus est Alexandrum Farnesium, Octavii ducis Parmensium filium adolescentem, qui in Flandriam abiit mansurus in aula Philippi II. regis. Alexandro itaque adhaesit socius, et contubernalis, fuitque Bruxellis cum dignitate, et splendore, nulli aequalium suorum cedens ingenuis in artibus aetate, et conditione sua dignis, sive auratus veheret currus, sive spumantes equos calcaribus agitaret, sive in ludicris pugnis, nobiliumque aliis spectaculis versaretur. Nihilominus equestres inter occupationes, pietatis, quam cum lacte suxerat, non oblitus, ecclesias, et sacramenta frequentabat, hominum religiosorum consuetudinem expetabat, propriis etiam vestibus pauperum nuditatem tegebat, consuetis instabat precibus adeo exacte, ut si necesse foret, cibo potius, quam oratione abstineret; quin non raro eum domestici repererunt in cubiculo vel extra sensus factum, vel brevem soporem humi captantem, et officium parvum b. Mariae Virginis manu complexum. Hinc Farnesius, cui haec non semper grata accidebant, capucinum illum vocabat per jocum. Alter vero aut tam sancto statui parem se negabat, aut Alexandri voluntati morem gerens sermonem suum ita aptabat, ut commodum incideret de bellis loqui, quae Flandriam, et Bataviam tunc temporis misere vexabant, sibique, nisi Deus aliter vellet, propositum esse asserebat, secum una castra sequi, statim ac per aetatem liceret.

IV. Comitatus Philippum regem reducem in Hispaniam, Carolo V. jam e vivis sublato, Toleti familiaritatem inivit cum duobus nobilibus viris ex Farnesii aulicis, quos invenerat secundum cor suum pios, honestosque, eorumque favore in amicitiam se insinuavit fratris cujusdam societatis Jesu doctrina, et religione praestantissimi, qui auctor ei fuit, ut semitam mandatorum Domini alacrius arriperet, multoque magis currentem excitavit Alphonsus Lupus franciscanus, apostolicus ecclesiasticus, qui Toleti conciones habebat, magna cum totius civitatis commotione et incremento virtutum. Ac tum primum erga seraphicum ordinem eam concepit benevolentiam, ut sola alumnorum ejus praesentia, se quodammodo percelli sensibus experiretur, et nihil optatius sibi contingere animadverteret, quam esse cum fratribus coenobii S. Joannis Regum, ubi arctiori vinculo se illis adstringendi gratia, chordam franciscanam sibi dari postulavit, quam acceptam ad carnes suas strinxit, una cum aspero cilicio, quod detulit usque ad vitae suae finem.

V. Matritum profectus cum rege, duobus post mensibus inde discessit, ut foret in comitatu principis Caroli, qui morbo conflictatus Complutum ivit medicorum suasu ad valetudinem recuperandam. Illic eamdem sectatus vitae rationem, confessarium suum elegit Christophorum de Abula, unum ex probatioribus fratribus S. Mariae de Jesu, aegrotusque ex tumore, qui in plures partes diffractus tibiam graviter sauciaverat, duorum men-

Digitized by Google

sium spatio, quo decubuit, commoditate usus, legit accurate chronicas ordinis minorum conscriptas a fratre Christophoro de Abula, ex quibus incredibilem hausit spiritus consolationem, et in cupiditatem adductus est eidem ordini se mancipandi, quamprimum sanitati redderetur; cui consilio, ne adolescentem tristitia afficeret, si statim in medium afferret rei peragendae difficultates, confessarius calculum adjecit suum.

Mazzara in leg. franc. ad diem 11. Martii pag. 188.

VI. Dno his temporibus Compluti memoranda contingere. Invaserat Mariam (minus vere a Benedicto Mazzara dicitur Martha) de Peñnela filiam Petri Hernandez Complutensis, horribilis, et deformosissima paralysis, tanta nervorum dissolutione, et membrorum laxatione, brachiis, cruribusque distortis, totoque corpore convulso, ut non jam mulier, sed monstrum esset, et medici se nihil unquam tale vidisse profiterentur. Accedebant febres vehementes, et capitis dolores peracres, et assidui, quibus misera gravissime affectabatur. Ea igitur ad b. Didaci corpus delata, quum in ejus intercessione, et Dei misericordia confideret, et suppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum distorsione, et depravatione, omnique infirmitate est liberata. Quae tanti accepti beneficii non ingrata, Deo virginitatem suam vovit, et sacrarum virginum collegio adjuncta in monasterio S. Joannis, quod a poenitentia nominatur, sancte, et religiose vitam duxit.

Ex bulla Sixti V. canonizat. S. Didaci.

Mazzara ibid.

VII. Aegrotabat Compluti princeps Carolus anno MDLXII., qui quum e scalis decidisset, gravissimum ex eo casu, et prolapsione in capite vulnus acceperat. Omnia remedia, omnes curationes adhibitae, quae humana industria praestari poterant, ut in tanto principe par erat. Sed quum nihil humanum proficeret, morbusque magis semper ingravesceret, jamque ejus gravitati natura succumberet, medici principis salute prorsus desperata, certam imminentis mortis horam praefiniunt, idque regi patri, ne tam acerbo spectaculo interesset, denuntiant. Quum igitur omnis humani adjumenti spes defecisset, ad divinum, quod unum reliquum erat, praesidium confugiunt. Itaque devotionis ardore succensi a fratribus suis b. Didaci corpus decenter, et religiose in principis cubiculum afferri curant, post annos fere centum integrum et incorruptum; quod quum princeps beati viri patrocinio se commendans, devote tetigisset, eo inde amoto, vidit in somni quiete b. Didacum ante lectum stantem, et crucem arundineam manu gerentem, seque admonentem, bono animo ut esset, et in Deo confideret; fore enim ut ex ea aegritudine sanus fieret. Quare eo potissimum tempore, quo medici principem moriturum praedixerant, non solum melius habere coepit, sed paullo post, omni illo vitae discrimine divinis, ac supra naturam adjumentis tam mirabiliter est ereptus, ut digitum Dei per merita b. Didaci ibi adfuisse omnes intelligerent; sed praeter caeteros princeps ipse, et Philippus pater incredibili laetitia tamquam redivivi filii affectus, id agnovere, et Deum glorificando palam professi sunt.

VIII. His permotus Annibal ardentius optavit religionem ingredi minorum. Ne autem quidquam aggrederetur nisi providentissime, multos consuluit spectatae doctrinae, et integritatis viros, a multisque petiit, ut orationibus suis Dei voluntatem exquirerent, ac praesertim confessario suo se enixe commendavit, ne spem, quam conceperat, inanem abire sineret. Quamobrem is sedulo inspecta adolescentis constantia, et

et alacritate ad omnia ordinis munia exsequenda, improbis licet obnoxia laboribus, misit illum ad guardianum S. Mariae de Jesu, qui antequam aliquid deliberaret, dixit, litteras se daturum ad ministrum provinciae, ex cujus consilio negotium agi deberet. Dimissus ille experiri tentavit, an religionis jugo ferendo aptus foret, ferreis catenis se caedens, interque jejunia, et vigilias versatus, quin etiam olim domo sua vasa coquinaria mundare, aut saltem panniculis abstergere voluit, quia id humilitatis opus novitiis franciscanis familiare esse audiverat.

IX. Inurbanum ei visum est, propositum suum Farnesio occultare. Hinc opportune eum alloquutus, egit primo multis verbis de rebus spiritus, et perfectionis, ac tandem quid meditaretur, significavit. Tunc alter illum ab incepto deterrere, et vehementer increpare nimiae animi dejectionis, parumque fidelis amicitiae, qui nulla ex causa confestim terga verteret, postquam apud se honorifice diu fuisset, et pollicitus foret, secum militaturum in Flandria. Decorum minime videri, imo vero rusticum, et agreste quoddam sapere, rudi tunica indui juvenem nobilissimo loco natum, et eum, qui armis tractandis, rebusque praeclaris gerendis in hominum luce idoneus esset, laudi, atque existimationi suae nuntium remittere cucullionis desiderio: se certe id non laturum, atque interea temporis confidere, ut missas faceret denique miseras illas, ac tristes cogitationes, quae menti ejus insederant. Quum vero Annibalem de sententia dimoveri facile non posse perspiceret, Carolum principem de re certiorem fecit, qui novitatem admiratus, nihil aggressus non est ad illum expugnandum, tum eo ad se arcessito, multisque rationibus circumvento, tum missis in coenobium S. Mariae de Jesu aulicis suis, qui receptionem juvenis fratribus interdicerent, sub regis indignatione, et ad regem tabellariis, qui rem renuntiarent.

X. Etsi rex ad pietatem summopere propenderet, nihilque optatius ei contigeret, quam piorum hominum numero divinum cultum augeri, sapientiae tamen, et dignitatis suae esse existimavit, causam cognoscere, ne quidquam temere perageretur. Quapropter juveni suasit primo, ut de franciscano ordine non amplius cogitaret, quem quisque nullo negotio ingredi posset; difficulter vero disciplinae severitatem sustinere. Deinde monuit, ut si prorsus vellet ecclesiasticum institutum profiteri, in censum clericorum saecularium se referri sineret; quod si faceret, sibi esse in animo, illum adscribere Hispanis civibus, cui propterea pateret aditus ad dignitates sublimiores, quibus regia liberalitate eum esset cumulaturus. Tandem hortatus est ad rem considerate expendendam, et de seipso id statuendum, quod congrueret cum optima ratione, mandans tamen guardiano S. Mariae de Jesu ne ullo modo juveni obsequeretur. In eadem verba scripsit guardiano minister provinciae Castellae, qui nihil de Annibale esse determinandum censuit, donec per litteras admonerentur ejus consanguinei in Italia.

XI. Erat ea tempestate Cordubae Bernardus de Fresneda episcopus Coochensis, qui Matrito, ubi confessarium agebat regis catholici, advenerat caeremoniae praesens futurus deferendi ad principem Carolum infirmum sacram arcam b. Didaci. Is igitur, flagitantibus Farnesio, aliisque pluribus viris ex flore nobilitatis, egit secreto cum Annibale, eamque, qua plurimum valebat, auctoritatem, et eloquentiam omnem

Digitized by Google

impendit, ut vel omnino conceptum consilium abjiceret, vel, si id fieri non posset, ordinem alium, cui nomen daret, seligeret minus pauperem, et rigidum, in quo commodius vitam traduceret; se franciscanum fuisse, sibi experto fidem esse adhibendam; non hominibus quibuscumque, sed perfectioribus, ac tolerantioribus; athletis demum palaestram proponi laboribus numquam vacuam, in qua virtuti anxiae, et exercitae nec minimum quiescendi tempus concederetur; decipi eos, qui religiosam vitam otii plenam arbitrantur; nullibi enim majora certamina superesse, sive implendae leges spectentur, sive etiam obloquutores hujus saeculi, qui ipsam quoque manifestam fratrum probitatem insectantur. Multis acceptis, redditisque verbis, Bernardus in suspicionem denique adductus, ne divinae voluntati repugnaret, si ulterius dicendo progrederetur, hortari illum destitit, solumque rogavit, ut rem diligentius perpenderet, et Deo supplicaret, apud quem sortes sunt omnium hominum. Secum vero tacitus considerans juvenis firmitatem, et fervorem mentis, non dubitavit, quin Deo afflatus esset, et regi libere dixit, sine piaculo impediri illum non posse, ac propterea juri suo esse relinquendum. Quibus rex persuasus Bernardo jussit, ut ea de re scriberet ad Herculem Gonzagam cardinalem, qui Tridenti aderat celebrationi concilii oecumenici, ex cujus responso negotii exitus penderet.

XII. Nihil interea Farnesius, princeps Carolus, aulici, et amici passim omiserunt ad illius animum flectendum, indictis publicis laetitiae spectaculis, choreis, ludis, venationibus, et solatiis omnis generis, quibus licet ille interesset, ne inurbanus videretur, sensibus tamen suis longe aberat, atque cum fratribus reperiebatur, in quorum aliquem si forte per civitatem incideret, gaudio perfusus post eum currebat verba facturus. Saepe etiam ex sociorum turba elapsus coenobium petebat, ubi fratrum orationibus se commendabat, ut votum suum citius consequeretur. Semel more vehementius impatiens dixit guardiano: *Ejiciesne me hinc, si me videbis aliquando indutum veste franciscana?* cui guardianus: *Non utique, fili, sed si franciscanus fies, manebis nobiscum, et nos omnes valde gaudebimus.* Non intellexit guardianus sensum loquentis, qui, ut postea declaravit, proposuerat abripere unam ex tunicis, quas novitii ad solem appenderat in porticu, eaque indutum, in medium prodire, et a guardiano reposcere fidem responsi, quo dixerat, se mansurum inter fratres.

XIII. Dum haec aguntur, venerunt Tridento tabellarii cum litteris Herculis cardinalis, qui nepoti suo libertatem faciebat minorum ordinem ingrediendi, quandoquidem tot modis probatus, in sententia firmus persisteret. Receptum itaque a guardiano ex jussu provincialis sui Bernardus de Fresneda franciscano habitu donavit anno MDLXII. die XVII. Maii in pervigilio Pentecostes post vesperas ante aram maximam coenobii S. Mariae de Jesu coram Alexandro Farnesio, equitibus, cunctisque ferme civibus ad spectaculum excitis, imposito illi Francisci nomine. Ductus in locum tirocinii clericali tonsura initiandus, ut forficem sensit immitti sibi in capillos, palluit extemplo, gelidusque per ossa ejus cucurrit tremor, sic ut magna animi constantia tunc se indiguisse pluries deinde narraverit. Scripsit matri suae, fratribus, et consanguineis singulis, quorum nemo unus non doluit, praeter Herculem cardinalem

sapientissimum virum, et Paulam Gonzagam, quae monitis suis juvenem excitasse primum ad virtutem summopere laetata est. Pyrrhus continuo relictis signis, quae ducebat in Flandria, Cordubam properavit, visurus oculis suis rem auditu incredibilem, tum operam daturus, ut fratrem a claustris reduceret, quod nequicquam tentavit.

XIV. Anno tirocinii religiosissime peracto, inter charitatis opera, humilitatis, et poenitentiae, solemni pompa xii. diebus post festum Pentecostes, professionem emisit, fortasse in manibus Francisci de Gusman, ut scribit Benedictus Mazzara, non tamen, ut subdit, *commissarii generalis;* hoc enim officium obeundum suscepit anno mdlxv. in capitulo Vallisoletano. Adfuerunt in templo Carolus princeps, Joannes de Austria, Alexander Farnesius cum aulicis, optimatibus, et nobilibus universis. Vespasianus Gonzaga pro-rex Aragoniae certior redditus, nepotem suum Deo se jam devovisse, argentum ei obtulit per procuratorem suum in aula regis quantum vellet, quo religiosis necessitatibus provideret. Cui Franciscus respondit, se nulla re alia indigere, praeter digitale, acum, et filum, quibus tunicam resarciret; et quamvis cuperet librum spiritualem fratris Ludovici Granatensis ordinis praedicatorum, non multo ante in lucem emissum, nihilominus illo libenter caruit, veritus, ne paupertatis limites transgrederentur. Humaniorum litterarum studia absolvit, sic jubente Didaco Navarro ministro provinciae Castellae, in conventibus S. Antonii de Mondexar, Matris Dei Turris Lacunae, ubi praeceptorem habuit Didacum de Zuniga doctissimum, et sanctissimum virum, filium Joannis de Zuniga majoris commendatarii Castellae. Receptus postmodum in collegio SS. Petri et Pauli Compluti, sacris litteris operam navavit egregia cum ingenii laude: quo tempore, congestis piorum hominum eleemosynis, sacellum in collegio construxit, ubi altaris Sacramentum decentissime servaretur. Anno mdlxx. mense Septembri presbyteratu Toleti insignitus, primum sacrum solemniter fecit in conventu Turris Lacunae.

Mazzara ibidem pag. 193.

XV. Voluit Christophorus de Capitefontium minister generalis, consanguineorum ejus postulationibus motus, ut Franciscus institutus jam praedicator, lector, et confessarius in capitulo provinciali Castellae, in Italiam remearet, in socium ei tradito Ferdinando Urtado sacerdote. Contigisse id autumat laudatus Mazzara anno mdlxxiii. die xvii. Januarii. Verum Scipio cardinalis Gonzaga testis non solum coaevus, sed etiam domesticus, et Francisci germanus frater, in commentariis rerum suarum ita scribit « Compluti studiorum causa multos annos assidue » Franciscus mansit, nimirum ad annum usque mdlxxv., quo tandem » anno, qui idem Jobelaeus erat, exacto jam studiorum curriculo, pri» mum revisit suos, Romamque accessit, ut Apostolorum limina pie » veneraretur ». Deinde subdit « Anno Jobelaei mdlxxv. ex Hispania in » Italiam primum, et ad ipsam urbem religionis ergo accessit fr. Fran» ciscus Gonzaga, quod quidem tam longinquum iter pedibus ita con» fecit, ut ne asellum quidem vel in maximis aestivi temporis caloribus, » nisi semel, adversa coactus valetudine, unquam conscenderit. Ex quo » licet conjicere, quam austera, atque ab omni luxu aliena, quemad» modum virum Deo dicatum decet, illius vita semper fuerit, ac ne» mini etiam mirum esse possit, si biennio post provinciae S. Antonii,

Ex commentariis Scipionis Gonzagae lib. 1. pag. 71.

Ibidem lib. 1. pag. 196.

» in quam mox ab Hispania reversus se conferre jussus est; primo » provincialis, deinde etc. creatus fuit ».

XVI. Omittimus hic inutilem et molestam topographiam, quam Mazzara persequitur adeo accurate, ut pagos quoque, et diversoria recenseat, per quae vel in reditu ab Hispania, vel in perlustranda Italia Franciscus pertransiit. Fuit primo in patria sua, postea Romae, cumque inde Mantuam reverteret, et Acula digressus in territorio Urbis Veteris apud dominos de Corsinis manere recusaret, fluvio Paliae non sine difficultate superato, pluvia coactus divertit ad cauponam quamdam juxta pontem Centeno, satis incommode inibi degens die illo, et nocte postera. Deerant cibaria sibi, et socio, aliisque popularibus, et peregrinis illic collectis, nec spes erat discedendi, nam fluvius alter Virola nomine, cadentibus aquis tumidus transitum prohibebat. Oratione ab eo facta, omnibus jam fame se interituros metuentibus, juvenis quidam numquam antea visus cauponam ingressus, tot candidissimos panes illi obtulit, quot erant hospitum capita, hortatus, ut grates Deo agerent omnes; brevibus namque post horis coelum serenum futurum, et fluvium transitu facilem, ut accidit.

XVII. In comitiis provincialibus ad S. Bernardini Veronae anno MDLXXVI. institutus est lector sac. theologiae in conventu S. Francisci Mantuae, et primus diffinitor provinciae S. Antonii, et anno sequenti, iterum habitis comitiis minister provincialis, in locum ministri jam defuncti. Suprema ordinis dignitate hoc anno cunctis suffragiis in eum Parisiis collata, tertium se abdicavit coram Anselmo Dandino apostolico nuntio, precibus instans, et lacrymis, ne gravissimus magistratus, qui virum annis, sapientia et dexteritate maturum requireret, sibi demandaretur, qui vix XXX. aetatis annum explesset, et nudiustertius in ordinem cooptatus nec jura nosset, nec rationem rerum gerendarum; quem idcirco oporteret haerere saepius, et falli. Quod humilitati ejus potius, quam imperitiae, et debilitati acceptum relatum, patrum animos magis confirmavit, et spem fecit, se eximium, et numeris omnibus absolutum ordinis moderatorem habituros.

XVIII. Caeteri rerum publicarum administratores renuntiati sunt; commissarius generalis familiae cismontanae Antonius Aquilarius minister provinciae S. Jacobi; procurator in Romana curia Daniel Meduna custos provinciae S. Antonii; commissarius curiae Hieronymus Gusman custos provinciae Conceptionis; diffinitores generales familiae Ultramontanae Franciscus Panigarola custos provinciae Mediolani, Angelus a Placentia custos provinciae Bononiae, Vincentius a Gaido custos provinciae Brixiensis, Paulus de Sovagio minister provinciae Principatus, Thomas a Massa commissarius provinciae Marchiae pro ministro. *Hic, ut tradit indiculus fratris Gratiae de Francia, erat hoc tempore Seraphinus a Monte Barochio electus Anconae biennio ante, provinciam visitante Claudio Medulla provinciae Mediolanensis*; Daniel a Monferrato minister provinciae Basilicatae. Diffinitores familiae cismontanae Georgius Kner minister provinciae Argentinae superioris Germaniae, Franciscus de Tolosa minister provinciae Cantabriae, Jacobus Berson custos provinciae Franciae, Joannes Dubliul minister provinciae Germaniae inferioris, Joannes Porthesius custos provinciae Tu-

Digitized by Google

roniae Pictaviensis, Emmanuel Cuchilla minister provinciae Algarbiorum; minister Candiae Bonaventura a Nixia; guardianus conventus Hierosolymitani, et totius Terrae Sanctae commissarius Antonius de Angelis a Lycio provinciae S. Nicolai; guardianus S. Clarae Neapolis, et commissarius aliorum regiorum monasteriorum Andreas de Arbo pater ordinis, et custos Dalmatiae; guardianus S. Joannis in Laterano Hieronymus Mons Rodonins. Hoc in generali ordinis comitio, consentiente eodem Francisco Gonzaga supremo minorum ministro, Parisiis, cui interfuere sc. praestantiores patres ex omnibus nationibus etiam Indicis, ex novis Insulis, et Jerusalem, Franciscus Panigarola ad publicam disputationem proposuit *theses generales ex universa SS. Patrum theologia desumptas*, quas anno MDLXXXIV. Ingolstadii vulgavit.

Argelati Biblioth. Script. Mediolanen. col. 1030.

LEGES EDITAE IN CAPITULO PARISIENSI.

XIX. *Pro familia Ultramontana.* » 1. Ministri provinciarum sub » poena depositionis ab eorum officiis curent, ut fratres omnes tam » praelati, quam subditi intendant orationi, praesertim mentali.

» 2. In visitationibus, quas peragunt, visitent custodias, et taberna» cula SS. Sacramenti, caeteraque alia, quae pertinent ad divinum » cultum, et ut omnia venerabiliter habeantur, stricte servari faciant » decreta visitatorum apostolicorum circa ecclesias et sacristias.

» 3. Typis committant imprimenda statuta generalia ordinis, maxi» me Salmanticensia, Aquilana, Vallisoletana, et Romana, una cum » ordinationibus provinciarum. Quod eis praecipitur sub poena deposi» tionis ab officio.

» 4. Procurator ordinis, et commissarius curiae Romae teneantur » eisdem typis committere omnia brevia, motus proprios, et bullas, » posthac ad ordinem pertinentia, eorumque impressa exemplaria distri» buere per omnes provincias, quae solvant portionem expensarum pro » impressione factarum, quae singulis obveniet.

» 5. Nemo fratrum, nisi id exigat servitium provinciae, removeatur » a conventu, in quo moratur per dispositionem capituli, vel congre» gationis provincialis, infra annum, etiam ipso petente.

» 6. Denuntient ministri provinciales ministro, vel commissario ge» neralibus nomina apostatarum, sintque obnoxii poenis praescriptis in » statutis si receperint, vel eos, quos habent, apostatas aliarum pro» vinciarum, ad propria non remiserint.

» 7. Guardiani, praesidentes, aut vicarii prima refectione, quae im» mediate sequitur apostatae discessum, illum pro excomunicato pu» blicent in refectorio, et servent statuta generalia Romana.

» 8. Quilibet conventus habeat unum praedicatorem de familia, et » si in provincia non reperiantur tot praedicatores, qui sufficere pos» sint, conventus non careat saltem fratre aliquo probo, maturo, et » erudito, qui valeat devotioni populorum satisfacere. Id ministri per » sanctam obedientiam, et sub poenis arbitrio nostro adamussim ser» vent, ac servari faciant, sic ut unusquisque praelatorum onus suum » portet vicissim, et nemini fiat injuria.

» 9. Fiat nota legatorum, quae ecclesiis nostris sunt onerosa, et » indiscreta, quam minister provincialis deferat ad primum capitulum,

Conc. Trident. sess. 15. cap. 4. de reformatione.

» vel congregationem provincialem, ut juxta decretum Concilii Tri- » dentini, cum consilio patrum, ea quae moderanda erunt, moderari » possint.

» 10. Fiat tabula casuum reservatorum ministro provinciali, qui fa- » cultatem audiendi fratrum confessiones nemini concedat, qui nesciat » eosdem casus.

» 11. Ministri in suis visitationibus in unoquoque conventu alicui » fratri probatae vitae, et famae dent licentiam absolvendi a dictis ca- » sibus. Alii autem fratres ab illis absolvere non audeant sub poena » excomunicationis.

» 12. Nemini liceat recurrere ad majores praelatos, vel superiores, » nisi post sententiam provinciae; postquam reo, si appellaverit, mi- » nister, seu commissarius provincialis, processus copiam fidelem assi- » gnare teneatur clausam, et sigillatam, afferendam per ipsum ad ju- » dicem appellatum, cum obedientia eum adeundi.

» 13. Si reus videatur digne suspectus de fuga, non permittatur » ire, sed remaneat in loco detentionis, et processum judex *a quo* » mittat, ut supra, ad judicem appellatum.

» 14. Si reus repertus fuerit indebite judicatus, puniatur qui eum » judicaverit. Si vero bene fuerit condemnatus, duplicetur ei poena » injuncta.

» 15. Si reus, sententia non expectata, ipsos superiores adierit, ad » suum ministrum, seu commissarium, a quo discessit, remittatur ad » judicium subeundum, et poenam apostasiae luat.

» 16. Ministri non instituant sacerdotes in confessarios, nec permit- » tant, ut clerici professi accedant ad sacros ordines, antequam legi- » timae aetatis testimonio in scriptis allato, in moribus et vita eos pro- » batos inveniant, ac insuper doctrina, de qua promovendi habeant » testimonium in scriptis ab uno vel pluribus examinatoribus, quos » ministri ipsi deputaverint.

» 17. Provincia Candiae habeat facultatem eligendi suum ministrum » ad normam aliarum provinciarum, eidemque jungantur Corcyra, et » Chium.

» 18. Conventus S. Joannis in Laterano sit incorporatus provinciae » Romanae.

» *Pro utraque familia.* 19. Ministri provinciales deinceps officium » suum continuent per quadriennium.

» 20. Interdicuntur amicitiae omnes cum monialibus cujuscumque » ordinis, devotis, et similibus, sub poena privationis vocis activae, » et passivae, ac inhabilitatis perpetuae ad omnia ordinis officia, si » de tali amicitia contracta, vel retro contractae continuatione legiti- » me constiterit.

» *Pro familia Cismontana.* 21. Capitula intermedia seu congrega- » tiones reserventur ministris provincialibus. Alia vero ad arbitrium » ministri, et commissarii generalis Cismontani.

» 22. Ministri legitime impediti, quominus intersint capitulo gene- » rali, possint mittere commissarios electos a diffinitoribus, qui vocem » habebunt in capitulo generali activam et passivam.

» 23. Nullus incorporetur in aliena provincia, nisi post biennium,

Digitized by Google

» de consensu ministri, et capituli; quo facto non possit rejici a provincia, sed si deliquerit, ibidem puniatur.

» 24. Nullus guardianus, vel frater exeat terminos sui conventus » pro colligendis eleemosynis in terris alterius, nisi de consensu guardiani loci.

» 25. Provinciae non graventur multitudine statutorum, sed regantur secundum statuta Barcinonensia, vel secundum ea, quae recepta, » et usitata sunt in provincia.

» 26. Commissario non liceat aliquid agere, vel decernere contra » statuta, et consuetudines provinciarum, nisi de consensu ministrorum » provincialium et diffinitorum.

» 27. In Hispania abbatissae sint triennales, et absoluto triennio » non possint reelegi nisi post tres annos.

» 28. Item in Hispania guardiani, absoluto quadriennio, non sint » guardiani in eodem conventu. Ministri provinciales, si sint praesentes, habeant vocem in capitulo provinciali, cui adesse possint, si libuerit. Renovatur statutum Metinense de diffinitore subrogando per » provincialem, et diffinitores, si unus diffinitorum obierit.

» 29. In Gallia nullus frater beneficiatus assumatur ad officia ordinis, et dignitates praelaturae.

» 30. Pensio omnium studentium Parisiensium sit aequalis. Ii autem, absoluto studiorum cursu, redeant ad suas provincias, sub poena » apostasiae. Si non redierint intra quatuor menses, sint privati cursu, » nisi intercesserit causa legitima a ministris provincialibus, aut discretorio probata.

» 31. Concordata, statuta, et privilegia trium provinciarum, Franciae, Turoniae, et S. Bonaventurae rata habeantur, dummodo probata antea sint, et confirmata a generalibus ministris ».

XX. Decesserunt ab anno MDLXXI. ad praesentem usque 6359. fratres, ex quibus plures pro confessione fidei catholicae ab haereticis interfecti fuere, potissimum XXVII. in provincia Germaniae inferioris. Acta sunt consueta suffragia pro Summo Pontifice, cardinali protectore Francisco Alciato, christianis principibus, illustri domina comitissa de Varax, ac Henrico III. Galliarum rege his verbis « Pro christianissima » majestate regis nostri ordinis amantissimi, qui ultra beneficia innumera, quae nobis quotidie pro sua in nos singulari benevolentia » praestat, pro nostri capituli generalis expensis faciendis ingentes dedit eleemosynas, proque regina christianissima ejus consorte, ac pro » excelso domino duce Alenconio ipsius serenissimi regis fratre, singularibus benefactoribus, a quolibet sacerdote tres missae dicantur ». Omnia rata habuit Pontifex: *Quum sicut accepimus* die v. Aprilis anno sequenti non isto, ut mendose legitur in indiculo Petri de Alva; nonnisi enim sub initium mensis Junii capitulum generale celebratum est, ut constat ex publicatione litterarum apostolicarum: *Consuevit Romanus Pontifex* die XXIX. Aprilis hujus anni, illic facta coram vocalibus a Leonardo Jacopino Calliensi apostolici nuntii a secretioribus epistolis, die v. ejusdem mensis Junii.

XXI. Ut Romam accessit novus minister generalis sequentes dedit litteras encyclicas zelo, fide, et sapientia refertas.

Digitized by Google

Fr. Franciscus Gonzaga totius ordinis minorum generalis minister, et servus R. ac venerandis patribus ministris, custodibus, guardianis, vicariis, caeterisque patribus, et religiosis nobis amantissimis Dei dilectionem, et perpetuam felicitatem.

Quum, ut nostis gravissimum hoc onus supra vires nostras a capitulo generali nobis injunctum suscipere coacti fuerimus, reliquum est, ut tales nos in regimine exercendo praestemus, quales coram summo judice in extremo die comparere optamus. Verum enim vero quia nec nos simul esse in omnibus locis, nec omnes fratres ad nos accedere possunt, nec expedit; visum nobis est, per has praesentes litteras, praecipuas ruinae religionis nostrae causas vobis aperire, vosque commonere de nostra voluntate, quam, Deo inspirante, ad nostri seraphici ordinis reformationem, et instaurationem concepimus, eodemque optimo, maximoque Deo favente, totis viribus et praesentes, et absentes prosequemur. Simul et a vobis id obnixe requirentes, quatenus, quod vestra interest, agatis, et conemini, ut splendor nostrae seraphicae religionis, qui quorumdam insolentium vitio obtenebratus est, eruatur e tenebris, splendeatque eminus apud omnes, ut bonus Christi odor in exemplari vita foveat, et recreat per nos omnes fideles, ita ut redeat primitivae nostrae religionis color optimus et aurum divinae charitatis fulgeat in nobis. Itaque patres mei charissimi obsecro vos per misericordiam Dei, estote in vocatione vestra imitatores tanti ac vere Seraphici Francisci, aemulatores semper charismatum meliorum. Vosque praelati, et majores, pascite gregem vestrum, pascite exemplo, scientes, quod, ut recte Eccl. 10. *sapiens ait: Qualis civitatis rector fuerit, tales et inhabitatores in ea erunt. Discant a vobis subditi, ut vereantur contrarium ipsi facere, turpeque existimant filii, non imitari patrem. Tunc enim in peccantes candida fronte animadvertere valebitis, quum in similibus vos minime labemini. Accingimini igitur tamquam viri fortes, ac religionis pereuntis instaurandae zelo accensi, adjuvate nos in hac sanctissima reformatione, quam instituimus, multumque abesse existimate, si non prodesse pro virili studueritis.*

Atque in primis omnis cura, et diligentia a vobis adhibeatur ut religiosi curae vestrae commissi in S. R. Ecclesiae fide viriliter perseverent; pro tuenda ejus veritate, ac SS. R. Pontificis auctoritate, fortiter dimicent; Deum timeant, ejus mandata semper custodiant, ecclesiasticas sanctiones, praesertim sacrum Tridentinum concilium, ac pias patrum traditiones integre, et ad unguem servent, ad regulae B. P. Francisci praescriptum vitam instituant. Transgressores autem, ut decet, punire curabitis, ut caeteri timore correpti sibi caveant, et intelligant, quam sit gravissimum peccatum emissi voti transgressio. Qui enim votum infringit, Deum irridet, ut S. Benedictus dicit, et Deo mentitur, cui vovit. Audiant igitur Scripturam Eccle. 5. *dicentem: si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, et stulta promissio. Non ergo quod egressum est de labiis nostris irritum faciamus, ne et ipse Dominus, in cujus manus incidere horrendum est, in novissimo irrideat nos, partemque nostram ponat cum hypocritis.*

Ut ergo ad puriorem professionis observantiam omnes vestro favore excitentur, instanter rogo, et obsecro vos, o animarum pastores, ut totis viribus foveatis, et opitulemini, ac perhumaniter tractetis eos fratres, quos inveneritis zelatores, et observantiores regulae nostrae, sive recollecti, sive reformati nuncupentur. Siquidem illorum pietate, et vestra in eas dilectione fiet, ut regularis disciplina, et vera pax provinciarum conservetur, et augeatur. Nihil igitur molestiae eos inferatis, nec ab aliis, quantum in vobis est, inferri patiamini, ne inde ordinis unio jacturam sustineat. Praefatos itidem patres recollectos, et reformatos rogamus, monemus, obsecramus, et enixe requirimus, imo et per mortem acerbissimam D. N. Jesu Christi obtestamur, ut omnino caveant, ne illorum causa haec minor ecclesia, nempe sacra nostra religio, dividatur, scindatur, aut laceretur, scientes, domos recollectionis pro bono provinciarum, et ordinis unione servanda, revera institutas esse. Reformati.

Vigilate itaque super vos, et super gregem vobis commissum, ne dicatur de vobis, quod de quibusdam dictum est, quod sit egressa iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum; et quod in Osea legitur: speculator Ephraim, et propheta laqueus ruinae factus est super omnes vias ejus; inania in domo Dei ejus etc. Sane quantum, Deo dante, deprehendere quimus, negligentiam praelatorum, et omissionem, sive interruptionem visitationum, atque incuriam, et indulgentiam erratorum, praecipuas existimamus fuisse causas lapsus, et ruinae religiosae observantiae, et excidii nostri seraphici instituti. Quod etiam non parum labefactarunt inutilium ad ordinem susceptio, negligens novitiorum institutio, et juvenum nimia libertas. Ideo volumus, ut non tam facile aditus omnibus pateat, nec suscipiantur indifferenter; melius est enim paucos esse, quam multos non timentes Deum, et populum scandalizantes. Suscipiendi bene probentur, atque examinentur. Suscepti recte instituantur, praesertim in his, quae fidei sunt, quemadmodum regula ipsa docet. Et quoniam saepe contigit, ut doctrinam christianam nesciant, praecipimus praelatis per obedientiam, ne ad professionem ullum admittant, sive clericum, sive laicum, nisi integre eam doctrinam, et regulae nostrae praecepta didicerit, et coram fratribus in communitate recitaverit. Danielis 13. Oseae 9. Causae ruinae religionis. Novitii. Doctrinae christianae, et regulae praecepta.

Sed et illud vos monitos esse cupimus, ut inutiles, et frequentes discursus fratrum, et evagationes prorsus tollantur; siquidem omnis relaxationis, instantisque ruinae, certum indicium est vagus, inutilis, frequensque, nulla necessitate urgente, discursus fratrum, nec parum inde scandali ansam saeculum arripit. Ad saecularium confessiones audiendas viri aetate maturi, scientia praediti, et morum honestate nitentes promoveantur, qui justi judicis, et optimi medici officium obire valeant. Discursus. Confessarii.

Ceterum quia confessorum ignorantia totius fere ruinae christianae religionis causa est, volumus, ut in singulis monasteriis sacrorum canonum, et casuum conscientiae lectio habeatur, ne ipsi confessores pariter cum iis, quorum confessiones audiunt, ab officii hujusmodi ignorantiam, judicium aeternae damnationis incurrant. Quo-

Digitized by Google

niam autem qui indignos, vel minus aptos confessarios exponit, et promovet, vel etiam jam expositos fert, atque tolerat, graviter proculdubio peccat; idcirco illi, qui jam ad audiendas confessiones sunt promoti, examinentur a patribus per ministros, et custodes respective ad id deputandos, et inhabiles a confessionum audiendarum exercitio, sine personarum acceptione, suspendantur, quantumvis pauci relinquendi essent. Sola namque charitas ad id munus nos incitat, atque impellit, et ipsa, si vera sit, potius subditorum nostrorum periculis, quam aliorum occurrendum esse docet.

Praeterea illud, quod praecipuum locum obtinet, adnotatione dignum duximus, nempe studium sanctae devotionis, atque internae, et mentalis pietatis, cujus solius omissio, universae religionis subvertendae, vel sufficientissima causa censenda est. Huic ergo fratres super omnia sese applicent, et dedant, oramus, memores verborum B. P. Francisci in regula dicentis: attendant fratres, quod super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem, orare semper ad Deum puro corde.

Ut sanctae orationi commodius vacent, volumus, et praelatos, et Silentium. *reliquos religiosos superiores monemus, ut silentium observari secundum antiquas constitutiones faciant; innumera enim mala ex opposito oriuntur, utpote stultiloquium, murmurationes, detractiones, et caetera id genus, quibus omnibus silentio occurritur, tamquam praestantissimo remedio; unde merito a veteribus nostris clavis animae silentium appellabatur; quod quidem si a religione tollatur, certe non religio, sed confusio, et domus rixae, atque discordiae apparet. Pacem vero, et tranquillitatem parit silentium, animamque ad di-* Isaiae 32. *vinum cultum facile parat, dicente Domino per Isaiam: erit opus justitiae pax, et cultus justitiae silentium.*

Verum quia nonnumquam silentium interrumpendum est, et charitas ipsa ad loquendum impellit, caveant fratres, ne ex ore ipsorum malus sermo noxius, detractorius, aut minus pudicus procedat. Custodiant igitur vias suas, ut non delinquant in lingua sua. Qui Jacobi. 1. *enim, ait beatus Jacobus, non refraenat linguam suam, ejus vana est religio. Religiosi quidem lingua instrumentum gratiae, et sapientiae esse debet, rationis organum spirituale, specialiter divino cultui* Prov. 10. *dedicatum. Os justi, ait Salomon, vena vitae; os autem stulti con-* Ephes. 4. *fusioni proximum. Audiant ergo Apostolum dicentem: omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

Et quoniam otia dant vitia, et docent malitiam multam, nitantur fratres semper in sanctis exercitiis detineri, nec mentem in diversa vagari sinant. Occupentur praecipue in sanctis lectionibus, et Otium. *omnes, qui idonei fuerint, in studiis litterariis; otium enim sine litteris, ut quidam dixit, mors est, et vivi hominis sepultura. Attendentes quod fratrum minorum studium ad inflamandum affectum, et ad mores vertendum est. Reliqui autem juvenes ad studia litterarum inhabiles, et laici etiam in exercitiis honestis jugiter alligentur; quoniam juvenis in otio est veluti jumentum sine jugo. Laborent igitur fratres fideliter, et devote, ita ut otium malorum omnium*

sentinam studio, et sancto labore evadant; quemadmodum nos Seraphicus Pater per regulam admonet.

Ulterius quia nostra religio ad hoc specialiter a Deo noscitur instituta, ut simus operarii in messe Domini, et ecclesiasticorum coadjutores, idcirco convenit maxime, ut tamquam Dei ministri cooperemur, et adjuvemus eos, quibus animarum cura in ecclesia Dei commissa dignoscitur, et secundum B. P. N. Francisci documentum, omnes presbyteros honoremus, ac veneremur, praelatos praesertim S. E. Romanae, et curatos singularum ecclesiarum, cum quibus fraterna, imo divina pax ut omnino servetur, optamus. Nec ulla unquam occasione, aut ratione, vel funerum, vel sepulturae, aliave causa cum illis rixentur, contendant, seu litigent fratres. Indecorum enim est, pro re qualibet pacem, summum D. N. Jesu Christi haereditarium bonum nobis relictum, perdere, populumque scandalizare. Pax cum ecclesiasticis.

Caeremoniae, et praxes, sive consuetudines antiquae, quae religionem sanctam custodiunt, exornant, et servant, renoventur, et conserventur omnimode; qualia sunt, culpas in communitate recognoscere, et petere veniam ante mensam, comedere super pavimentum, coram senioribus genuflectere; et caetera mortificationis exercitia, quibus spretis, religionis etiam fundamenta ruinam minantur; ait namque Salomon: qui spernit modica, paullatim decidet; parva siquidem apertura, vel fractura magnae navis saepe sit jactura. Ideo ista in religione non sunt parviducenda, quia, ut sancti viri docent, licet eae caeremoniae parvi momenti videantur, totius religionis sunt custodia, et vinae pulcherrimae sepes, ac fortissima maceries. Ubi autem sepes non est, diripietur possessio. Quare mirum non est, si rejectis piis his caeremoniis, statuta quoque, et regula ipsa filiis Belial contemptui quandoque sit habita, et a sancto proposito, et professione deficientes ad saeculum redierunt, et nefanda scelera perpetrarunt. Aliae autem caeremoniae, quae interioris hominis decorem, et morum compositionem praedicant, nullatenus negligantur; qualia sunt habitus vilitas, visus mortificatio, corporis et gestus decentia, et id genus caetera, de quibus scriptum est: amictus corporis, risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de ipso. Illae vero caeremoniae, quae in sacro missae sacrificio, et aliis officiis divinis, et sacramentis administrandis institutae sunt, in primis ab omnibus tam sacerdotibus, quam ministris observentur. Quare rogamus vos, dilectissimi, tenere patrum traditiones, et pias consuetudines, ne unquam omittatis. Venerandi autem patres guardiani omnia necessaria subditis praestent tam in victu, quam in vestitu, et aliis, quibus egent. Infirmis, senioribus, ac debilioribus medicamenta et alia necessaria itidem provideant, et ut juxta regulae sanctae praeceptum illis inserviatur, curent, ne cogantur fratres contra conscientiam cum populi scandalo sibi ejusmodi providere. Nam, teste experientia, haec est una, et non levis ruinae religionis causa, quod subditis non raro a superioribus necessaria denegantur; unde ipsi proprietatis vitium committunt. Caeremoniae. Eccl. 19. Eccl. ibid. Guardiani.

Denique frequentatio monasteriorum monialium tollatur, suspecta mulierum familiaritas vitetur, equitandi abusus eradicetur, et pecu-

Digitized by Google

niarum contrectatio detestabilis a vobis, o Pastores, puniatur. Nec sit apud vos personarum acceptio, sed studiosos et probos honorate, et exaltate, improbos autem in virga disciplinae continete; quoniam Prov. 29. *uti, Salomon ait, virga, atque correctio tribuit sapientiam; puer autem, qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam. Disciplina enim religionis est magistra, et ubi disciplinae rigor, ibi religionis vigor; ubi autem deest correptio, ibi abundat peccati corruptio, in cujus typum dicitur in Exodo: projecit Moyses virgam, et versa est in colubrum. Oramus ergo vos, quibus gregem suum pascendum Christus commisit; oramus, inquam, et obtestamur per amaram passionem D. N. Jesu Christi, et per aspersionem sanguinis ejus, ne unquam excidat ex animis vestris, hoc esse pretium illud magnum, quo gregem hunc suum emit piissimus D. N. Jesus Christus, nobisque unice curandum tradidit. Quamobrem quos ille tanti fecit, ut pro his acerbissimos cruciatus perpessus fuerit, pretiosissimumque sanguinem effuderit, in eorum vos salute tuenda, conservanda, et recuperanda, ne segnes, atque remissi videri velitis. Memineritis per Deum immortalem, unicuique pastorum de unoquoque sibi subdito dictum* Regum 3. 20. *esse: custodi istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius; sanguinem enim impii de manu speculatoris requisiturum se Dominus denuntiat, si per eum steterit, quominus avertatur a via sua impia.*

Attendite igitur vobis, o Pastores, et gregi vestro, causasque ruinae, et relaxationis, quas supra tetigimus, praescindite, ad caetera, quae de vestra prudentia confisi omittimus, diligenter curate, tamquam Dei ministri. Et ne quis vestrum, ut aliquando accidit, arbitretur, hanc epistolam propter caeremoniam, vel formam, ut ajunt, ad vos missam esse; praecipimus vobis per s. obedientiam, et sub poenis arbitrio nostro infligendis, ut integre, efficaciterque ea, quae continent, observare faciatis; certiores que vos reddimus, quod in vestrae provinciae visitatione, quam personaliter exsequi decrevimus, illi graviter punientur, qui in observantia praedictorum transgressores, aut negligentes reperientur. Confidimus autem meliora de vobis, patres et fratres dilectissimi, tametsi qui nos urit animarum zelus ita loqui cogat, et poenam transgressoribus infligere compellat. Nec in epistola ista, quam in communitate monasteriorum vestrae provinciae legi mandamus, longiores videbimur, si quantum saluti subditorum teneamur, prudenter pensetur. Rogate Dominum, ut in omnibus, quae ad salutem gregis attinent, nos dirigat, foveat, atque confirmet. Valete.

Datum Romae in sacro conventu b. Mariae de Aracoeli die XXVII. *Novembris anno* MDLXXIX.

L. ✠ S. Fr. Franciscus Gonzaga qui supra manu propria.

XXIII. Non dubito, quin optimos sensus in omnium animis hae litterae produxerint, nodosque dilectionis, et charitatis inter fratres arctius solidaverint. Verum, ut sunt omnes res humanae, non levem hoc ipso anno controversiam excitatam invenio in provincia Cataloniae, occasione custodiae recollectorum Nominis Jesu, quae die XVI. Februarii in comitiis provincialibus ad S. Mariae de Jesu extra Barcinonem, prae-

sidente commissarii munere Joanne Zamora ministro provinciae Aragoniae, primum custodem accepit Michaelem Tavernier, eoque officium recusante, Angelum del Paz Perpinianensem. Comitia dissoluta non sunt, antequam ipsum inter, et novum ministrum Cataloniae Michaelem Masnovell, caeterosque patres recollectos, et observantes pacta quaedam, et conditiones sancirentur sub nomine concordiae inter provinciam et custodiam, prout sequitur.

XXIV. 1. « In primis supposita per R. P. ministrum generalem nova custodiae erectione, decretum fuit a R. PP. commissario, provinciali, et diffinitoribus R. P. custodem recollectorum deinceps in omnibus congregationibus habere locum inter secundum, et tertium diffinitorem, et dederunt recollectioni conventum S. Mariae de Jesu Ilerdae. *Monumentum provinc. Cataloniae.*

» 2. Item declaratum fuit, facultatem concessam ipsi custodiae habendi studia, non intelligi de studiis artium, et theologiae, nisi de consilio R. P. provincialis.

» 3. Item receptio novitiorum fiat sicut in provincia consuetum fuit. Quapropter R. P. provincialis facultatem concedat, ut in aliquibus coenobiis dictae recollectionis novitii recipiantur.

» 4. Item custos non promoveat aliquem ad ordines, nisi de licentia provincialis ministri, qui conferet cum conventu de fratre, qui est ordinandus.

» 5. Item custos non efficiat aliquem confessorem saecularium, nec recipiat aliquem fratrem alterius provinciae, et retineat eum, vel incorporet in sua custodia absque consensu provincialis ministri; et extra capitulum, et congregationem provincialem non recipiat aliquem hujus provinciae absque praedicto consensu.

» 6. Item custos non possit expropriare suos conventus, nisi in capitulo custodiali, in quo provincialis minister praesideat.

» 7. Item quod mantella recollectorum excedant genua semipalmo.

» 8. Item custos, et vocales custodiae efficiant nunc ordinationes, et statuta, et consummato hoc capitulo provinciali, non adjiciant illis, nisi approbata per diffinitores. Et provincia non conficiat statuta contraria recollectioni.

» 9. Item custos possit ire ad capitulum generale, quando in capitulo suo custodiali, ubi custos est eligendus, vel in proximiori provinciali capitulo, major pars vocalium recollectionis duxerit esse eundum.

» 10. Item quod in capitulis provincialibus custos cum diffinitore, vel diffinitoribus recollectis praesentet provinciali et diffinitoribus fratres idoneos ad officium guardianatus, ex quibus tantum fiant guardiani locorum dictae custodiae.

» 11. Item quando aliquis guardianus custodiae depositus fuerit, custos cum majori parte conventus eligat in guardianum duos, vel tres pro eodem conventu, et illos praesentet provinciali, et diffinitoribus, ut ex illis eligant, quem maluerint.

Supradictis limitationibus, et declarationibus in hac concordia contentis, R. PP. commissarius, provincialis, et diffinitores, praelati, et vocales congregati in hoc capitulo provinciali, recipiunt in hac pro-

Digitized by Google

vincia praedictam custodiam, et volunt, ut sui alumni gaudeant privilegiis et concessionibus tam a sede apostolica, quam a generali ministro concessis, prout in hac concordia expressum est, ita ut, servatis praedictis, caetera omnia in dictis patentibus, et instrumento apostolico, in sua vi, et robore permaneant.

Ann. min. ad an. 1576. num. 76.

In majus robur praedictorum, minister provincialis nunc electus, et de caetero eligendi, statim post electionem teneantur in manu praesidentis capituli jurare, ipsos manutenere custodiam praefatam in suo modo vivendi, et in gratiis et privilegiis sibi concessis juxta hanc concordiam. Similiter custos, qui modo est, et successores ejus jurabunt, servare hanc concordiam; et deinceps in qualibet difficultate insurgente inter provincialem et custodem, non agetur nisi de perjurio commisso a contradicente huic concordiae. Et de illo judicabunt duo patres electi a diffinitoribus, qui erant, quando alter illorum perjurium perpetravit, et judicio istorum sic electorum stent ambo.

Tandem concordatur inter dictos patres, quod tam de praedictis patentibus, quam de litteris apostolicis, efficiantur duae copiae authenticae, altera quarum dabitur ministro provinciali, et altera custodi, et originalia dictorum tradantur R. capitulo sedis Barcinonensis, ut collocet ea in suo archivo, ut ibi custodiantur, ita ut uni parti sine praesentia alterius non communicentur.

In quorum omnium, et singulorum fidem praesens instrumentum sigillo hujus provinciae Cataloniae munitum, et manu praedictorum R. PP. commissarii, provincialis, diffinitorum, custodis, et reliquorum vocalium in hoc capitulo provinciali congregatorum subscriptum damus. Die XVI. Februarii anni MDLXXIX.

Fr. Michael Masnovell min. prov., et servus.

Fr. Augustinus Vinyes primus diffinitor. Fr. Narcisus Ferrer secundus diffinitor. Fr. Michael Taverner tertius diffinitor. Fr. Michael Scardò quartus diffinitor.

XXV. His quiete et laudabiliter peractis, obsignataque concordia, paucis post mensibus Summus Pontifex, flagitantibus quibusdam custodibus Italiae, ac praecipue Seraphino Tornielli, qui praeerat reformatis Mediolanensibus, edidit constitutionem: *Quum illius vicem* die III. Junii, qua non solum Clementinam saepius memoratam confirmavit, verum etiam recollectos a cura, et regimine minorum de Observantia, salva auctoritate ministri generalis in his, quae suis privilegiis, et concessionibus, et vivendi instituto non contradicerent, omnino exemit. Novum itaque indultum avide arripientes recollecti Cataloniae, vel libertatis cupiditate, vel ob nimium ardens rerum suarum studium, constitutionem obtulerunt ministro provinciae exsequutioni demandandam; quod pacta conventa paullo ante inita, et jurata prorsus rescindebat. Aegre id tulere observantes. Instabat Angelus del Paz; minister repugnabat. Convenerunt tamen inter se ad sanctam sedem consultationis gratia confugere. Quid primus scripserit, et an unquam scripserit, ignoramus. Alterius supplex libellus his verbis continetur.

BEATISSIME PATER

De mense Octobris proxime defluxi, fuerunt praesentatae fratri Michaeli Masnovell ministro provinciali Cataloniae fratrum minorum quaedam litterae in forma sententiae pro parte fratris Angeli del Paz custodis ejusdem provinciae, extrajudicialiter, in quibus inter caetera continebatur v. s. placere, ut deinceps custos ejusdem custodiae esset exemptus ab obedientia dicti ministri provincialis. Alia quoque in eisdem litteris continebantur, quae videntur ordinem, et constitutiones hujus provinciae Cataloniae, et concordias custodis, et ministri provincialis in capitulo provinciali, et generali confirmatas omnino cassare, et annullare; et quae, si in hac provincia observentur, non possunt non perturbare statum religiosorum hujus ordinis. Quum autem de voluntate v. s. dubitaretur, et multae dubitationis causae occurrissent, fuit per aliquot fratres hujus provinciae, quibus gubernatio committi solet, cum aliquibus doctoribus civitatis Barcinonensis habitus tractatus, de quorum voto, et consilio in exsequutione dictarum litterarum supersedendum fuit, ne rem novam in hac provincia experiremur, quae posset magnas discordias, et contentiones suscitare, animos et conscientias timoratas inquietare, donec plenius de voluntate v. s. fuissemus certificati. Res igitur tractata fuit communi custodis et provincialis consensu, et ad omnem dubitationem tollendam, et plenius consulendum conscientiis nostris, interposita consultatio ad v. s., in qua de causis, et rationibus, quae dictum ministrum provincialem, et alios fratres ejusdem religionis moverunt, v. s. certiorem facimus, sperantes ac confidentes, quod per v. s. obediat..... Quum igitur post dictae consultationis interpositionem novae quotidie contentiones inter custodem, et ministrum provincialem excitarentur, et nunc suscitentur super obedientia religiosorum custodiae, et provinciae, multis fratribus ex custodia in provinciam, et ex provincia in custodiam pro suo arbitrio transeuntibus, quae res magnam praestat materiam, et occasionem apostatandi, et novum posset, et inauditum parere scandalum in contemptum, et vilipendium ordinis, et religionis, visum fuit v. s. de omnibus certiorem reddere, eamque obnixe in Domino orare, et obsecrare, ut omnibus, quae in hac provincia occasione dictarum litterarum noviter contigerunt, et de cetero contingere possunt, plenius discussis, et examinatis, opportunum per v. s. mittatur remedium, et tale, ut omnes hujus provinciae religiosi una lege vivant, et unam regulam servent, vel eam, quae nunc in custodia servatur, vel eam, quae in provincia, praesertim quum in hac provincia vivatur secundum declarationes Nicolai III. et Clementis VII. Rom. Pontif., a quibus ne latum quidem unguem disceditur, sicut v. s. magis placuerit, et videbitur; modo sit omnibus religiosis hujus ordinis, et custodi, et ministro provinciali communis, et ne in provincia, et regno tam exiguo, et in numero religiosorum non magno, discordia, et schismata suscitentur, et varii vivendi mores inducantur; unde non solum religioni nostrae damnum, sed etiam toti populo christiano hujus provinciae, qui in fau-

Monumentum provinciae.

cibus Lutheranorum, et Turcarum adjacet, generari posset. Haec v. s. proponimus, et ut tantis incommodis occurratur eamdem rogamus. Acta in conventu S. Mariae de Jesu Barcinonis die xxvi. Decembris anno MDLXXIX.

XXVI. Quae consequuta sunt deinceps dicemus. In Tuscia hoc anno, vel antecedenti, electio custodis, et superiorum localium reformatorum, quae ab anno MDXLIII., quo primum reformatio incoepit sub Francisco de Aretio, spectabat ad capitulum provinciale, translata est ad reformatos, concessa eis a Summo Pontifice facultatem celebrandi comitia, ea tamen lege, ut subjicerentur ministro provinciali observantium, ad cujus ministri electionem, et ipsi interveniebant, vocemque habebant activam, et passivam; unde modo guardiani, modo diffinitores, modo custodes, et ministri etiam renuntiabantur. Quapropter in primis comitiis habitis in conventu Sergiani extra Aretium, custodem sibi praefecerunt Joannem Baptistam Rossellium de Aretio virum pium, doctum, ferventissimum concionatorem, vitae austerae, et monasticae disciplinae tenacissimum, qui semel, atque iterum deinde eamdem praefecturam gessit. Ejus decessores fuerunt anno MDXLIII. praedictus Franciscus de Aretio, qui bis provinciam observantium administraverat anno MDXXIX., et MDXLVII., jam vicarius, et commissarius generalis, sancteque decessit anno MDLXXII. in patrio conventu S. Joannis extra Aretium; an. MDXLV. Joannes a Camajore Lucensis, minister observantium an. MDL., defunctus in conventu S. Francisci Lucae anno MDLXXII.; anno MDXLVIII. Andreas del Nente Florentinus; anno MDLI. Franciscus de Aretio secundo.; anno MDLIV. Andreas del Nente praedictus, viam universae carnis ingressus anno MDLXI. in conventu S. Francisci Jacherini, seu Cechrini secundo lapide a civitate Pistorii.; anno MDLXIX. Franciscus de Aretio tertio. Nomina caeterorum desunt usque ad hunc annum.

Terrinca in theat. etrusco min. part. 1. tit. 3. serie 5. pag. 53.

Idem. tit. 3. serie 4. ad an. 2547.

XXVII. Sub hoc tempus habitarunt reformati provinciae Romanae coenobium in Urbe S. Francisci Transtyberim, quod ab observantibus acceperunt, ut sua negotia facilius, et efficacius promoverent, licet repugnante Stephano de Molina, gravinsque in contrarium proclamante, ut narrat Dominicus de Gubernatis ex Baretii chronica; quum enim vir Dei metueret, ne urbis strepitus, et commoditas consuetudinem habendi cum aulicis, et optimatibus, sanctae reformationis alumnis obesset, eorumque fervorem remitteret, saepe illos monuerat, ne Romae esse vellent, ubi ambitionis semina facile pullulant, et in propagines erumpunt, hortatus, ut Sanctum Franciscum imitarentur, qui, quamdiu vixit, illic domicilium habere recusavit, quod fratres ejus non acquisiverunt in loco de *mica aurea* Monachorum SS. Cosmae et Damiani, moenibusque Xenodochii, et ecclesiae S. Blasii, ubi nunc exstat praefatum S. Francisci coenobium, nisi anno IV. post illius obitum. Scribit idem Baretius, hoc anno mense Majo Summi Pontificis, et cardinalium opera, reformatos in locum immissos. At ex vetusto codice satis liquet, anno sequenti Joannem de Spoleto, qui coenobio praeerat guardianus, electus hoc anno die VI. Januarii in congregatione provinciali habita in conventu Aracoeli, diffinitoris munus obeundum suscepisse in provinciali comitio ibidem celebrato die XIV. Aprilis, praeside Francisco Gonzaga ministro generali. Probabile arbitror, reformatos non

Conventus s. Francisci Transtyberim reformatur.

Orb. Seraph. tom. 2. lib. 7. cap. 3. pag. 350.
Baretius part. 4. tom. 2. lib. 8. cap. 58. pag. 707.

Ex archivo sancti Francisci Transtyberim.

Digitized by Google

facile sustinuisse, ut forent sub guardiano de observantia, si mense Majo coenobium recepissent. Aliunde vero neque hoc, neque posteris duobus annis signatur in tabulis guardianus reformatus S. Francisci Transtyberim, sed solum anno MDLXXXII. fr. Bartholomaeus Bergomensis primus occurrit. Ajunt, observantes ibidem rerum omnium penuria laborasse; reformatis autem necessaria omnia large obvenisse; nec mirum est, quod disciplina regularis conciliet benefactores, quorum liberalitate pauci fratres, uti fuerunt reformati sub initium, commode aluntur.

XXVIII. In provincia S. Francisci hoc anno minores observantes tradiderunt reformatis coenobium S. Jacobi Apostoli prope civitatem Tuderti, in jugulo montis imminentis fluvio Tyberis, anno MCMV. constructum a Nicolao de Uffreduciis cive Tudertino; coenobium S. Mariae de Auro bis mille P. a civitate Interamnae anno MCDXXXVIII., non vero an. MCDLVIII. a S. Bernardino Senensi acquisitum; et coenobium S. Joannis Baptistae prope civitatem Ameriae anno MCDLXIX. inchoatum. *Ex archivo s. Mariae Angelorum.*

XXIX. Hospitium fratrum poenitentiariorum ad S. Joannis in Laterano evasit in conventum formalem provinciae Romanae insertum, sub immediata ministri generalis cura, sic ut sex sacerdotes cum duobus laicis loco inservientibus in officio quidem poenitentiarii subessent cardinali majori poenitentiario, in caeteris vero generali ministro parere tenerentur; quod in subsequentibus capitulis clarius expressum legimus. Conventum S. Mariae de Quiete, seu *del Riposo* civitatis Tuscaniae, sive Tuscanellae in provincia Romana, anno MDXV. a Leone X. *Nuper communitas* die XXXI. Januarii observantibus concessum, ob aerem insalubrem, et parietum ruinam ipsi dimiserunt hoc anno, consensu Francisci cardinalis Alciati Ordinis protectoris. Hunc statim occuparunt fratres Augustiniani congregationis S. Mariae de Consolatione. Loci hujus non meminit Gonzaga, nec ut patet, meminisse poterat, quod Waddingo mirum videtur; nam dum suum opus conscriberet, ab eo fratres jam abierant.

Con. Lateranensis. *Ann. min. ad an. 1571. num. 62.* Conventus Tuscaniae. *Casimirus de Roma de conv. prov. rom. cap. 23. p. 394.* *Ann. min. ad an. 1515. num. 30.*

XXX. Petentibus civibus oppidi Serviliani dioecesis Firmanae, hoc anno, non antecedente, ut scribit Gonzaga, minores observantes provinciae Marchiae obtinuerunt conventum S. Mariae de Planitie ad ripam fluvii Tigniae, derelictum a fratribus tertii ordinis S. Francisci, qui ibidem manserant, duobus circiter ab oppido milliaribus. Gonzaga autumat, domum construi coeptam aliquot ante annos, et praeterito anno ex publicis, privatisque fidelium facultatibus absolutam. Primum non cohaeret cum iis, quae subdit, nempe Callixtum III., qui Pontifex creatus est anno MCDLV., eidem Ecclesiae indulgentiam tribuisse, nisi fortasse ecclesia sine coenobio illic extaret. Alterum minus verum esse declarant Gregorii XIII. litterae: *Piis fidelium* die X. Februarii, quibus apothecae pro nundinis, pratum, sylva, et terrenum contiguum domusque usui XII. fratrum aptanda, et construenda conceditur. Serviliani moenibus tellure submota dehiscentibus, novum oppidum juxta conventum posuit civibus Clementis XIV. liberalitas sub nomine Castri Clementini.

Conventus Serviliani. *Gonzaga in prov. Marchiae conv. 20.*

XXXI. Extra oppidum de Laurino dioecesis Caputaquensis, in domo hospitali S. Antonii, translatis ejus redditibus ad alteram hospitalem domum SS. Annuntiationis, pia communitas, erogatis mille scutatis in

Conventus Laurini.

Idem in provinc. Principatus conv. 19.

fabricam impendendis, fundavit coenobium S. Antonii de Padua supra collem loco amoeno, et gratissimo, favente Joanne Antonio Carafa loci domino, et fundationem approbantibus di XVI. Maii Laurentio Bello episcopo, die III. Julii pro-rege Neapolis, subscripto in litteris *exequatur* Joanne Dominico de Ligorio, et die non III. Februarii, ut ait Gonzaga, verum VII. ejusdem mensis, Summo Pontifice: *Piis christifidelium* die VII. Februarii. Possessionem coenobii accepit Petrus de Cilento minister provinciae Principatus. In ejus ecclesia honesto mausoleo ossa asservantur D. Hieronymi Carafa de Aragona ducis Laurini tertiarii.

Conv. Vici-Equensis. Ann. min. ad an. 1574. num. 48. Gonzaga in prov. Principatus con 4.

XXXII. In eadem provincia coenobium S. Mariae a Chieja in Vico Equensi incoeptum, hoc tempore absolvi adhuc non poterat, Paulo Regio episcopo ejusdem civitatis contradicente. Ad ipsum itaque Pontifex litteras dedit hoc anno: *Piis christifidelium* die X. Februarii, ut consentiret, quod tamen obtentum non est, nisi quinque alios post annos. Exsurgit in sacello S. Mariae a Chieja, quod jurepatronatus spectabat ad confraternitatem de *Eustarita* in medio celsissimi montis, uno a civitate milliari, inter Stabias, et Surrentum, in prospectu orae maritimae Turris de Annuntiata, Turris Octavae, seu Graeci, Neapolis, Pansilipi, et Insulae Procythae.

Conventus Castrinovi.

Monumenta prov. S. Angeli.

XXXIII. Hieronymus de Matricio pater provinciae S. Angeli, doctus et pius extruendum curavit coenobium S. Mariae Magdalenae Castrinovi in colle, qui montana, et Apuliam dividit, et sacellum ejusdem invocationis, sumptibus civium, et Francisci de Sangro marchionis oppidi, et ducis Turris Majoris, ut infirmariae usui deserviret, quod tamen annonae penuria, et temporum calamitates impedivere. Habitant VIII. fratres. In eadem provincia circa haec tempora cives Luceriae in Apulia Daunia ad fluvium Cerablum inter Beneventum, et Sipontum, concesserunt fratribus sacellum b. Mariae Virginis de Pietate erectum in via publica, c. p. a civitate, qua itur in oppida Riccari, Vulturini, et Celentiae, ubi fratres conventus S. Salvatoris ligna petere solebant a transeuntibus. Locum sibi dari postularunt fratres ordinis Carmelitarum, qui litem etiam instituerunt in franciscanos, nullo tamen exitu, quum his postremis Petrus de Petris de Monte S. Savini Aretinus, episcopus Luceriae possessionem confirmaverit, et praeterea indulserit, ut ecclesiam aedificarent, dormitorium, et officinas. Novo operi causam praebuere Dei genitricis miracula; quum enim civia quidam Riccarensis ambobus oculis orbatus in sacello oraret, continuo visum recuperavit, de quo Lucerini fidem authenticam fieri postularunt a praeside oppidi Riccari. Recusantem vulnus insanabile mirabiliter corripuit in tibia, a quo, ut errorem suum fassus in eodem sacello preces fudit, extemplo convaluit. Mulier etiam Deiparae tutela illic oculum recepit, quem amiserat.

Conventus Luceriae.

Ex eisdem monumentis.

Conventus Tolsi.

XXXIV. Duas alias domus eidem provinciae additas invenio circa haec tempora, alteram in loco Tolsi ad D. P. ab oppido, ubi erat aedicula B. Mariae Virgini sacra, sub titulo S. Mariae in Piano, quam cives Petro a S. Martino ministro provinciali tradiderunt, ut inibi coenobium construeretur XII. fratribus aptum. Alteram ad CC. P. ab oppido Toci in aedicula B. Mariae Virginis de Laureto, concessam fratribus a

Conventus Toci.

civibus, qui Salvatorem de Ludovico sindicum apostolicum ad coenobium S. Mariae Magdalenae Castri Sangri, in quo comitium provinciale habebatur, data opera miserunt anno MDLXXII. fratribus renuntiaturum, ut aediculae possessionem inirent, in coenobii formam erigendam, quod subsequentibus annis peractum est, ex piorum eleemosynis. Celebrabatur solemne festum quotannis feria secunda Pentecostes, maxima cum civium et finitimorum frequentia. Habitant x. fratres. *Ex eisdem monumentis.*

XXXV. Ex decreto regii consilii Novae Gallaeciae, seu de Guadalajara in America septentrionali, curante Martino Enriqnez pro-rege, Andreas de Ayala insignis theologus, alumnus provinciae SS. Petri et Pauli fundavit coenobium S. Francisci in regione Guainamotae, seu de Guayamota, popularium sumptibus, eo fine, ut adductis jam fratrum opera ad humanitatem, et mores barbaris quibusdam Chichimecis, sacramenta ministrarentur, atque in interiora regionis pateret aditus regiis militibus, novisque missionibus. Sexennio post obierunt martyres in hac domo Andreas de Ayala ejus fundator, et guardianus, ac Franciscus Gil, quem Gonzaga vocat Aegidium, Andreae socius, natus inter Chichimecas non minus pietate praestans, quam pharetra, et jaculis tractandis maxime idoneus. Franciscus Tenorius, qui cum illis erat, irruentibus barbaris in coenobium, fuga mortem evasit. *Conventus Guainamotae.* *Gonzaga in prov. ss. Petri et Pauli conv. 46.*

XXXVI. In civitate Spiritus Sancti tribus leucis austrum versus ab ora maritima oceani atlantici in regione de la Grita Americae meridionalis, hoc anno fundatum est coenobium S. Francisci, quod VI. fratres incolunt curam habentes duarum domorum doctrinalium apud Indos longius a civitate erectarum. Aedem posuerunt fratres aliquot Hispani, quos Franciscus Gusmanus commissarius generalis jam eo miserat ad dividendam provinciam S. Fidei nimis late patentem in duas, quarum altera vocaretur Spiritus Sancti, altera Venetiolae; quod licet diversis temporibus sit peractum, diuturnum tamen non fuit. In oppido de Talayante, seu de Monte prope civitatem S. Jacobi, quae provinciae dat nomen in regno Chilensi ad australem ripam fluvii Mapocho, pii Indi, ne sacerdotibus carerent, a quibus in fide catholica felicius instruerentur, collatis eleemosynis, construendum curarunt coenobium sub invocatione S. Francisci, quod statim tres Franciscani incoluerunt sub cura guardiani B. Mariae de Succursu civitatis S. Jacobi. Annis post quinque proprium guardianum acceperunt. Ab aedicula S. Georgii, seu Verae Crucis, quam observantes provinciae Granatensis, ut alias diximus incoluerunt, deducti sunt in coenobium S. Francisci in suburbio Cazorlae constructum expensis publicis. *Conventus Spiritus Sancti.* *Idem in prov. S. Fidei conv. 10.* *Conv. de Monte. Idem in prov. ss. Trinitatis de Chile conv. 10.* *Conventus Cazorlae. Idem in prov. Granatensi conv. 23.*

XXXVII. Hoc anno Stephanus rex Poloniae nonnullas dedit litteras in favorem fratrum minorum conventuum Vilnensis, et Caunensis, quas hic subjicimus.

Stephanus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, et princeps Transylvaniae.

Significamus praesentibus nostris litteris, quibus interest, universis, et singulis praesentibus, et futuris harum notitiam habituris, quod quum Deus, et Dominus noster Jesus Christus, a quo omnis potestas, nos ad regium in Polonia, et magni ducis in Lithuania fasti- *Ex monum. provinciae Poloniae.*

gium vocaverit, ea nobis prima cura, et hoc studium indesinens semper fuit, ut cultum ipsius apud eosdem nobis subjectos populos augeamus, et promoveamus. Fecerunt hoc idem majores nostri magni hujus ducatus principes, qui ut pietatem sanctam in populo isto, recens tunc christianae religioni adjuncto, magis magisque inflammarent, cultum Dei in hisce provinciis amplificaverunt, et ejusdem, divina gratia adjuvante, societates nonnullas virorum religiosorum, ac inter caeteras quae de observantia vocantur minorum divi Francisci regulam profitentium ad civitatem Vilnensem introduxerunt; cujus quidem societatis domus atque templa, quae non ad vulgarem amplitudinem, singulari dominorum pietate, pervenerant, quum deinde per ignis incendium ad eam redactam fuissent calamitatem, ut extremam desolationem subiisse viderentur, nunc tandem, divina suffragante clementia, patribus ejusdem ordinis adnitentibus, et adjuvantibus eorum conatus nonnullis hominibus reaedificari coepta, omnino ad pristinum statum redditum speramus. Ceterum, quoniam illa eadem calamitas, et incendii vis non aedificia solum, sed etiam privilegia monasterii afflixit, nostri esse muneris proprii existimamus, non deesse hac in parte rationibus hujus monasterii, ac divini cultus propagationi. Itaque interpellati ea de re a religioso Nicolao Buskensi ordinis ejusdem provinciali per Poloniam, et Lithuaniam ministro, ac caeteris praedicti conventus Vilnensis fratribus, hoc novum praesens privilegium, aequitatem ipsam sequuti, concedendum esse duximus. Omnia itaque, quae ad dictum monasterium Vilnense, et jurisdictionem ejus pertinebant, tam domos, quam hortos, prata, et areas, et quosvis fundos tam in civitate, quam extra, ad jurisdictionem monasterii ex antiquo pertinentes, quarum in usu hactenus fuerunt, ac vel census, vel pensiones, vel onera, vel servitia aliqua ab eis praedicto monasterio praestata, ea omnia jurisdictioni, et proprietati ejusdem monasterii deinceps etiam subjici volumus, ad perferendaque debita, et ante haec praestari solita onera, obligari declaramus. Et si qui sunt in hac parte introducti abusus, eos restringimus, et tollimus, utque fratres praenominati monasterii quietius, ac sine ulla perturbatione, divinis incumbant officiis, ac pro salute et incolumitate nostra, ac successorum nostrorum Deum omnipotentem assidue exorent, monasterium et templum eorum, ac omnia aedificia, quae in fundo ejus monasterii continentur, ab omnibus prophanis usibus eximimus, interdicimusque omnibus cujuscumque conditionis hominibus, ne in eodem coenobio, seu monasterio, aliquas congregationes, seu conventicula, sive hoc inimiciarum inter se componendarum nomine, sive aliorum quarumvis rerum gratia veniant facere audeant, alioquin, si quispiam conatus fuerit, a magistratibus nostris coerceri, et cohiberi debebit. In cujus rei fidem etc.

Privilegia conventus Vilnensis confirmantur.

Datum Vilnae die prima Maii anno Domini MDLXXIX. regni vero nostri anno IV.

XXXVIII. Aliis litteris sub die III. Junii ratam habuit fundationem ejusdem conventus, et privilegia ei concessa a rege Casimiro circa medium saeculi XV. Illarum tenor idem est, ac relati superius diplomatis pro conventu Posnaniensi, insertis regis Casimiri litteris. Aliis sub die XV. Maii

approbavit fundationem conventus Caunensis, et dispositionem Stanislai Sandziewoiewicz regii capitanei Grodnensis, qui illum posuit in curia sua ad fluvium Niemen sub invocatione S. Georgii martyris, ut jam diximus. Litterarum exemplar habes, lector, in diplomate memorato. *Privilegia conventus Caunensis confirmatur.*

Ejusdem

Stephanus Dei gratia rex Poloniae etc.

Generoso Simoni Witunski vice-capitaneo Caunensi, aut cuicumque pro tempore existenti loci illius capitaneo, aut vice-capitaneo, fideli, nobis dilecto gratiam nostram regiam.

Generose nobis fidelis dilecte. Mandamus fidelitati tuae, ut hujus decreti commissarium nostrorum, quod ratione fundorum, et arearum monasterii Caunensis Bernardinorum occupatarum, et post debitum juris processum eidem monasterio adjudicatarum, ab eisdem commissariis nostris latum est, exequutionem primo quoque tempore faciat, curetque, ut fundi, et areae in actu commissoriali expressae, quae ab illegitimis possessoribus tenentur, ac occupantur, monasterio illi cedantur, ac per fidelitatem tuam in possessionem tradantur. Pro gratia nostra, et officio suo fidelitas tua factura, non obstantibus ullis diffugiis contrarie partis. *Restitutio fundorum et arearum.*

Datum Vilnae die VIII. Octobris anno Domini MDLXXIX. regni nostri IV.

STEPHANUS REX.

Nicolaus Jasienski S. R. M. in MDL. Notarius.

Ejusdem

Stephanus Dei gratia rex Poloniae etc.

Famatis advocato, pro-consuli, consulibus, et toti communitati civitatis nostrae Caunensis fidelibus nostris dilectis, gratiam nostram regiam. Famati nobis dilecti.

Tulerunt non ita pridem commissarii nostri decretum inter monasterium Caunense Bernardinorum, et occupatores fundorum et arearum quarundam, decernentes restitutionem earum illi eidem monasterio. Quod decretum eorum nos approbantes, mandamus fidelitatibus vestris, ut omnem operam, et diligentiam adhibeant, quo praedicti fundi in actu commissariorum juridice demonstrati, et expressi ab injustis occupatoribus praedicto monasterio restituantur, sine omnibus ulterioribus diffugiis juri, et justitiae contrariis. Nos enim pati non possumus, ut quae semel Deo, ejusque ecclesiis, quae etiam numquam praescribunt, dicata sunt, a quoquam occupentur. Pro gratia nostra etc. *Eadem restitutio.*

Datum Vilnae die VIII. Octobris anno Domini MDLXXIX. regni nostri anno IV.

STEPHANUS REX.

Nicolaus Jasienski S. R. M. in MDL. Notarius.

XXXIX. Aedicula S. Michaelis Archangeli in collis clivo, non longe a civitate Burgensi ad fluvium Arlanzon in Castella Veteri, quam incoluit S. Franciscus Brigantinum pergens ad S. Jacobum Compostel- *Conv. Burgensis.*

lanum, et uni, vel alteri ex sociis suis tenendam reliquit, ut ibidem venientes ad ordinem habitu religionis donaret, ante hoc tempus restaurari coepta, hoc tandem anno ad culmen adducta est eleganti opere. Jacent illic corpora bb. Lupi, Antonii, et Juliani, nisi fortasse b. Lupus quiescat in ecclesia S. Francisci, ut aperte scribit Haroldus, licet perspicuum non sit, quonam in loco decesserit, scilicet ad S. Michaelis, vel ad S. Francisci. At dubitari nequit, quin tres franciscani his temporibus inventi fuerint sepulti in aedicula S. Michaelis, quorum unum Prietus in historiis suis appellat fratrem Lupum socium S. Francisci.

Ann. min. ad an. 1569. num. 17.

Haroldus ad an. 1291. p. 525. n. 7.

Prieto cap. 4. §. 3. pag. 181.

XL. Fratres coenobii S. Mariae, vel S. Petri Salinarum Inferiorum in parte orientali regni Bosnae inter Zwornikium, et Suttiscan, coacti locum deserere Turcarum insolentia, qui insequenti demum anno flammas in ipsum immiserunt, ejecto unico fratre, qui ibidem remanserat, ut christifidelibus sacramenta ministraret, hoc anno coenobium S. Eliae non in Sclavonia, prout exprimitur in quibusdam chartis Sclavoniae, et Hungariae, verum in Bosna prope Modrizam, seu Modriscam, excitare coeperunt; vel potius vetus coenobium ejusdem nominis positum anno MCD., et a Turcis incendio sublatum, restaurare sunt aggressi, cum ecclesia longius remota. Superfuit annexum custodiae Ussorensi, quae excurrit per partem Sclavoniae, Bosnae borealis, et occidentalis, usque ad annum MDCLXXXV., quo fratres pulsi, Diackovarinum cum supellectile se receperunt. Scribit Gonzaga, ex Turcarum imperatoris voluntate novam domum erectam, absolutamque quadriennio post, consentiente Summo Pontifice. Vetuerunt tamen Turcae, ne ecclesia juxta ipsam conderetur.

Conventus Modrizae.

Gonzaga in prov. Bosnae Argentinae conv. 9. Greiderer tom. 1. lib. 2. cap. 4. n. 209. et 227.

XLI. Petrus de Alfaro, Augustinus de Tordesillas, Sebastianus de Baetia, et Joannes Baptista Pisaurensis, novae messis evangelicae cupidi, postquam a Sinensi idolorum sacerdote Simone Rodriquez, qui in coenobio Dominae nostrae de Angelis Maniliae sacrum baptisma susceperat, aliqua Sinensium idiomatum notitia imbuti essent, hoc anno, non insequenti, ut scribit Gonzaga, multoque minus anno MDLXXXVII., ut sentit apud Romesallum Joannes Cobo, die XIV. Junii SS. Trinitati sacro vela solventes ab insula Ilocos, adversa procella ad oram civitatis Chancheu jactatis, die XXI. Junii, post confectum CXXXIII. leucarum iter, appulerunt in provinciam Cantonensem, sive de Quaton, postmodum in alteram Chanchin a Cantonensi XX. leucarum dissitam, ubi infidelium conversioni, non publice ob expulsionis metum, sed privatim miris modis operam navarunt. Quod tamen ita occulte peragi non potuit, ut statim non innotesceret Confucii cultoribus, regiisque ministris, eaque de ratione potissimum, quia oppidani eorundem incessum, habitum, conversationisque exemplum demirati, stipes eis erogabant, ac comites sese illis ultra praebebant. Quare pulsi, Augustinus de Tordesillas, comite quodam Sina pro eo syngraphum tribus linguis in tabula inscriptum deferente, Chincheum petiit, ubi a senioribus illius civitatis in portum Aytim missus, navigioque impositus, cum Maniliam pervenisset, omni cum humanitate a Francisco Sandinio urbis gubernatore excipitur. In navim pariter inducti sunt Petrus de Alfaro, et Joannes Baptista Pisaurensis, et Amacaum statim dimiserunt, civitatem, quae Insulae dat nomen, aedificatam a Lusitanis in ora meridionali Sinarum ad austrum provinciarum de Kiansi, de Hovanang, de Kuangsi, et de Fokien. Benigne

Joan. Franciscus a s. Antonio tom. 1. pag. 380. et seq.

Gonzaga p. 1352.

ac comiter suscepti die x. Novembris a Melchiore Carnero episcopo, caeterisque christifidelibus, imo ab episcopo, et a patribus societatis Jesu, ut apud eos diversarentur, rogati, sibi gloriae magis duxerunt, in Xenodochio civitatis leprosorum obsequiis se mancipari.

XLII. Eodem mense Novembri, piorum sumptibus positum est ad orientem civitatis in insthmo coenobium Dominae nostrae de Angelis, dictum de Machao, in quo Joannes Baptista Pisaurensis egregie versatus est in educatione novitiorum, cura infirmorum, labore concionum, et solicitudine evangelizandi infideles, difficultatibus omnibus superiorem se praebens, atque interim in oratione, et poenitentia se exercens; solis enim erbis sylvestribus, iisdemque crudis, vel sine sale coctis, et inspidis reficiebatur, mattam induebat stramineam, cubabat in nuda humo, noctesque integras ducebat insomnes. Non defuerunt illi, ut dicemus, persecutiones.

Conventus de Machao. *Joannes a s. Antonio ibid.*

XLIII. Plures illius civitatis incolae eorumdem fratrum verbo praedicationis commoti, et odore virtutum respersi, e vitiorum coeno ad viam virtutis revocabantur, plerique alii, ipsorum vivendi formam amplecti ex animo cupiebant. Uno igitur eodemque die ex Lusitaniae regionibus juvenes praedivites, mercatorum officio illic fungentes, seraphico induti sunt sacco, Augustinus de Martyribus, Bonaventura, et Rodericus ab Ulyssipona, Bernardinus a Jesu, et Antonius de S. Thoma.

XLIV. Quaerunt, quinam primi fuerint saeculo xvi. evangelicae legis praecones in regno Sinensi? Notum est, S. Franciscum Xaverium, jam multis hominum millibus ad Christum conversis in Japonia, migrasse inde in Sinas, sed antequam quidquam ageret, rem ita Deo disponente, laborum suorum praemia recepisse anno MDLII. defunctum in insula Santiano, seu de Sachen, vel Changtchouaen in provincia de Quantun. Auctor supplementi ad historiam ecclesiasticam Natalis Alexandri, seu potius Thomas Maria Mamachius, in medium producit Gasparem de Cruce Lusitanum sui ordinis, quem scribit Christum Sinensibus nuntiasse, et librum composuisse de suo ad Sinas itinere, et apostolatu. Verum non explicat, quo praecise anno is fuerit apud Sinas, a quo missus, quam provinciam petierit, quot annos inibi degerit, quae certe in praefato libro de apostolatu legi deberent. Petrus Davity in descriptione Asiae narrat, anno MDLXXV. in Sinense regnum profectos Hieronymum Marinum, et Martinum de Herrada ministrum provinciae Philippinarum ordinis S. Augustini, eosque primum fuisse in *Tansuse*, dainde in *Chincheo*, postremo in *Aucheo*, ubi prorex morabatur; statim autem Sinensi classe in Insulas Philippinas revectus. Similiter narrat, anno MDLXXVIII. idem iter suscepisse Petrum de Alfaro cum tribus aliis franciscanis, quatuor Philippinarum conterraneis, et juvene quodam Sinensi, qui a civitate de Quanton, ubi pedem posuarant, excedere jussi, partim in Philippinas sunt reversi, partim Amacaum se contulerunt. Asserit tandem, anno MDLXXIX. Michaelem Rogerium societatis Jesu Amacaum advenisse, ubi didicit linguam regionis, et mercatorum Lusitanorum auxilio, post aliquot annos in civitate de Quanton sedem obtinuisse, quam incoleret.

Dissert. 3. cap. 2. pag. 150.

Davity in descript. Asiae pag. 816.

XLV. Utcumque sit, certum tamen est, nullum alium ante augustinianos, et franciscanos dici vere posse Sinensium Apostolum. Quod

autem de Gaspare de Cruce aliquid hactenus refertur, non est, nisi indeterminatum, et vagum. Aliunde vero laudatus auctor supplementi missionem fratrum praedicatorum ad Sinenses statuit anno MDXC. sub Joanne Castilio; et Athanasius Kircher *in China illustrata* primum memorat eo profectum Alexandrum Valignanum presbyterum societatis Jesu, postquam anno MDLXXXII. tres Japonum regulos christiana lege imbutos Romam ad obedientiam Summo Pontifici Gregorio XIII. praestandam deduxisset, quod quidem non ita intelligendum est, ut existimemus cum Spondano, nullum alium ex ea societate, aut alio ordine pedem in regnum Sinarum intulisse ante annum MDLXXXII. Is in Asiam reversus substitit in Amacai suorum domo, rebusque exploratis, evocavit socios ex India Michaelem Rogerium, et Matthaeum Riccium Italos, qui litteris Sinicis operam dederunt, summaque industria Cantonensem urbem, spe in ea sedem obtinendi, ingressi sunt; sed semel atque iterum votis suis frustati Amacaum rediere. Ita Kircher, quem non existimo, adventum confratrum suorum in regnum Sinense non antea efferre voluisse, si antea revera contigisset.

Kircher part. 2. cap. 8. pag. 97.

Spondanus ad an. 1570. contin. annalium Baronii n. 26.

XLVI. Oratorium fratrum observantium in Castro S. Petri dioecesis Bononiensis, quod anno MDXXII. die XXVI. Februarii ex concessione Raynaldi de Gratianis archiepiscopi Ragusini, vicarii et suffraganei ecclesiae Bononiensis, evaserat in semipublicum cum facultate sepeliendi, et divina officia persolvendi, quodque demum in coenobium crevit, hoc anno ferme derelictum a nemine incolebatur. Excesserunt iidem observantes a coenobio S. Mariae Pietatis castri de Ripis dioecesis Theatinae,' quod Paulus III. anno MDXXXV. ministro et fratribus provinciae S. Bernardini habendum concesserat: *Exponi nobis* die XXVI. Novembris. Aedem hoc anno fratribus ordinis praedicatorum tradidit Caesar Busdragus archiepiscopus Theatinus, ut asserit auctor chronicae provinciae Bernardinus de Arischia. At Caesar, Ughello teste, translatus non est ab ecclesia Alexana ad Theatinam, nisi anno insequenti die I. Augusti, in locum Hieronymi de Leonibus archiepiscopi defuncti anno MDLXXVIII. Locum recuperarunt observantes XXVIII. post annis. Floruit ex hoc castro fr. Damianus laicus, tumulatus in conventu S. Andrae Theatis, de quo ad annum MDIV. Marcus Ulyssiponensis.

Conv. Castri s. Petri.
Flaminius de Parma tom. 1. pag. 215.

Conv. de Ripis.

Ughellus tom. 6. pag. 761.

XLVII. Antonius de Aguilar commissarius generalis familiae cismontanae specialibus litteris vetuit ministro, diffinitoribus, et patribus provinciae Angelorum, ne Complutum mitterent quatuor studentes, qui litteras ibidem ediscerent, nisi consentiente, et probante duce de Bejar, juxta diploma Gregorii XIII. *Dum ad illam* die V. Septembris anni MDLXXII. Litteras commissarii generalis damus hispano idiomate.

Ann. min. ad an. 1572. num. 103.

« Fray Antonio de Aguilar commissario general de la familia cis- » montana de toda la Orden de nuestro P. San Francisco al muy re- » verendo p. provincial, gl al presente es, ó portiempo fuere de la » provincia de los Angeles de nuestra familia, y orden, á los demas » padres de la dicha provincia salud, y paz. »

» Porque me consta, que el excelentissimo Duque de Bejar, por » hazer bien, y merced a essa provincia de los Angeles ha fundado, » y dotado quatro porciones en nuestro convento de S. Francisco de » Alcalà de Henáres, para ql alli estudien quatro religiosos de essa

De Guadalupe in regestu Bullar. p. 32.

» provincia de los Angeles perpetuamente sucediendo unos á otros, y » porque por titulo de dotacion, y fundacion, y por titulo de reconoci» miento se debe al dicho excelentissimo Duque de Bejar, ql los re» ligiosos, ql han de ser nombrados por porcionistas en las dichas » porcionos, se an nombrados con voluntad, y aprobacion de su ex» celentia y de sus sucessores, como el Pontifice les da este nombra» miento en la Bula ql para ello tiene. Por tanto mando por la pre» sente, que por el p. provincial, y por los religiosos de essa provin» cia se guarde, y cumpla todo lo contenido en la dicha Bula, para » efecto ql los padres provinciales, ni difinidores, ó padres de essa » provincia, no embien á ningun religioso della por porcionista a nin» guna de las quatro porciones, singl sea con voluntad y aprobacion, » y consentimento del dicho Señor Duque de Bejar, y de sus suces» sores, conforme á la dicha Bula, ql de nuestro muy Santo Padre » tiene, y los porcionistas, que al presente estan en las dichas porcio» nes vaguen; luego, por no haber sido ambiados por este orden y se » provean conforme a lo suso dicho con voluntad, y consentimiento » de su excelentia. Y porque esto aya efecto, y se haga con mayor » merecimiento lo mando assi en virtud de santa obediencia, y so pe» na de excomunion mayor *latae sententiae*. »

» Dada en nuestro convento de S. Francisco de Bejar á 16. Se» tiembre de 1579. »

» Fray Antonio de Aguilar Comissario General. »

XLVIII. Erectum est hoc anno die xx. Octobris, ut scribit Rodulphus, gymnasium Cracoviae minorum conventualium, cui sanctimoniales Antiquae Sandeciae ordinis S. Clarae donarunt villam de *Macradabroua*, seu Villabagnada, et moniales S. Andreae florenos LXX. quotannis solvendos in festo Purificationis, pro necessitatibus lectoris et studentium; idque ope magistri Bonaventurae Maresii a Belluna commissarii generalis, et visitatoris apostolici, qui ad frugalitatem, et observantiam illius provinciae egregie intendit animum. Quem plurimum imitatus fuit magister Camillus Tachetus de Abbate Veronensis, provincialis illius provinciae, praedicator, et lector theologus regius in Cracoviae collegio cum stipendio cc. florenorum. Haec a Rodulpho.

Gymnasium Cracoviae.

Rodulphus lib. 2. pag. 291.

XLIX. Franciscus Milano conventualis de Motta Ferliti dioecesis Melitensis, ex placito Joannis Mariae de Alexandris, qui ecclesiae Militensi praeerat pro Innico Avolos cardinali, fundavit in provincia Calabriae coenobium S. Mariae Angelorum ccc. pass. a patria sua. Hector Pignatellus oppidi dominus donavit fratribus quamdam praedii adjacentis portionem arboribus consitam. Paulo post ecclesia suscepit titulum S. Francisci. Habitant duo vel tres fratres. In provincia S. Nicolai magister Franciscus Uritanus posuit coenobium S. Mariae Vigiliae, seu de Veglia dioecesis Brundusinae, uno milliari extra oppidum, consentientibus communitate, et Bernardino de Figuerora archiepiscopo. Habitant sex fratres. Pariter magister Christophorus de Montepiloso nomine ordinis sui recepit in ducatu Barensi coenobium S. Mariae de Bitecto ec. pass. á civitate, id probante Ludovico Serristoro episcopo. Habitant quatuor fratres. Extitit in provincia Siciliae coenobium S. Francisci Caroniae dioecesis Messanensis, in loco conventualibus tradito a confratribus SS. Assumptionis. Habitant sex fratres.

Con. de Motta Ferliti.

Ex archivo SS. XII. Apostolorum de Urbe.

Conv. Vigiliae. Ibidem.

Conventus Bitecti. Ibidem.

Conv. Caroniae. Cagliola pag. 89.

Conv. Mondulphi.

Ex arch. convent. Montis S. Petri Angel.

L. In provincia Marchiae recipiunt coenobium uno milliaris quadrante ab oppido Mondulphi dioecesis Senogalliensis, fundatum a fratre Balthassare de S. Victoria Fractarum in aedicula Sancti Sebastiani inibi erecta anno MCDLXXIX., ex concessione magistratus, Francisci Mariae ducis Urbini, et Francisci Mariae Henrici a Barchia episcopi Senogalliensis, retento priori titulo, additisque officinis, et cubiculis pro incolatu fratrum. In lapide marmoreo olim affixo in ecclesia in cornu evangelii legebatur: *Nobilissimi hujus terrae alumni tempore pestis anno MCDLXXIX. voti compotes effecti hanc D. Sebastiani ecclesiam aere publico fundaverunt. Precibus deinde fratris Balthassarri Salvolini ejusdem ecclesiae restauratoris conventusque fundatoris religioni seraphicae min. con. MDLXXIX. tradiderunt, et MDLXXXV. Rmus DD. Angelus Peruetius Sarsinae episcopus illam solitis ritibus consecravit.*

Conv. Capucinorum.

Ex indice Michaelis a Tugio, et ex Boverio.

LI. Capucini recipiunt in provincia S. Francisci conventum S. Antonii de Padua Luniani dioecesis Amerinae, S. Crucis Montis Regalis dioecesis Reatinae, et Citerni dioecesis Tiphernatis; in provincia Bononiae conventum S. Mariae apud oppidum S. Archangeli dioecesis Ariminensis; in provincia S. Angeli conventum S. Mariae de Constantinopoli Foggiae dioecesis Trojanae, fundatum a doctore Luca Zuccaro C. P. a civitate; in provincia Cosentina conventum S. Mariae Lauretanae Coriliani dioecesis Rossanensis; in provincia Tusciae conventum S. Cassiani de Balneis dioecesis Clusinae, et S. Michaelis de Guamo dioecesis Lucensis, MD. P. ab urbe Lucae, fundatum eleemosynis senatus, et Alexandri Guidiccionii episcopi; in provincia S. Ludovici conventum Massiliae; in provincia Mediolani conventum SS. Rochi, et Sebastiani Merati dioecesis Mediolanensis, fundatum ex civium voto ob depulsam pestem; in provincia Romana conventum Collis Veteris dioecesis Sabinensis, et Montis Flasconis, seu Phisconis civitatis episcopalis in via Cassia supra lacum Vulsinum; in provincia Lombardiae conventum Hostiliae dioecesis Veronensis; in provincia Neapolitana conventum S. Germani prope monasterium Montis Cassini, ac tandem in provincia Cataloniae conventum Vallis, seu de Valls dioecesis Tarraconensis. In templum SS. Redemptoris, vel ut legitur in litteris pontificiis, S. Salvatoris Venetiarum magnifico opere jam absolutum, perfectumque, immissi sunt ad sacra peragenda: *Exponi nobis*, die x. Januarii. Conventus in oppido Aquae Nigrae in ducatu et dioecesi Mantuana eis pariter accessit.

Monasterium de Sacaven.

LII. Michael de Moura Sebastiano primum, deinde Henrico regi Portugalliae a secretis, et Beatrix de Costa ejus conjux circa hunc annum propria bona contulere ad fundationem monasterii clarissarum primae regulae in oppido de Sacaven. dioecesis Ulyssiponensis, ad oram Tagi, in pervetusto sacello Dominae nostrae de Martyribus, quod anno MCLXXXV. Alphonsus I. rex posuit in memoriam relatae ab ipso victoriae de Saracenis inibi caesis, profligatisque. Retinuit aedes antiquum titulum, licet etiam alterum Conceptionis b. Mariae obtinuerit ex fundatorum devotione, quibus hoc anno Summus Pontifex multa indulsit: *Romanum decet* die XXIV. Januarii, *Exponi nobis* die XXVII. Maii. Postremis his litteris patet, monasterium hoc anno nondum absolutum, nec debita clausura munitum fuisse. Ipsum primo inhabitarunt moniales ad-

Digitized by Google

ductae a monasterio Matris Dei de Xabregas prope Ulyssiponem, quibus leges, et statuta conscripserunt pii fundatores fr. Damianus de Torres minister provinciae Pietatis, et fr. Alvarus de Olivenca minister provinciae Algarbiorum, ad quam monasterium pertinet. Earum nomina sunt Vincentia de Jesu prima abbatissa, Marianna, Laurentia, et Maria a Conceptione.

Monasteria s. Clarae, et S. Angeli Lucae.

LIII. Transierunt ad curam episcopi moniales S. Clarae Lucae, quarum ecclesiam S. Mariae a Sylva Gavajolae III. milliaribus extra civitatem, anno MDLXXII. consecravit Alexander Guidiccionus episcopus sub titulo S. Clarae. Clausurae leges ibidem adoptarunt moniales tertii ordinis, quae postquam simul vixissent in quadam domo apud S. Gregorium, sub hoc tempus fundarunt monasterium S. Angeli sub tertia minorum regula. Habitant CXII. moniales. In ecclesia sunt ossa S. Eugenii martyris. Laurentio Bello episcopo Caputaquensi commisit Pontifex ut licentiam concederet universitati terrae Larenii aedificandi monasterium.

Monasterium Larenii.

LIV. Archiepiscopus Mexicanus Petrus Moya de Contreras facultatem accepit hoc anno: *Inter caetera* die VI. Januarii, erigendi monasteria Conceptionis B. Mariae Virginis in dioecesi sua, et jam erecta confirmandi, quin superiores, et alii fratres minores S. Francisci de observantia, aut cujusvis alterius ordinis sese in illis intromittere valeant. A monasterio SS. Trinitatis Mexici, quod fundaverant Francisca de S. Augustino vidua, et quinque ejus filiae sub regula S. Clarae, hoc anno post professionem inibi solemniter emissam in manibus Aloisiae a Sancto Hieronymo primae abbatissae, praesentibus Martino Enriquez prorege, Petro Farfan doctore, et Roderico de Sequera commissario generali Indiarum, primum die IV. Januarii a XXII. virginibus, deinde die VI. ejusdem mensis a IV. aliis, abierunt moniales in monasterium S. Clarae in via de Tacuba, seu de Pepetlan die XXII. Decembris, comitantibus eodem pro-rege, virisque nobilibus. In nova hac domo vicariae munus exercuit Francisca de Trinitate, abbatissae eadem Aloisia de S. Hieronymo jam professa in monasterio SS. Conceptionis Mexici, anno MDXXX. a franciscanis excitato sub Joanne de Zumarraga archiepiscopo. Rodericus de Sequera domus praefectum constituit fr. Bernardinum Perez virum doctum, pium, notaeque perfectionis.

Monasterium Mexici.

*Theatrum Mexicanum 4.part.cap. 1.num.6.pag.*106.

LV. Hoc anno mense Novembri moniales monasterii S. Clarae positi in loco *la Valle* civitatis Aesii, propter aeris insalubritatem, annuente Pontifice, translatae sunt ad aliam aedem extructam sumptibus universitatis in via dicta *Terra vecchia*. Subsunt jurisdictioni episcopi. Monasterium S. Clarae de Constantina dioecesis Hispalensis, fundatum paullo ante a Constantia Velasquez vidua Christophori Martinez divite, et sine liberis, ex consilio Joannis de Hierusalem ministro provinciae Angelorum, obtenta licentia die XXX. Julii anno MDLXXIII. a Dominico de Leza canonico ecclesiae Hispalensis, et administratore mensae episcopalis pro Christophoro de Royas, et Sandoval archiepiscopo; accepit hoc anno a monasterio S. Clarae Palmae primas incolas Leonoram de Vega sororem comitis Palmensis, et quinque alias moniales translatas illuc ab ecclesia S. Francisci, solemni supplicatione, cum interventu utriusque cleri saecularis, et regularis. Hoc eodem anno sumpserunt ibi

Monaster. Aesii.

Monumentum provinciae Marchiae.

Monaster. de Constantina.

De Gundalupe lib. 12. *cap.* 11. *pag.* 581. *et seq.*

habitum S. Clarae pia fundatrix, Joanna a Conceptione ejus consobrina, alia quaedam ei sanguine propinqua, et illarum ancillae. Videtur Gonzaga hoc monasterium non satis distinguere ab altero S. Clarae Alanisii, seu de Alanis; scribit enim *Constantiam Velasquez propriam domum muris Alanisii inclusam, ecclesiam in honorem b. Virginis Clarae consecrasse, et honestum monasterium sibi adjunxisse.* At de monasterio Alanisii seorsum agit. Decessit hoc anno ibidem die iv. Octobris cum sanctitatis opinione Maria de S. Antonio filia Petri Alphonsi Ibañez, et Joannae Garcia conjugum de Fonte Obejuna, quae a monasterio S. Clarae Palmae sequuta erat Leonoram de Vega, humilis, devota, pauperrima, et injuriarum patientissima.

Gonzaga in prov. Angelorum mon. 5.

Maria de s. Antonio.

LVI. De monasterio tertiariarum S. Justi urbis Bellovacensis in provincia Galliae haec leguntur in Gallia Christiana: « Confirmarunt Gallorum reges Henricus III. mense Aprili MDLXXIX, et Henricus IV. 6. Augusti MDCVIII., Ludovicus XIII. mense Octobri MDCXLII., Ludovicus XIV. mense Julii MDCXLIII., et Ludovicus XV. mense Martio MDCCXVII. monasterium monialium, seu parthenon ordinis S. Elisabethae apud S. Justum urbis Bellovacensis. Nosocomii curam habent moniales, in quo regios milites et aegrotos solicitare, et mortuos humare tenentur. Ab abbatissis et plerisque aliis hujus ordinis parthenon regitur, quarum prima Margarita Parmentier electa fuit a monialibus, a provinciali fratrum minorum confirmata est ». De hoc et Gonzaga loquitur, aitque concessum locum eidem Margaritae a Carolo IX. Francorum rege pro novem sororibus tertiariis anno MDLXXII., restauratumque ab ipsa pene a fundamentis.

Monaster. Bellovacense.

Gallia Christiana tom. 9. pag. 856.

Gonzaga in prov. Franciae mon. 16.

LVII. Ex pontificio decreto monasteria SS. Boni et Petri martyrum oppidi Perpignani ordinis S. Clarae supprimuntur, et bona utriusque seminario clericorum saecularium Montis Regalis provinciae Taurinensis assignantur: *Apostolicae solicitudinis* die prima Augusti.

LVIII. Diruerunt hoc anno furentes haeretici Brugis in Belgio monasterium sororum Urbanistarum S. Clarae, domo, et ecclesia in textrinam commutatis, expulsisque XLVII. monialibus, quae illic degebant. Monasterium S. Elisabeth grisearum tertii ordinis, quod pariter in textrinam abiit anno insequenti. Monasterium S. Spiritus tertii ordinis eodem anno versum in nosocomium. Sorores dimissae sunt in Xenodochium S. Oberti, in quo sorores aliae habitabant, ut illic aegrotis inservirent, sacras preces praefixis horis funderent, et victum sibi manuum labore compararent. Quo in exercitio vixerunt sub immediata jurisdictione guardiani Brugensis usque ad annum MDCXXXVII.; tunc enim regulam Conceptionistarum professae sunt die VIII. Decembris, et anno postero die XVI. Augusti in capitulo Brugis celebrato, receptae sub regimine ministri provinciae S. Joseph comitatus Flandriae.

Zegerus Van Maele in MSS.

Monast. Brugensia diruta.

LIX. Ad eamdem civitatem accesserunt hostes cum armis ad monasterium Coletanarum; sed visis sororibus, quae stabant ad portam ordinatim hinc inde nudis pedibus, maxima cum humilitate, et modestia, aliarum virginum sortem placido vultu expectantes, non solum confestim abierunt, verum etiam illas tutati sunt, et eleemosynis juvarunt. Paucis post diebus civitatis praefectus, seu Burgi magister filiam suam illinc educere frustra tentavit; nam quum reserata monasterii ja-

nua; sorores omnes coram adessent, filiam ille dignoscere non potuit, cui nigrum professarum velum sorores data opera imposuerant, unaque illarum, quam haesitabundus manu arripuit, dixit ei: *Ego non sum filia tua. Vehementer dolerem, me talem habere patrem.* Sic filiam, confusus, et iratus, in monasterio reliquit, quae in eo sancte vixit, et decessit abbatissa.

LX. Circa hoc tempus periit denuo monasterium S. Juliani Bergae, spoliatum antea Gallorum motibus in Flandriam occidentalem irrumpentium, nec sorores nigrae inde profugae redierunt in possessionem suae domus, nisi civitate regis catholici juribus reddita. Monasterium Eclonianum, a quo post varia rerum discrimina sorores poenitentes Gandavum se receperunt cum imagine prodigiali Deiparae *de Senticeto*, ac tandem in loco S. Petri novum coenobium S. Mariae Magdalenae excitarunt, sequutae anno MDCXXVII. Limburgensem reformationem sub Joanna de Jesu Gandavum missa a superioribus provinciae Flandriae; monasterium clarissarum Middelburgi non in Zelandia tantum, verum etiam in regione de Issenghien prope Brugas in Flandria. Pulsae virgines petierunt Insulas, exceptis tribus, quae manserunt in Brugensi Coletanarum monasterio, et ibidem obierunt. Monasterium Ardemburgi tertiariarum, quae, ne agnoscerentur, in habitu saeculari Brugas properarunt, separatim habitantes, et rerum omnium egenae, donec anno MDCXIII. In abbatia Furnensi ordinis Praemonstratensium monasterium condere coeperunt cum ecclesia S. Catharinae virginis et martyris, illarum labores juvante nobili domina Anna Van Praet Oliverii Vredii, virtute et eruditione clarissimi viri matre, ibidem postea sepulta in habitu tertii ordinis, quem professa erat. Alii narrant, eas domum quam nunc habent, ab archiducibus impetrasse, translatis Carthusianis, quorum illa erat commune refugium, in aliud monialium coenobium, quod illi sibi dari postularunt. Cecidit tandem flammis combustum monasterium sororum grisearum Velsickensium, quae exules decesserunt. Comes Egmontanus dominus Velsickensis, et Sottegemiensis, locum cum juribus, et redditibus suis tradidit Joannae Cullen moniali coenobii Viannensis ea conditione, ut sorores inibi habitaturae curam agerent infirmorum familiae Egmontanae in oppido Sottegemiensi sub aequo stipendio, ut transeuntes pauperes hospitio exciperent.

Monasterium Bergae. Monum. prov.

Monast. Eclonianum. Monum. prov.

Monasterium Middelburgi. Monum. prov.

Monaster. Ardemburgi. Monum. prov.

Monasterium Velsickense.

Ex Sandero in Flandria illustrata, et monum. prov. Flandriae.

LXI. Religionis et pacis osores Hugonotti ad pristinas iterum seditiones, et tumultus reversi, vastarunt in custodia Xantonensi provinciae Turoniae Pictaviensis coenobium S. Joannis Angerii ad fluvium Vulturnum; coenobium SS. Francisci et Dominici Pontis, seu S. Mariae de Pontibus, in quo licet his temporibus ex decreto capituli Aurelianensis designatus fuerit gardianus, tamen fratres manserunt in hospitio parvo, et sacello super ruinas conventus, nec aedem recuperarunt, nisi post unius ferme saeculi decursum, opera Magdalenae de Guenegaud uxoris Caesaris de Albret Franciae mareschalli, et Aquitaniae praefecti, quae suis sumptibus constructum coenobium et ecclesiam ditavit vasis sacris, et reliquia corporis S. Innocentii martyris; coenobium S. Cosmae extra Cognacensiam, seu de Cogneau ad fluvium Carentonam in ducatu Engolismensi, dioecesis Xantonensis. Ejecti fratres vixerunt intra civitatem in domo privata, quam eis antea legaverant viri nobiles Vivianus

Conventus Angeriae. Monum. prov.

Conventus Pontis. Monum. prov.

Conventus Cognacensiae. Monum. prov.

Digitized by Google

a Castro, et Bernardus a Burdigala, numero tres sub obedientia guardiani. Circa medium saeculi xvii. fr. Andreas de Lombert, favente Ludovico XIII. rege, novum coenobium excitavit intra moenia sub invocatione Dominae nostrae Pietatis.

LXII. Non minus insolentia, et crudelitate effraenati Belgae, ac vesana Geusiorum plebs, praefatis monasterium ruinis alias addiderunt. Eorum telis concidit rursus hoc anno in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli coenobium S. Mariae Magdalenae Trajecti ad Mosam, post expugnatam ab Alexandri Farnensii exercitu civitatem. In festo conversionis S. Pauli coenobium b. Mariae Nivellae, seu Nivigellae in Brabantia, v. leucis a civitate Bruxellarum, direptis bonis omnibus, dempta ecclesia, quam infandis abominationibus sacrilegi reservarunt. Hoc in excidio Dionysius de Meestere laicus ab haereticis captus, et ergastulo reclusus, in aerumnis vitam cum morte commutavit. Ad fidelium levamen Cornelius Pierraro hujus loci guardianus exstabat, qui dum chori codices ingentis valoris, et egregia manu descriptos, ecclesiae ornamenta, bibliothecae libros ab haereticis curru asportari videret, habitu currum sequutus est a longe moerens ac dolens..... Anno mdlxxx. ob singularem in expendendis rebus dexteritatem a provinciae patribus missus ad generalem ministrum, laboribus fractus in coenobio S. Mariae de Jesu Messanae in provincia Siciliae spiritum Deo reddidit.

Conventus Trajecti ad Mosam. *Gonzaga in prov. Germaniae infer. conv. 8.* Conv. Nivellae. *Idem in provinc. Flandriae conv. 6.* Dionysius de Meestere mart. *Monum. provinc. Flandriae.* Cornelius Pierraro.

LXXIII. Similiter conciderunt coenobium SS. Petri et Pauli, et S. Mariae Magdalenae Gandavi, in quo quum fr. Aegidius Vander Hellen in carcerem duceretur, injuriis, et contumeliis divexatus, dixit praefecto urbis, qui eum jubebat tradere vasa sacra suae custodiae commissa, quod in mortis hora desideraturus esset sacerdotem, et non inventurus, sicuti rei eventus postmodum probavit. Locum hunc spoliarunt Geusii, non tamen destruxerunt. Brugis vero, quum omnia antea sublata forent, vendiderunt ecclesiam minorum cum ornamentis, et sacellis ejusdem ecclesiae, videlicet SS. Nominis Jesu, b. Mariae Vanden Drogen-boon, S. Sebastiani, carpentariorum, textorum, insuper mercatorum Castellanorum, Cantabrorum, Florentinorum; ac praeterea ambitum, triclinium capitulum, valetudinarium caeterasque partes. Ex horti fundo fecerunt forum publicum. Sic praestantissimum coenobium, quod non solum Gonzaga, verum etiam Sandero teste, cviii. aliquando fratres continuit, aedificiis et structuris magnificum, solo aequatum est. *Ipsi quoque fratres* (verba sunt Sanderi), *verberibus, ludibriis, et morte aliqui affecti, alii mutilati sunt.* Ante aedis direptionem obierunt illic, die quidem vi. Junii Marcus Montanus sacerdos, ecclesiasticus, et magni illius Philippi Montani graecarum litterarum doctissimi praeceptoris ex fratre nepos, quas et ipse Parisiis docuit. Die vero xx. Februarii Franciscus a Busco, qui religionis voto loca sancta Palaestinae visitaverat, unde in patriam reversus et coenobii Brugensis vicarius institutus, plurima perpessus est ab haereticis.

Conventus Gandavi. *Ibidem conv. 3.* Conv. Brugensis. *Ibidem conv. 2.* Marcus Montanus. Franciscus a Busco.

LXIV. Simili exitio dirutum jacuit coenobium de Boetendal, dimidio milliari meridiem versus a civitate Bruxellarum, *vallis poenitentiae* dictum, intra duorum collium sinum, supra Vulam, camposque arboretis consitos, et nemoribus, per quae quaquaversum semitae aperiuntur perpulchrae ad deambulandum, assurgentibus hinc inde sacellis, oratoriis,

Conventus de Boetendal.

Idem in prov. Germaniae inferioris conv. 17.

et devotis imaginibus, ita ut loci amoenitas, et singula, quae circumstant, homines ad contemplationem, et pietatem undique invitent. Philippus II. rex catholicus aquam ex loco per quadrantem milliarii dissito in coenobium deduci curaverat, quum terrae motu aquae subtractae fuissent. Ferunt etiam, ipsum feria quinta in coena Domini duodecim pauperibus inibi pedes lavisse. Aedem restaurarunt anno MDCIV. Andreas a Soto provinciarum Belgicarum commissarius generalis, Isabellae Hispaniarum infantis a sacris confessionibus, et fr. Balthasar Vincentius guardianus, ope et munificentia Alberti Pii archiducis, et conjugis suae Isabellae Clarae Eugeniae, annoque sequenti Dominica IV. post Epiphaniam Matthias Quio archiepiscopus Mechliniensis ecclesiam consecravit. Translatum est illuc eodem anno statutum recollectionis conventus Mechliniensis. Idem contigit propinquo coenobio S. Martini Bruxellarum pulsis fratribus Dominica prima Adventus, quibus tamen non multo post Alexander Farnesius domum restituit, latronum cohorte profligata.

Conv. Bruxellensis.
Ibidem conv. 2.

LXV. Manus iterum suas innocentium fratrum sanguine Geusii cruentarunt. Nam in coenobio Bruxellarum aut circa finem Januarii, aut die V. Junii, occiderunt gladio orantem ante aram maximam Joannem Gray, illustri genere natum in Scotia, a quo in Belgium aufugerat devitans haereticorum persequutiones, virum morum spectatissimorum, et pietatis incomparabilis, prius canonicum ecclesiae Andernardensis prope Bruxellas, deinde franciscanum. Is, dum alii fratres diffugerent admoniti a Jacobo Leisma Anglo, qui procul viderat hostium cuneos properantes, sibi quiescendum esse putavit, aetate jam septuagenarius, et pro guardiano habitus, ob canitiem, corporis molem, et proceram staturam, jussus est pecuniam solvere, quam non habebat, interque contumelias, et ludibria martyrii coronam accepit, caesus iteratis ictibus in pectore, et capite. Abeuntibus filiis irae, catholici cernentes illius corpus vulneribus saucium, sanguinem pro Christo fusum sedulo servandum collegerunt. Quidam gravi morbo oppressus, audiens tanti patris necem, vehementer poposcit reliquiam ejus sanguinis, quam magna cum pietate, et fiducia osculatus, statim convaluit. Scripta eum reliquisse, ait idem Sedulius, *conciones varias, theologica quaedam, et epistolarum lib. 1.*

Ioannes Gray.
Sedulius hist. Seraph. in corol. pag. 693.
Camerarius lib. 3. de Scotorum pietate ad diem 13. Decemb.
Sedulius ibidem.

LXVI. Joannes Puteanus doctrina, et eloquentia insignis, in itinere a conventu Lovaniensi ad conventum de Thenis, peragratis tribus milliaribus, apud Neer oppidum die III. Augusti sublatus est ab haereticis, qui inita cum illo de rebus fidei disputatione, non poterant resistere sapientiae, et spiritui qui loquebatur. Corpus ejus absconditum sub acervo lapidum, paucisque post diebus a fratribus erutum, Gilberto quodam indicante, apparuit sine ullo vulnere, ex quo strangulatum judicarunt. Translatum inde Lovanium jacuit in ecclesia minorum, maximo catholicorum concursu, et lacrymis, qui patris optimi, et benemerentis sortem doluerunt.

Ioannes Puteanus.
Sedulius ibidem circa finem.

LXVII. Non procul a Leodiensis Campaniae oppidulo, Pera nomine juxta Ruremundam, cecidit ab eisdem satanae ministris interemptus, Antuerpia Veertam pergens ex obedientiae merito, Jacobus Scurremans, seu Schuermans egregius concionator, quem Hilarion a Costa minus vere Joannem appellat. Ejus martyrii diem Sedulius ignotum scribit,

Jacobus Scurremans.

Guilielmus Stravus.
Christianus Sui.
Gonzaga pag. 989.

Arturus a monasterio signat I. Maii, Waddingus in catalogo XVIII. Junii. In eosdem nefarios ministros duo conventus Luxemburgensis alumni Guilielmus Stravus, seu Stratius sacerdos, et Christianus Sui, seu Zuecru, in via incidentes, dum Treviros irent, displosis tormenti bellici globis, corruerunt; quod crudele facinus detestatus proximi pagi dominus vir catholicus, obviam veniens homicidae dixit: *Tu, maledicte nebulo haeretice, et praedo, interfecisti duos bonos religiosos simpliciter ambulantes, unico sclopeti ictu. Propterea accipe mercedem tuam.* Et hoc dicens, simili transfodit ictu militem, qui sic miser obiit secundum opera sua. Rem Arturus refert ad diem X. Februarii, Waddingus loco citato ad XXVI. Octobris.

Joannes de Amstelodamo.
Rodulphus lib. 2. pag. 297.
Gonzaga pag. 993.
Arturus ad diem 6. Aprilis.

LXVIII. Letho dederunt iidem religionis hostes, dum Lovanio Diestemium ad coenobium suum reverteretur, Joannem de Amstelodamo, quem Rodulphus vocat simpliciter *fratrem Ambsteredamum*, diaconum XXIII. annorum, non die V. Aprilis, ut ait Gonzaga, sed ut sequens epigraphe ostendit, die VI. ejusdem mensis. Furentibus antea Geusiis in patria sua, Coloniam Agrippinam profugerat cum caeteris fratribus, jamque Amstelodamum reversus pergebat ingenuus juvenis cum socio divinum officium persolvens, quum XIV. sicarii e proximae sylvae nemore erumpentes tenuerunt eum, qui dilapso socio solus remanserat, et revinctum funibus, in interiora sylvae rapuerunt, ubi ille flexis genibus rogavit primum, ut sibi parcerent innocenti; at obstinatam eorum immanitatem perspiciens, tum se, tum carnifices suos, Deo commendavit illis verbis: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt;* quae quum diceret, XXI. vulneribus confossus occubuit. Sacrum ejus corpus cruore adhuc respersum tumulatum est Lovanii in coenobio sui ordinis honorifice cum epitaphio: *Anno MDLXXIX. sexta Aprilis fr. Joannes Amsterodamensis postridie quam gratiam Spiritus Sancti in diaconatu accepisset, multis lethalibus vulneribus in via Diestemium versus, ab haereticis religionis causa peremptus est.*

Baretius part. IV. Chron. lib. 7. pag. 647.
Gonzaga pag. 989.

LXIX. Occisos quoque die IV. Julii in odium fidei invenio apud Belgas quatuor alios minoritas, qui coacti minutiorem deglutire arenam, et jusculum rutae haurire, dimissique veluti liberi, tot, tantisque vomitibus, et viscerum convulsionibus biduo sunt excruciati, ut eadem ferme hora animam exhalarint, non sine moerore, et lacrymis ipsius Alexandri Farnesii militiae praefecti. Eos innuere videtur Gonzaga, dicens post narratum martyrium Guilielmi Stravi, et socii ejus: *fuerunt et alii multi tempore praesentis persequutionis ab iisdem adversariis nebulonibus, ob constantem confessionem, et fidei ecclesiae c. R., incarcerati, graviter cruciati, variaque ludibria experti, qui aqua angustiae, et pane tribulationis sustentabantur.*

Petrus Blancartus.
Idem in prov. Aquitaniae recent. conv. 32.
Carolus Lusachius, et socii.
Ibidem conv. 28.

LXX. Haud conquievere interea Hugonottorum gladii in Aquitania recentiori, ubi hoc anno, funditus everso coenobio oppidi Ixidolii, inhumane trucidarunt die XXII. Octobris Petrum Blancartum sacerdotem, strenuum Christi militem, qui nullos labores, et odia pro veritate unquam formidavit; in coenobio Gordonii Cadurcorum, copiis Durensium domini aedem diripientibus, flammisque tradentibus, Carolum Lusachium guardianum, Henricum lectorem, praestantemque concionatorem, Petrum Vabolesium, Arnaldum Vignaultium, et Petrum Quartum cru-

delissime vexatos, necatosque die vi. Junii; in coenobio Vinacriniacensi ad fluvium Armanzon in Burgundia Esmalium Vinacrium sacerdotem glandibus plumbeis trajectum, et mucrone confossum, dum oppidum Montiniacum haeretici depopularentur, et coenobium diriperent.

Esmalius Vinacrius. Ibidem conv. 35.

LXXI. In provincia etiam Hyberniae suos habet hoc anno ordo seraphicus gloriosos martyres. Patritius Ochelius ab ipsa adolescentia optimis disciplinis imbutus, ordinemque observantium ingressus, in Hispaniam se contulit, ut apud accademiam Complutensem sedulam studiis operam navaret, ubi eruditionis laude non solum coetaneos suos aequavit, verum etiam ils longe praestitit. Divino spiritu afflatus et zelo animarum hybernorum a recta fide in dies aberrantium aextuans, Romam non anno MDLXXVII., ut plerique scriptores tenent, sed MDLXXVI. venit, copiam sibi petens, ut illuc causa praedicationis fidei liceret proficisci. Itaque apud Christophorum de Capitefontium ordinis generalem instat, qui, optimi viri Patritii perspecto consilio, negotium universum Gregorio XIII. commendat, a quo requisitus, cum singularis prudentiae, eruditionis, et eximii zeli indicia ederet, die IV. mensis Julii MDLXXVI. ut diximus, episcopus Majonensis creatur, magnificaque admodum largitione erga eum usus, dimittit, serio gregis sui curam, et salutem illi commendans.

Patritius Ochelius. Thomas Bourchier hist. eccles. fratrum de Observ. p. 165. et seq. Parisiis an. 1582. Michael Brenan histor. Hyberniae tom. 2. pag. 120. Dublini 1840. Arturus ad diem 14. Septembris. Bourchier ibidem pag. 235. Baretius IV. part. Chron. pag. 631. Ex Tabulario secretiori Vaticani tom. 23. pag. 237.

LXXII. Itaque Parisios petiit, atque inde Lutetiae spatio septem vel octo mensium moratus est, quo tempore suis privatis sermonibus plures Hugonottos ad catholicae ecclesiae sinum perduxisse, fertur. Illic quaedam ex patrio solo recepit infausta penitus, et parum grata, quae sane hominis animum non ignari, quam periculosa sit res inter haereticos versari, potuissent a concepto in Hyberniam proficiscendi proposito deterreri. Verum maluit vir Dei mandato Pontificis obtemperare, quam propriae vitae commodum prospicere. Se igitur itineri dedit una cum socio ejusdem instituti sacerdote Connacio a Roverke inclyti principis Bernardi a Roverke filio, ac mari britannico se committens, ad littus quoddam penitus desertum applicuit, ubi flexis genibus Deo suo gratias egit, ut digne habitus fuerit pontificiis mandatis obsequi. Statim divertit domum Joannis comitis Desmonae, virum seraphico instituto addictissimum; at, eo absente, ab uxore calvinistarum labe infecta, dolo externae benevolentiae perhumaniter exceptus, cum socio occulte proditur. Postridie discessit Limirium versus, quae civitas est Memoniae princeps, ut inde ad catholicorum copias transiret. Operam ipsa comitissa moliente, primo a praetore loci in vincula conjectus, moxque ducitur ad oppidum Mologense, XIV. M. a Limirio dissitum, ubi tunc temporis pro-rex Guilielmus Drurius morabatur. Is catholicis infensus, tamquam laesae majestatis reum morti addicit una cum socio.

Connacius a Roverke.

LXXIII. Post quindecim dies e carcere eductus, et beneficii sui jus integrum et possessionem, et honores maximos illi se daturum spopondit pro-rex, si avitam fidem negaret, et Elisabetham reginam Angliae tamquam caput ecclesiae juramento veneraretur. Cum id renueret, nec sibi licere fidem cum honore et possessione vitae commutare respondisset, eum hortatus est postremo, ut omne negotium, et quid Pontifex et rex catholicus consilii captassent pro Hyberniae invasione proderet. Ipse autem fassus est, se eo appulisse, ut episcopale munus erga

Digitized by Google

gregem sibi creditum obiret. Tunc satanae ministri acceptis tenuioribus acutissimis ferramentis, digitisque ea superponentes, ac mallei ictibus imprimentes, digitos ipsos in partibus secarunt. Quo in supplicio una haec erat illorum vox: *Sit nomen Domini benedictum.*

Spondanus ad an. 1579. num. 13.

LXXIV. Diverso martyrii genere affectum primo fuisse narrat apud Spondanum Roscius in Phelarismis Evangelicis. Ait enim » ocreis amplissimis eum indui jussisse, easdemque calce, butyro, sale, et oleo » impleri, tumque sic ocreatum, aquae ferventi immergi: quo teterrimo tormenti genere non solum cutis, sed etiam nervi, musculi, » venae, et tota fere caro tibiarum consumpta est, ossibus nudis remanentibus. Hortante rursum pro-rege, ut suae petitioni acquiesceret, cum promissione restituendi eum in integram sanitatem per chirurgos et medicos, ridentem haec et constantissimum in confessione » fidei catholicae, ac supremae auctoritatis Pontificis in regimine ecclesiae perseverantem, tortoribus tradidisse, qui ossa tibiarum, brachiorum, crurum, et digitorum ejus lapidibus confregerunt, ac deinde » ad patibulum adduxerunt ». In tam acerrimo cruciatu, vir Dei tanto animi robore septus est, ut, illuc cum socio iter agente, litanias laeto animo decantaverit. Absolutione a socio accepta, eademque isti ab illo impertita, et gravissima oratione pro catholicae fidei veritate ad populum habita, mox ad pro-regem convertitur eique exprobata crudelitate et iniquitate, cum eum ad divinum tribunal rationem reddituruṃ suorum scelerum citasset, ipse cum socio hoc anno die xxii. Augusti laqueo necatur. Prorex autem cum citationem illius irrideret, post paucos dies incurabili morbo a Deo correptus, Watfordiae, nullo vulnere laesus, turpissimam mortem deinde oppetiit, totoque audiente exercitu cui praeerat, mortem episcopi interitus sui fore causam, seque inferni tormentis cruciari palam professus est.

LXXV. Episcopi et socii corpora cum diu in patibulo catenis suspensa permansissent, nullo modo vultu aut colore mutata sunt, sed ita mollia, vegeta, et florentia apparuere, ac si illa hora occubuissent; imo ex ipsis corporibus odor ita suavis efflabat, ut ad rei insolentiam populus undique conflueret. Quare licet illa pene nuda remansissent, quia a pia spectantium devotione ab ipsis frustratim conscissa et ablata fuissent vestimenta, tamen neque a canibus, molossis, et feris, quae in oppido Kilmalkok suspensorum corpora statim devorant, unquam fuerunt petita; quae postea condigno honore inhumari curavit laudatus Joannes Desmoniae comes. Eos martyrium subiisse anno transacto tradit Michael Brenan franciscanus in sua historia ecclesiastica Dublini edita anno MDCCCXL.

Michael Brenan tom. 2. pag. 120.

Joannes O Duada martyr.

Monum. prov.

LXXVI. In eadem provincia fr. Joannes O Duada conventus de Moin confessarius post auditas quorundam fidelium confessiones ab Anglis haereticis captus et variis poenis tortus, cum factas sibi confessiones illis revelare recusaret, fune ejus fronti et capiti in circuitu juxta coronae tonsuram alligata, injecto baculo sensim stringebant, donec excussis ejus oculis, cerebroque per aures expresso, fracta et in unum coarctata crania, barbaro et inaudito tormento, Deum et Beatam Virginem Mariam assidue invocantem crudeliter occiderunt.

Digitized by Google

LXXVII. Ad sponsum suum in coelis ex hac vita properarunt in monasterio Conceptionis *de Velez* civitatis Malacae in regno Granatensi, Isabella Carillo Malacensis genere nobilis, socia Isabellae Morales, et Annae Carabio perfectarum virginum, educataque ab ineunte aetate IV. annorum in monasterio S. Clarae patriae suae, ubi etiam vota religionis emiserat. Translata in monasterium *de Velez*, ut ipsius moniales abbatissae munere reformaret, praefuit omnibus zelo fervens, et virtutum exemplo spectabilis, quam sorores luxerunt die II. Octobris obeuntem in illis verbis: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* In monasterio Conceptionis Pinciarum in Castella Veteri Francisca a Conceptione, quae rigidis extenuata poenitentiis, vulnerata fragris, et ciliciis, in ultimo agone ulceribus scatens, ingentes cruciatus patientissime sustinuit. Quumque corpus ejus odore tetro aerem inficeret, continuo, anima recedente, suavissimis effluviis cubiculum perfudit. Isabella Carillo. Anna Carabio. *Monument. prov.* Francisca a Conceptione. *Ibidem.*

LXXVIII. Eam illic paucis ante annis praecesserat Maria de Torres, cujus in corpore terrae mandato consumptis XX. post annis, vestibus, et fibris carneis, ac musculis, serica conceptionis imago, quam sorores ex regulae praecepto ad pectus gestant super scapularem clamydem, costis, dorsique spinae fortiter adhaerebat, quod miraculo adstantes tribuerunt laudabilis vitae ejus memores. In monasterio S. Elisabeth Segobiae defunctis antea Mariae Pennalosae, Elisabethae Peraltae, et Joannae Lopetiae, addita est hoc anno Catharina de San Millan. Fere semper in choro pernoctabat res coelestes meditata, corpore et spiritu in Deum erecta, ibique multa a daemone patiebatur; nam aliquando illam sonitu quasi festive canentium orantem turbabat, aliquando belluae rictu ferociter in illam irruebat; saepe etiam ita verberabat, ut cruor a membris flueret. Viginti ultra dies ab ejus funere odorem veluti rosarum in cubiculo narrant permansisse. In monasterio SS. Cosmae, et Damiani de Urbe Eugenia Coleire romana, Christina de Ursinis Cerae principissa, Damiana a Turre, et Adriana virgines innocentes, et sanctae. In monasterio de Ave Maria olim Beghinarum apud Parisios Franciscam II. de Malignac abbatissam, quae decessit anno MDLXX., sequuta est hoc anno die XIV. Septembris Gabriela I. Royer post novem regiminis annos peste absumpta, dum aliis sororibus infirmis ministraret. Maria de Torres. *Monum. prov.* Catharina de San Millan. *Monum. prov.* Eugenia Coleire, Christina de Ursinis, Damiana a Turre, et Adriana. *Ex autographo monast. de Urbe.* Gabriela I. Royer. *Gallia Christiana tom. 7. pag. 959.*

LXXIX. In monasterio S. Clarae Ulyssiponensis Leonora de Spiritu Sancto, filia Andreae Soares, et Mariae Valente Ulyssiponensium, defuncta est XVIII. aetatis suae anno, biennio post emissa inibi vota. Coelestem sponsum toto cordis sui affectu concupivit, cui se dicavit tres annos nata, quin parentum suorum, qui divitiarum splendore, et terrenarum rerum commodis eam allicere studebant, ut ad saeculum rediret, blandimentis caperetur. S. P. Francisco sacellum posuit in claustro sumptibus suis, ejusque praesentia recreata est non semel in infirmitatibus, quas pertulit. Dum extremae unctionis sacramentum reciperet, Sanctum ad ministri latus adesse viderunt sorores luce fulgidum, eique inservientem, atque ipsa extra sensus paullulum facta, postquam ad se rediisset, exclamavit: *Quaenam vox pulchra, et divina mecum hic cantabat litteram istam: Misericordias Domini in aeternum cantabo?* Diem transitus sui, viribus valens multo ante futurum praedixerat, XXVI. Februarii, quo decurrente, et sororibus vaticinii memores quid accide- Leonora de Spiritu Sancto. *A Spe part. 2. lib. 7. cap. 10. pag. 119. et seq.*

ret expectantibus, in illis verbis: *Educ de custodia animam meam. Me expectant justi donec retribuas mihi*, animam Deo reddidit. Ferunt, volucres circum cantus emisisse, et beatae alis plausisse, dum per claustrum ad tumulum duceretur.

Leonora Gusmania.

LXXX. Leonora Gusmania ex ducibus Methimuiae Sidoniae octennis parentibus orbata, mansit sub avunculi tutela, a quo ad nuptias invitata respondit, se Christo jam nupsisse, quem sine injuria deserere non posset. Anno aetatis xii. verita ne ad conjugium vel invita adduceretur dixit, se maximo teneri desiderio invisendi materteram suam abbatissam in monasterio S. Agnetis Hispalis, ibi dum ad januam moniales alloquitur, loci penetralia levi pede statim ingreditur, nec inde ullo pacto excludi potuit. Minitantibus vero ruinam monasterio consanguineis ejus, et affinibus, ex Ferdinandi, et Isabellae catholicorum regum mandato, translata est in monasterium S. Clarae Hispalis, ut coram archiepiscopo, et regio urbis praefecto mentis suae propositum liberius aperiret. In sententia persistens, ibidem habitum sumpsit, et vota nuncupavit, floruitque humilitate, paupertate, poenitentia, Dominicae cruci devotissima, et recolendis sacris mysteriis dies, noctesque occupata. Abbatissae munus pluries obivit, non voluntate quidem sua, sed virginibus obsequuta, quae illam ut matrem diligebant. Gonzaga scribit, eam monasterium ingressam xii. aetatis anno, mansisse in illo xxviii. annos subditam, xli. abbatissam, nempe (sunt ejus verba) ab anno mdx. usque ad an. mdlxxix., quod, ut patet, verum esse nequit. Obiit hoc anno, non decennio post, ut inquit Arturus, die xxi. Junii. Post xiii. menses corpus ejus integrum repertum in loco subterraneo humido, et corrumpendis corporibus apto, condiderunt moniales in mausoleo splendido in choro, e regione sepulchri, in quo jacet Alvarus minorita episcopus Sylvensis, qui monasterium S. Clarae pluribus redditibus ditaverat.

Gonzaga in prov. Baeticae mon. 1.

Sebastianus de Baetia.

Joan. Franciscus a S. Antonio tom. 1. pag. 518. et seq.

LXXXI. Ex humanis abiit hoc anno Sebastianus de Baetia, primus ex apostolicis illis viris, qui in Philippinas Insulas se ultro petendas obtulerunt. A Petro de Alfaro, una cum Joanne Baptista Pisaurensi ad provincias Pangasinae, et Ilocos evangelii lumine collustrandas destinatus, hac illac ad ambitum xc. leucarum discurrens, quamplures infideles Jesu Christo peperit. Muto loquelam restituit, aegris aqua lustrali aspersis sospitatem reddidit; insuper puellam tribus ab hinc diebus defunctam ad vitam excitasse tradunt. Ad annum ibidem commoratus, eum pro disseminanda fide in regno Sinarum in partem laboris adscivit laudatus de Alfaro. Verum dolo interpretis Simonis Rodriquez e Sina simul cum sociis repulsam passus, in navigio mortem justorum oppetiit. Corpus in arca lignea reconditum, mense Decembri Amacanum fuit delatum.

LXXXII. Vastante lethali pestilentia civitatem Ulyssiponis, mense Septembri quinque franciscani, quorum nomina scripta sunt in libro vitae, dum infirmorum curam agerent in nosocomiis mortem oppetiere. In coenobio S. Francisci Murciae Joannes de Vallesteros ex oppido de Huete dioecesis Conchensis, per annos multos incola coenobii S. Catharinae de Monte, tribus a civitate Murciae milliaribus, ubi anachoretae vitam duxit inter flagella, jejunia, et coelestium meditationes. Ex medicorum consilio inclinata jam aetate, viribusque debilitatis, Murciam petiit, ubi expletis lv. religionis annis, quievit septuagenarius. In coe-

Joannes de Vallesteros.

Monument. prov.

nobio S. Mariae Gratiarum Sergnii, seu Aeserniae comitatus Molisini in regno Neapolis, Franciscus de Ratino laicus vitae sanctae, magni habitus a saecularibus, qui ejus opem implorabant; in coenobio S. Joannis Baptistae Pisauri Franciscus ab Offida diffinitor provinciae Marchiae vir regulae observantissimus. In eadem provincia Marchiae laboribus finem imposuit, quos plurimos exantlavit in verbi Dei praedicatione, eloquentissimus, et ferventissimus Bernardinus a Serviliano, quem nescimus ubinam conditus fuerit. In provincia Tusciae Paulus Pisanus artis poeticae peritus, moribus innocens, et egregius concionator. Sepulchri locum non exprimit Antonius de Terrinca, qui eum memorat in theatro Etrusco-minoritico; in coenobio SS. Naboris et Felicis Mediolani Ruffinus de Galarato conventualis aetatis annorum LXXX., a cujus corpore, biennio post mortem, vivus sanguis effluxit.

Franciscus de Ratino. Ibidem.
Franciscus ab Offida.
Bernardinus a Serviliano. Monum. prov.
Paulus Pisanus. Terrinca part. 3. tit. 1. serie 6. p. 222.
Ruffinus a Galarato.

LXXXIII. Didacus de Bonaventura Catalanus, relicto cathedralis ecclesiae Barcinonensis canonicatu, inter minores observantes cooptatus est. Confessarius Joannis ab Austria, et a consiliis Philippi II., praefuit guardianus coenobii S. Laurentii Montiliae, ubi cum coeteris fratribus praeluceret sanctitatis exemplo, ejusdem virtutis semitam omnes prosequebantur. De eo sic scribit P. Yvo minorita « vidi..... jam multa nocte » quemdam fratrem genuflexum in profunda oratione, cujus gemitus et » suspiria, ut andivi et vidi refero. Hic frater erat guardianus fratrum » recollectorum monasterii de Montilia, amiciebatur panno aspero et » vili, habitu brevi et valde stricto sine calceamentis ». Obiit in conventu S. Francisci Tudensis in provincia S. Jacobi.

Didacus de Bonaventura.
Alphonsus de Torres in prov. Granat. pag. 291.
In manipulo frat. min. part. 1. pag. 14.

LXXXIV. Sesquimilliari ab oppido de Muris in Gallaecia dioecesis Compostellanae in provincia S. Jacobi, et coenobio S. Francisci, oculos vitae clausit genuflexus, orans et psallens Arias de Fresno, seu Fraxino sacerdos, in vico Castripoli inter Astures nobilibus ortus parentibus, valde poenitens, et pius erga proximum, sublatus est ex epidemia, quam contraxerat, deserviens magna charitate confratri suo laico peste infecto. Anno MDLX. dum inter peragenda sacra in ecclesia S. Marthae Ribadaviae garritu hirundinum turbaretur, jussit eas evolare, et paruerunt illico, nec amplius redierunt, donec multo post tempore novum templum exstructum est, quasi cum veteri ecclesia, unde exularunt, defecerit vis praecepti. Provinciam eamdem illustravit hoc anno in monasterio S. Clarae Asturicae ad fluvium Tuerta in regno Legionis, Agnes Asturicensis, genere et pietate spectabilis, cujus sanctitatem testatae sunt Marianna de Losada, Leonora de Tapia, et Maria de Jebra, quae illi morienti ad stratum adfuerunt; quum enim ab Helena de Carrilas jam defuncta, quam magistram habuerat, tertium vocaretur, ore renidenti se composuit ex hoc mundo ad sponsum itura, animamque placidissime emisit perfusa dulcedine.

Arias de Fresno. Monum. prov.
Agnes Asturicensis.
Monumenta prov. S. Jacobi.

LXXXV. Michael de Villafranca cathedraticus, et lector theologiae in accademia Complutensi, relictis omnibus bonoris, et divitiarum oblectamentis, minoribus adscribi voluit in coenobio Complutensi S. Mariae de Jesu, praefuitque guardianus coenobio S. Francisci, seu S. Mariae de Jesu de Torrixos dioecesis Toletanae, ubi orationibus suis sanitatem aegris restituit, aliaque mirabilia patravit. Aliquando ab homine improbo, quem positum omnibus in offensionem, et petram scandali

Michael de Villafranca.
Antonius Rozo in hist. S. Didaci lib. 5. cap. 2. pag. 347.

reprehendit, hortatus, ut ad bonam frugem rediret, colaphum accepit, atque illi nihil turbatus gratias egit. Coluit maxime b. Didacum Complutensem, cujus reliquiis signabat fideles adventantes, eosque monebat, quod si bonus odor a reliquiis efflueret, de seipsis bene sperarent; sin ingratus, nossent, se alicui crimini obnoxios esse. Oblatum sibi a Philippo II. episcopatum Abulensem constantissime recusavit. Obiit hoc anno cum fama sanctitatis, confessarium agens in monasterio discalceatarum regalium Matritensium.

Didacus de Landa. LXXXVI. Didacus de Landa Hispanus alumnus provinciae Castellae postquam in litteris profecisset, et guardiani munus explesset in conventu S. Antonii de Capraria, transivit in Jucataniam contra Insulam Cubae, ubi agrestes, ferosque Indos docuit mores, et humanitatem, nihilque non egit ad illos Christo lucrifaciendos. Qua in re ubicem invenit conterraneorum suorum in ejus regionis populares asperitatem, seu potius tyrannidem, et liberiorem vivendi licentiam, quae iis gentibus exemplo esse non poterat ad virtutem et religionem. Hinc tum Indis ad fidem perducendis instabat, tum christianis in viam revocandis, quumque opus suum indefessus urgeret, et vitia vehementiori zelo objurgaret, non mediocrem invidiam sibi conflavit apud Hispanos potentiores, et Indos, qui eum veneficiis, et incantamentis suis adversari, atque in superstitiosos austere animadvertere dolebant. *Torquemada t. 3. lib. 19. cap. 10.*

LXXXVII. Renuntiatus episcopus ecclesiae Jucatanensis, et Cozumelensis, nihil de vigilantia sua, et severitate remisit, imo vero suarum partium duxit in rem incumbere diligentius, et ab agro dominico zizaniam radicitus prorsus evellere. Quapropter odio objectus, et insidiis malorum hominum multa perpessus est, ad necem quoque appetitus; nam semel, iterumque hostibus suis equo obvius in via, quum illi equo venerabilem antistitem deturbare, et in flumen projicere niterentur, immotus perstitit, pulcherrimi juvenis coelitus demissi tutela fretus, quem hostes se vidisse affirmarunt, eorum viribus obsistentem. In civitatibus Meritae, Vallisoleti, S. Francisci de Campecho, Simancas, caeterisque idolorum fana diruit, daemonum cultum evertit, superstitionis reliquias perdidit, ingentemque infidelium numerum baptizavit, ubique Christum annuntians, et loca omnia perlustrans, quae jacent inter duos sinus Mexicanum, et de las Honduras in oceano boreali. Anno MDLIII., multo scilicet ante, quam episcopalem iniret dignitatem, guardianus coenobii S. Antonii Itsmalis Indorum oppidi, jussit in magna annonae caritate, ut ex frumento, quod vix unum mensem alendis fratribus satis erat, panis fieret, in fratres ipsos, ministros, et cantores ecclesiae numero XX., ac in pauperes, qui ad januam accederent, distribuendus. Tribus deinde elapsis mensibus, eadem frumenti mensura superfuit in horreo. Fuit minister provinciae S. Joseph de Jucatan. Saepius ad populum verba facientis, et regnum Dei evangelizantis supra caput fulgens astrum coruscavit. Hoc anno die VI. Augusti juxta Arturum, vel mense Aprili, ut verius scribit Joseph Torrubia, laboribus suis finem imposuit, omnibus ad funus ejus accurrentibus, iis praesertim, qui eum odio habuerant, sanctumque conclamantibus. Jacet honorifico tumulo conditus in aede cathedrali, teste Gonzaga. *Torrubia in catal. episcop. pag. VI.* *Gonzaga part. 4. pag. 1307.*

LXXXVIII. Migravit ad lucem ex umbra rerum in coenobio S. Mariae, et b. Barbarae Leodii Lambertus Willot ex Fontibus Episcopi in Hannonia, patruus Henrici Willot, qui *Athenas* orthodoxorum sodalitii franciscani scripsit. A pueritia bonis moribus imbutus, spem de se ostendit optimam, et adolescens regularem minorum observantiam sectatus est in conventu SS. Francisci, et Ludovici supra Sambram in provincia Flandriae. Flagravit zelo salutis animarum. Omnes ad virtutem concionibus suis excitabat, viduas ad continentiam, virgines ad pudicitiam, juvenes ad mundi contemptum, singulos ad poenitentiam. Dixit aliquando, se nosse sacerdotem, cui Christus post consecrationem visibiliter apparuerit, quod auditores de ipsomet, qui loquebatur, intellexerunt. Raro sacrum faciebat, quin sacramentum suscepturus in lacrymas solveretur.

Lambertus Willot. *Monumenta prov. Flandriae.*

LXXXIX. Administravit guardianus coenobia S. Antonii de Padua Biezi in Arthesia, et SS. Petri et Pauli Namurci, ubi multos a daemone vexatos signo crucis liberavit, visusque est frequenter ecstaticus sub tempus orationis. Guardianus in coenobio Leodiensi, quum instaret hora solemnis supplicationis in templo cathedrali, ita haesit extra se factus, ut procedentibus fratribus suis, ipse etsi impulsus, in loco permanserit, ac tandem ad se reversus grande suspirium emiserit. Singulis feriis quintis ibidem concionabatur ad cives, diebus aliis vacabat operibus religiosis, audiendibusque fidelium confessionibus. Non sine veneni suspicione quarto ab infirmitatis suae die eum obiisse narrant, Geusiorum opera, quorum impietatem, et crudelitatem vehementius exagitabat. Ex canticis Salomonis xiv. sententias selegit, ediditque *varios fidelis sponsae affectus, quibus erga sponsum redemptorem dulcissimum varie illa fertur*, additis xiv. iconibus, et sententiis, quae cujuslibet imaginis significationem exprimerent, libellumque explicationis adjunxit. Conditus est ad laevam arae maximae sub marmore, in quo superius insculptae sunt duae lampades sub his verbis: *Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum.* In corpore lapidis incisum legitur: *Religiosissimo in Deum, Teotocon Mariam sacerdoti, ecclesiastae ardentissimo p. Lamberto Willot hujus conventus coenobiarchae meritissimo discipuli moesti posuerunt. Obiit viii. cal. Majas anno mdlxxix. Inferius epigraphe: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat?*

Ludovicus Bail biblioth. concionat. cap. 101.

XC. Ludovicus a Calatahierone, cujus etiam mentionem faciunt Bollandistae in actis Sanctorum, licet nihil aliud ponant, praeter nomen, vocatus in saeculo Jacobus, filius Hieronymi de Martino, alias *Vaccarotto*, et Margaritae de Bizinio conjugum, honeste quidem educatus, sed aut coaetaneorum adolescentum consuetudine, aut vitio suo adductus, indecoram, turpemque viam ingressus, diu vixit cum meretrice, ex qua etiam filium habuit. Morum suorum pertaesus, et licentiam tandem detestatus, Deo mentem suam illustrante, secessit inter fratres minores, eorumque in ordinem se adscripsit ut laicus, in conventu S. Mariae de Jesu extra muros Calatahieronis, ubi multas pertulit maligni spiritus tentationes toto tirocinii sui tempore. Postrema nocte, quae antecedebat diem professionis emittendae, mulier, qua cum turpia exercuerat, vocavit eum a via publica sub fenestra cubiculi, seque brevi dixit morituram, nisi ille, postposita voluntate votis se mancipandi, ad amplexus suos rediret. Obsistente illo, sic fletus, suspiria, et blandimenta

Ludovicus a Calatahierone. *Acta SS. tom 1. Jan. in append. p. 1083.*

Ex chronica prov. Siciliae an. 1619.

composuit procax, et inverecunda mulier, ut Ludovicus victus demum, abjecta tunica, a coenobii parietibus deorsum se dimiserit, nudusque profugerit illam sequutus. Non procul inde pendebat ab arbore infelix quidam a carnifice paullo ante suspensus, et strangulatus, quem praeciso fune in terram collapsum expoliavit, ejusque vestimentis se texit, ac funem abstulit; nec multo post furore quodam mentis correptus, et criminum, quae peregerat, consideratione territus, ac de se omnino desperans, juxta praedium patris sui *de la Sarrachina,* funem, quem in manu habebat ad collum suum injecit, viribus omnibus enisus, ut sibi necem inferret. Abierat infamis mulier domum redditura; at latratu canum exciti villici a proximis stabulis, accurrentesque ad spectaculum, funem gladio inciderunt, et sic miser mortem effugit, quam quaerebat licet adeo laeso collo, ut pharmacis curari debuerit diebus plurimis.

XCI. Mansit apud villicos ea nocte, dieque postero venit pater, qui percitus adspectu filii sui ex oculorum distorsione, vultus ferocitate, spumisque ore emissis lymphati hominis speciem referentis, a civitate adduci curavit reliquiam S. Jacobi Apostoli, et super illum imponi. Postquam mentem recepisset, ab agro non discessit, ne civium linguas in se exacueret, et digito notaretur, si patrios repeteret lares, tantoque arsit desiderio franciscani ordinis, ut multis precibus in illum rursus receptus fuerit ab Antonio de Calatahierone; missusque Saccam, seu Thermas Selinantiorum ad oram Libici maris, tirocinium egit, et votis se obligavit in conventu S. Francisci, assumpto nomine fratris Ludovici, sub humili laicorum conditione.

XCII. Vitam exorsus poenitentem, in membra sua eam tulit legem, ut quantum fuerant in deliciis, tantundem doloris, et amaritudinis paterentur. Abstinebat omni cibo singulis secundis, quartis, sextis feriis, et sabbato, aliisque temporibus semel in die panem comedebat aqua madefactum, nunquam additis carnis, aut piscium ferculis, ne in extrema quidem senectute. Rudem tunicam, et subtus eam cilicium gestabat ad cutem ex equinis crinibus; nullaque nox praeterlapsa est, quin flagello se caederet aspero, donec recentia vulnera latiores ducerent sinus, et maderent respersa sanguine cubiculi pavimentum et parietes. Minimum somnum captabat super tabulas, vel sarmenta, vel in ecclesia genuflexus, ubi post matutinas laudes perstabat in oratione usque ad auroram, qua lucescente, pergebat ad munia sua in hortum, culinam, aut nosocomium infirmis ministraturus. Nudis plantis summo in hyemis rigore frigus tolerabat, sic ut nihil jucundius ei videretur, quam gelidis se objicere aquilonibus, nivesque et glaciem premere; si ad eleemosynas conquirendas exeundum foret, vel ad alia obeunda mitteretur a guardiano suo, rogatusque ab amicis, ut ad prunas paullulum se calefaceret, respondebat tantum: *Pulchrum est pati.*

XCIII. Egenos inter ad coenobii januam collectos panis fragmenta distribuebat, et jusculum in scutellis infundebat, quo famem compescerent; insuper munuscula fructuum, et cupediarum, si quae sibi obvenirent, iis donabat, maxime senibus, et membrorum vitio aliquo laborantibus, aut ad fratres suos comedenda deferebat, ipso jejuno. Administravit guardiani munere coenobia S. Petri Pactarum, S. Mariae de Jesu Plateae, et S. Mariae de Jesu Calatahieronis, solers in rei domesti-

cae cura, in legum custodia diligentissimus; divini zelator cultus, atque ita dignitatem benignitate, et mansuetudine temperavit, ut fratrum obsequium, et amore promeruerit, eosque duxerit quocumque vellet alacres, lubentesque. Sed et apud extraneos bene andit, ejusque sanctitatis fama, et exemplo mulier, quae eum seduxerat, non solum ad bonam frugem se recepit, quin etiam anteactas culpas poenitentia duriter explavit, nuda pedes, carnes praecincta amictu laneo rudi, atque aspero, et tandem pie decedens memoriam suam in benedictione reliquit.

XCIV. Saepius in ecstases incidebat sublimes, et diuturnas in privatis sacris aediculis, in publicis ecclesiis, in aulis virorum principum, qui eum arcessebant, ut orationibus ejus se commendarent, et consilium exquirerent, si arduum aliquod instaret negotium. Semel sub horam prandii domo S. Mariae de Jesu Plateae, quum praeter morem ad coenaculum non accessisset, repertus est in interiori sacello extra sensus factus, versis in coelum oculis, immobilis absque arteriae pulsu, et respirationis indicio, fortiterque impulsus ictibus nihil percepit, et ne gravem quidem acus punctionem, qua adstantes fratres dexteram manum ejus sauciarunt, cute perforata. Sic illi Deo benedicentes discesserunt, nec nisi post notabile tempus, sanctus ad se redivit. Alias post matutinas remansit in ecclesia, quumque sub auroram aes campanum pulsatum iret fr. Antonius a Calatahierone, audivit in ecclesia strepitum ingentem, veluti si trabes labarent, et subsellia in se ruerent, immittensque caput per ostium vidit fratrem Ludovicum ante aram maximam tranquille genuflexum, sacris vacantem mysteriis, et luce perfusum mirabili, eorum quae circum fiebant, vel inscium, vel minime solicitum. Introgressus lustravit omnia, nec quidquam deprehendit, ex quo rumor insolitus oriretur. Hinc illum in daemonum artes rejecit, qui orantem alio abducere conarentur.

XCV. Familiare illi erat, ignota et futura certo praedicere. Georgius de Motyca transiens prope vineam cum jumento paleis onusto, accepit a villicis racemos uvae eos deferre ad fratres, quibus inserviebat in coenobio S. Mariae de Jesu Calatahieronis. At ipse, ut copiosiorem eleemosynam domum detulisse videretur, acceptis permiscuit alios, quos furto abstulit. Eos autem pera extrahens sanctus ailos ab aliis diligenter separavit, dixitque Georgio: *Hos quidem dederunt tibi vineae custodes; hos autem clam subripuisti, homo male.* Quod ille confusus non denegavit. Alio die dixit ei: *Hodie te virum praebuisti; jumento enim iratus parum abfuit, quin in maledicta, et execrationes prorumperes, sed te cohibuisti.* Verumque id alter cognovit. Sebastianus Buffa rediens Calatahieronem ex agro sub noctis tenebras, imbresque validos, forte incidit in coenum paludosum, impiaque in Deum, et religionem evomuit, et diabolum invocavit. Inde vix egressus, et nimbis coactus, quos inter ulterius pedem ferre non poterat, divertit in aedem fratrum non longe dissitam, ut ibidem quiesceret. Tum Ludovicus eum acriter objurgavit, quod in Deum fuisset contumeliosus, in cujus providentia sperare potius debuisset. Adhuc reprehensione non expleta, vestes suas nec madidas, nec luto sordidas Sebastianus invenit.

Ex processu Catanensi an. 1624.

XCVI. Convocavit aliquando fratres suos in coenobio S. Mariae de Jesu Plateae, in quo erat guardianus, monuitque, ut sibi vicarium, seu praesidem constituerent; se enim triduo, aut quatriduo futurum peri-

culose infirmum, ac nescire, an foret occumbendum. Tunc fr. Humilis ab Herbita: *et sanus es*, inquit, *et florens. Quid hoc tibi, pater, ominaris, et nos moerore conficis:* cui sanctus: *credebitis, dum videritis;* omnesque collacrymarunt. Quatriduo nondum elapso, correptus febri peracuta minimam spem vitae suae reliquit; ad sanitatem tamen, favente Deo, iterum venit. Rogatus inibi a fr. Andrea socio suo, ut unum ex pullis, ex quibus fercula struebat pro infirmis, sibi concederet manducandum, dixit: *Si pullum comedes, aegrotabis.* At alter: *non inquam, sed magis valebo.* Vehementius autem poscentis voluntati morem gessit, qui ad postremum assi pulli bolum expertus est veritatem praedicationis.

XCVII. Mercator quidam Messanensis ad eum misit panni volumen, quo tunicam sibi consueret. Donum illo renuente, quod dicebat iniquo foenore comparatum, instabat is, qui detulerat, modisque omnibus contendebat, ut acciperet. Tum sanctus: *quoniam, inquit, me cogis, non totum sumam, sed partem;* praecisamque laciniam substulit sanguine rubentem; quo spectaculo homo usurarius non amplius versuram fecit, et civitatem excessit, ut non solum crimen, verum etiam criminis occasionem vitaret. Volumen alterum telae, quod per servum ei obtulerat nobilis vir Plateanus, ad lineas vestes sacerdotales conficiendas, domum ejus remisit sanguinis maculis mirifice aspersum.

XCVIII. Seraphinus de Bizinio clericus novitius in conventu S. Mariae de Jesu Plateae austeriori poenitentiae arbitrio suo deditus, repente daemonis suasione, qui novum martyrii genus sub angeli boni specie eum docuerat, seu potius perturbatione mentis insanus, relicta tunica in cubiculo, noctu a coenobio excessit per nemus, et in profundum aquae stagnum se nudum submersit. Postero die existimarunt fratres eum profugisse; quibus Ludovicus: *Ite, ait, ad stagnum, ubi miserum extinctum invenietis.*

XCIX. Deciderat a porticu sublimiori fr. Carolus a Calatahierone, lapsusque cervicem, et brachia fregerat, sic ut pro mortuo haberetur. In extremo ejus periculo, et adstantium metu, misit sanctus nuntium ad sororem suam Caroli matrem, qui ediceret, ne tristis esset; fore namque, ut filium suum incolumem brevi reciperet. Nec multo post perfecte convaluit. Similiter fr. Philippum a Calatahierone caesum in capite ictu lapidis a tecto ruentis, qui calvariam disruperat, medici mox interiturum testabantur. Ille vero: *vivet*, inquit, *fr. Philippus, et serviet Deo;* quod non frustra praedictum fuit. Nocte quadam in templo orans dixit fr. Antonio a Calatahierone familiari suo: *Hoc temporis puncto a vivis abit Ioseph Starabba, quem domi suae heri vidimus bene valentem.* Mane postero veritatem res comprobavit.

C. Matronae nobilis Josimundae de Piscopo aedem ingressus, dum de rebus spiritus cum illa loqueretur, statim abrupto sermone dixit: *Domina mea, in superiori conclavi turpe peccatum patrant.* Ascendens illa reperit filium suum cum muliere impudica. Praenuntiavit Angelo Paternico, qui in conventu forte pernoctabat, uxoris partum natamque filiam, quae ultro tres dies futura non esset superstes; atque eidem mortis periculum, quod imminebat agenti currum in plano, ubi nihil prorsus erat, quod timendum foret. Franciscae Satarianae puellae integra

valetudine supremum fatum, quod oppetiit. Matthaeo Calaxibetae dynastae de Sutumeno obitum filii sui Cassandri, et liberationem a purgatorii flammis parentum suorum eo ipso die, quo indulgentiam Papae Adriani Matthaeus lucratus erat; nemine vidente, in ecclesia S. Dominici Petro Antonio de Juliana distincte omnia detexit, quae in itinere passus fuerat plures ante annos; et Liviae de Maranto ducissae de Piscopo periodos, et eventus singulos vitae in posterum ducendae, nec ulla in re se deceptam mulier animadvertit.

CI. Donis etiam aliis caelestibus, et miraculis claruit. Dum liturgicis sacris inserviret, et sacerdos hostiam sanctam elevaret, intueri meruit visibili specie dominum Jesum in forma pueri intra iridem solis coruscantis. Culinae officio ex obedientia occupatus ad S. Petri Plateae, quinque parietes interpositi ante illum, et coram se aperuerunt, ut mysteriis, quae expetebat, interesset; quibus peractis, ad pristinum nexum rediere; quod ille guardiano suo, a quo in ecclesiam mittebatur, retulit genuflexus, et Deo benedicens.

CII. Quum celebraretur provinciale comitium in domo S. Mariae de Jesu Ficarrae, in eodem culinae officio, veluti si curam omnem ciborum parandorum abjecisset, ab ecclesia non discedebat, ubi eucharistico pane se refecerat, instabatque hora prandii. Objurgatus a fratribus, tandem coquinatum ivit, visique sunt cum eo juvenes aliquot, qui ollis versandis, ligna super focum reponendis, condiendis dapibus, caeterisque rebus festinanter navabant operam. Ut rem insolitam audivit guardianus, statim in culinam descendit, et neminem illic reperiens, nisi fr. Ludovicum, quaesivit, quonam abiissent juvenes, qui secum fuerant; cui Sanctus, neminem se advocasse respondit neque vidisse quemquam, suisque manibus egisse coquinariam. Accumbentibus ad mensam fratribus, dixit minister: *Laudemus Dominum, quoniam fr. Ludovicus cibaria nobis dat Angelorum ministerio instructa;* exiitque fama haec per universam civitatem.

CIII. Franciscus de Asaro medicus sicariorum gladiis atrociter vulneratus in capite, et vehementi febri ad extrema redactus, quum omnes de salute ejus desperarent, petiit videre fr. Ludovicum, qui licet male affectus domi detineretur, ivit tamen tertio post die morientis periculo commotus, precibusque recitatis super illum, dixit ei, bono esset animo, et spem in Deo reponeret. Brevi autem febris evanuit, et cicatricem vulnera sponte obduxerunt.

CIV. Joseph Palermo e civitate Plateae hydrops, suoque et peritorum judicio mox condendus tumulo, adductus in ecclesiam conventus S. Petri, post orationem Sancti ante immaginem Dominae nostrae, domum rediit pedibus suis, nec deinceps, quamdiu in vivis superfuit, intercus aquae ventrem suum affecit. Miraculum medici deinde praedicarunt.

CV. Philippa de Guadagno lateribus dolens, et totis artubus convulsa, aquam bibendam ab illo accepit, eaque hausta, nihil amplius mali sensit. Constantiae Gagliolae, cui ex paralysi brachium, et crus adeo exaruerant, ut illa movere non posset, manum prehendit, et dixit ei: *In nomine Jesu surge.* Et surrexit continuo membris suis expedita. Liviam de Maranto ducissam de Piscopo periculose infirmam, absens oratione semel persanavit; aliam autem veteri, et sinuosa carcinoma laesam in facie miserandum in modum linit saliva oris sui, facto signo crucis, et invocato

Jesu nomine, faedoque ulcere, recreatam dimisit. Agatham sororem suam tabe, qua peredebatur, sanam reddidit, et germanum fratrem maligna lue, eumque de peccato severe reprehendit: *Hoc, inquit, si post hac rursus admiseris, morieris.* Quam ille praedictionem ad vomitum reversus, veram agnovit.

CVI. Multiplicavit frumentum in area, negantibus iis, qui illud expurgabant, petenti sibi eleemosynam se daturos, quum minimae esset quantitatis, ejusque mensurae, ex qua si quidquam demerent, nihil ferme reliquum foret. Siquidem postquam illi precibus victi peram ejus frumento implessent, residuum acervum in area excrevisse agnoverunt. In domo Franciscae Spada ordini seraphico devotae multiplicavit benedictione sua farinam in arca subactam, ex qua mirabilem panum numerum illa confecit.

CVII. Petrus Satarianus puer cupream monetam forte deglutivit, quam solatii causa in ore versabat. Ex transverso autem haerente illa in gutture, suffocabatur infelix, neque pulsatione humerorum, neque aquae potu, aliisque remediis levamen ullum sentiebat. Vocatus Sanctus, signo crucis super eum, moneta in ventriculum descendit.

CVIII. Eodem crucis signo sanos reddidit Angelum Nobilem, cui rupto peritoneo, intestina in scrotum deciderant; Philippum, et Annam Satarianam ex quotidiana febri; Petrum Appulum ex profundo vulnere in occipite; Vespasianum Trigona ex inflatione ventris, laterumque, et iliorum cruciatibus; Antoninam Rosa ex insania, quam contraxerat ob longam, gravemque infirmitatem; Gratiam Chiada ex tubere, quod grani instar creverat in oculi iride; Franciscum Lagonisum ex porrigine, quae caput undique infecerat; Franciscum de Santo, et Paulum de Amore ex quartana; Paulum Calatabianum ex spasmate, seu igne S. Antonii tibiae insidente; Julianum Graimum puerum decem annos natum ex hernia. Quum enim eum mater in coenobium adduxisset, sanctus facto signo crucis, ventrale solvit puero, et dixit matri: *Confer te ad imaginem beatae Virginis, et ante illam dic quinque Pater, et Ave; deinde oleo lampadis, quae pendet ad altare, inunge filium tuum.* Paruit mulier, neque opus fuit filium inungere, quem reversa domum reperit perfecte sanum. Jumenta quoque Antonii Bambagalli, quae lapsu crus diffregerat, dum vinum deferret in coenobium, signo crucis, integrum ut antea crus restituit.

CIX. Senio confectus vir Dei in conventu S. Petri Plateae dixit Angelico Trigena amico suo: *Sororem meam, quaeso, Calatahierone huc advoces; cupio enim illi valedicere, antequam moriar.* Secum colloquutus in Angelici domo sorori, caeterisque feminis, quae lugebant, dixit: *Voluntas Dei est, ut vos deseram. Tantum mementote mei in orationibus vestris.* Abiens inde et fratrem suum salutavit, qui advenerat cum sorore. Hinc viribus fatiscentibus, lectulo jacuit fini suo proximus, quem expectans devoto viro, qui eum invisit, testatus est cum lacrymis, se non mortem formidare, sed culparum suarum gravitatem, et judicia Dei. Adstantibus fratribus supplicavit, ut secum recitarent litanias b. Mariae Virginis, sacrisque munitus, pias inter preces decessit die x. Januarii hoc anno. Corpus ejus arca inclusum absconderunt cives in sacrario; metuebant siquidem, ne ejus populares furto illud au-

ferrent; quod fortasse Pirrum impulit, ut scriberet, Ludovicum Calatabierone tumulatum. Post mensem furti rumore jam cessante, Plateanus Senatus, venerationis causa, corpus recondendum curavit honestissimo loco ad cornu evangelii arae maximae, translatum xxxix. post annis in parietem majoris sacelli sub fontem aquae benedictae, ubi vetus patebat ecclesiae janua. Neque Pirrum, neque Gonzagam satis sibi cohaerere invenio; ille enim apertis verbis asserit, Ludovicum a Calatabierone laicum familiae de Vaccarotti Plateae defunctum anteriori anno in conventu S. Petri; deinde, ut diximus, eum defunctum Calatabierone contendit. Alter vero modo scribit, Ludovicum sepultum Plateae, modo in conventu S. Mariae de Jesu Trioclae, seu Randatii cum Guilielmo de Intimelio, seu Vintimilio, provinciae Siciliae olim vicario, et Paulo laico Trioclensi, ubi eorum meritis non pauca miracula contingunt.

Sicilia Sacra tom. 2. pag. 671. in notitia eccl. Syracusanae.

Ibid. tom. 1. pag. 587. in notitia eccl. Catanensis.

Gonzaga in prov. Siciliae conv. 12. et 21.

CX. Dum ei justa persolverent in ecclesia, vir nobilis devotione ductus vitta serica coloris rubri leniter alligavit digitos pedum ejus nullo malo odore infecti, sed vegeti, et pulchri, quam sanctus motione pedum, tamquam si vivens foret, dissolvit. Rursus ille digitos fortius strinxit; sed majorem exerens conatum sanctus, coram omni populo diffregit vinculum.

CXI. Joannes Paulus de Cagnio a sex mensibus carcinomate affectus, quam immedicabilem periti judicarunt, audita morte fratris Ludovici, cucurrit ad ecclesiam, posuitque brachium, cui ulcus insederat super pectus ejus, praecisamque tunicae laciniam aptavit brachio, ac mane postero surrexit incolumis, occluso ulcere.

CXII. Baptista Parisius senex bernia laborans a xxx. annis, dum Sancto, qui in tumulum inferebatur, una cum aliis benediceret, disrupto repente subligamine, quo viscera sustentabat, sanus abiit, et non amplius incommodum ullum se passum affirmavit. Eodem die juvenis quidam xiv. annorum berniae morbo pariter liberatus est.

CXIII. Frater Seraphinus Ennensis, adhibitis remediis pluribus, fluxum sanguinis a naso fraenare non poterat. Imposito vero super caput suum dente Beati, quem servabat fr. Bernardus de Panormo, cessavit haemorrhagia. Sebastianus Barbagallus quartana febri multum, diuque extenuatus, eo die, quo febris erat reditura, jacuit super sepulchrum Sancti, ibique obdormivit. Evigilans post horam, de salute sua dubitavit, quum e sepulchro vox ei dixit: *Pone metum; nam non ultra aegrotabis*, ut evenit.

CXIV. Sequutus eum est in eodem conventu, hoc anno (minus vere Arturus ad diem v. Februarii signat annum MDLXXVI.) fr. Thomas laicus conterraneus suus, filius Antonii Laterri, seu Turris, et Pinae de Calatabierone conjugum, ab adolescentia sua in ordine minorum versatus inter asperrimas carnis macerationes, et martyrii veluti genus, quo poenitentiae hostiam Deo se quotidie offerebat. Nocte quadam, post cruentatum flagellis corpus, in ecclesia exclamavit: *Expecta, expecta, donec finiam.* Quibus vocibus excitus frater alius in ecclesiae latere orans quaesivit, quid sibi vellet; cui Thomas: *A daemone molestiam patior, qui vult, ut ab oratione discedam; cruciatus enim ei infert maximos.*

Thomas de Calatabierone.

CXV. Charitate vulneratus inservivit peste infectis, qui extra civitatem Plateae curabantur separatis in stationibus, nihil strages, et fu-

nera veritus. At prospiciens illos, ut plurimum absque sacramentis ad sepulchra rapi, precibus instituit apud fratrem Andream Motycensem sacerdotem, ut infirmis sacra ministraret, secumque illum duxit. Saeviente vero contagio, oravit Dominum, ut civitati parceret; si quid enim expiandum foret, se pro omnibus poenam daturum, ac paratum ad vitam profundendam, si sacrificio illo placari posset justitia, quae in miseros Plateanos adeo graviter animadvertebat. Exauditus, peste sublatus est genuflexus, junctisque manibus coram fr. Andrea socio, et confessario suo, ac statim pestis desivit. Antequam obiret, orationibus ejus nosocomii praefectus commendavit uxorem suam praegnantem, nonnullisque elapsis diebus, Thomas noctu in oratione positus dixit fr. Andreae: *Nunc praefecti conjux peperit filium masculum;* quod verum esse res comprobavit. Conditus fuit vir sanctus sub imagine S. Mariae de Pietate in aditu a porta claustri in ecclesiam, ubi postea in veneratione habita est effigies b. Mariae Virginis prope altare in cornu epistolae.

Donatus et Jacobus a Calatahierone.

Sicilia Sacra tom. 2. pag. 671. in notitia eccl. Syracusanae.

Gonzaga ibidem conv. 7.

Daza l. 4. cap. 2.

CXVI. Mortalitatem expleverunt in conventu S. Mariae de Jesu Calatahieronis Donatus, et Jacobus de Calatahierone laici. Hunc Arturus appellat de Parisio, agitque de ipso duobus in locis, scilicet ad diem xxviii. Januarii, ubi scribit, eum vixisse sub annum mdxv., et ad diem xvi. Aprilis, ubi ejus obitum memorat anno mdlxxx. Non video autem, cur bis ejus mortis scriptorem meminisse oportuerit; utrobique namque illam memorat. Commendatur oratione, poenitentia, humilitate, simplicitate, benignitate, et miraculis tot, tantisque, ut, Gonzaga teste, episcopus Syracusanus ea authentice per publicum notarium excepta, et libello commissa, in episcopale tabularium inferri, atque sacrum ejus corpus in communi sarcophago exhumatum, quod integrum adhuc, et incorruptum perseverat, honestissimo loco recondi curaverit. Miracula recenset Daza ex tribus actis authenticis; atque ex eodem Gonzaga discimus, illorum partem sibi vindicat fr. Antonius a Calatahierone sacerdos, cujus pariter corpus incorruptum episcopus transtulit in eumdem locum.

Stephanus de Molina.

Ex Chronica prov. Romanae auctore Francisco Nuno Hispano.

CXVII. Stephanus de Molina natus anno mdxcvii. Molinae in Aragonia parentibus Bernardo, et Mencia del Castillo, et Alarcon, dominis de Oradilla, et Prades, in saeculo dictos Gonzalus del Castillo, studuit humanioribus litteris in patria sua, duobusque, vel tribus annis, artibus, et theologiae in universitate Complutensi. Optante patre, ut jurisprudentiae operam daret, aetate annorum circiter xviii. Salmanticam ivit, et receptus illic apud stipendiarium universitatis, nomine Uagado, prima adventus sui die post coenam in cubiculum ductus ab hospite, secum eodem lecto acquievit, vel quia alius adhuc non erat stratus, vel quia ad urbanitatem, et benevolentiae significationem id Uagado pertinere existimabat. Quietem illis captantibus, homines aliquot Uagado infensissimi de media nocte, admotis scalis, domum ejus invadunt per aperta hypaethraque loca superiora, irrumpentesque in cubiculum, hostem ad necem quaerunt districtis ensibus. Quum vero ad pedum strepitum latrones, aut sicarios ille praesensisset, lecto excesserat, et in conclave secretius, munitumque se receperat, socio relicto nimiae properantiae causa. Rati illi ad subobscurum lanternae lumen, quam deferebant, hominem stragulis involutum, et tranquille dormientem, esse ho-

stem suum, gladios tollunt in caput ejus, ipsumque feriens alter eorum, jacentis capite vix tacto, pulvinar scindit ictu gravi. Tum juvenis a somno excitatus, seque armis circumdatum intuitus clamorem edit, quo percussores admoniti se deceptos, domo prius quaquaversus lustrata, tandem abeunt, re infecta.

CXVIII. Periculo liberatus, Deo protegente, mansit Salmanticae usque ad annum insequentem, ac *licentiatus* in jure canonico, et civili, rediit in patriam, serioque perpendens instabilitatem rerum fluxarum, et vitae hujus incerta, inservivit sub oblati tunica fratribus ordinis S. Hieronymi in monasterio S. Mariae de Guadalupe in Extremadura, occupatus in officiis humilitatis, et ignotus omnibus, quibus nomen familiae suae, et patriam occultavit. At diutius latere non potuit, detectus paullo post ab hospite, qui nuper advenerat, et quo cum Salmanticae saepius congressus erat in litterariis concertationibus. Hinc, re divulgata per monasterium, ne in existimatione haberetur, ad suos reversus est, animo Romam petendi, ubi opera uti poterat Constantini del Castillo avunculi sui, ecclesiae Conchensis decani, et in aula Pontificis supplicum libellorum magistri, ut, quod avide cupiebat, in loca sancta Palaestinae facilius transfretaret.

CXIX. Facta sibi a parentibus libertate, discessit veste peregrini, mulae insidens, quam postea vendidit in oppido Daroca regni Aragoniae, indecorum reputans, equitatu hominem vehi, qui religionis causa iter susceptisset. Quare pedester reliquum viae ingressus, sua, donec illa superfuit, victum sibi comparavit; ea vero consumpta, mendicavit confidenter per oppida, in quae devenit. Romae, ne avunculum quidem suum invisit, sed lustratis basilicis, abjectoque consilio profectionis in Palaestinam, ordini minorum nomen dedit in vigilia Nativitatis Dominicae anno MDXVII., quo capitulum *generalissimum* celebratum est sub Leone X. Habitu religionis donatus in coenobio S. Mariae de Aracoeli, assumpto nomine fratris Stephani, tirocinium egit in coenobio S. Mariae Majoris Tyburis inter clericos, etsi maluisset in laicorum numerum adscribi, quod ob corporis gracilitatem et tenuem valetudinem, assequi non potuit. Et quamvis ingenio probatissimus, atque eloquentia, cujus specimen praebuere latinae conciones suae ad fratres in coenaculo collectos, pietate etiam excelleret, attamen nonnisi post XVIII. menses ad solemnem professionem est receptus propter infirmitates, quas pertulit; mirumque fuit, eum subinde ad senium usque adeo firmis fuisse viribus, ut numquam aegrotasse videretur.

CXX. Tametsi, uti diximus, in utroque jure licentiatus, logicam tamen non contemnendam duxit, cui propterea navavit operam in coenobio S. Francisci Praenestis una cum fr. Bernardino de Tybure, quem contubernalem habuit in tirocinio, laudatorem suum, virum pium, et ingeniosum. Desideravit illic librum aliquem veluti ducem meditationum suarum, petiitque a Bernardino cardinali de Cervajal, quem unum ex Hispanis Praeneste cognoverat, opus logicum, seu *summulas* Petri Tartareti. Cui purpuratus: *Habebitis*, inquit, *auctorem, quem postulatis; sed caveto, ne vos ducat ad tartara.* Quibus verbis non se irrisum putavit Molina, sed admonitum, litteris quidem vacandum sibi esse; verum non remittendum spiritum devotionis et humilitatis.

CXXI. Expletis studiis, ivit in Hungariam jussu Clementis VII. cum Francisco de Frangepanibus, jam ministro, et alumno provinciae Romanae, postea, ut scribit Panvinius, archiepiscopo Agriensi, ut vere habent annales ordinis, archiepiscopo Colocensi, et episcopo Nitriensi, atque Agriensi sub archiepiscopatu Strigoniensi. Missum Franciscum testatur etiam Raynaldus, qui citat litteras ejusdem datas Budae sub annum MDXXXIV. ad Paulum III., et lectas in consistorio, immo extat oratio ejus Italico sermone typis edita, quam habuit ut Hungariae legatus in comitiis regni coram Carolo V., proceribus, et electoribus sacri Romani Imperii sisteret. Secum autem profectum Molinam testatur et Franciscus Nuño ejus decem annorum spatio socius et vitae suae auctor, cujus scriptis Hispana lingua exaratis utimur in his concinnandis, parati tamen in rebus praecipuis eum aliquando emendare. Ab eo itaque noscimus, Molinam ibi plurimum in evangelio laborasse, et obstitisse Lutheranae haeresi, quae contagii instar Cybinio in Hungariam diffusa regiones omnes infecerat, aucta contentionibus Joannis de Zapolya Vaivoidae Transylvaniae, et Ferdinandi Austriaci de regni Hungariae successione, quam uterque bello sibi vindicabat. Noscimus quoque, eum maluisse in Italiam reverti, licet invitaretur a praefato archiepiscopo, ut secum remaneret; quod contingere non potuit, nisi sub annum MDXXXIX., quo nempe Franciscus episcopatum obtinuit, quodque cum dicendis non cohaeret.

Raynaldus ad an. 1534. num. 7. pag. 356.

Ann. min. ad an. 1539. num. 12.

CXXII. Orta tum primum capucinorum congregatione, ad quam fratres de observantia pietatis spiritu passim transmigrabant, optimum judicavit Molina sequutus vestigia Francisci de Ripantibus ab Aesio, anno MDXXXIII. reformatoris provinciae Marchiae, et Bernardini Astensis magistri sui, juxta diploma Clementis VII. *In suprema militantis* die XVII. Novembris MDXXXII., romanos fratres ad severiorem disciplinam revocare; ne id aliunde in posterum petitum irent, quod domi suae haberent. Hinc, sibi annuentibus, et conatus suos mirum in modum juvantibus supremis ordinis praefectis, nulla sectatoribus suis peculiari lege praescripta (sciebat enim vir sapiens, non praeceptorum copia, sed eorum, quae recepta sunt, custodia virtutem niti), illo majori ex parte exoticarum provinciarum alumnos collegit primum in coenobio S. Francisci Fontis Columbae in valle Reatina, quod anno MDXIX. reformaverat Franciscus Lichetos minister generalis. Cui subinde, aucto in die puritatis regulae zelatorum numero, accesserunt coenobia S. Francisci Graecii, S. Francisci Nazani, S. Antonii Arcis-antiquae, et domus aliae, videlicet S. Bernardini Hortarum, S. Jacobi Podii Bustonis, et S. Antonii Montis Reatis, quas tres postremas reformati sub initium vicissim tenuerunt, et deseruerunt.

CXXIII. Circa annum MDXXXII. vel MDXXXIII. legatum suum a latere eum designavit Clemens VII. ad imperatorem, seu magnum Neguae Abissiniae. Relicto igitur fratre Bernardino Astensi, qui reformatorum fratrum curam gereret, Ulyssiponem se contulit, ut sub auspiciis Joannis III. Lusitaniae regis classem conscenderet cum sex insignibus theologis, et canonistis universitatis Salmanticensis, in quibus fuisse tradunt Martinum Navarro doctorem summi nominis. At Pontificis obitus qui anno MDXXXIII. evenit id vetuit. Ita laudatus Nuño. Si vero post litterarum studia peracta, ut legitur in ejus chronica, mansit Molina in regno Hungariae

una cum Francisco de Frangepanibus usque ad inangurationem hujus in episcopum, nequivit interim in Lusitaniam proficisci, ac proinde in temporum serie determinanda scriptor plane decipitur.

CXXIV. Redux in Italiam Ulyssipone, Bernardinum Astensem reperit capucinum, eumque argumentis, et hortationibus ad observantes revocare tentavit; nec frustra rem aggressus foret, nisi ille, jacta jam alea, inconstantiae notam timuisset. Nihil tamen perterritus, onus ipse subiit reformationis promovendae, tantoque arsit zelo, et vitae claruit sanctitate, ut fama nominis sui a longinquis provinciis adventantes novos alumnos electo gregi quotidie insereret, et maxime propterea laetarentur ordinis moderatores, qui eum sponte sua in virtutem propensum praemiis etiam, et dignitatibus alliciebant. Itaque custodis munus exercnit, bis rexit provinciam 'minister; qua in re notavit Michelesius errorem Casimiri Romani, qui ipsum ministrum signat anno MDXV., nimirum antequam esset franciscanus; cooptatus est inter diffinitores generales, et parum abfuit, quin anno MDLXXI. in Romano comitio institueretur generalis commissarius familiae Cismontanae, quod officium in eum etsi reluctantem fuisset collatum, nisi Alexander cardinalis Cribellius comitii praeses dixisset electoribus, Pium V. Molinae operam aliis in rebus velle adhibere. Egit inibi notarium causarum, et accusationum, ut ex apostolicarum litterarum fragmento: *Pius PP. V. dilecto filio Stephano de Molina salutem, et apostolicam benedictionem. Quum tu sis notarius causarum, et accusationum capituli generalis, scito, te ante nos compariturum esse, et de omnibus rationem redditurum.* Ann. min. ad an. 1566. num. 79.

CXXV. Missus ab eodem Pontifice visitator in provincias Sardiniae, Siciliae, et Terrae Laboris, abusus sustulit, corruptelas procul eliminavit, mores restituit. Guardianum S. Mariae de Jesu Drepani, qui sibi *rosarium* dono obtulit ex praetiosis granis precatoriis, severe coram fratribus reprehendit, denuntiata privationis poena, nisi resipisceret, pluries verba illa repetens: *avaritia omnium malorum est radix.* Neapoli fr. Alphonsum Hispanum confessarium Petri de Toleto pro-regis paullo liberius viventem in custodiam tradidit, pro-rege inconsulto, expostulatusque ab aulae *sacellano*, cur tam graviter in hominem animadvertisset, respondit: *Pro-regi renuntia, me Neapolim venisse, ut fratribus meis praesim, sontesque puniam, nulla personarum acceptione. Alphonso autem suffragari non posse, quod sit confessarius aulicus, et Hispanus, maxime quum Italorum nemo vel levi culpa obnoxium se praebuerit.* Quae verba adeo pro-regi fuerunt grata, ut ad Pontificem litteras dederit pro reformatione a Molina Neapoli peragenda in coenobiis S. Joachimi, S. Crucis, et SS. Trinitatis, eumque summa benevolentiae, et honoris significatione fuerit prosequutus, et nominaverit archiepiscopum Salernitanum, qua ille dignitate prudenter se exemit, cui se imparem reputabat. Id a Molina ipso se audivisse refert Franciscus Nuño, et in tempora quidem Pii V. rejici potest; etenim anno MDLXVIII. vacavit sedes archiepiscopalis Salernitana per translationem Gaspari Cervantes Hispani, ad ecclesiam Tarraconensem.

CXXVI. Eidem provinciae Terrae Laboris praefuit minister, et reformavit moniales S. Mariae Aegyptiacae, S. Mariae Magdalenae, S. Clarae Neapolis, et S. Clarae Solofrae dioecesis Salernitanae, itineribus, et Ann. min. ad an. 1570. num. 36.

incommodis plurimis, nodosisque difficultatibus objectus. Nam quum subditos suos in officio contineret, invidiam subivit delatorum, qui fictis calumniis virum sanctum veluti observantium inimicum traduxerunt apud ministrum generalem Christophorum de Capitefontium. Atque is, levi habita deliberatione, quamvis Molinam nullo crimine notare posset, nihilominus mulas ei sustulit, et sigillum provinciae, cujus curam tribus visitatoribus demandavit. Quam injuriam aequo animo, tacitusque sustinuit, nec aures prorsus praebuit amicis suis, qui suasores erant, ut de re Pontificem certiorem faceret, a quo provinciam susceperat administrandam; quinimo imperturbatus, et Deo benedicens excessit inde, fuitque in coenobio Praenestis. Illic eadem nocte, qua adventavit, surgens ad matutinas cum fratribus persolvendas in choro aut devius inter tenebras, aut minus expertus novi ordinis fabricarum, ex alto decidit in foveam, in quam fratres, audito strepitu, id, quod erat, suspicati scalam demiserunt. Descensum autem parantibus, ille per scalam sursum venit omnino illaesus, rectaque chorum petiit, et laudes decantavit. Postmodum fratribus, qui mirabantur, quomodo ex tam praecipiti lapsu, senex praesertim, exitium evasisset, retulit, se dum tellurem prope esset, veluti manibus fuisse sustentatum, et humi sensim depositum ad placide inibi quiescendum.

CXXVII. Exoptabat sanctus Nazani esse cum suis, eoque fine eundi facultatem, priusquam Neapoli discederet, a ministro generali postulaverat, quandoquidem nihil amplius sibi agendum superesset in provincia Terrae Laboris. Rescripsit minister, se in animo non habuisse, ipsum sese officio abdicare, sed ad tempus tantum amovere, donec visitatio perageretur. Nihilominus Nazanum iret, uti vellet. Quum Romam advenisset, profectus est, ex summi Pontificis voluntate, Politianum in Etruria, ut inter Spinellum Bencium episcopum, et cives exortas inimicitias, et arma compesceret, brevique illic auctoritate sua restituit rem, et concordiam sanxit. Tumultum etiam sub idem tempus sedavit in civitate Reatis, occasione contentionum, quae exarserant inter Joannem Baptistam, et nobilem alium virum, a quorum manibus gladios abstulit, ad duellum et mutuam internecionem eductos.

CXXVIII. Dicebat fratribus in visitationibus, quas peragebat, se non venisse censorem hominum privatorum, quibus ministri, custodes, et guardiani in ordinem redigendis deesse non poterant; bene vero, quorumdam praesulum, et dignitate excellentium virorum, qui pro lubitu quidvis aggredi possent, et si peccarent, aegre coercerentur. Quam ob rem dimisso comitatu, tunica ad talos sublata ligamine, et arundine innixus, sub ficto hospitis nomine saepius deveniebat in coenobia, lustrabatque omnia oculis suis, et caute investigabat. Deinde, quum nemo tale quidquam cogitaret, repente prodibat in medium, et locum tenebat suum, arte hac prudenter artem eludens, qua coenobiorum praefecti uti poterant, ne superioribus quaedam patefierent, quos certo tempore venturos nossent, atque insuper unumquemque admonens instantis poenae, nisi rectam viam tenuisset.

CXXIX. Fratribus suis mirum in modum compatiebatur, justitiam mansuetudine temperabat, ceteroquin vitiorum hostis, et zelo incensus domus Domini, cunctisque aderat in cellulis, in nosocomiis, atque of-

ficinis, solicitus, ne quisquam vestitu et victu unquam indigeret. Vili tunica ipse contentus pergebat nudis plantis, reficiebatur modico pane, et aqua additis quandoque paucis oleribus; observatumque fuit, licet adeo misere nutritum, optime tamen eum valuisse, nec virium unquam debilitate laborasse, praesertim quum susceptae peregrinationes perlonge dissita loca, et solicitudines provinciarum, et coenobiorum hominem etiam laute refectum frangere potuissent. Solum in Flandria, aetate jam inclinata, oculorum lippitudine aegrotavit; sic ut caecus redderetur; quo in statu manibus, baculo, et chordis arte contextis nitebatur, ut diurnis, nocturnisque precibus interesset. Inde vero redux in Italiam post mortem Ludovici de Requesens majoris commendatarii Castellae, quem sequutus erat confessarii munere, Mediolani in gravem incidit morbum, quo conflictatus, dum actum de eo esse omnes crederent, asseruit, se illic non moriturum, sed Nazani suum fore sepulchrum. *Ann. min. ad an. 1574. num. 122.*

CXXX. Singularem, et angelicam, qua nituit, vitae puritatem sepsit diligentissime repagulis abstinentiae, modestiae, et rigoris in carnem suam, quam ut legi mentis magis subjiceret, ciliciis oneravit, ferreis laminis caedit. Cum Deo erat spiritu sive in coenobiis, sive in itineribus, sive in aedibus saecularium. Aliquando Franciscus Nuño *sacellanus* in conventu Nazani reseravit ostium ecclesiae inspecturus, an lampas arderet ante sacramentum altaris, vocesque veluti canentium plurium intus audivit, Molinam intuitus in aere sublatum toto corpore, et splendore fulgidum; quo in statu sanctus perseveravit uno ferme horae quadrante post apertum ostium, donec placidissime in terram devenit. Orationis studium omnibus maxime commendabat, ad quod erat exercitatissimus. Vixit innocens, atque narravit idem Nuño, qui decennio illi adfuit a confessionibus, gravi culpa numquam se reddidisse obnoxium. Morti proximus dixit Carolo Flandro, aliisque adstantibus: *Voluptate afficior, et mori non pertimesco, quia, misericordia ejus, qui creavit me, nunquam deliqui in verbo, aut in opere, ex consilio, et animi deliberatione.* Nihil sibi arrogabat, ac libenter in aliorum sententiam ibat, quam sua meliorem noverat; etsi nemo ille sapientior, sive ingenium spectes ad omnia expeditum, sive in rebus tractandis experientiam, et dexteritatem, sive zelum et charitatem zeli sociam in reformatione fratrum excitanda, jaciendisque aedificii fundamentis, quod decursu temporum in pulcherrimam molem excrevit.

CXXXI. Magni habitum a Summis Pontificibus Clemente VII. Paulo III. Julio III. Paulo IV. Pio IV. Pio V. et Gregorio XIII., nemo erat qui purpura dignum non judicaret. Ac ipse quidem in humilitate suo Deo tantum famulari cupiebat absconditus, procul honoribus, et dignitatibus. Mediolani, post reditum suum a Flandria anno MDLXXVI. a praefecto urbis designatus episcopus Viglevani prope Ticinum fluvium, per obitum Mauritii Petri episcopi, precibus contendit, et lacrymis, ne ad dignitatem immerens assumeretur, atque invitus, quum in votis suis esset, redire in provinciam, et Nazani oculos tandem claudere inter fratres suos. Iis autem, qui suadebant, ut oblatum munus non detrectaret, respondit, se tum episcopatum, tum etiam summum pontificatum recusaturum libentissime, ne locum desereret inter fratres minores.

CXXXII. Disputavit saepius in Flandria contra doctrinam Michaelis Bayi, qui licet dicta sua reprobasset, discipulos tamen reliquerat in errore obstinatos, obfirmatosque, quorum opera longe lateque virus serpebat, ac praecipue D. de Aldago refutandum sibi proposuit, in quem calamum etiam sumpsit Franciscus Horantius episcopus Ovetensis. Sic autem egit sapientia sua, et facundia, ut catholicorum adversarios partim ad silentium redegerit, partim ad agnitionem veritatis. At majores fructus retulisset, nisi mors obstitisset Ludovici de Requesens, ob quam in Italiam remeavit. Tum caecitate, tum senio, tum quoque urbis Mediolanensis praefecti obsequiis detentus, mansit Mediolani annis tribus, quibus expletis, Ferrariam primum, deinde Romam venit, et quatuor post menses, (totidem enim Romae fuit), Nazanum appulit, quod tantopere desideravit. Ibi, quibusdam post adventum suum diebus, in coenaculo prandens cum fratribus, ictu apoplexiae concidit exanimatus in vigilia Assumptionis Deiparae, quae incidit in diem dominicam. Sensibus suis restitutus dixit, se non tunc, sed infra octavam S. P. Francisci de vita migraturum. Itaque Dominica prima Octobris, quum a cubiculo chorum peteret, artuum omnium tremore correptus, in cubiculum redivit, vidensque propinquam horam finis sui, rogavit fratres, ut secum recitarent symbolum S. Athanasii: *Quicumque vult salvus esse*, eisque benedixit, in quibus erat Franciscus Nuño. Commendavit adstantibus exactam regulae observantiam, atque illis ad patris amantissimi verba collacrymantibus, placide hoc anno obdormivit in Domino aetatis suae LXXII. Hinc corrigendus Arturus, qui ejus obitum recenset ad diem XXIV. Octobris; quod ne in ipso quidem Gregorianae correctionis tempore verum esse potest, ut liquet. At errat quoque scribens, eum decessisse aetatis suae anno sexto supra octogesimum. In demortui cubiculo inventae sunt plusquam CCC. epistolae, quas acceperat a Summis Pontificibus, cardinalibus, et principibus viris. Jacuit ad dexteram arae maximae, et decennio post effossum ejus corpus repertum est incorruptum, ac suaviter olens, magno cum proximorum populorum concursu, qui sanctum conclamarunt, et in veneratione habuerunt.

CXXXIII. Pluribus in civitatibus, et oppidis verbum annuntiavit, incredibili eloquentiae laude, et ardore zeli erga salutem animarum. Bonorum animos ad virtutem confirmavit, errantes in viam reduxit. Si quem impium, et contumeliosum in res sacras offendisset, dolebat vehementer, fiebatque pallidus, ac tremens totis artubus, ut Ferrariae contigit, ubi in caupona, ad quam divertit egressus a navigio, ad execrationes, et maledicta cujusdam nebulonis, defecit sensibus, veluti si continuo animam ageret, dixitque postea, nefarii illius verba totidem fuisse pugionis ictus, quibus ipse confodiebatur. Monumenta pietatis, et ingenii sui reliquit librum, cui titulus: *Commercium S. Francisci cum domina paupertate. Tractatum de divino amore, et arte serviendi Deo. Versionem operum Mondanedo ex Hispano in Italicum idioma. Compendium operum Gabrielis Biel in libros Guilielmi Occami. Summam casuum conscientiae;* de qua ita legitur in epistola anonyma Trajecti Mosae die XIX. Januarii anno MDLXXX. *P. Stephanus Molina probatissimus et doctissimus senex, casuum conscientiae summam fecit, quae quum ab eo, sive ab ejus socio fratre Joanne Fran-*

cisco ante aliquot annos fuerit Plantine Antuerpiensi typographe excudenda commissa, magnumque chaos inter nos Antuerpiamque firmatum sit, non est, quod de hac re in praesentia possim dicere, nisi hactenus nihil esse actum.

CXXXIV. Servum suum bonum et fidelem signis Dominus illustravit in vita, et post mortem. Visitator in Insula Sardiniae, dum in sublime jugum montis ascenderet, obrutus ferme est terrea rupe, quae cecidit super eum, quaeque, licet mole ingens, magno cum impetu rueret, et arbusta convelleret, saxaque secum duceret, attamen prope eum sursum sublata leniter pertransivit caput ipsius, et post terga se recepit, illo intacto, et socio ejus, quem periculi metu clamantem, ac trepidantem strinxit sanctus ad latus suum, et exitio liberavit.

CXXXV. Devota mulier Antonia uxor Dionysii civis Reatini solebat fratribus Fontis Columbae, qui singulis hebdomadis in civitatem veniebant petitum eleemosynam, amphoram implere vino ex dolio, quod maritus servabat messoribus conducendis in sata sua. Mense Majo Dionysius dolium integrum esse ratus, experiri voluit vini bonitatem; quod ut mulier animadvertit, cucurrit in coenobium Fontis Columbae, ubi coram fratre Molina loci guardiano multis lacrymis questa est, se esse in periculo ob suam in fratres beneficentiam; nullo enim modo fieri posse, ut maritus natura sua durus, et avarus pateretur dolium exhaustum. Tunc ille: *Id*, ait, *culpa tua accidit, quae non debebas rem istam facere, inscio marito. Jam praeter odium tui, non mediocriter etiam illius animum in fratres concitasti.* Deinde mitioribus verbis eam monuit, ut quidquid fieret, aeque animo ferret, atque interea fratres suos ad orandum coegit, ne quid mali in miseram redundaret. Domum illa reversa invenit maritum in cella vinaria anxium, et enitentem, ne vinum effunderetur a superiori foramine, a quo, vix ablato obturamento saliebat fontis instar hydraulici, donec vasis omnibus, quae praesto erant, impletis, resedit liquor, dolio integro, et nihil imminuto. Aliud simile prodigium contigisse narrat Nuño sub annum MDXXVI., ac proinde Molinae non tribuendum, in oppido S. Benedicti non longe a coenobio Fontis Columbae, ubi mulier, quae habitabat juxta januam oppidi, fratrum amphoram implendi cupida, vinum multiplicatum experta est; nam eo tempore Mediolani degebat.

CXXXVI. Sylvatica quercus antiquissima, seu robur impendebat prope idem coenobium sacello S. Mariae Magdalenae. Veritus fr. Zacharias a Brixia loci vicarius, ne arbor caderet ob truncum cariosum, et consumptum, sacellumque cum ecclesia dirueret, fratres aliquot adscivit, qui bipennibus, et serris illam convellerent. Rumore excitus Molina guardianus, ascendit in porticum patentem a dormitorio, ut videret quid ageretur, miratusque simplicitatem vicarii sui, et fratrum aliorum: *Desinite*, inquit, *conari. Si Pater S. Franciscus posuit hoc sacellum, ecclesiam, et coenobium, ipse nobis aderit. Deus creavit hanc arborem. Vos fortasse laboribus vestris nihil aliud facietis, quam exitium maturare.* Discedentibus illis, triduo post arbor sponte decidit ad sacelli latus, intactis parietibus, impulsaque, et fracta ilice, quae juxta assurgebat. Rem aliter narrat Gonzaga his verbis » Quum praegrandis » quaedam arbor sacello d. p. Francisci imminens, nivibusque onusta

Gonsaga in prov. Romana conv. 36.

» ruinam minaretur, anxiusque venerandae canitiei p. fr. Stephanus » Molina tunc loci guardianus eam amotam cuperet, ne sua ruina uni» versum templum conquassaret, quotquot in gyro fuerunt rustici eo, » ut eam succiderent, convenerunt. Quumque nihil, aut certe parum » proficerent, essetque res plena periculo, ipse pius p. guardianus, con» vocatis caeteris fratribus, ad orationem confugit. Et ecce dum nihil » minus cogitant, nullo impellente, adeo suaviter, adeoque blande ar» bor tecto adhaesit, ut ullo absque discrimine, et absque unius te» gulae jactura, inde amota, succisaque sit. Quod in causa fuit, ut et » eventus miraculo tribueretur, et saecularium devotio supra modum » excresceret ».

CXXXVII. Erat guardianus vir sanctus in conventu S. Francisci Graecii, nec reperiebat, quo pacto fratres suos aleret, hyberno tempore altis nivibus vias omnes circum obstruentibus. Instabat hora prandii, urgebatque fames, et nihil apponebatur in extrema rerum omnium penuria, praeter vetera quaedam, et pauca panis frusta, quae vix uni, vel alteri sufficerent. Erant omnes mensae benedicturi, quum ab oppida Moya, tribus illinc milliaribus supra montem, venit homo deferens panem, et vinum. Narravit autem fratribus, se praeterita nocte somno excitatum audivisse vocem, quae sibi ter, quaterque imperavit, ut ad fratres panem deferret, seque incessisse per nives veluti per lapideum pavimentum. Signo consimili claruit sub haec tempora in loco solitario gloriosae Virginis Mariae in Montebarro supra territorium de Galblato dioecesis Mediolanensis, Franciscus Torniellus, qui nivibus ad proceritatem hominis unius condensatis, fratribus suis omni humano subsidio destitutis dixit: *Fratres mei, modo experientiam fidei vestrae sumit Altissimus. Accingamur velociter ad orationis opem, quia non est abbreviata manus, quae volucres pascit, et implet omnem carnem, quin servis suis insperato subveniat.* Iverunt in aediculam, et orarunt, pulsatumque est continuo prae foribus, ubi juvenis canistrum panis esurientibus dispertivit, et e vestigio disparuit.

Ex chronica Obs. Ingolstadii 1621. p. 611. c. 26. cujus titulus: Franciscus redivivus.

CXXXVIII. Alias in eodem conventu Graecii, Molina pariter guardiano, fratribus fame prope consumptis misit Dominus capreolum, qui ceonobii janua cornibus impulsu excitavit strepitum, ad quem accurens ostiarius, ut januam patefecit, statim ille parvum, quem ducebat, filium intro immisit, et discessit in montem. Fortasse idipsum innuit Gonzaga, dum cervum memorat, qui vulnere ictus, et moriturus, hunc locum ingressus, baccanaliorum tempore pauperculis fratribus escam praebuit. Certum vero est, in montibus prope Graecium nullos esse cervos, neque in proximis valli Reatinae locis, sed tantum capreolos illic reperiri.

Gonzaga loc. cit. conv. 27.

CXXXIX. Pergebat sanctus cum Martino de Gusman, et Petro Hispano a conventu Arcis-antiquae ad Fontem Columbae, jamque exhausto vini oenophoro, quod deferebant, siti omnes correpti sunt vehementi in ascensu celsissimi montis, eamque ferre amplius non poterant. Hinc ad umbram ilicis se receperunt, refrigerationem saltem capturi. Hortabatur illos Molina, ut spem in Deo reponerent, qui numquam suos derelinquit, neque adhuc loqui desierat, quum ex nemorum abditis homo nobilis equo insidens illorsum divertit, eisque salutatis, quaesivit perhumaniter, an vellent bibere, et mox vini lagenam, quam in manu habebat, ori suo admo-

vit, deinde illis porrexit, qui per vices bis biberunt ex ea, quamvis angusta modicam vini quantitatem contineret. Expleta siti, quum benefico reddituri essent gratias, nusquam ille est visus. Miraculum acceptum retulit Sanctus meritis fratris Martini de Gusman, se indignum arbitratus, cui Deus ita largiter benediceret.

CXL. Curtius Oddus civis Arcis-antiquae decumbebat adversa valetudine, quam insanabilem medici judicaverant. Itaque ab iis derelictus, expectabat diem mortis suae. Audiens vero, corpus beati intactum in sepulchro repertum, tum ipse ad eum preces fudit, tum uxor ejus promisit, se Nazanum accessuram, votum solvendi gratia, si maritum suum incolumem reciperet; et confestim ille morbo, et periculo liberatus, surrexit perfecte sanus.

CXLI. Franciscus Nuño praesens ad funus ejus, eique se commendans, quartanam febrim depulit, qua diutius fuerat conflictatus. Aliquo post tempore audivit a laico, quem appellabant *fratrem nostrum*, spectatae sanctitatis viro, odorem suavissimum effluere e sepulcro beati, quem se percepisse affirmabat, dum in oratione perstans ante aram SS. Sacramenti se inclinaret ad humum deosculandam. Desiderio igitur ductus videndi corpus beati, guardiano loci penitus inconsulto, adscitis secum praefato laico, et ecclesiae aedituo, die translationis S. Francisci, reserato sepulchro, corpus inde erutum detulit in sacrarium illaesum, et incorruptum, ut devotionis suae sensus expleret, illudque nova tunica indueret, et veterem auferret, reliquiae loco habendam. Quae quum fierent, mulier quaedam nomine Margarita de Ponsano pulsavit ad ecclesiae fores, quibus inconsiderate ab aedituo reclusis, ingressa est, vidensque sepulchrum corpore vacuum, cujus humationi interfuerat, flere coepit, et dicere: *Ubinam est fr. Molina?* Utque intellexit, adhuc integrum illum superesse, abiit, et in patria sua rem divulgavit; quo factum est, ut populares, et alii passim oppidani turmatim in coenobium confluerent invisuri sanctum, sic ut tandem ne turbatio aliqua oriretur, fratres arca lignea inclusum eodem in loco condiderint.

CXLII. Ex hominum vita demigravit in conventu SS. Conceptionis Maceratae in provincia Marchiae Onuphrius Bononiensis capucinus laicus, qui mulierem Maceratensem hydropicam, et Franciscum Riccium peditum ducem, articulari morbo affectum signo crucis persanavit. Proximus ei fuit Angelus de Canobio sacerdos, qui, licet senectute, et lacrymis, quibus quotidie perfundebatur, oculorum lumen amisisset, illud nihilominus recuperavit, jussus a Bartholomaeo de Cesena guardiano suo sacrum facere; quo peracto, post dies octo, apoplexia occubuit, praenuntiata hora transitus sui. Post mortem coram fratribus membra movit, et manu caput suffulsit, veluti si placide obdormiret, suavi fragrans odore.

Onuphrius Bononiensis. *De Arembergh. p.* 426.

Angelus a Canobio. *Idem pag.* 303.

CXLIII. In conventu Inventionis S. Crucis Bononiae Paulus Barcinonensis sacerdos, et guardianus, praeterea novitiorum magister, quo imperante, pertinax febris Evangelistam de Marrado juvenem tironem extemplo reliquit; in provincia Bononiensi Franciscus a Funiano sacerdos, ecstasibus, prophetiae dono, miraculis insignis, omnium virtutum ornamentis refertus, ac patientia praesertim, qua alapam sibi impactam a nebulone in oppido Modilianae juxta Marzanum fluvium in Aemilia

Paulus Barcellonensis. *Idem pag.* 180.

Franciscus a Funiano. *Idem pag.* 241.

non solum pertulit, verum etiam percutienti alteram praebuit maxillam. Exundantem fluvium Parmam signo crucis, et immissa in eum cera benedicta, in alveum reduxit. Nobili matronae de Usellanis Bononiae masculam prolem obtinuit, postquam illa promisisset, se inanem vestium cultum abjecturam, quo juxta consuetudinem praesentis temporis utebatur. Concionatus est magno zelo in pluribus Italiae urbibus, ac potissimum Venetiis in ecclesia SS. Apostolorum, ubi mulieres nudo pectore incedentes adeo aspere objurgavit, ut postero mane earum nulla visa fuerit non honestissime induta; Bononiae in ecclesiis S. Petronii, et S. Petri, ubi in viam salutis redegit publicas meretrices, vestiumque caudatarum pompam sustulit, quas feminae ad ornatum adhibebant. Arimini, ubi Senatui auctor fuit edendi leges contra luxum muliebrem, restaurari curavit vetus oratorium erectum olim in memoriam procumbentis jumenti ante SS. Eucharistiam, aliudque novum poni fecit ad maris litus, ubi S. Antonius verba habuit ad pisces; pauperes in annonae penuria large nutrivit, eleemosynis conquisitis, quod egit etiam in civitate Forolivii. Decessit plenus meritorum, signis clarus, beati nomine ab omnibus decoratus.

Ambrosius Locrensis.
Idem pag. 428.

CXLIV. In conventu SS. Annuntiationis Cassiani provinciae Cosentinae Ambrosius Locrensis, seu Hieracensis laicus, coelesti et pulcherrimo ostento sub mortis horam a Domino recreatus. In provincia Panormitana Hieronymus de Panormo sacerdos, prius f[r]anciscanus excalceatus doctrinae laude florens, postmodum inter capucinos ad plures honoris gradus evectus, quos meruit virtutibus suis. Memoratur ab Antonio Mongitore in Bibliotheca Sicula, et a Dionysio Genuensi, ut multorum scriptor. Scripsit *libros duos lectionum theologicarum ad mentem Scoti*, dum inter excalceatos morabatur qui, teste Sbaralea, mss. adhuc extare penes ipsos dicuntur. In provincia Basilicatae Franciscus de Roccha sacerdos, idoneus spiritibus immundis ab obsessorum corpore expellendis, patiens in infirmitatibus suis, et in omni opere bono ferventissimus. In conventu Catanae provinciae Syracusanae, Paulus Catanensis laicus, futura et arcana cordium edoctus in oratione, et inter ecstases, quibus a tellure sublimis saepe ferebatur. Fratris Basilii in Africam euntis ad captivos Christifideles redimendos mortem praenuntiavit, et salutem novit ab eo obtinendam, postquam culpas purgatorii igne expiasset; viroque nobili Catanensi amico suo internas animi cogitationes, et occultiores affectus pluries detexit, quos ille studiose obtegebat.

Hieronymus de Panormo.
Idem pag. 61.

Sbaralea in supplem. ad Script. ordinis lit. H.

Franciscus de Roccha.
Monum. prov.

Paulus Catanensis.
De Arembergh p. 426.

CXLV. In nosocomio extra urbem Genuae peste absumptus est infirmorum curam agens cum aliis fratribus suis Gregorius Genuensis laicus post vitam sanctissime traductam. In conventu Fuggiae in Apulia Daunia Antonius de Monopoli sacerdos, qui alteri aegroto vitam, alteri benevalenti mortem praedixit, funeque cinctorio mulierem in partu periclitantem discrimine exemit. In conventu SS. Conceptionis Mediolani Bartholomaeus a Luciniano sacerdos, antea conventualis, vir litteratus, et doctor in universitate Papiensi. Legit theologiam inter capucinos, multosque erudivit in rebus sacris; et quamvis ingenio, et eruditione commendatus, culinae tamen, caeterisque humilioribus officiis libenter vacabat. Visa est aliquando columba pulcherrima volitans super caput ejus orantis. Occurrit quoque memoria Antonelli Liternensis pii viri saecularis, qui capucinorum domum curabat, et hoc anno a Domino praemonitus in osculo ejus quievit.

Gregorius Genuensis.
Idem pag. 427.

Antonius de Monopoli.
Idem pag. 179.

Bartholomaeus a Luciniano.
Idem pag. 230.

Antonellus Liternensis.
Monum. prov.

Digitized by Google

CXLVI. Promotus ad archiepiscopatum *Antibarensem* in Dalmatia sub Turcarum ditione Ambrosius Capicius Absarensis, vulgo *Ossaro* anno MDLXXVIII. die XII. Decembris: hoc anno collata etiam illi fuit in consistorio die IX. Januarii *administratio ecclesiae Buden.* Gonzaga eumdem appellat Ambrosium Pincium episcopum Doclae; ad episcopatum *Chievensem* in mari Aegeo Benedictum de Chio die XXX. Januarii; ad episcopatum *Caesariensem* Christophorus de Capitefontium jam minister generalis, dignitate in eum collata die XXII. Maii *cum assignatione tercentorum aureorum super fructibus ecclesiae Senon.* Eo suffraganeo usus est Nicolaus de Pelve episcopus Senonensis, et cardinalis S. Praxedis. Hoc anno die XIX. Novembris consecravit divinis obsequiis, S. Joanne Baptista titulari, ecclesiam minorum in civitate Senonensi, imaginibus devotissimis, Sanctorum reliquiis, et octo sacellis ornatam. Ad episcopatum Aquilanum die III. Julii Mariauns Rocciarius Tyburtinus, insignis theologus, et concionator, a rege catholico praesentatus; ad episcopatum S. Marthae, juxta Petrum de Alva, ad oram Terrae firmae in America Meridionali Sebastianus de Ocando, sive *de Ovando* alumnus provinciae S. Fidei de Bogota, per obitum Joannis Mendez ordinis praedicatorum: *Apostolatus officium* die VI. Februarii. Antonius Fera fit a Pontifice commissarius apostolicus in provincia Siciliae, aliisque eidem per litteras indicandis a Francisco cardinali Alciato ordinis seraphici protectore: *Fuit nobis* die XIV. Octobris.

Gonzaga in prov. Dalmatiae conv. 19.

Idem in prov. Franciae conv. 3.

Petrus de Alva in indiculo, et Baudr. tom. 1.

CXLVII. Antonio Ginestretro commissario familiae Cismontanae Parisios ad capitulum eunte, Christophorus de Capitefontium minister generalis commissarium delegavit in Cismontanis Antonium de Popilio Pistoriensem, ministrum provinciae Tusciae, inter Scotistas, et sacros sui temporis oratores nulli secundum, quam delegationem Franciscus Gonzaga ratam habuit usque ad suum in Italiam adventum. In locum Antonii de Angelis a Lycio guardiani Terrae Sanctae officium dimittentis, substitutus est Joannes a Bergamo alumnus provinciae S. Antonii, cui Pontifex in Palaestinam abeunti insignem dedit eleemosynam, quatuor mille scutata. Eo praeside, Graecus schismaticus cadaver Turcae nuper mortui, truncato capite, immisit noctu in hortum domus Bethlehemiticae, nomenque fratrum detulit, tamquam occisorum; quod innocentes gravibus objecit calamitatibus. Rursus vero idem scelus aggressum deprehenderunt Turcae ipsi, qui excubias agebant, traditusque lictoribus poenam capitis effugit, nimia judicum indulgentia, qui etiam a fratribus pecuniam exegerunt pro quaestionis actis, lege tantum edita, ut Graecis interdictus foret accessus ad coenobium fratrum. Septemdecim vicibus hoc anno continuas ob molestias coacti sunt fratres supplici libello confugere ad aulam Ottomanam.

CXLVIII. Haereticorum furore, cum expulsi essent fratres ex coenobio Trajectensi ad Mosam, hoc anno Joannes Coloniensis coriariorum molitor celeberrimam B. Mariae Virginis parvam iconem abstulit e templo in domum suam, atque inde ad vicini aedes. Ut vero tutius asservaretur ab hostium insultibus, ad virginum Novi Horti monasterium detulit vir hic pius, ubi superiori in tabulatu fuit posita. Occupata ab haereticis civitate, milites stationem posuerunt in illo sacrarum virginum collegio. Hinc cum unus ex illis eamdem domum superne lustraret,

Sedulius de B. M. V. imagine Mosae Trajectensis pag. 24. Antuerpiae 1609.

forte occurrit in b. Virginis imaginem, quam cum stricto gladio peteret, mox brachium obriguit. Exterritus descendit, ut duci suo, quod ipsi acciderat, reseraret. Is ejus imbecillitate exprobrata, eo accedens, ut pari temeritate tentasset evaginato gladio eam percutere, pari poena punitur. Ira percitus ad matrem monasterii adiit, ut matrem etiam ense conficeret; putabat enim id ex maleficio evenisse. B. Virgo et illam a militum caede cohibuit. Divulgata prodigiorum fama, pii quidam viri, ut imago securius custodiretur, noctu per fenestram dimissam, ad aedes viduae Mariae Luckers attulere, quae, postea restituta Parmensis ducis opera urbi tranquillitate, iterum ad fratrum ecclesiam fuit translata.

CXLIX. In conventu b. Mariae de Gratia minorum observantium in suburbio Alones, seu Alicanti in regno Valentiae, et territorio Securae, imago Deiparae in sacello mercatorum Ragusinorum hoc anno, maximae siccitatis tempore, solemniter delata in coenobium vetus sesquimilliari a civitate, pluviam obtinuit adeo uberem, ut aquis supervenientibus arida tellus in foecunditatem verteretur. Amissum quoque visum, sumpto ex lampade, quae ad ejus aram collucet, oleo, oculisque delinitis, recuperavit quidam magister Antonius. Hieronymum de Monteflorum generalem capucinorum, duosque ejus socios siti aestuantes inter Perusiam, et Assisium eadem Virgo sub venerabili matronae specie apparens, poculo recreavit. Eosdem famelicos in via inter Spoletum, et Fulginium, tribus panibus a coelo delapsis, pastos narrat chronica capucinorum.

Leonardus a Neapoli part. 4. tom. 2. lib. 3. cap. 29.

Flores Seraph. t. 2. pag. 10. Sambenedetti ad an. 1579. num. 3.

CL. Sacras exuvias b. Gandulphi de Binasco Mediolanensis, defuncti anno MCCLX. Politii in Sicilia, ubi sacras habebat conciones, visitavit in majori ecclesia, in qua requiescit, sanctitate ejus motus Octavianus Praeconius ordinis minorum conventualium episcopus Cephaludensis, Octaviani Praeconii archiepiscopi Panormitani ex fratre nepos, apertaque arca, invenit caput, et ossa in diversis sacculis lineis intus arcam: *Ordinavit, ut caput pro majori veneratione reponeretur in ejus incasso argenteo existente in summitate, et in capite dictae arcae, et praedictum incassum ubi poni debebat dictum caput, clauderetur in modum, quod super sacculum, in quibus sunt praedicta ossa, fiant alii sacculi linei mundiores ob majorem venerationem.* Ita legitur in processu.

Acta SS. ad diem 17. Septembris in append. cap. 2. n. 20. pag. 724.

CLI. Vetus tabula SS. Nominis Jesu, in qua Ludovicus de Pisis non franciscanus, sed alterius ordinis, delere fecerat aureis litteris insculpti, et apponi imaginem Crucifixi, restituta in pristinum statum, mandante Eugenio IV. *Suscepimus nuperrime* die I. Julii MCDXLV., et ab ecclesia S. Petronii Bononiae translata sub idem tempus in ecclesiam S. Pauli de Monte, hoc anno a sacrario, in quo hactenus latuerat, una cum aliis reliquiis, illata est in altare decenter praeparatum a Dionysio *degli Alti* guardiano S. Pauli, inscriptis a parte tabulae posterioris praedictis litteris Pontificis, et in summitate partis anterioris his verbis: *Haec duo signa nostrae salutis insignia, imago Crucifixi, et Nomen, in quo salvi sumus, debito honore a toto clero hujus almae civitatis Bononiae ab ecclesia S. Petronii huc delata sunt jussu Eugenii IV. tunc Summi Pontificis.* Reliquiis, quas Julius cardinalis de Ruere archiepiscopus transtulit jam a sacrario ecclesiae S. Apollinaris Ravennae

in aram maximam, additae sunt aliae fortuito repertae in pariete, ex ossibus SS. Sebastiani, Gregorii Papae, et veste b. Mariae Virginis. Haec ex Flaminio de Parma. Duo menda, quae irrepserunt hujus initio, emendamus, nimirum *insculpti*, et *apponi*; legendum insculptum, et apponere.

CLII. Hoc anno elevatum est in ecclesia S. Mariae de Jesu Calaris in Sardinia corpus b. Salvatoris ab Horta a comuni fratrum sarcophago, anno MDLXVII. tumulatum. Elevationis occasio ea fuit, vel ut ibidem aliquis quidam religiosus sepeliendus veniret, vel quia judex quidam e Rota valde devotus beati, testamento jusserat, penes b. Salvatorem humari. Verum hac de re quisque in suo sensu abundet. Aperto tumulo, inventum est corpus beati integrum, incorruptum, et tractabile, ita conjunctum solo ipsius pavimenti, ut vix modica terra intermedia tegeretur, licet testificantibus iis, qui ipsum tumulaverant, eum sepeliverint admodum, ut moris est, profunde. Exemptum a terra collocatum fuit in sacello S. Petri pulcherrime extructo anno MDLXXVIII. publicis privatisque Calaritanorum eleemosynis.

Gonzaga in prov. Sardiniae conv. 2.

Acta SS. ad diem 18. Martii p. 694.

CLIII. Litteris floruere inter minores observantes Melchior Flavius ex illustri prosapia Tolosana. Scripsit *epitome omnium Christi mysteriorum, et summam totius Sacrae Scripturae* Parisiis anno MDLXVI. apud Petrum Huiller; *Resolutiones in quatuor libros sententiarum Scoti*, quas an. MDLXXIX. Parisiis typis Guilleleni de la Noiie vulgavit Joannes Forsanus minorita sacrae theologiae studens; *De statu animarum post mortem* Duaci anno MDCVI. prodiit typis Caroli Bosear; Basileae an. MDLXX. publici juris fecit *libros de orbis terrae concordia*, paulopost italice facti prodierunt in Italia, ut ipsemet testatur. Freminus Capitis Gallus doctor Parisiensis, famosus in controversiis fidei contra haereticos, gallice Remis in Campania edidit: *la sauvegarde, et protection de la foy catholique, contre les principaux heretiques de nostre temps*; Parisiis anno MDLXVII., et anno MDLXX. apud Nicolaum Chesneau prodiit: *expositio Genesis ab Adami noxa ad natum Isaac usque, aliquot homiliis partita, et conciones tempore adventus Domini accomodata*. Iisdem typis anno MDLXXIX. *Homiliae XXVII. expositionis in Exodum; et de Immaculata Conceptione Virginis Mariae*, Romae MLDXXVII. *de SS. Eucharistiae sacramento*. Auctor laudatur a Dupino, et a Ludovico Bail potissimum. Cum sanctitatis opinione Mediolani, ubi lector et concionator erat, ad coelos evolavit hoc anno, non vero an. MDLXXVII. Bartholomaeus Baphus prius conventualis, deinde capucinus. Fuit orator in Tridentino concilio. Plura edidit: *orationem de Religione, ejusque profectu* Bononiae an. MDLX., *orationem habitam in concilio Tridentino, orationem de nobilitate urbis mediolani* an. MDLXII., *orationem de admirabili charitate divina in urbem Romam* ibidem in comitiis conventualium habitam an. MDLXIX., Mediolani excusam typis Pacifici Pontii. Reliquit etiam multa MSS. *philosophica, et theologica.*

Waddingus de script. Ord. lit. M. Sbaralea in suppl. ad script. ad lit. M.

Waddingus et Sbaralea ad lit. F.

Dupin in Supplem. tom. 3. Bail in Biblioth. concionat. c. 101.

CLIV. Exsequutioni datae sunt hoc anno litterae Pontificis: *Provisionis nostrae* XV. calendas Januarii elapsi anni, circa jurisdictionem cardinalis protectoris ordinis ab Adriano Fusconio episcopo Aquinensi, ut ex instrumento, quod in regesto referemus. Monialibus S. Clarae Neapolis praecepit Pontifex, ut in abbatissam sibi praeficerent Isabellam de Franchis, vel Juliam Carafam, vel Mariam Spessam: *Ex bonis* die XII. Maii. Absolvit

Joannem Nasum a visitatione provinciae Austriae: *Superiori anno* die vii. Maii. Concessit Petronillae Pacheco marchionissae de Ladrada ejusque binis ancillis ingredi in monasterium Conceptionis de Puebla Montis Albani dioecesis Toletanae: *Exponi nobis* die xxx. Januarii; Sancho de Meras reditum ab Indiis in Hispaniam: *Exponi nobis* die xv. Januarii; Martino Prevortiano Polono facultatem suscipiendi ordines sacros a quocumque catholico antistite: *Exponi nobis* die xiii. Februarii; monialibus S. Clarae Pampilonen. facultatem recitandi circa auroram horas matutinas: *Sedis apostolicae* ii. calendas Junii; monialibus S. Clarae Urbini eleemosynas, quae colligerentur in festo S. Antonii: *Exponi nobis* die xiii. Augusti; monialibus Lycii venditionem quarumdem possessionum: *Ad ea, per quae* ii. calend. Maii. Inveniuntur litterae ejusdem pro coenobio b. Mariae Annuntiatae Asculi: *His quae pro* calend. Junii; pro monasterio Clarissarum S. Antonii de Padua in oppido de Baeza Giennen. *Ex debito* calend. Octobris; pro monasterio Clarissarum Nolan. circa quasdam terras: *His, quae pro* idibus Martii; pro exsequutione testamenti Francisci Cardinalis Pacheco de Toleto: *Ex paternae charitatis* idibus Novembris.

CLV. Altaria cum privilegio liberandi unam animam a purgatorio. Altare S. Mariae Angelorum in ecclesia observantium S. Francisci Murrovallium: *Omnium saluti* die xxv. Octobris; altare Conceptionis in ecclesia monialium SS. Salvatoris Fani: *Omnium saluti* pridie calendas Maii; altare S. Gregorii in ecclesia observantium S. Francisci Matilicen. *Omnium saluti* nonis Aprilis; altare Assumptionis in ecclesia observantium b. Mariae Montis Varallis, precibus Joannis Antonii cardinalis episcopi Praenestini: *Omnium saluti* idibus Martii. Item concessit Pontifex indulgentiam in festo Assumptionis eidem ecclesiae, et quolibet anni tempore visitantibus aliquod ex sacellis circumpositis: *Ad augendam* die xxvi. Aprilis, quas litteras publicavit die xxvi. Maii Prosper Zanellettus vicarius generalis curiae episcopalis Novariensis; indulgentiam et altare privilegiatum in ecclesia S. Antonii Abbatis Montis Madii Feretran. dioecesis: *Omnium saluti* xv. calendas Octobris; altare b. Mariae Virginis in ecclesia S. Mariae de Gratiis civitatis Imolen. *Omnium saluti*...... altare S. Antonii in ecclesia oppidi S. Severini: *Omnium saluti* x. calend. Aprilis, et xii. calend. Augusti.

CLVI. Concessit indulgentiam Conceptionis in ecclesia b. Mariae del Greco Neapolitan. *De salute* idibus Martii; indulgentiam et erectionem confraternitatis S. Antonii de Padua in civitate Murciae Carthaginen. *Unigeniti Filii* nonis Augusti; indulgentiam pro confraternitate S. Antonii de Padua Caven. *Unigeniti Filii* calend. Martii; indulgentiam confratribus Conceptionis in civitate Regien. *Quum sicut accepimus* die xv. Octobris.

CLVII. Erexit confraternitatem Conceptionis in civitate Nicosiae Messanen. *De salute* idibus Januarii; confraternitatem S. Bernardini in ecclesia S. Francisci Reatis: *Salvatoris* nonis Maii; confraternitatem Conceptionis in civitate de Tunjar in provincia S. Fidei regni Peruani: *De salute gregis* calend. Maii; confraternitatem Conceptionis in ecclesia S. Andreae Giennen. *Circumspecta* idibus Decembris; confraternitatem Verae Crucis in civitate de Retazeros Compostellan. *De salute gregis* v. ca-

lend. Martii; capellaniam saecularem in ecclesia S. Francisci Cremonae: *Dignum* iv. idus Octobris; beneficium Conceptionis in ecclesia S. Laurentii Valentin. *Dignum* calend. Martii; beneficium in ecclesia S. Francisci Faleroni Firman. *Dignum* calend. Decembris; beneficium in ecclesia Conceptionis terrae Fagnani. *Vitae et morum* v. idus Februarii; beneficium in ecclesia Conceptionis terrae Typoli Neocastren. v. calend. Novembris.

CLVIII. Indulsit Ludovico de Torres archiepiscopo Montis Regalis in Sicilia, alteri ab eo, qui antea fuerat archiepiscopus Salernitanus, quique multa contulit beneficia in coenobium S. Ludovici Malacae provinciae Baeticae, ut capellaniam suorum ab ecclesia ejusdem coenobii transferre posset in ecclesiam majorem Malacae. Indulsit ut in monasterio b. Mariae de Speranza dioecesis Ulyssiponensis, redditibus aucto, ultra .l. moniales, quae ex decreto capituli generalis Vallisoletani sub Pio IV. manere ibi debebant, aliae tres ad habitum, et professionem recipi possent: *Debitum pastoralis* die x. Julii.

Anno Christi	Gregorii XIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1580.	an. 8. et 9.	anno 4.	an. 373.

ARGUMENTUM

Multiplicantur pro Insulis Philippinis operarii evangelici franciscani. In provincia Mexicana initium obtinet S. Didaci custodia. Tyrolensis provincia erigitur. Observantes, conventuales, et capucini singularem cardinalem ordinis praesidem assequuntur. Partitur provincia Calabriae. Aedium numerus haereticorum injuriis partim decrescit, partimque fidelium sumptibus augetur. Minoritae in Novum Mexicum proficiscuntur. Occumbunt martyres, sancteque alii decedunt. Quorundam venerabilium fratrum sororumque corpora elevantur. Familiae alumni litteris famosi e vivis excedunt, et florent. Renuntiantur episcopi. Prodigia, mandata, et concessiones Pontificis narrantur.

I. Diximus e regno Sinensi labente anno proxime elapso Maniliam rediisse Augustinum de Tordesillas, quem Franciscus de Sandino pro-rex catholicus praecipuis laetitiae signis excepit. Hic nulla interposita mora, coacto in principe ecclesia omnium ordinum coetu, sacrum litante eodem Augustino, orationem habuit, qua populo adversus franciscanos in Sinam profectos querimonias agenti satisfacit, ac de prospero eorumdem eventu, verba, ut sunt, promit.

Joan. Franc. de S. Antonio part. 1. lib. 2. pag. 405.

Si las acciones de los Soberanos se huviéran de mover, segun los vientos del vulgo, dejaran de sér Soberanos: fuéra ligereza, y flaqueza en ellos, assi como lo fuéra el detenerse un caminante en su camino, suspeso al ruydo de una cigarra, siendo tan importuno. Apenas huviéra determinacio acertada, y de peso, si depediésse del vulgo, q ignora, y debe ignorar secretos motivos, paraque no se diga, q tiene el govierno en su mano quien solo tiene obligacion â venerar, y obedecer preceptos: esto es lo que debia saber el vulgo, y estudiar en ignorar, lo que no es de su cargo. Quién creyéra, que se encerraba en lo interiòr de una concha una perla de grade aprecio, mirando un exterior tan tosco? Assi se engañan los exteriores sentidos, y los humanos juicios, obrando por las apariencias de aufera, sin penetrar lo de adentro. Nunca está libre de estas opiniones un Soberano, pero no deben impedir sus temores los aciertos, ni rendirse â la fama vulgar de un pueblo, ni a sus rumores flacos, si quiere acreditarse de magnanimo en su govierno. La prudente constancia oye solo, y no hace caso de juicios, y pareceres del vulgo porq despues con el acierto redonda en mayor gloria, lo que antes se avia murmurado. El tiempo es el maestro, que califica lo determinado; y mucho mas el fin, si fuè recto. Hasta aôra hè estado disimulando las voces del vulgo, que hasta mis oidos se han divulgado, sobre la jornada a la gran China de los RR. PP. fr. Pedro de Alfaro, y sus compañeros, q condugeron los capitanes Francisco de Duenas, y Juan Diaz Pardo, en su barco, y â su costa. Ni hè ignorado la mala opinion, en que los hàn puesto de avèr ido, sin mi licencia, â Reyno tan estraño per-

Si principium actiones juxta instabilem vulgi voluntatem essent dirigendae, actum jam foret de principatu. Id in ipsis debilitatis, volubilitatisque esset indicium, non secus ac si quidam viator importuno cicadarum cantu perculsus, et attonitus in via gradum sisteret. Vix una capta, et tuta obtineretur ejus deliberatio, si ex vulgi voluntate, qui occultas ignorat, et ignorare debet rationes, penderet, ne dicatur, quod suis in manibus is habeat regimen, qui praescriptiones duntaxat venerari, et observare compellitur. Hoc est quod vulgus scire debet, eorum scilicet studere ignorantiae, quae sui haud sunt muneris. Quis crederet in concha magni pretii margaritam recludi, ejus tam rude observando integumentum? Sensus externi, humanaque judicia falluntur operando secundum ea, quae extrinsecus apparent absque causarum cognitione, quae intrisecus latent. Numquam hujusmodi opiniones princeps effugit, sed earum formido nec impedire decreta, nec ipsum impellere debet, ut populari aurae, vanisque ejus clamoribus se accomodet. Vulgi judicia, et opiniones prudens constantia tantum audit, parvipenditque; quia postea in majorem vertitur gloriam, quod prius fuerat neglectum. Tempus est magister, qui de operationibus, et eo magis de earum fine, an fuerit rectus, judicium fert. Hactenus vulgi voces, quae usque ad meas pervenerunt aures haud percipere simulavi super missione ad magnam Chinam RR. PP. fr. Petri de Alfaro, et sociorum ejus, quos duces Franciscus de Duenas, et Joannes Diaz Pardo in navi proprioque sumptu conduxerunt. Nec me mala latuit opinio, quam illis insimulare voluerunt, eo quod

judicando à su credito, y al mio, que pudieran padecer algun daño, aunque en ellos les moviesse un buen zelo y en mi, por la pàz, nn tacito permisso. Pero yà es tiempo, en que todos quede desenganados con la inteligencia de mi sufrimieto, y de la verdad, q hasta aôra no hè revelado, por no aver convenido. Sepan vstedes (djio) q yo atendiendo à que el comercio con la China no està aùn bien abierto, y assegurado, de que se experimentan evidentes atrassos à la Religio. Christiana, à la real corona, y à sus leales vasallos, que trabajando en estas islas para su manutencio, y aumento, no consiguen en sus fatigas el proporcionado lógro, sino las quejas, y los sentimietos, determinè embiar por exploradores de esse basto Imperio à unos religiosos de mèr.tos tan conocidos, y a unos seculares en todo tan abonados, paraque unos con otros descubriéssen el mejor camino para el comercio, y se lograssen los interesses espirituales, y temporales, que todos desseamos. Hicelo esto con cauteloso secreto, sin comunicarlo à alguno, sino consultando solo con la necessidad, y el tiempo, que me lo asegurar o por necessario, esperando en tan buenos medios el aciero, con el qual podrìa satisfacer à los rumores del vulgo, q previa, y hè sufrido, uegádo à conocer el obsequio, que à ambas magestades hè hecho, y el alivio, que para sus vasallos hè solicitado. Assi me hà salido, como lo avia pensado; pues acaba de uegar el P. fr. Agustin de Tordesillas; y me pone en esperanzas ciertas del comercio con la fundacion del convento de Macão, en que fray Pedro de Alfaro se queda entendiendo: porque siendo esta la escala mas segura, y mas propria para a quel Reyno, queda facil la comunicacion

mea absque venia in tam longinquum perrexerint regnum laedentes et suum, et meum honorem, cum ad aliqua toleranda detrimenta exponi potuerint, etiamsi ad id peragendum eos rectus animarum zelus, et mea tacita permissio ob pacis amorem permoveret. Sed jam tempus est, ut omnes meam tolerantiam factique veritatem, quod adhuc nemini patefeci, quia ita erat conveniens, intelligant. Scitote (inquio) qualiter ego considerans nondum esse apertum, et tutum cum China commercium; et certior factus de evidentibus irrisionibus allatis religioni christianae, regi, fidelibusque ejus subditis, qui istis in insulis laborantes propter earum conservationem, et incrementum ex propriis laboribus convenientem non referunt compensationem praeter damna, molestiasque, nonnullos religiosos ob eorum merita notos, et quosdam saeculares omnibus ornatos virtutibus veluti illius regni exploratores mittere constitui, ut una simul conjuncti meliorem commercio detegerent communicationem, et spiritualibus, temporalibusque negotiis, quae cuncti exoptabamus consulerent. Haec caute peregi, omnibus inconsultis, praeter necessitatem, et tempus in bonis mediis propitium expectans finem, quo vulgi rumoribus, quos praevidebam, et sustinui satisfacere possem propter obsequium ambabus majestatibus redditum, et propter levamen, quod earum subditis exquisivi. Ita factum fuit, ut cogitaveram: nam nunc pervenit P. fr. Augustinus de Tordesillas, et mihi spes certas commercii dedit ob conventus Macai erectionem, quum dirigit fr. Petrus Alfaro, quia cum ea sit securior, et proprior via ad illud imperium,

Digitized by Google

para los espiritnales, y temporales logros, teniendo los religiosos Castellanos de Philipinas, convento en Macâo, que sirva de puente à nuestros comercios, paraque religiosos, y seculares faciliten su transito. Con este tan feliz sucesso ya puedè quietarse los animos del vulgo, y estar muy agradecidos à ta fieles, y zelosos mensageros, que por lo que à mi toca, yò tendre cuydado de premiar a Francisco de Dueñas, y Juan Diaz Pardo, y de proteger en todo à estos santos religiosos.	*paratur ad spiritualia et temporalia lucra facilis comunicatio, religiosis hispanis Philippinarum habentibus in Macao conventum, qui sit velut pons ad nostra lucra, ut religiosi, saecularesque suum transitum facilius consequantur. Cum hoc tamen propitio eventu vulgi animi quiescere possunt, et fidelissimis nuntiis esse gratissimi. Quod ad me attinet munerare Franciscum de Duenas, et Joannem Diaz Pardo, et in omnibus hos sanctos religiosos patrocinari haud praetermittam.*

II. Antonio de S. Gregorio apud Pontificem anno MDLXXVII. et anno MDLXXVIII. pro bono regimine custodiae Insularum Philippinarum operanti, omnia felicia accesserunt. Nam, eo postulante, visitantibus quibusvis ecclesiis jam erectis, ac in faturum intra decennium, tum in Indiis, tum in China, tum in Insulis Philippinis erigendis, statis anni diebus indulgentiam plenariam largitus est Pontifex: *De salute gregis* die x. Novembris anni MDLXXVII., ratamque habuit erectionem custodiae S. Gregorii, eamque subjecit provinciae S. Josephi Hispaniarum: *Ad hoc nos Deus* die XII. Novembris an. MDLXXVIII. Interim dum Pontifex ab ipso exploratum habuit, iis in regionibus franciscanorum labore verbum fidei in infidelium mentibus altas in dies radices agere, messemque multam, operarios autem paucos, alios evangelii cultores pro excolenda vinea Domini providendi jus illi tribuit. Hinc in Hispaniam remeatus, in socios sibi adscivit ex provincia S. Joseph Martinum ab Ascensione, Michaelem de Talavera, Didacum de S. Petro, Martinum Carasco, Augustinum et Alphonsum de Jesu, Andream de Talavera sacerdotes, et Franciscum de Gata laicum; ex provincia Conceptionis Franciscum de S. Michaele, et Antonium de S. Maria sacerdotes; ex domo recollectionis Andalusiae sacerdotem Gabrielem de Angelis; ex ignota provincia Blasium de S. Nicolao, Christophorum de Cruce, et Gregorium Menor sacerdotes, totius missionis commissario Petro de Monte instituto. Hi una simul cum Gonsalvo Ronquillo nuper, ob mortem Francisci de Sandè pro-rege Philippinarum electo, navim conscensi, Mexicum hoc anno appulerunt.

Idem ibidem.

III. Iis jam profectis, litteras e Manilia Franciscus de Hinnojosa provinciae S. Josephi minister accepit, quibus mittendorum fratrum copia expetebatur, tum a regiis consulibus, tum a Petro de Alfaro custode priusquam ad Sinarum regnum iter habuisset. Franciscus collato hac super re consilio cum rege et antistite Philippo Sega Hispaniarum nuntio, datisque encyclicis litteris, sexdecim fratres, propagandae fidei percupidi, sese ultro obtulerunt; nimirum ex provincia Valentiae Vincentius Valerus, et Joannes de Oliver sacerdotes; ex provincia S. Evangelii Franciscus de Segura, et Thomas de Mirando sacerdotes; ex provincia S. Jacobi Hieronymus de Aquila sacerdos; ex provincia Castellae Petrus Experanza sacerdos; ex provincia Conceptionis Joannes Pachico sacerdos; ex provincia S. Josephi Petrus Baptista, deinde protomartyr

Japonensis; Petrus Ortiz Cabezas, Hieronymus de Burgos, Franciscus Menor, Franciscus Montilla, Joannes de Parrobillas, Martinus Ignatius de Loyola sacerdotes, et Petrus Mathias, Antoniusque Nombela clerici. Mox in coenobium S. Bernardini extra muros Matriti singuli convenientes, Petrus de Monte, Hieronymus de Burgos, et Petrus Baptista in commissarios visitatores totius custodiae renuntiati sunt a provinciae ministro; a nuntio vero apostolico omnium praeses delectus Michael de Talavera, vir moribus decorus, doctorisque honore in accademia Complutensi insignitus, quibus ipse benedixit, et quasi martyrium divinans, quum vexillum Crucis ei traderet, dixit: *accipite vexillum S. Crucis, in quibus possitis vincere inimicos fidei:* indeque per mediam civitatem Matritensem, excito ad spectaculum populo, cum eodem Crucis vexillo procedentes, itineri se committunt.

IV. Mexicanam civitatem hoc anno et ipsi accesserunt, quo tempore, Petro Baptista curante, illic custodia S. Didaci initium sumpsit, cujus primus praeses extitit Petrus Ortiz Cabezas. Prope aediculam S. Cosmae positam intra moenia ejusdem civitatis in loco de los Arcos eis concessam ab Augustino Guerrero, ubi quidam eremita morabatur, primum parvum coenobium propriis eorumdem manibus, tabulis, viminibus, cannisque luto contextum extruxerunt, Domino in summa aegestate famulantes. Alterum de Churubusco appellatum occuparunt. Aucto fratrum numero, ipsisque flagitantibus, eis etiam traditum fuit a decano et canonicis cathedralis ecclesiae eremitorium S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, quod, teste Gonzaga, Veichiapanorum sumptibus extructum fuerat anno MDXXIV. sub Martino de Valentia Mexicanae gentis apostolo. Distat a Mexico VI. M. P. Fuit hic locus deputatus erudiendis in disciplina regulari tironibus franciscanis. Iis Mexici commorantibus, additi sunt ex eadem provincia S. Evangelii Antonius de Villanova, Rufinus de Experanza, Alphonsus de Jesu, Michael de Bustos, Michael de Siria, Balthasar de los Reyes, Franciscus de Torangos sacerdotes, Didacus Bernal, et Melchior de S. Francisco laici.

Conventus S. Cosmae. Gonzaga p. 1355. Joan. Franc. de S. Antonio tom. 1. pag. 552.

Conv. de Churubusco.

Conv. S. Matthaei. Gonzaga in prov. S. Evangelii conv. 28. et in prov. S. Gregorii conv. 3.

V. Exordium hoc tempore habuit Tyrolensis observantium provincia S. Leopoldi titulo, ejusque erectio Ferdinandi archiducis Austriae invictissimi Ferdinandi I. filii in seraphicum ordinem pietati debetur. Pientissimus hic princeps cum ordinis coenobia in sua ditione, nimirum in provincia Argentina et Austriaca, aliisve in locis pessum ire cerneret, aequo destitui religiosorum numero, et quorumdam grata fratrum viduari praesentia, animo cogitare coepit, qua ratione peculiarem erigeret provinciam, ac regularem in ea tueretur sartam tectamque disciplinam. Hinc excitus doctrina ac sanctimonia Henrici Sedulii Airensis, alumni provinciae Germaniae inferioris, qui ob tumultus bellorum, Geusiorum motum, pestisque saevitiam anno MDLXXVIII. Lovanio, ubi in illa accademia publicus erat professor, in Italiam exulatum abierat, ac in Oenipontano coenobio lectoris munus gerebat, ei visus est longe opportunus in erigenda provincia. Igitur consiliis inter se initis, Ferdinandus Sedulium Romam misit, ubi industria hominis ac litterae quas secum tulit, id effecerunt, ut a Summo Pontifice, ministroque generali nuper diplomate: *Cum sicut accepimus* die v. Aprilis in ordinis praefecturam confirmato, nedum pronum erigendi Tyrolensem provinciam con-

Greiderer tom. II. lib. 1. n. 4. p. 3. et seq.

sensum obtinuerit et facultatem, verum etiam apostolicus commissarius fuerit constitutus: *Quo religiosorum domus* die XVI. Aprilis, hisque litteris in munere a generali ministro interim confirmatus.

Fr. Franciscus Gonzaga ordinis minorum regularis observantiae generalis minister et servus, R. P. F. Henrico Sedulio salutem in Domino sempiternam.

Quoniam auctoritate SS. D. N. Gregorii XIII. et nostra, ad petitionem serenissimi domini archiducis Austriae Ferdinandi, constitutus, et confirmatus es commissarius apostolicus et minister pro uniendis monasteriis tam virorum quam mulierum instituti nostri in ditione praedicti archiducis constitutis, ut ex his provincia Tyrolensis conficiatur; quo omnia majori cum tranquillitate transigi queant, harum praesentium tenore absolvimus a cura et gubernatione conventuum Tyrolensium commissarios et omnes alios, qui antea aliquam auctoritatem, vel commissionem in praedictos conventus habuerunt. Id quod pro arctiori pace servanda, rev. p. commissario Alvarez, et rev. p. ministro Argentino quam citissime significare teneberis. Vale, et Deum pro nobis ora. Datum Romae in conventu nostro Aracoeli die XVII. Aprilis anno MDLXXX.

loco ✠ signi

Fr. Franciscus Gonzaga qui supra manu propria.

VI. Obtento diplomate, minister generalis desiderium Pontifici exposuit, ut Henricum Sedulium in primum provinciae Tyrolensis praesidem promovere dignaretur. Annuit Pontifex, et Sedulium vivae vocis oraculo in ministrum delegit. Idem tamen generalis Sedulio quatuor consultores, sive diffinitores, mox exprimendos, constituit in creatione provinciae auxiliatricem manum ei porrigentes.

Fr. Franciscus Gonzaga totius ordinis generalis minister, et servus, R. P. F. Henrico Sedulio commissario apostolico, et ministro provinciae Tyrolis dignissimo salutem in Domino sempiternam.

Quandoquidem in rerum permutationibus multae difficultates emergere solent, quod etiam in ista provincia Tyrolis erectione futurum esse dubium non est; ne tu eas solus ferre cogaris, sed habeas patres prudentes, ac probos, qui tibi sano consilio adsint et juvent, idcirco tenore praesentium nostra auctoritate constituimus quatuor patres consultores, coadjutores, et tamquam diffinitores, nempe rev. p. fr. Joannem Nasum, concionatorem apostolicum dignissimum, rev. p. fr. Gabriel de Merano praesidentem in conventu nostro Swaz, et rev. p. fr. Joannem Wolmuet vicarium conventus nostri in Oeniponte, qui patres tecum in istius erectione pro amore Dei et religionis nostrae omnia transigere possunt, maxime vero unitis conventibus, et provincia constituta in capitulo, quod primo tempore celebrari debet, in quo isti patres possunt reelegi in diffinitores, ut moris est religionis. In capitulo declarabitur observanda esse statuta Barcinonensia, et conventum Oenipontanum in gratiam serenissimi archiducis esse debere primum conventum provinciae, nec non caetera omnia constituentur, quae ad salutem animarum, incrementum reli-

gionis nostrae, et quod prius dici oportuit, spectare videbantur ad gloriam Dei, cui te ex animo commendamus, quemque vicissim pro nobis orabis. Vale. Datae Romae in nostro conventu Aracoeli die XVIII. Aprilis MDXXX.

L✠S *Fr. Franciscus Gonzaga*
qui supra manu propria.

VII. Hinc Tyrolum ingressus, congregatis capitulariter fratribus in conventu Oenipontano, praesente D. Justiniano Moser archiducis cancellario, die XII. Maii apostolicum vulgavit diploma, ac Tyrolensis provincia formale initium accepit, cui haec accesserunt coenobia.

CONVENTUS PROVINCIAE TYROLENSIS.

1. S. Crucis Oenipontis provinciae primarius, sumptus a provincia Argentina. Ecclesiam hanc et aedificium eleganti ac magnifica forma donatum, expensis Ferdinandi I. Imperatoris anno MDL. inchoatum, et anno MDLXII. absolutum, ut ibidem canonicorum collegium immitteretur, cum ob eorumdem inopiam ad effectum minime devenerit, Principis gratia fratribus de observantia commissit. Eruitur id ex aura scriptura nigro lapidi marmoreo super januam refectorii inscripta. *Idem ibidem n. 47. et seq. pag. 32.*

D. O. M.

POSTQUAM CRUENTA PRAELIA, ATQUE DISSIDIA, UNIVERSUMQUE ORBEM FAUSTISSIMUS AC CLEMENTISSIMUS DIVUS FERDINANDUS ROM. IMPERATOR, GERM. HUNG. BOHEM. REX, ARCHIDUX AUSTRIAE, DUX BURGUNDIAE, COMES TIROLIS ETC. CUJUS MEMORIA IN BENEDICTIONE EST, FAVENTE NUMINE AD PACEM REDUXERAT, DENIQUE COELESTI ERGA ORTHODOXAM FIDEM ARDORE SUCCENSUS, AD EXTREMUM VITAE SUAE HOC COENOBIUM, ET TEMPLUM FIERI CURAVIT, ORDINIQUE S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA MUNIFICE DEDICAVIT; QUOD REVERENDISSIMUS P. FR. FRANCISCUS ZAMORA GENERALIS MINISTER ALMAE DIVI ANTONII PROVINCIAE SEDULO CONNEXIT. FRATER LUDOVICUS MALUMBRA VENETUS PRIMUS GUARDIANUS AD POSTER. MONUMENTA P. C. ANNO D. MDLXIV. DIE XIII. AUGUSTI.

In ecclesia adspectabile cernitur mausolaeum Maximiliani I. Caesaris, manu Alexandri Colini Mechlinensis anno MDLXXVII. excisum in marmore nigro, et in quadrum secato coaluit. Superius in quatuor angulis virtutes cardinales enuntiantur opere fusili affabre confectae; in medio earum Maximilianus flexis genibus, manibusque versus summum altare erectis, orans, exprimitur; in circuitu haec verba aureis litteris obviant

IMPERATORI CAES. MAXIMILIANO PIO, FELICI, AUG. PRINCIPI TUM PACIS, TUM BELLI ARTIBUS OMNIUM AETATIS SUAE REGUM LONGE CLARISSIMO, SUB CUJUS FELICI IMPERIO INCLYTA GERMANIA, DULCISSIMA IPSIUS PATRIA, TAM ARMIS, QUAM LITTERARUM STUDIIS PLUSQUAM UNQUAM ANTEA FLORERE, CAPUTQUE SUPER ALIAS NATIONES EXTOLLERE CAEPIT. CUJUS INSIGNIA FACTA TABELLIS INFERIORIBUS, QUAMVIS SUB COMPENDIO, EXPRESSA CONSPICIUNTUR. IMP. CAES. FERDINANDUS, PIUS, FELIX, AUGUSTUS, AVO PATERNO PERQUAM COLENDO, AC BENE MERITO PIETATIS, ATQUE GRATITUDINIS ERGO P. NATUS EST DIE XXVII. MARTII ANNO DOMINI MCCCCLVIIII. OBIIT ANNO DOMINI MDXLX. DIE XII. MENSIS JANUARII.

In ipso mausolaeo gesta ejus praecipua, XXIV. marmoreis tabulis cernuntur. Circumstant inter ipsius mausolaeum XXVIII. statuae, septem pedibus altae ex metallo fusili artificiose coagulatae austriacae stirpis, et aliae ad eam saltem indirecte pertinentes. Prope januam capellae ar-

gentae Immaculatae Conceptionis, in sepulchro ex niveo marmomore eleganter exciso quiescit Philippina conjux archiducis Ferdinandi, hoc epitaphio annexo

FERDINANDUS DEI GRATIA ARCHIDUX AUSTRIAE, DUX BURGUNDIAE, COMES TYROLIS, PHILIPPINAE CONJUGI CHARISSIMAE FIERI CURAVIT. OBIIT XXIV. MENSIS APRILIS ANNO SALUTIS M.D.L.XXX.

Idem ibidem n. 87. pag. 62. 2. S. Francisci oppidi Suazensis in dioecesi Brixinensi, subtractus hoc anno a provincia Austriae. Huic conventui concredita fuit parochialis cathedra. Excitatus fuit pro observantibus, non pro conventualibus anno MDVI.

Idem ibidem n. 76. pag. 54. 3. Sacrarum Stigmatum S. Francisci Bulsanensis in dioecesi Tridentina, ab Austriaca ad hanc provinciam translatus, excitatus anno MCCLXX. et MCCLXXII.

Idem ibidem n. 65. pag. 43. 4. S. Martini Friburgensis in dioecesi Constantiensi, sejunctus a provincia Argentinensi, non anno MCCXXVI. vel ipsis temporibus S. Francisci, ut putat Gonzaga, sed anno MCCXLVI.

Idem ibid. n. 136. pag. 94. 5. His accessit residentia posita juxta monasterium clarissarum Brixinensis, ubi usque ad annum MCCXLV. unus vel alter minorita sororibus ipsis spiritualia servitia deferebat. Anno MDCLXI. studio fr. Rufini ministri provinciae alio in loco, priore clarissis cesso, inchoatum fuit pro fratribus coenobium, quod anno MDCLXV. perfectionem accepit.

Idem ibid. n. 177. pag. 117. 6. S. Joannis Baptistae Bernstainensis tertiariorum in dioecesi Constantiensi, ubi aliqui eremitae usque ad an. MCCCLXI. sedem fixerant, a provincia Argentinensi ad Tyrolensem translatus.

MONASTERIA MONIALIUM.

Greiderer ibidem n. 149. pag. 100. 1. S. Elisabeth Brixinensis anno MCCXXXIV. fundatum, ab Argentinensi ad Tyrolensem transiit. Joannes Nasus in episcopali dignitate constitutus, in coemeterio ejusdem monasterii capellam in honorem S. Cruca et B. Mariae ad Nives construxit, dotavit, et consecrationis gratia affeciti

Idem ibid. n. 165. pag. 109. 2. S. Clarae Friburgi excitatum circa annum MCCLXXII. Die XIV. Augusti anni MDXLVII. ecclesiam, magnam monasterii partem, ac scripta ignis consumpsit, et moniales in gravem paupertatem egit. Eleemosynae diversis in locis collectae, paullopost ecclesiam, et successu temporis etiam claustrum restituerunt.

DOMUS SORORUM TERTII ORDINIS.

Idem ibid. n. 243. pag. 153. 1. Nordstettensis fundata in pago ejusdem nominis in dioecesi Constantiensi, cujus initium ignoratur, a provincia Argentina separata. In bello Suevico intra annum MDCXXX. et MDCXXXII. hoc monasterium expilatum fuit. Sorores ejus die XVII. Junii anni MDCXLIII. in unionem cum aliis monasterii Horbensis conspirarunt. Regressum subinde anhelantes, per decretum diffinitorii provinciae anno MDCXLIV. latum, eo denuo rediere.

Idem ibid. n. 188. pag. 124. 2. S. Josephi Horbensis superioris dioecesis Constantiensis an. MCCXCIII. fundata. Parebat provinciae Argentinae. Post annum MCDVIII. alio in loco sedem fixerunt.

Idem ibid. n. 242. pag. 152. 3. Horbensis inferioris eodem anno excitata, ac adjuncta provinciae Tyrolensi. Per exactiones in bello Suevico datas ad tenuem statum devenit, et in pejus ruit. Vi contractus permutationis anno MDCXLII. die XXX. Julii cum ecclesia collegiata Horbensi, isti cessit, sororibus ad claustrum congregationis mediae cum oneribus et juribus suis translatis.

Digitized by Google

4. Eitingensis in dioecesi Constantiensi anno MCDXCII. erecta. Sororibus vita functis, p. Wolfgangus Grindi minister provinciae an. MDCXL. die XXV. Augusti sancivit, ut domus cum omnibus bonis et juribus monasterio Horbensi accresceret. Idem ibid. n. 244. pag. 153.

5. S. Annae Rottenburgensis ejusdem dioecesis, saeculo XIV. Nicaro-Ehingae positae juxta ecclesiam superiorem S. Remigii, olim parochialem. D. Joannes Georgius Kalmair scultellus Rottenburgensis anno MDLXXXIII. domum suam Rottenburgi sitam monialibus Psullinganis, et anno MDLXXXV. Rottenburgensibus una cum vinea, ac praedio feudali, ob pecuniam mutuo datam per modum hypothecae transcripsit. Rodulphus II. anno MDXCVII. istarum privilegia firmavit. Idem ibid. n. 204. pag. 132.

6. Silchensis instructa in loco solitario, usque ad annum MCDXC. a tertiariis habitata. Nam eo anno Mechtildis Volckmarin mater monasterii Rottenburgo-Nicarini juxta portam Silchensem, tribus filiis Rodulphi de Echinga propinqui sui, videlicet Theobaldo, Burchardo, et Wolfio de pecunia aliqua numerata concredidit, quam D. Henricus de Gietlingen, et Joannes Hipp consul civitatis Rottenburgensis sigillis suis firmarunt. Domus haec olim aggregata erat provinciae Argentinae. Ita in eodem bello Suevico deteriorata, ut duodecim annis incolis caruerit, et una cum suis juribus domui superiori Rottenburgensi die XI. Julii anni MDCXLIII. adjuncta fuerit. Idem ibid. n. 245. pag. 153.

7. S. Elisabeth pagi Oglspiri in Suevia anno MCCCLXXVII. fundata. Joannes Stainlin director tertii ordinis una cum socio tribusque tertiariis, videlicet Anna Thannhauserin, Elisabeth Zunderin, et Adhelayde Kaybin ex monasterio Ulmensi Oglspirium perrexit, istas in festo Assumptionis Deiparae parvo coenobio intulit, vesteque seraphica donavit. Anno MCDLXXXIV. a regimine conventualium ad observantes transiit, et Argentinae provinciae adjuncta fuit. Idem ibid. n. 192. pag. 126.

8. S. Mariae Angelorum in pago Warthusii Sueviae in dominio Austriaco posita ac aedificata anno MCCCLXXX. a quadam matre una cum duabus filiabus Biberaco earum patria, Warthusium perveniente. Albertus III. Austriae dux structuram istam sequenti rescripto approbavit. Idem ibid. n. 198. pag. 129.
Nos Albertus Dei gratia Dux Austriae, Carinthiae, et Carnioliae, Comes Tyroleos etc. praesentibus denuntiamus, claustrum in quo honestae et religiosae feminae Deo serviant, Warthusii nuper extructum, et aedificatum esse, annuentibus nobis, et consentientibus, volentibus tamen, ut et parochi loci consensus accedat. In quorum fidem has dedimus Ehingae die S. Galli an. Domini MCCCLXXX.

9. S. Francisci prope moenia civitatis Ehinganae. D. Conradus Moll senator civitatis anno MCCCXCV. suam domum, hortum, et pratum una cum aliis rebus tradidit pro hoc monasterio excitando Annae Brunnin, Magdalenae Muskajin, et Annae Fechterin. A gubernio conventualium transiit ad observantes. Licet magnam partem Germaniae Lutheri haeresis infecisset, sorores hae coelesti sponso integram fidem servarunt. Idem ibid. n. 183. pag. 121.
» Iste, sic Vigilius Greiderer, circa an. MDXXIV. uti relatio antiqua in
» archivo nostrae provinciae reposita asseverat, in forma pulcherrimi
» juvenis, violacea veste induti, sororibus in vigilia Pentecostes colla-
» tioni vacantibus, in refectorio se visendum praebuit, et ad colu-
» mnam in medio stetit dicens: *Pax vobis! cras vobiscum ero in*

» *SS. Sacramento.* Post haec discessit, sororibus mox surgentibus, vesti-
» gia ejus usque ad parvam januam in hortum exitum pandentem
» legentibus, et, eo heic disparente, in dulcissimos affectus abreptis.
» Ante januam istam, quae hodiedum portula sancta audit, pluribus
» annis lampas radios sparsit, lapsu temporis per bellorum procellas
» extincta. . . . . Idem dilectus alio tempore a sororibus, in pra-
» to Schwomwag labori vacantibus, velut orans in monte Oliveti et
» sanguinem sudans, in genua supra collem demissus, conspectus fuit,
» loco post ejus disparentiam suavem odorem diutius diffundente »

Idem ibid. n. 210. pag. 135. 10. S. Annae Munderkingae, civitas Sneviae Danubio adjecta. D. Anna Hockerin anno MCDLIX. testamento suam voluntatem aperuit fundandi domum pro monialibus tertii ordinis in ea civitate, atque agros ac prata eidem cedenda expressit. Fundamenta vitae religiosae heic posuerunt duae moniales ibidem translatae e monasterio Oglspirensi.

Idem ibid. n. 246. pag. 154. 11. Günzburgensis dioecesis Augustanae. Initia dederunt anno MCDXXXIII duae puellae ejusdem civitatis, nempe Margarita Einbaderin, et Anna Bockin, quae in privatis aedibus caelibem vitam ducentes, mox alias etiam a remotioribus locis advolantes puellas, in suam societatem attraxerunt, a Magistratu in specialem tutelam adoptatae. Petrus de Schaumburg S. R. E. cardinalis effecit, ut vestibus saecularibus rejectis, anno MCDLXXXVII. habitum tertii ordinis susceperint. Anno MDCXXXVI. eo a ministro provinciae Tyrolensis resignato, in suam plenam resignationem sususcepit Henricus V. de Knoring episcopus Augustanus.

Idem ibid. n. 247. 12. Weldensis in pago marchionatus Burgoviensis ejusdem dioecesis Augustanae. Tertiariae anno MDLXX. e monasterio Weileriano a Lutheranis profligato, monumentis suis magistratui Ulmensi concreditis, Weldae sedem figentes, ac ibidem monasterium ecclesiae parochiali b. Mariae Annuntiatae contiguum extruentes, vitae suae redditibus monasterii derelicti consuluerunt. Ante hoc tempus spectabat ad provinciam Argentinam.

Idem ibid. n. 206. pag. 132. 13. B. Virginis Lauretanae Waldseae extructa post annum MCD. a Conrado Kiigelin praeposito Waldseae, ac confessario b. Elisabeth Reüttensis pro aliquibus piis faeminis, in quam et ipsa ingressa est anno aetatis suae XVII. Ab anno MDXVIII. minister provinciae Argentinae suam in illo jurisdictionem exercuit, uti constat ex bulla Leonis X. *Quoniam postquam* XV. Maii. Moniales anno MDCXXIX. nigrum velum, clausurae gratia, assumpserunt.

Idem ibid. n. 214. et seq. pag. 137. 14. SS. Trinitatis Seggingae, civitas Sylvestris dictionis Austriacae, dioecesis Constantiensis, fundata anno MCCCXLI. a Joanne Aelbling, Anna et Margarita ejus filiae, in qua vixerunt juxta regulam tertii ordinis. Adest instrumentum confectum a Sedulio, monasterium hoc provinciae Tyrolensi adjiciens.

Frater Henricus Sedulius ord. min. regularis observantiae, Commissarius Apostolicus et minister provinciae Tyrol. Dilectae sorori, ac matri domus seu conventus sororum de tertia regula S. Francisci in Seckingen, et reliquis sororibus conventus ejusdem, salutem in Domino sempiternam.

Cum anno Domini MDLXXXI die XXIX. Augusti venissem ad vos, ut vestrum conventum sejungerem a provincia Argent. ord. min. re-

gularis observantiae (sub cujus visitatione ac cura hactenus fuit) et unirem novae provinciae Tyrolensi instituti ejusdem, idque auctoritate S. D. N. Gregorii PP. XIII. nec non Reverendiss. P. Fr. Francisci Gonzagae totius ordinis minorum generalis ministri, et hoc ad voluntatem Sereniss. D. N. D. Ferdinandi Archiducis Austriae etc. (quorum omnium litteras vidistis, et intellexistis) primi hujus novae provinciae auctoris, vos libenter consensistis, obedientiam mihi, et successoribus meis promisistis, demum pollicitae estis (ut in vestrae unionis instrumento habemus) observaturas vos, quae in brevi apostolico et litteris Reverendiss. P. Generalis praedicti, super negotiis novae provinciae datis latius continentur. Quare praesentium tenore vobis omnibus in virtute obedientiae praecipio, et mando, ne posthac alium quemlibet cujuscumque status, aut conditionis, vel provinciae fuerit, pro superiore agnoscatis, vel recipiatis, nisi nos, tametsi indignos, et successores nostros, et eos, qui a superioribus nostris, vel a nobis ad vos missus certo testimonio constabit. Ita fiet, ut conventus nostrae provinciae Tyrolensis in pace, et unionis concordia contineri queant. Valete filiae dilectae in Christo, ipsum pro nobis sedulo deprecaturae. Datae sub officii nostri sigillo loco, et die ut supra.
loco ✠ signi

Fr. Henricus Sedulius qui supra
manu propria.

Porro Sedulius his domiciliis fratrum et sororum provinciae Tyrolensi adnexis, in partes inferiores Rheni descendit. Coloniam veniens, aliquot fratres suae provinciae, occasione fugae in provincia Coloniensi observantium morantes, conduxit, hisque laudatae provinciae pancitate fratrum pressae, aliqualiter providit. Provinciae ambitus protenditur ad DCCXV. milliaria germanica. Majus sigillum crucem praesefert satis magnam, cujus utrique brachio, et pedibus tres sunt clavi affixi, sed transversa ad ipsius caput tabella subsequentibus collustratur litteris I. N. R. J. Ad praefatae crucis pedem genuflexus, manibusque junctis, sed extensis Seraphicus Patriarcha Franciscus.

VIII. Die XIX. Aprilis hujusce anni, non juxta Dominicum de Gubernatis anni MDLXXXIV. obiit Romae Franciscus Alciatus Mediolanensis, Martini nobilissimi viri filius, diaconus cardinalis titulo S. Mariae in Porticu, deinde presbyter cardinalis S. Luciae in Septisolio, postea S. Susannae. Postremus extitit totius franciscanae familiae protector conventualium nimirum, et capucinorum. Fuit etiam Carthusianorum patronus, et Romae in ecclesia S. Mariae Angelorum sepultus cum hoc epitaphio.

De Gubernatis t. 1. pag. 504. n. 25. Ughellus tom. 3. colum. 972. Chronol. Seraph. t. 3. part. 2. n. IV.

D. O. M.

ET MEMORIAE FRANCISCI ALCIATI MEDIOLANEN. TITULO S. MARIAE IN PORTICU S. R. E. PRESBYTER CARD. VIRTUTE, HUMILITATE, OFFICIO I. U. SCIENTIA, AC CAETERIS OMNIBUS DISCIPLINIS FLORENTISSIMI, CARTHUSIANENSIS FAMILIAE PROTECTORIS. VIXIT ANN. LVIII. MEN. II. DIES XVIII. OBIIT ANNO SALUT. MDLXXX. XIII. KALEND. MAII.

IX. Quo defuncto solicitationibus et precibus Francisci Gonzaga, excluso Felice Peretti sibi licet amicissimo, qui hoc munus exoptabat,

Chronol. Seraph. ibidem.

Digitized by Google

a Gregorio XIII. delectus fuit ordinis protector Ferdinandus Medicaeus, Cosmi Etruriae ducis, et Eleonorae de Toleto filius, a Pio IV. cardinalis S. Mariae in Domnica creatus. Felix Peretti cum spe consequendi ordinis praefecturam excidisset, una cum Petro Antonio Camilli de Nuceria conventualium generali magistro auctor fuit, ut conventuales et capucini proprios caperent protectores, nimirum conventuales Philippum Vastavillanum, Pontificis ex sorore nepotem, patria Bononiensem, tituli S. Mariae Novae, postremoque S. Mariae in Cosmedin; capucini Julium Antonium Sanctorium, patria Casertanum, S. Severinae antistitem, tituli S. Bartholomaei, mox S. Mariae Transtyberim, ac tandem episcopum Praenestinum.

X. Statimac Medicaeus praefecturam ordinis assumpsit, indubia edidit erga strictioris observantiae fratres suae benevolentiae signa. Rogatus namque per epistolam nomine eorumdem fratrum totius Italiae a Petro Aquilano in romana provincia actuali custode, ut Syndicum apostolicum, juxta constitutiones Pontificum Nicolai III. *in cap. Exiit*, et Clementis V. *in cap. Exivi*, pro singulis reformatorum coenobiis dignaretur concedere, die XVI. Maii ejus votis satisfecit. Autographum prout est, hic escribimus.

Ex archivio Coenobii S. Francisci Transtyberim.

Pax Christi

Illmo et Eccmo Monsignore

» Essendoche per un Breve di nostro Signore Papa Gregorio XIII. » nel presente anno publicato Noi Frati Minori Riformati dell' osservanza » di Santo Francesco siamo obligati vivere nell' osservanza della nostra » Regola secondo le constitutioni et ordinationi di Niccolò III. e Cle- » mente V. le quali quando fanno mentione de' nostri Procuratori dispon- » gono, e vogliono, che li domandiamo alla Sedia Apostolica, ovvero al » nostro Protettore, laonde colla presente nostra veniamo humilmente a » pregare, e supplicare Sua Signoria Illustrissima et Eccellentissima si » degni per amor di Dio concederci il detto Procuratore per tutti li » luoghi e Terre, che ci farà bisogno. E che noi lo possiamo nominare, » e nominato habbia legitima autorità d' amministrarci a nome della » Chiesa Romana in tutte quelle cose che dice e permette Niccolò III. » E questo supplichiamo a Sua Signoria Illustrissima et Eccellentissima » nò solo per questa nostra Riforma di Roma, ma eziandio per tutte le » altre Riforme della nostra Religione. Con che facendo fine le bascio » humilmente le sacratissime mani.

Gle lo concediamo come domandano
Ferd. Card. de Medici Prot.
Dat. Romae die 16. Maii 1580.

Signoria Illma et Eccma Humilmo Servitore
Fra Pietro Aquilano Custode indegno
della Riforma di Roma.

XI. In provincia Marchiae, Praeter coenobia Sancti Francisci Forani, Eremitae S. Jacobi Massacii, S. Joannis Baptistae de Saxo Montisfalconis, S. Joannis Baptistae Castri Durantii, sive Urbaniae, reformatos ob-

tinuisse hoc anno et conventum S. Jacobi Cinguli, tradunt monumenta ejusdem provinciae. Item scribit Gonzaga, suo tempore inhabitatum fuisse a XVI. iisdem fratribus. Verum anno MDLXXXIV. non ad guardianum reformatorum, sed ad observantium datae fuerunt epistolae a Pontifice, ut sacra eorumdem aedes altari privilegiato in favorem fidelium defunctorum potiretur. In tabulario S. Francisci Transtyberim lego, in conventu Forani pro prima vice a reformatis coactum fuisse hoc anno capitulum custodiale, praeside Bernardino a Massacio custode. Attamen in MSS. P. Josephi Mariae ab Ancona provinciae reformatorum chronologi reperio, anno MDLXXXIII. id peractum fuisse a reformatis, electumque ad id muneris Valentinum Servanzi a S. Severino. Hactenus in eadem provincia custodes habuerunt ipsi anno MDLXVI. Evangelistam ab Aesio; anno MDLXVIII. Paulum de Carticeto; anno MDLXXIII. Paulum de Colleamato; et anno MDLXXVI. Josephum de Petracuta. *Gonzaga in prov. Marchiae conv. 37.*

XII. Dum in regno Neapolitano pro muneris sui ratione fratrum coenobia Generalis minister lustraret, comitiaque in civitate Neocastri in Calabria die XIII. Julii haberet, de partienda Calabriae provincia ab ipso S. Institutore fundata consilium init. Non defuerunt illi, quas profert rationes, quae ad illam dividendam adigeret. » Cum enim, inquit ipsemet Gonzaga generalis minister, ea regio, Calabria scilicet in superiorem atque inferiorem distinguatur, et accolarum istius mores ab iis, quibus illius incolae utuntur, maxime differant, non raro fiebat, ut isti quoque ab illis dissentirent, et communia quoque pax aliquando detrimentum pateretur. Praeterea ea erat ejus latitudo, ut vix a provinciali ministro pro debito visitari, et exorientibus difficultatibus occurri possit. Accessit denique utriusque gentis instantissima atque rationabilis petitio, cui tergiversari non potui. His igitur rationibus adductus...... in duas nempe Septem Martyrum, atque Calabriae provincias, praevia licentia Gregorii XIII. P. M. distinxi; sed isti inferiorem Calabriae portionem, illi vero superiorem attribui ». Porro Calabria pedis peninsulae formam referens, quae olim erat regio Italiae in Salentinis, pars provinciae Hydruntinae ad borealem oram, inter Apuliam Peucetiam ad occidentem, et Japygiam ad orientem circa Brundusium et Hydruntum, hodiedum tamen longe est ab illa diversa. Nam Calabria est regio australis Siciliae proxima, quae brevi maris tractu a Peloro disjungitur, ubi alias Brutii et magna Graecia, inter mare Tyrrenum, et mare Jonium a borea in austrum extensa. Haec ut praefati sumus, duplex est, Calabria citerior, seu citra montes, quae magis in boream, et Calabria ulterior quae in meridiem protenditur. Haec licet divisa, propriam retinuit dignitatem, habetque sigillum majus et patronos martyres Angelum, Samuelem, Domnolum, Leonem, Hugolinum, et Nicolaum, scilicet S. Danielem in medio stantem, pugioneque in sinistro humero confixum, atque sinistro librum, sed dextera palmam tenentem, ejusque socios hinc et inde ejus claudentes latus, et ab umbelico tantum prominentes, fulgidisque nubeculis innixos, atque palmas dextris quoque gestantes, et capitibus pugionibus ictis; insuper et binos seraphicos, alterum quidem S. Danielis capiti imminentem, sed alterum ejus pedibus substantem, sequentes litteras in gyro imprimit *Sigillum Provinciae Sanctorum Septem Martyrum Calabriae.* *Gonzaga in prov. Septem Martyrum pag. 377.*

CONVENTUS PROVINCIAE CALABRIAE ULTERIORIS EX CATALOGO GONZAGAE.

1. Annuntiationis b. Mariae Virginis Rhegii Julii, fundatus an. MCCCIII.
2. B. Mariae de Succursu Scyllae, fundatus circa annum MDLXXI. juxta Michelesium, juxta Gonzagam vero sub Pio V. anno minime expresso.
3. S. Francisci Sinopolis. Ignoratur fundationis aetas.
4. B. Mariae Virginis de Angelis Seminariae.
5. Conceptionis B. Mariae Virginis Oppidi.
6. B. Mariae de Angelis apud S. Christinam.
7. B. Mariae de Jesu Buvolini.
8. S. Francisci Terrae Novae.
9. Conceptionis B. M. V. Polestinae.
10. S. Philippi Quinquefrondibus, fundatus non an. MCDXLV. sed an. MCDXXVI. juxta Waddingum.
11. B. Mariae de Gratiis Medamae.
12. S. Sergii Tropeae.
13. Annuntiationis B. M. V. Tropeae.
14. B. Mariae de Jesu Montis Leonis.
15. S. Antonii Cacuminis.
16. S. Antonii de Padua Squillaci, anno MCCCXCIX. juxta Waddingum constructus, non vero an. MCDLXXXVIII. ut scribit Gonzaga.
17. B. Mariae de Gratiis Catanzarii.
18. S. Francisci Neocastri an. MCCCXCIX. excitatus, et an. MDLXIII. observantibus traditus. Incolebatur prius a conventualibus.
19. B. Mariae de Musciminis Jotrinoli, fundatus an. MDLXXV. ut diximus ad hunc annum.
20. S. Nicolai Insulae, de quo actum est an. MDLXXVII.
21. S. Francisci prope oppidum Quinquefrondibus Militensis dioecesis, hoc anno fundatus tum oppidarum, tum Fabritii Jeffoni praefati loci patroni expensis, teste Gonzaga, qui sibi facta venia a Pontifice, voluit ut bina haec coenobia in eodem oppido a suis incolerentur. Inhabitant x. fratres.
22. B. Mariae de Gratiis excitatus hoc anno a pia Drusiensi universitate non procul ab oppido Drusii, qui juxta Gonzaga, quam citissime fuit absolutus. Paret sacrae Militensi militiae.

Unicam dumtaxat obtinet monialium clarissarum aedem haec provincia, eamdemque Urbanistarum intra Medamae civitatis moenia erectam.

XIII. Provincia Calabriae citerioris a provincia Septem Martyrum divisa ad ipsam, ut custodia, antea spectabat. Sua habet insignia, integra nimirum columna flagello cincta, cui a latere dextro N. a sinistro vero P. litterae inscribuntur. Sigillum ambiunt litterae ✠ *Hoc est Sigillum Provinciae Calabriae.* Patronum habet S. Franciscum de Paula.

CONVENTUS PROVINCIAE CALABRIAE CITERIORIS EX GONZAGAE REGESTO.

1. Annuntiationis B. Mariae Virginis apud S. Nocitum.
2. S. Francisci apud S. Marcum, sive Marcopolis.
3. S. Francisci Beretrae.
4. S. Francisci prope Agellum.
5. B. Mariae Virginis de Gratiis Mesuracae.
6. B. M. Virginis de Gratiis Buxenti.
7. S. Francisci Cosentiae an. MCCCXCIX. erectus; alio patribus conventualibus translatis, cessit observantibus an. MCDXXXIX.
8. S. Bernardini Manteae.
9. S. Francisci Cariati.

Digitized by Google

10. Sancti Bernardini Rossiani an. MCDXXVIII. non vero anno MCDLII. erectus.
11. S. Bernardini Morani.
12. B. Mariae Virginis de Gratiis Citrarii.
13. Annuntiationis B. Mariae Cassoboni.
14. Observantiae Cotroni, juxta Waddingum constructus anno MCCCXCIX. non autem juxta Gonzaga an. MDXX.
15. Observantiae Tabernae.
16. Observantiae Copranii.
17. B. Mariae Virginis de Gratiis Rendae.
18. S. Francisci Sturnorum.
19. B. Mariae Virginis de Gratiis Cassani anno MDLIV. non antem an. MDLI. fundatns.
20. B. Mariae de Angelis Ruliani.
21. Annuntiationis B. Mariae Virginis Dipiniani.
22. S. Francisci Fluviifrigidi.

Unicum etiam haec provincia habet monasterium virginum clarissarum in civitate Tabernae, S. Catharinae sacrum.

XIV. Anno elapso cum supplex libellus datus fuisset ad sedem apostolicam a fratribus recollectis custodiae Nominis Jesu Cataloniae, quo inter caetera Pontifici exponebatur, constitutionem: *Cum illius vicem* ab eo latam sub die III. Junii suo caruisse effectu, proindeque in dies custodem inter et provinciae ministrum contentiones excitari, et scandala oriri, eidem ministro jubet Pontifex, ne custodem ac recollectos audeat molestare, itemque ut duo eis coenobia tribuat: *Alias* die XIX. Martii. Verum eorumdem quieti non fuit plene provisum. Igitur praeter ea de Figueras nimirum, de Dertusa, et de Illa anno MDXXIV. sub Antonio Calcera ministro provinciae tradita, obtinuerunt et alterum b. Mariae de Jesu extra portam angelicam Barcinonensem, fundatum sub Alphonso V. Aragoniae rege circa annum MCDXXVII. ex publicis facultatibus, septuaginta fratribus continendis capax; et S. Thomae Apostoli sesquimilliario a Vico citerioris Hispaniae civitate positum. Ne verbum quidem de hac cessione habet Gonzaga. Huic custodiae additi sunt hoc tempore et alii duo, nimirum conventus titulo S. Michaelis Scornalbou positus in latere Tarraconensis campi, ubi olim Saraceni ceu specula, instructo contra Hispanos bello, utebantur. Aliquando deservit canonicis regularibus S. Augustini, quem tamen dimiserunt. Occupatis autem redditibus a Gaspare Cervantes S. R. E. cardinali Tarraconensium archiepiscopo pro seminario a se erecto, observantibus hujus provinciae obtulit, proque viribus egit, ut ab eis incoleretur. Iis detrectantibus, Antonius Augustinus ejus in archiepiscopatu successor, recollectis tradidit. Continet XII. fratres. Benedictus Tocco Gerundinensium episcopus antiquum eremitorium S. Sebastiano M. sacrum, parum dissitum ab oppido Bisbale ejusdem dioecesis, cum in monasterii formam reduxisset, iisdem fratribus mox contulit. Sunt numero XII.

Gonzaga in prov. Cataloniae conv. 16. Idem ibidem 21. conv.

Idem ibidem conv. 22.

XV. A facinorosis infelicissimi hujus aevi haereticis impie direptus, crematus, soloque aequatus est in provincia Aquitaniae recentioris conventus Cadurcensis, vulgo *Caors en Quercy*, aliquando Cadurcorum populorum in Gallia metropolis. Rex Navarrae per furentes suos satellites, civitatem, domumque fratrum prius spoliatam, mox igni tradidit. Scribit Waddingus non anno MCCLV. ipsam extructam fuisse a Luzetensium domino, primoque *barone*, ac loci *senescallo*, sed vetustiorem esse, initiumque suscepisse a Christophoro de Romandiola S. Francisci

Conventus Cadurcensis dirutus.

Ann. min. ad an. 1255. num. 24.

discipulo sub Guilielmo de Cordaillac episcopo, auctamque postea a fr. Arnoldo de Luzezio. Insulae Jordanis conventus, quem excitavit Joannes ab Insula oppidi patronus, ab Anglis multoties captus, penitusque dirutus, solerti tamen cura fratrum restitutus, hoc anno a satellitibus regis Navarrae, bonis omnibus spoliatur, funditusque evertitur; aliquot vero ab hinc annis, opera fr. Martini Boeraeii pristino splendori restitutus fuit. Haereticorum furorem passus est et conventus apud S. Milianum Aquitaniae oppidum, olim fundatus ab Anglis, et nobilibus Britonibus. Eo sacris vestibus, vasibus, universaque supellectili expoliato, una cum altaribus, imaginibus, totum aedificium impii cremarunt, fratribus aceolis teterrimis per plurimos dies carceribus mancipatis. In hujus coenobii eversione diro mucrone pro catholicae religionis confessione confecerunt haeretici prae foribus conventus die xxxi. Augusti venerabilem senem Raymundum Roedanum de Pulchro-Visu, alias de Belloviso, quod perperam Daza accidisse autumat anno mdlxvii., mendoseque interim ipsum appellans Mauritium.

Et conv. Insulae Jordanis. Idem ibidem conv. 3. — *Et conv. S. Miliani. Idem ibidem conv. 14.* — *Gravina in voce turturis part. 2. c. 24.* — *Raymundus Roedanus Martyr. Daza part. 4. Chron. lib. 3. c. 58.*

XVI. Duo fratrum coenobia in provincia Aquitaniae antiquioris haud meliorem subiere conditionem. Anno mdlx. ab Hugonottis capta civitate Lectorensi, ab iisdem deformatus etiam extitit conventus. At postea vindicata civitate a Molucio Torquato militum praefecto, cum evocati essent fratres, qui in seditione fugam sibi consulentes Tolosam se contulerant, ut illum denuo piorum eleemosynis instruerent, iis ad id incumbentibus, a Biarnensium principe haereticorum fautore iterum pulsi, Tolosam repetere coguntur. Iis pariter saevientibus adeo foedatus fuit conventus oppidi Marmandensis ejusdem provinciae, ut antiquam illam faciem omnino mutaverit. Nam ab anno mdlx. usque ad praesentem iterum fuit ab iis spoliatus, magna ex parte combustus, et ad terram dejectus. Conventus S. Leonardi Neostadiensis in provincia Bosniae Croatiae in flammas abiit, et subinde iterum in nova forma surrexit. Anno mdxcix. S. Francisci sacellum expensis D. Georgii a Rab constructum, ecclesiae accrevit. Circa haec tempora periit etiam conventus S. Michaelis Archangeli Horazdiovicensis. Illum successu temporis occuparunt conventuales, qui actu possident. Coenobium Zacolsae, quod ad superiorem Hungariam pertinet, anno mdxxx. conflagratum, circa hoc tempus fidelium eleemosynis reparatum est, nobiliori atque ampliori aedificio.

Et conv. Lectorensis. Gonzag. in prov. Aquitan. antiquioris conv. 14. — *Et conv. Marmandensis. Idem ibidem conv. 19.* — *Et conv. Neostadiensis. Greiderer tom. 1. lib. 2. n. 110. p. 110.* — *Et conv. Horazdiovicensis. Idem lib. 4. n. 363. pag. 793.* — *conv. Zacolsae. Ann. min. ad an. 1560. num. 53.*

XVII. In Germania inferiori haeretici, praeter templum, quod tecto nudatum converterant in sphaeristerium, diruerunt hoc anno coenobium oppidi Diestensis in Brabantia. In urbe Michlinensi postquam die xix. Aprilis a ferina Calvinistarum barbarie direptae et profanatae fuissent innumerae SS. reliquiae tam in ecclesiis urbis, quam in altari S. P. Francisci, expulsus fuit die xiii. ejusdem mensis una cum fratribus, clerus universus, conventusque funditus eversus. Duo tamen viri religiosi, nempe Rodulphus Delphins loci vicarius, qui nomen dederat ordini in conventu Lovaniensi, ibique litteris ac vitae perfectioni egregiam operam navaverat, et Lambertus ab Hasselt sacerdos et concionator, in diutina carcere detenti fuere; quorum primus plurimis aerumnis afflictus, in suae aetatis flore vitam commutavit cum morte die xxv. Julii. Dum Lovanium peteret, ex eodem coenobio pulsus Martinus Suetens,

Et conv. Diestensis. Et conv. Mechlinensis. Idem ibidem conv. 7. — *Rodulphus Delphius.* — *Lambertus ab Hasselt. Waddingus in cath. martyr. lit. R.* — *Martinus Suetens.*

a Geusiis captus, tam dire ab iis vexatus est, verberibusque dilaniatus, ut inter eorumdem manus die IX. Aprilis spiritum Deo redderet. Conventus Saliensis, seu Salinariensis B. Mariae Virginis in provincia Bosniae Croatiae, ob insolentiam Turcarum circa annum MDLXXIX. ut diximus, desertus, unico fratre curam spiritualem christianorum gesturo, remanente, a pueris turcicis igne in eum immisso, suo esse hoc anno privatus est; et licet postea revixerit, attamen anno MDCXC. ad perfectionem adducto, interiit. Loco hujus acquisitum est hospitium ex quo fratres in Salinis inferioribus, locisqno vicinis parochialia mnnera obeunt. In provincia Coloniensi in acervum lapidum conversus est ab haereticis hoc anno conventus Arnehmii, quod Geldriae oppidnm est.

Raissa in auctario SS. Belgii sub hac die.
Et conv. Saliensis.
Greiderer tom. 1. lib. 2. n. 200. pag. 154.
Et conv. Arnehmii
Gonzaga in prov. Coloniensi conv. 13.

XVIII. In provincia Hiberniae conventus de Bantry dioecesis Rossensis prope littus maris, coeptus aedificari anno MCCCCXX., ortis persecutionibus et bellis, ab Anglis occupatus est. Postremo D. Daniel O Sullevan comes de Beerhaven, Anglis profligatis, ad annum MDCII. ne amplius hostibus esset praesidium, ex parte diruit, facta promissione illum reaedificandi; quod praestare non potuit, exul in Hispania morte immatura praeventus. In coenobii direptione, fugatis caeteris fratribus, Thaddaeus Donald ejusdem civitatis praedicator eximius et Joannes Hanly a militibus in districtu ejusdem coenobii comprehensi, propriis cingulis simul alligati, per abruptam petram in mare fuere praecipitati.

Et Conv. Bantry.
Monumenta mss. provinciae.
Thaddeus Donald et Joannes Hanly mart.
Brennan tom. 2. pag. 127.

XIX. E monasterio urbis Mechlinensis in exilium fuerunt pulsae a Geusiis moniales S. Clarae, quae cum se contulissent Antuerpiam, inde Leodium, post quinquenninm die X. Octobris illuc regressae, aedem non dirutam, ut habet Gonzaga, sed plane spoliatam recuperarunt eodem mense ac die. Similia passi sunt fratres conventus Leovardiensis in Phrygia die sacro Purificationi B. Mariae Virginis, quo die expulsi, rebusque omnibus expoliati fuere.

Et Monast. monialium Mechlinensis.
Monum. mss. Germaniae inferioris.
Gonzaga in prov. German. inferioris conv. 7.
Et conv. Leovardiensis.
Idem ibid, conv. 16.

XX. Die XIX. Novembris a flammis penitus consumptum est Parisiense templum ornatissimum S. Mariae Magdalenae sacrum, 320 longitudinis, latitudinis vero supra 90 pedum perimetrum habens. » Id » tanto ardore exarsisse, scribit Gonzaga, ut nec campanarum metal» lum inter rudera inveniri, nec sacri libri, mappae, aulaea, vela, » immagines, sacrae reliquiae, quae in thecis religiose servabantur, » incendio eripi potuerint, sed et columnae lapideae, justae satis crassi» tiei, quibus templum innitebatur, una cum basibus, ac supernis » fornicibus. Insuper et plurima principum sepulchra marmorea et ala» bastrina flammarum vi partim in cineres redacta, partim assulose ac » minutatim confracta fuernnt. Quin etiam duo magnae molis et im» pensarum pulpita aenea, ex quorum uno epistola, ex altero evan» gelium in sacris mysteriis recitabatur, una cum quinque columnis » aeneis, et elegantibus suis epistyliis, quibus praecipuum altare cir» cumdabatur, magna ex parte calore liquefactae et fusae sunt. Atque » haec omnia intra duas horas, nimirum ab hora nona vespertina us» que ad undecimam, flammarum voracitate absumpta. An flagitiosa » socordia eorum, qui tum domui praeerant, et facibus candelisque » cereis extinguendis non satis invigilarent, id infortuninm acciderit, an » vero ab haereticis Hugonottis qui a XX. annis viginti millia sacrarum » aedium in Galliis succenderunt, huic quoque subjectum fuerit incen-

Gonzaga de conv. Parisiensi p. 118.

Thuanus pag. 459. » dium, hactenus ignoratur ». Thuanus incendii causam ex cujusdam fratris culpa evenisse scribit; qui in sacello S. Antonii Patavini ligneis tabulis exornato, et sub ambone ligneo posito, ad quod frequentes cerei accendebantur, arctius capiebat somnum, et conflagrante jam templo experrectus, re celata in coenobium tacitus confugerat; idque ille cum moreretur, testamento confessus est.

Conv. Enneti. Gonzaga in prov. Franciae conv. 20. XXI. Novae aedes diversis in locis excitantur. In provincia Franciae exurgit coenobium prope castrum Ennetensem Carnotensis dioecesis, positum super ripam fluminis Urae, sumptibus extructum Caroli ducis Ilumaliae regio sanguine nati, auctumque postea solerti fratrum studio. Incolitur a VII. fratribus, quorum tres maxima charitate praediti, oppidanos divini eloquii pabulo enutriunt.

Conv. Eborae. Idem in prov. Pietatis conv. 12. XXII. In civitate Eborae initium sumpsit conventus S. Antonii Patavini, quem ex regio aerario a fundamentis erigi jussit Henricus rex Lusitaniae. Morte praeventus testamento cavit, ut ex propriis redditibus haeredes ad perfectionis culmen illum adducerent. Quod et fuit adimpletum pro numero XII. fratrum. Ibidem sancte decessit Hieronymus a Villavitiosa dum pestilentia affectis ministraret, cujus acta hoc anno narrabimus.

Conv. S. Eulaliae. Idem in prov. S. Gabrielis conv. 28. XXIII. Dum in conventu S. Michaelis prope Placentiam capitulariter congregati essent fratres provinciae S. Gabrielis, praeside Antonio Aquilario generali ultramontanae familiae commissario, Joannes a Mendoza temporalis dominus oppidi S. Eulaliae, nec non et illius loci accolae obnixe eos per litteras rogarunt, ut ad se aliquot religiosos destinare vellent, qui excitando in eodem oppido pro eis domicilio sedulo invigilarent. Annuerunt petitis. Hinc impetrata ab archiepiscopo Toletano facultate, intra muros ejusdem oppidi sub invocatione S. Joannis Baptistae coenobium aedificare coeperunt. Distat XVIII. M. P. a Toleto.

Conv. Albazeti. Idem in prov. Carthaginensis conv. 14. XXIV. Alphonsus Lopetius Tellio propriam domum, adnexumque hortum prope muros oppidi Albazeti dioecesis Carthaginensis liberaliter cessit fratribus pro inibi aedificando coenobio. Verum cum id satis non esset, universitas Albazetana, quidquid fundi ac situs desiderabatur, pie contulit, proindeque non ita post multum temporis fuit plane absolutum. Continet XXX. fratres, nomenque praesefert S. Francisci.

Conv. Segobiae. Idem in prov. S. Josephi conv. 31. XXV. Sub Francisco de Hinnojosa ministro provinciae S. Josephi discalceatorum accessit conventus S. Gabrielis, non longe positus a civitate Segobiensi, piorum civium eleemosynis hoc anno aedificari coeptus, quem statim XII. fratres incoluere; paullopost perfectionis culmen accepit.

Conv. Vaenae. Idem in prov. Granatensi conv. 22. XXVI. In provincia Granatensi extitit circa annum MD. in suburbio oppidi Vaenae S. Francisci domus, facultatibus constructa Mariae Sarmiento Sinnessanorum ducissae. In catalogo Gonzagae fundationis annus, typographorum mendo refertur ad annum MDXC. Asservantur in sacrario loci particula SS. Crucis, aliquot SS. Blasii episcopi et m., Sebastiani m., Christophori m., et S. Barbarae virginis et martyris ossa cum anthenticis litteris. Degunt illic XVI. fratres.

Conv. Marsici Veteris. XXVII. Michelesius Gonzagam sequutus minus vere scribit an. MDLXVI. fuisse ab observantibus occupatum coenobium S. Mariae de Constantinopoli in oppido Marsici Veteris ad VI. M. P. a civitate Marsici Novi in

Lucania, sive Principatu citeriori, inhabitatum decem annorum spatio a fratribus eremitanis reformatis S. Augustini. Verum aliud docent literae pontificiae: *Piis fidelium votis* die x. Februarii, quibus hoc anno datur facultas episcopo Marsicano ratam habendi loci possessionem. Literas dabimus in regesto.

Gonsaga in prov. Basilicatae conv. 24. Ann. min. ad an. 1566. num. 72.

XXVIII. Conventus S. Bernardini prope Massam, quae Tyrreni maris in provincia Tusciae civitas est, quem dum viveret, exorante S. Bernardino Senensi, cives inchoarunt, ejusque nomini sacrarunt ante sui canonizationem, ob aerem morbidum a fratribus fuit derelictus per aliquantulum temporis spatium. Verum Senatus Massanensis precibus, hoc anno indultum est a provinciae patribus, ut illic vii. fratres restituerentur. Veneratur a Massanensibus tunica S. Bernardini, quam ipsi suo festivitatis die ex matrice ecclesia ad nostri conventum et claustra solemni pompa deferunt. Eo loci magna floruit sanctitate Bernardinus de Massa, ad cujus tumulum patrantur miracula. In eadem provincia denno occuparunt coenobium Montis Muri prope Scarlinum, quod anno MDLXVI. iterum propter ingruentia bella omnino deseruerant. Domum hanc ab anno MDXXXIX. accolae in *fortalitii* formam reduxerunt, ne amplius Turcarum impetu exponerentur.

Conv. Massae. *Idem in prov. Tusciae conv. 24.*

Conv. Scarlini. *Idem ibidem conv. 11.*

XXIX. In eadem Tusciae provincia rediit ad observantes coenobium Montis Alcinoi, sive Ilcini, quae nunc episcopalis civitas est, an. MCCLXXXV. eis attributum extructumque in elevato collis angulo ad dimidium ab urbe milliarum, quod bello instante inter Gallos, et Germanos, Garzias filius Petri Toletani tunc pro-regis Neapolis omnino evertit. Licet hoc anno comitio provinciali apud Podium Bonitium celebrato, praesideret Gonzaga, huicque coenobio sodales sua auctoritate restituisset, de eo tamen nullum habet verbum.

Ann. min. ad an. 1554. num. 30.

XXX. Erepto armorum vi a comite Ernesto Mansfeld sub Parmensi Belgicarum praefecto a nefaria Geusiorum rabie oppido Nivellense, multo labore insudatum est, ut conventus ab ipsis eversus reficeretur. Manum operi admovit fr. Nicolaus Danis qui piorum auxilio illum ad pristinum statum adduxit.

Conv. Nivellae. *Idem in prov. Flandriae. conv. 6. Monum. provinc. Flandriae.*

XXXI. Ex fratrum eleemosynis propria industria comparatis, magis firmior reaedificatus extitit conventus Cochini, quae orientalis Indorum civitas est in custodia S. Thomae, quem anno MDXXIII. propriis expensis, at non satis firmum, imo angustum Joannes III. Lusitaniae rex excitaverat. In praesentiarum incolitur a xxx. fratribus.

Conv. Cochini. *Idem in prov. S. Thomae conv. 2. Ann. min. ad an. 1523. num. 51.*

XXXII. Postulante Dominico Pinelli episcopo Firmano Seraphinum de Montebarochio ministrum provinciae, caeterosque patres hoc anno coactos in provinciali congregatione Senogalliae habita, qui fratres expetebat pro extruendo coenobio in ecclesia S. Mariae Gratiarum oppidi Gualdi Firmi, eo missus est Antonius de Fallerono, ut episcopo ac incolis eorumdem placitum exponeret. Olim ipsi incolebant coenobium titulo S. Jacobi Selini, instructum in quodam nemore ejusdem oppidi, cujus fundationis tempus licet ignoretur, constat tamen in eo celebratum fuisse ab observantibus die II. Maii an. MDXXXIX. provinciale capitulum. Transiit deinde ad Clarenos; sed cum ipsi anno MDLXVIII. Pio V. jubente, observantibus incorporati essent, denuo ad observantes rediit, quod tamen brevi tempore, molestia a quibusdam scelestis hominibus plurimum affecti, incoluere.

Monum. prov.

Gasparini monum. mss. prov. Marchiae pag. 170.

XXXIII. Cum prae nimia vetustate ad terram vergeret ecclesia S. Margaritae Mutinensis, hoc tempore alia nova multo amplior tamen, multoque elegantior constructa, aedificato jam coenobio, adjecta est in SS. Ceciliae et Margaritae honorem. Aedes haec post annum MDCCCXIV. partim abiit in hospitium patrum congregationis SS. Redemptoris, partim vero in aulicam ducis Mutinensis familiam. In medio chori ejusdem ecclesiae meruit hac iuscriptione in marmore decorari Ludovicus Mirandulanus.

D. O. M.

F. LVDOVICO RVGERIO MIRANDVLANO
EX MINORIB. OBSERVANTIAE
OMNIVM TV PHILOSOPHIAE TV THEOLOGIAE LITERARV
PRAECIPVE SCOTISTARV. VOCE ET SCRIPTIS INTERPETRI
PERITISS°.
OB EXIMIAM IN REBVS GERENDIS PRVDENTIÃ
IN RELIGIONE IEJVNIIS VIGILIIS OBSERVANTIAM
SVÑA CUM HOMINVM LAETITIA HVJVS PROVINCIAE
ET ALIARV PRAEFECTO CVRIAE COMISSARIO
NEC NON AD ALIOS RELIGIONIS GRADVS EVECTO
A GREGORIO XIII. DILECTO
OBITO ANNO MDLXXX. XVY. KAL. NOVEMB.
RELIGIONIS XXVII. AETATIS XLIII.
F. HORTENSIVS VERRARA MIRANDVLANOS AMICO
BENEMERENTI
MEMORIAE AETERNAE F. C. ANNO CHRISTI
MDLXXXVIII.

Conventus Moyngae. *Ex archivio SS. XII. Apost. de Urbe.*
Conv. S. Stephani Mistretae. *Rodulphus in custodia Messan. p. 280.* *Cagliola in ead. cust. pag. 89.*
Conventus Campi Franchi. *Rodulphus p. 281. Cagliola in cust. Agrigent. p. 119.*

XXXIV. Sua acceperunt domicilia conventuales; in custodia Sueviae provinciae Argentinae couventum, titulo b. Mariae Assumptionis Moyngae. Rodulphus nihil habet de eo. In Messanensi custodia provinciae Siciliae eis primum concessa fuit mense Septembri ecclesia b. Mariae de Catena, in loco S. Stephani Mistretae, magno populorum concursu celebris, ubi deinde p. Bonaventura Mastrillo provinciae magistro operante, oppidani aedem pro eisdem posuere. In custodia Agrigentina obtinuerunt locum Campi Franchi, de quo ita loquitur Cagliola » Locus » Campi Franchi fundatus exhibetur a Thosiniano, et Bidendensi MSS. » anno MDLXXX. quem etiam assignat Pyrrus. Nos tamen in originali- » bus scripturis annum reperimus MDLXXXXV. quando a barone concessus » dicitur fr. Jacobo Cammorata a Sutera. Fratres post annum MDLXXX. » hinc secessisse, et anno MDXCV. revocatos, ad annorum dicemus con- » cordiam. Parvulus; at ecclesia D. Francisco sacra non per affabre per- » fecta est. A familia de Campo oppidi principe promovetur ». In custodia Firmana hoc anno, ut habet Civalli, vel ut praeseferunt MSS. provinciae Marchiae magistri Benoffi anno MDLXXV. ipsis oblata fuit ab universitate terrae Montiscausarii ecclesia sub iuvocatione b. Mariae de Monte; eodem anno inchoata fuit aedes pro eorumdem inhabitatione. Progressu temporis fuit supressa. Incomperta est ratio, et suppressionis anuus. In ara maxima veneratur imago b. Virgiuis picta ex voto edito a loci commnnitate anno MDXVI. Rodulphus specimen exhibens conventuum custodiae Firmanae, nullam de eo mentionem facit. In pago Montisfloris in Fanensi custodia, parum dissito ab oppido Mondaiuo diocesis Ari-

Conv. Montiscausarii. *Colucci antichità picene tom. 10. p. 82. Benoffi in Chronaca prov. Marchiae pag. 20.*
Rodulphus p. 257.
Conv. Montisfloris *Benoffi ibidem p. 208.*

Digitized by Google

minensis erectus est alter conventus S. Francisci titulo, a p. magistro Piatelli loci indigena; item conventus Aprusti in dioecesi Consetiae.

Franchini p. 118.

XXXV. Ad perficiendam domum S. Francisci conventualium de Tagliacotio Aprutinae provinciae approbat Pontifex venditionem duarum eorumdem aedium, sive stabularum ad recipiendos equos inservientium, data ad id facultate episcopo Marsicano: *Exhibita nobis* die xviii. Januarii.

XXXVI. Tertii ordinis fratres sibi comparant hoc anno locum S. Mariae Angelorum Cuneoli dioecesis de Pina in provincia Aprutina, cura Benedicti de Paulinis de Pesculo, et Joannis Baptistae de Benedictis Piceni; in provincia Calabriae conventum Fagnani titulo S. Sebastiani Martyris in dioecesi S. Marci.

Conv Cuneoli. *Bordoni in Chronologico prov. Aprutinae pag.* 395. Convent. Fagnani. *Idem in prov. Calabriae pag.* 403.

XXXVII. Sacrae capucinorum aedes multiplicantur; in provincia Romana conventus Bassani, et Brigiani in dioecesi Sutrinensi; in provincia S. Francisci conventus in Abbatia Ferentilli dioecesis Asculanae, in provincia Bononiensi conventus Verculi dioecesis Ariminensis, S. Joannis in Persicheto, et Juliae Fidentiae Bononiensis dioecesis; in provincia Mediolanensi conventus Soresinae dioecesis Cremonensis; in provincia Brixiensi conventus Salodii dioecesis Brixiensis, et Francherii dioecesis Bergomiensis; in provincia Neapolitana conventus Abellini, et Solophrae; apud Calabros in provincia Regiensi conventus in oppido S. Catharinae. Auctor est Boverius, dum scribit, jumentum, cujus opera vehebantur lapides ad instruendam fornacem calcariam, in horrendum praecipitium delapsum, non sine B. Francisci miraculo, nullum detrimenti genus subiisse; similiter de altero, dum ligna ad aedificii opus deferret, accidisse narrat; in provincia Apuliae conventus Trisoni: in provincia Hydruntina conventus Salve; in Apruntina conventus Catiniani, Montonii, Sulmonae, Theatae, et S. Salvatoris in Castro camplorum in loco nuncupato Trosillo: *Exponi nobis* die vii. Maii; in provincia Sabaudiae conventus S. Joannis Mauriensis; in provincia Tolosana conventus Ivicii, et Perpiniani.

Conventus Capucinorum. *Ex indice Michaelis a Tusio, et ex Boverio.* *Boverius tom.* 1. *p.* 853.

XXXVIII. Suppresso regulari instituto Cisterciensium in monasterio Omnium SS. Abbatiae Squillacensis, moniales S. Clarae sub regimine observantium inibi immittuntur, datis ad opus exequendum litteris episcopo Squillacensi: *Cum sicut nuper* die xxii. Martii. Quinque clarissae moniales ex monasterio Jesus civitatis Capuae transferuntur ad reformandum monasterium S. Marcelli ejusdem civitatis ordinis S. Benedicti, ubi olim extiterat seminarium clericorum saecularium, concessa ad id facultate Prospero episcopo Bisignanensi: *Cum dilectae* die i. Martii. Moniales clarissae hoc anno e monasterio S. Laurentii urbis Salernitanae transierunt ad alterum titulo Sancti Spiritus, postea S. Michaelis nuncupatum. Illud totaliter derelictum, anno mdcxvi. refectis aedibus, occuparunt reformati.

Monast. Squillaci. *Monument. prov. Principatus.*

XXXIX. Post excisum anno mdlviii. monasterium suburbanum ordinis S. Clarae Calniacensis, positum in civitate Novioduni, domus nonnullas sibi compararunt moniales in vico Judaeorum, ubi ecclesiam, aliasque regulares aedes construxerunt. Haec domus primum, ignoto anno, et iterum anno mdlxvii. igni tradita, bisque refecta, extremam subinde cladem subiit anno mdlxxi. Calvinistarum impetu. Tandem pace ac tranquillitate reddita, post annos duodecim profugae virgines lares suos repetiere. Anno mdcxxxiv. clausurae leges, et anno mdcxxxvi. urbanistarum

Monast. Calniacense. *Gallia Christiana tom. IX. p.* 1143.

reformationem ex animo voverunt. Grisae sorores monasterii Velsikensium, quae anno transacto haereticorum blanditiis, minis, furore fortiter restiterant, et in veste saeculari, facie deformata, ab incenso monasterio evaserant, post gravia paupertatis incommoda, tandem Duaci exceptae, obtinuerunt hoc anno hospitale S. Juliani, ubi soror Antonietta Lamie abbatissa, raro virtutis exemplo multas urbis virgines ad regularem statum attraxit, in quo infirmis, ac pauperibus operam navarent.

Monasterium Duacense. *Monum. provinc. Flandriae.*

Greiderer tom. 1. lib. 3 num. 199. pag. 490.

XL. Postquam anno MDXX. quo Turcarum milites acerrima obsidione Viennam pressere, clarissarum monasterium S. Nicolai titulo anno MCCCIV. excitatum, vacuum remansisset, et anno MDXXX. vel MDXXXII. denuo sorores ad illud incolendum venissent, ad S. Annae aedem, ubi erat diversorium peregrinorum, paullopost translatae fuerunt. Verum cum ex candidatarum penuria in dies deficeret, ruinaque minaretur, Isabella Austriaca Maximiliani II. Caesaris filia, Caroli IX. Galliarum regis vidua Viennam reversa, ad illam reficiendam manus admovere statuit, obtenta ad id operis a Summo Pontifice facultate: *Preclari tui generis* die v. Aprilis. At mutato subinde consilio, aliud anno MDLXXXII. excitavit pro monialibus collegium, ac ad immediata claustri moenia pro se suisque aulicis virginibus apposuit aedificium. Anno MDCXXVIII. Jesuitae aedium S. Annae possessionem acceperunt. Monasterium S. Salvatoris in oppido Mautitiae dioecesis Eborensis in provincia Algarbiorum cum in dies omnimodam sui ruinam minaretur, hoc anno de more ferme reaedificari coepit.

Monasterium Mautitiae. *Gonzaga in prov. Algarb. monas. 10.*

XLI. Pro sororibus conceptionistis positum est hoc anno intra moenia civitatis Montiliae prope antiquam ecclesiam S. Annae monasterium, expensis constructum Andreae Martin Portichuelo loci incolae. Ad illud recte instituendum adductae sunt e monasterio S. Antonii de Pedroche Maria de Regibus, et Anna de Spiritu Sancto. Ordinarii regimini subest. Ibidem sancte occubuerunt anno MDCXVIII. Maria Magdalena de Pedroche, anno MDCXXV. Guitieria de S. Joanne, anno MDCXXVII. Elvira de S. Joanne, anno MDCXXX. Catharina de Incarnatione, et Catharina de S. Michaele, anno MDCXXXI. Maria de S. Francisco, anno MDCXXXVIII. Birgitta de S. Raphaele, anno MDCXLIV. Catharina de Assumptione, an. MDCLVII. Maria Evangelista de Montilia, anno MDCLX. Joanna de S. Didaco, et Petronilla de Incarnatione, anno MDCLXVI. Antonia de S. Bernardo, anno MDCLXVII. Maria de S. Joanne, anno MDCLXXIII. Leonora de S. Josepho, et anno MDCLXXIV. Anna de Trinitate.

Monasterium Montiliae. *Alphonsus de Torres in prov. Granat. p. 909. et seq.*

XLII. Quaedam piae mulieres tertii ordinis, quae plurimis ab hinc annis curandis feminis in nosocomio prope arcem Gualfoniam civitatis Messanae provinciae Siciliae, *S. Maria dell' Allegranza* nuncupato, addictae erant, quaeque postea ob novi monasterii clarissarum Montis Virginis fundationem a b. Eustochio Calafato peractam, e loco emigrarunt, moram trahentes in domo non longe a coenobio S. Pauli, et Michaelis, hoc anno auctis redditibus, ecclesiam titulo S. Elisabeth Portugalliae reginae, illuc a fundamentis excitarunt. Suum tamen perantiquum nomen vulgo *Paulello* retinuit. Anno MDCLXXX. Didacus Molina eisdem quasdam domus attribuit, domumque ipsam suis opibus exornavit. Inservit honestis virginibus in bonis moribus erudiendis.

Cajo Domenico Gallo Annali di Messina tom. 1. pag. 124.

XLIII. Ecclesiam monialium monasterii S. Nicolai Myrensis Meluduni fortuitu pollutam Christophorus a Capitefontium Caesariensis archiepiscopus ac Senonensis suffraganeus hoc anno expiavit, ac in honorem ejusdem sacravit, insuper et XL. dierum de injunctis poenitentiis omnibus in die propriae dedicationis visitantibus, adjutricesque manus pro ejus reparatione porrigentibus, indulgentias largitus est. Die XXVIII. Julii sacris item ritibus ecclesiam S. Petri de urbe in Janiculo consecravit Joannes Baptista Sanctorius episcopus Allifensis.

XLIV. Praecipuum hoc anno seraphico ordini decus adtulit fr. Augustinus Rodriquez, Ruisius a Thuano appellatus, ob nuperas terras ab eo detectas in India occidua, quas Novum Mexicum nuncuparunt. Is in vico Niebla prope Hispalim ortus, inter franciscanos laicos cooptatus est in coenobio S. Francisci Mexici. Sanctis ibidem operibus assidue incumbens, laudabilique fidei christianae propagandae desiderio incensus, infidelium conversionem admodum sitiebat. Hinc a provincia S. Evangelii ad custodiam S. Francisci Zachatecas, a Mexico septentrionem versus ad CCCXL.M.P. profectus, inter Indos Chichimecas cum aliis sodalibus per aliquot annos diversatus est. Verum cum fama esset, ab eo loco aquilonem versus magnas quotidie regiones, barbarosque homines detegi, ad eos velut explorator adire statuit. Igitur nullo comite sibi assumpto, intimius non absque vitae discrimine regiones illas pervadens, post quamplurimos dies innumeras gentes, plebeosque multos turbidos atque confusos reperiit. Laetus inde Mexicum reversus est, ut fratres ad vineam illam tribulis spinisque oppletam secum adduceret excolendam. Hinc habito cum sodalibus super hac re consilio, ei adaucti sunt Franciscus Lopetius, et Joannes a S. Maria sacerdotes, theologicis studiis actu vacantes in eodem S. Francisci Mexicano coenobio. Ille natione Catalanus, florescente aetate minoritico instituto nomen dederat in provincia S. Evangelii; alter vero nobilibus parentibus Hispali genitus, solemnia vota Deo jam nuncupaverat in conventu S. Francisci de Xerez provinciae Baeticae, expleto XVII. aetatis suae anno. Mansuetudine, modestia, carnis maceratione, eloquentia, prudentiaque insigni praediti erant. *Thuanus pag. 624.* *Gonsaga p. 1279.*

XLV. Francisco Lopetio caeteris in praesidem electo, sui itineris socii duodecim juxta Gonzaga, octo juxta Thuanum hispani milites fuere. Ii *igitur*, ut scribit Thuanus, *ex S. Barbarae fodinis profecti, CCL. leucas emensi ad Tiguas pervenerunt; occisoque ab indigenis ex duobus comitibus altero, veriti milites procul a domo pejora, relicto* Rodriquez, *ac collega, ad fodinas unde digressi fuerant, redeunt; protinusque ad Mexicanam civitatem quae CLX. leucas hinc distat, miserunt, qui Coronae militem Indiarum pro-regem, cujus permissu* Rodriquez *comitati fuerant, de sucessu certiorem facerent.* Haec cum nimis compendiose prolata sint a Thuano, ex Francisci Gonzaga dictis, qui tunc temporis supremam ordinis praefecturam gerebat, enucleatius reserare praestat.

XLVI. Iis Tiguas appulsis, ab indigenis morte primo mulctatus est Franciscus Lopetius, Lupus a Thuano, Perez a Daza vocatus, qui, Gonzaga teste, dum die XXI. Decembris ex more ad instruendum populum, qui ad eorumdem locum convenerat, prodiret, quosdam ex illis secum invicem odii et inimicitiae causa trucidantes videns, coepit eos benigne *Franciscus Lopetius.*

arguere, hortarique, ut injurias remitterent, et a vindicta desisterent. At illi, non secus ac amentes et rabidi, iracundiae venena evomentes, rixae onus in eum vertunt, illicoque pientissimum patrem jaculis confodiunt.

XLVII. Hinc hispani milites, ut pro-regi, quae evenerant ac viderant, aperirent, ad propria regressi sunt, interim Joanne a S. Maria, et Augustino Rodriquez in opere incoepto perseverantibus. Verum Joannes a S. Maria secum reputans, gentem illam salutari evangelicae doctrinae praedicatione fore facile imbuendam, solus Mexicum adire decernit, ut verbi Dei ministros pro recenti populorum conversione ex suis sodalibus sibi assumeret in socios. Iter a primo diversum arripuit. At cum triduo post ex itinere fessus sub dio se sopori dedisset, ab Indis gravi pondere oppressus, quin respirare valeret, praemium sui pii desiderii consequutus est a Domino die III. Junii.

Joannes a S. Maria.

XLVIII. Augustinus Rodriquez licet comitum suorum solatio destitutus animosior effectus, dum christiana quadam libertate illius populi varia facinora excessusque emergentes argueret, die XVIII. ejusdem mensis ab iisdem infidelibus interemptus est. Horum martyrum memoriam commendat et Rodulphus. Apud Indos martyrium in Cruce consumavit Joannes de Caracena, natus in provincia Baetica nobilibus parentibus. Fuit intime familiaris S. Francisci Solani, cui, sacrum peragenti, Deus revelavit illum tunc temporis Cruci a barbaris affixum.

Augustinus Rodriquez.

Rodulphus p. 306.

Joannes de Caracena M.

De Torres in prov. Granat. pag. 205.

XLIX. In saevas praedonum manus inciderunt et alii minoritae, a quibus affecti fuere martyrio. In provincia Hiberniae Daniel O Nielain conventus Yogholensis sacerdos integerrimae vitae et sanctae simplicitatis, ecclesiam persequentibus Joanne Nierisio, et Guilielmo Morgano Ducibus, ab eorumdem militibus in eadem civitate comprehensus, habituque spoliatus ac vinctis a tergo manibus, in altissimam turrim, quam SS. Trinitatis vocant, ductus, fune ad axillas obducto, aliquoties ex alto dejectus, demum fune rupto in terram praecipitatus est, vivus tamen, sed absque ullo doloris, vel impatientiae signo per plateas et littus tractus, et capite in terram verso ad rotam molendini prope coenobium suspensus, militibus in signum propositus, balistariorum pilis trajiciendus, dato eis mandato, ne in caput aut cor collimarent, ut truculentior et diuturnior esset poena; sicque vir sanctus multa cum patientia et devotione nunc alta, nunc submissiori voce Deum orans, militum jaculis aliquot horis pependit, donec instar cribri perforatum, quidam ex militibus crudeli miseratione commotus, duplici pila cor ejus transverberans, occidit die XXVIII. Martii. Item in eadem provincia Joannes O Lochran, Edmundus Semmous, ac Donatus O Roache, postquam in conventu Dunensi varie cruciati essent, in arbore sanctuario imminenti tandem suspensi sunt.

Daniel O Nielain martyr.

Monument. prov.

Joannes O Lochran et socii Mm.

Brennan t. 2. p. 126.

L. In civitate Phernambuci in Brasilia, vulgo Olinda, quae totius provinciae metropolis est, die IV. Octobris, ita Jarricus apud Hueber, martyrio coronati, vel potius a feralibus illis barbaris depasti sunt quidam anonymi franciscani fratres, quorum innocens sanguis foecundam ac laetam mox protulit ingentem christianorum messem. Franciscani eo se contulere usque ad annum MD. quo Emmanuel Lusitaniae rex, Petro Alvaro Caprali praefecto, classem misit, regionem illam noviter detectam suae ditioni subjiciendam.

Anonymi martyres.

Hueber ad diem 4. Octobris.

Ann. min. ad an. 1500. num. 10.

Digitized by Google

Anno Christi 1580.	Gregorii XIII. an. 8. et 9.	Rodulphi II. anno 4.	Religionis Minorum an. 373.

LI. Impiorum furorem pariter expertus est Joannes Pizarus, Francisci Pizari frater, et Peruvianae expeditionis apud Indos Quepianos comes. Habitum assumpsit in S. Michaelis provincia, ubi sacerdotio initiatus, praedicationis officium summo cum animarum lucro functus est. Indorum conversionem anhelans, Jucatanicas regiones trajicere deliberavit. Voti compos effectus, illis adhaesit quatuor nimirum fratribus, praeside Laurentio Benvenida, qui ab anno MDXLII. eo se contulerant, Jesu Christi nomen efferatis illis gentibus annuntiaturi. Illorum animos sua humilitate, et charitate facile sibi devincebat. Verum cum ab indigenis maxime vexaretur, circa annum MDXX. relicta Jucatanica hac custodia, Nicaraguam, postremoque Costaricam provinciam adiit, quamplurimis suis concionibus, et virtutum exemplis ad ecclesiae catholicae sinum filiis adductis. Turrialbae, quod est peculiare oppidum Costaricarum ex publicis facultatibus aedem pro fratribus posuit, ubi primus guardianus praesedit. Ad Quepianas gentes postremo accessit, quo plurimis exantlatis laboribus, a Cotis populis, Quepianis conterminis crudeli hoc martyrii genere interimitur. Semel in anno consueverant Quaepiani quosdam instituere ludos, Cotosque sibi amicos tum ad ludos, tum ad paratum convivium liberaliter invitare. Iis prae nimio potu ex tritico herbisque confecto incalescentibus, adversus Hispanos foedus moliuntur, rationem, qua eos ex Indis vel ejiciendi, vel trucidandi valeant, exquirentes; omnes tamen in eo conveniunt, ut Joannem morti adjicerent. Coti igitur a mensa, nullo Quepiano obsistente, surgentes, cubiculum ingrediuntur, in quo cum eum flexis genibus orantem reperiissent, flagellis caedunt, ex propria corda per vicos et lapides raptant, tandem baculis contusum, animamque agentem ad trabem suspendunt, ac inhumaniter occidunt die v. Januarii. Interim ecclesiam succendunt, vestibusque deinde sacris, quibus ille in altaris ministerio utebatur, in profanos usus conversis. Ejusdem ossa a fidelibus collecta, apud Chomas Indorum oppidum tumulata fuere, quae postea Carthaginem translata, ac in majori ecclesiae S. Francisci sacello condita, ab Hispanis et Indis maxime venerantur.

Joannes Pizarus mart.
Gons. in prov. S. Gregorii de Nicaragua pag. 1338.

Ann. min. ad an. 1542. *num.* 22.

Rapinaeus decade V. part. 1. *n.* 12.

LII. Hoc tempore cum per universum pene orbem absque ullius sexus, aetatis, conditionisque discrimine, vix quatuor ex singulis centenis superstitibus, saeviret quoddam morbi genus hircinus ab Italis *castrone*, quod id animal haud absimili vexetur morbo, a Gallis *coqueluche* vocatum, quidam franciscani fratres dum infirmis variis in locis religionis officia impendebant, occubuerunt. Die XXVIII. Julii, non vero juxta Hueber die XXVIII. Martii, eadem aegritudine contracta decessit in coenobio S. Joannis Evangelistae Turris Stephani Abrani in provincia S. Josephi Joannes Ruizius. Is natus Occaniae in dioecesi Toletana, in juvenili aetate, ne propinquorum amicorumque blanditiis a proposito removeretur, propriis laribus relictis, non in Baeticam provinciam, ut scribit Gonzaga, sed in conventum S. Joannis Regum Toleti, in quo professionem emisit, studiaque confecit, commeavit. Postea inter discalceatos in provincia S. Joannis Baptistae cooptatus, praedicationis munere egregie functus est, usque dum, superiorum jussu, datus fuit serenissimo D. Joanni ab Austria, ut suis copiis in bello contra Belgas instructo sanctis exhortationibus opitularetur; quod

Spondanus ad an. 1580. *n.* 16. *p.* 426.

Hueber ad diem 28. *Martii.*

Joannes Ruizius.
Joannes a S. Maria lib. 2. *c.* 30.

Gonzaga in prov. S. Josephi conv. 29.

patientia et charitate summa peregit. Inde reversus, et anno MDLXXXI. minister provinciae electus, prae humilitate vix adduci potuit, ut impositum sibi munus, quod post annum cum dimidio abdicavit, susciperet. Eo onere sublevatus, piis exercitiis coelestiumque contemplationi jugiter vacabat. Melchior a Gratia ex nobilibus parentibus Zamorae progenitus, qui postquam sub Philippo II. in Italiae regionibus, patris sui exempla insequutus, per quadriennium strenue militasset, minorum ordini nomen dedit in provincia S. Gabrielis, a qua tamen post septennium se contulit ad alteram S. Josephi discalceatorum. Oratione, membrorum maceratione, humilitateque praecipue excelluit, cum, etsi divinis instructus litteris, ad sacerdotale munus nonnisi obedientiae merito, relicto cui ex animo incumbebat culinae officio, ascenderit. Peccatorum laqueis involutos humanissime excipiebat, ut eos a tartareis faucibus eriperet, Christoque lucrifaceret. Cum charitati morem gerens, coenobium S. Bernardini Matriti infirmis fratribus eodem morbo affectis obsecuturus, esset ingressus, eadem et ipse infirmitate correptus, diem clausit extremum XIII. Octobris, non vero die XX. elapsi anni juxta Hueber; Hieronymus a Villavitiosa Eborae in coenobio S. Antonii Patavini provinciae Pietatis die XIX. Decembris dum una cum aliquot sui instituti sodalibus inter eosdem infirmos eximia charitate versaretur; in conventu Dominae nostrae de Spe Villaenovae de Portimao ejusdem provinciae eodem morbo sublatus est die XIII. Maii Antonius de Sylves. De eo extat hoc epitaphium: *In peste generali an. 1580 mortuus est Pater Antonius Sylves, curando infirmis; jacet in porticu istius conventus.* In Parisiensi civitate , in qua trium vel quatuor mensium spatio XX. circiter hominum millia lethalis morbus absumpsit, duo ex capucinorum familia eo irretiti, in suscepto ministerio vitam feliciter consumarunt. Eadem lue decessit Franciscus natus ex illustri familia de Faro, dum infirmis ministraret in oppido Peniche provinciae Algarbiorum. Quadam die dum concionem ad populum haberet, dixit, post ejus obitum neminem alium moriturum, imo quantocius sospitatem omnes ex illa infirmitate fore adepturos; quod evenisse tradunt. Eruta ex ejus tumulo terra, infirmisque admota, sanitati redduntur. Sex item alii ex franciscana observantium familia, quorum ignota sunt nomina, eo morbo occubuere in valetudinario civitatis de Santarem in provincia Portugalliae.

Melchior a Gratia. *Gonzaga p. 1140.*

Hieronymus a Villavitiosa. *Agiologium Lusitan. ad diem 12. Decembris*

Antonius de Sylves. *Idem ad diem 8. Maii.*

Francisc. de Faro. *Monum. prov. Algarbiorum.*

Emmanuel a Spe tom. 1. pag. 462.

LIII. Ultimum diem sancte oppetiit Petrus de Alfaro, de quo pauca dictis adjicienda sunt. In provincia S. Jacobi minorum observantium regulam professus, in doctrina ac religiosa disciplina exquisitissimus evasit. Aetate maturus, ad discalceatos provinciae S. Josephi transivit, ubi juvenum novitiorum praefecturam egit, primusque se dedit in socium Antonio de S. Gregorio petendi causa Philippinarum Insulas. Ceteris in praefectum novae missionis Hispali institutus, mox virtutum omnium se illis praebuit exemplar. Tanto charitatis ardore ferebatur erga Eucharistiae Sacramentum, ut cum missae sacrificio operam daret, saepius mira luce, non sine spectantium solatio, circumfusus adpareret. Dum Maniliae versaretur, ab archiepiscopo Mexicano pro gerendis ecclesiasticis negotiis judex curiae electus, religiosorum parochorum jura acriter vindicavit juxta constitutionem Pii V. *Exponi nobis.*

Petrus de Alfaro. *Joan. Franciscus de S. Anton. tom. 1. pag. 422.*

Joannes a S. Maria part. 1. pag. 468.

die xxiii. Martii anno mdlxvii. Virum flagitiosum, anathemateque perculsum Maniliae commorantem, ad bonam frugem redegit. Propugnandae fidei percupidus, Sinarum regnum peragravit, a quo cum esset expulsus, Amacaum pervenit, ubi pro*snis extructo coenobio, animabus lucrandis sedulam operam navabat. At cum Lusitani aegre id ferrent, illum e coenobio exturbare conantur. Conspiratione cognita, sponte ab illo discessit, Maniliamque versus iter instituit. Verum adversa procella praepeditus, mense Junio una cum sociis in sinu maris Cauchin ab aquis fuit submersus. Sequenti die, non absque insigni prodigio inventus est a nautis eo in littore viventi similis, flexis genibus, manibus complicatis, oculisque in coelum elatis. Quo spectaculo exciti undique infideles, venerabile corpus, reclamantibus Lusitanis, subripuerunt, eoque cremato, cineres sibi diviserunt.

LIV. In coenobio Olomuci in Moravia die ix. Junii coronam gloriae adepti sunt Felicianus sacerdos, et Jodocus laicus, quorum primus extitit ecclesiasticus eximius, et vir integerrimus; alter vero cum tanta vitae exemplaritate stipes mendicabat, ut eum videntes, inter se Olomucensium cives dicerent: *ecce adest fratrum coeleste lumen, ut ei eleemosynas offeramus.* In coenobio Pinciarum provinciae Conceptionis Hieronymus Olivarius sacerdos, qui doctrinam cum vitae candore jungens, ad tantam sanctitatis opinionem pervenit, ut ad ejus funus, quod accidit in eodem conventu S. Francisci Pinciarum die xxix. Augusti, populus confluxerit, quilibet felicissimum se reputans, si vel pauxillum habitus vel chordae ipsius habere potuisset.

Felicianus et Jodocus. *Hueber ad diem 9. Junii.*

Hieronymus Olivarius. *Gonsaga in prov. Concept. conv. 1.*

LV. In coenobio S. Francisci oppidi Mirtyli, sive Viannae in provincia S. Antonii Portugalliae Gualterus laicus, divinarum rerum contemplatione spirituque prophetico clarus. Triduo antequam e vita excederet, sibi sepulturam parari jussit, eaque absoluta, pedibus locum adiit, tertioque post die ibidem tumulo contegitur. Decessit die xiv. Martii; in conventu S. Antonii prope oppidum Pontis Limae in eadem provincia die xxvi. Decembris Salvator laicus, variis dum orationi instaret, tum in ecclesia, tum in cellula a doemonibus, horribilibus larvarum, spectrorumque formis lacessitus; quae tamen ope divina fretus facile superavit. Meruit frequenti B. Mariae Virginis apparitione recreari. Piissime sicut vixerat obdormivit in Domino in conventu Athensi provinciae Flandriae Bartholomaeus Lamberti insignis theologus, cujus socius individuus optimae fidei testatum reliquit, se in ejus obitu vidisse lucis radium ejus faciem collustrantem. Eamdem provinciam bis laudabiliter rexit.

Gualterus laicus. *Rapinaeus part. 1. n. 12. Agiologium Lusitanum ad diem 14. Martii.*

Salvator laicus. *Rapinaeus ibidem n. 12.*

Bartholom. Lamberti. *Mon. prov. Flandriae.*

LVI. In conventu Vallis Jesu prope Valentiam die xxvii. Octobris obiit Hieronymus a Steva omni virtutum genere excultus. Licet sacerdos, prae humilitate, et maxime prae charitate quam erga pauperes fovebat portarii munus diu illic exegit. Amore Dei interim vulneratus, saepe tanto mentis excessu extra se rapiebatur, ut nihil eorum, quae circa se agerentur, animadverteret. Plura etiam eventu dein comprobata, praedixit; in provincia S. Jacobi in conventu S. Mariae de Jesu Liviae die xiii. Decembris Joannes Guazza laicus, in laboribus, jejuniis, oratione et vigiliis assiduus, atque in Dei et proximi dilectione maxime fervidus. Antequam tumulo donaretur, tacto ejus corpore, in-

Hieronymus a Steva. *Daza lib. 4. cap. 37.*

Joannes Guazza. *Ann. min. ad an. 1470. num. 17.*

Digitized by Google

tegram sanitatem restituit Taurino cuidam civi molesta paralysi laboranti. In conventu S. Luchesii extra Podium Bonitium in provincia Tusciae sanctis exornatus operibus dies suos complevit Franciscus ex nobili familia Florentina de Arena progenitus. Anno MDXXVIII. inter observantes cooptatus, tum probitate, et austeritate vitae, tum morum candore, et salutis animarum zelo, tum insigni patientia, caeterisque virtutibus avitam nobilitatem cumulavit.

Franciscus de Arena.
Terrinca in Theatro Etrusco n. 14. pag. 241.

LVII. Die v. Februarii decessit centum supra decem aetatis annos numerans Joannes ab Aquila Cordubensis, qui dum esset provinciae S. Jacobi alumnus simul cum Petro Melgario, sequutus vestigia Martini de Valentia, in Americam se contulit, ubi eversis delubris, et idolis igne crematis, tum in oppido Xuchulmeca, tum finitimis aliis in locis sexdecim hominum millia sacro baptismatis fonte tinxit. Ex America anno MDXLII. in Hispaniam reversus, communicatis cum S. Petro de Alcantara consiliis, amplificandae excalceatorum familiae animum adjecit. Anno MDLIII. ut habet chronica provinciae Lusitaniae, non vero MDLVI. juxta Arturum, aetatis suae LXXX. custos Arrabidorum electus, majus asperum vitae genus, quod olim inchoaverat, instituens, singulis diebus solo pane et aqua, crudisque herbis sylvestribus reficiebatur. Ad tantam rerum coelestium contemplationem devenit, ut aliquando sublimis e terra, divina coruscans luce elevaretur. Quod cum id inopinato cerneret quidam saecularis clericus, tanto animi dolore correptus est, ut facta super eum manu Domini, depravatos mores in melius commutaverit. Sub pulcherrimi juvenis forma Angelum eidem saepe saepius ministrasse in sacrificio missae, tradunt scriptores.

Joannes ab Aquila.
Joannes a S. Maria lib. 1. cap. 48. et 28.
Chron. mss. prov. discalceat. Lusitan. pag. 189.
Ann. min. ad an. 1542. num. 15.
Arturus ad diem 5. Februarii.

LVIII. In conventu S. Antonii prope Villam Torres-Vierdas in provincia Algarbiorum die XVI. Martii obiit Nicolaus a Portu sacerdos, qui omnia arbitratus ut stercora, ut Christum lucrifaceret, relicta aula Catharinae reginae Portugalliae, cui honoris gratia inserviebat, seraphicam regulam professus est. A saecularium mulierumve praecipue consortio abhorrens, confessarii munus ea de causa subire recusavit, et etiam Dominae Mariae Infanti regis Emmanuelis filiae ipsum sanctitatis fama motae invisenti, nonnisi obedientia coactus comparuit. Die VII. Maii in conventu S. Antonii de Averio provinciae Pietatis Didacus de Beira laicus, intemeratae vitae, lacrymarumque dono insignitus in jugi meditatione passionis Christi. Alexius de Braga laicus LXXX. aetatis annos decessit in coenobio S. Francisci Bracharensi in eadem provincia die XVIII. Maii. Inter lacrymas et suspiria saepe Jesu Christi cruciatus alta mente recolens, postea se caedebat ad sanguinis usque effusionem.

Nicolaus a Portu.
Agiologium Lusitan. ad diem 15. Martii.
Didacus de Beira.
Idem ad diem 7. Maii.
Alexius de Braga.
Idem ad diem 18. Maii.

LIX. Die XXVIII. Julii obiit in conventu Compluti S. Mariae de Jesu, non vero ut falso scribit Baretius in conventu S. Juliani de Capraria, Franciscus de Torres, qui cum verbo praedicationis emineret, universam ferme Hispaniam nudis pedibus peragravit una cum Francisco de Busto tertii ordinis alumno, ecclesiastico ferventissimo. Pastoribus, agrestibusque quam libentissime oppidanis concionabatur. Aliquando praedicationis officio socium habuit b. Julianum de S. Augustino. Pro viribus juramenta, pejerationes, maledicta, atque choreas ex perditis hominibus removere studuit. Eodem in coenobio die XXX. Octobris vitae cursum complevit post gravem diuturnamque aegritudinem

Franciscus de Torres.
Baretius ibidem cap. 36.
An. min. ad an. 1575. num. 36.

Digitized by Google

patientissime toleratam Franciscus de Alalpardo laicus, silentio ac orationi deditus. Utrique funeri interfuit tota fere civitas Complutensis, eosque tamquam sanctos ac Deo caros uno ore proclamabant omnes, habitusque particulas velut reliquias sibi ab iis quisque gloriabatur assumere. Abierunt ad Dominum in conventu S. Francisci Guadalfagiarae Joannes de Alagon ex comitibus de Sastago, et eques S. Jacobi, et in altero S. Mariae de Jesu Compluti Alphonsus de Ajorin, regularis perfectionis, et animarum zelo conspicuus.

Franciscus de Alalpardo. Idem ibidem.

Joannes de Alagon. Alphonsus de Ajorin.

LX. In conventu S. Angeli Custodis Compluti provinciae S. Josephi die xii. Aprilis decessit Sebastianus a S. Maria laicus, cujus tanta fuit innocentia, ac morum sanctitas, ut meruerit puerum Jesum ab ipsa Virgine matre acceptum bajulare, ac deosculari. Miranda opera et vivus et mortuus gessit, quorum memoria ne excideret, copiose retexuit Joannes a S. Maria. Post vigesimum sui obitus annum, sacrum ejus corpus, annuente archiepiscopo cardinali Complutensi, e communi fratrum tumulo erutum, repositum fuit in sacrario ejusdem coenobii. Die vero xxi. Januarii anno MDCXVIII. auctoritate Bernardi de Royas a Sandoval cardinalis et archiepiscopi ejusdem civitatis, digniori sarcophago reclusum, summo cum honore a fidelibus in majori ecclesiae sacello colitur. In S. Josephi provincia anno aetatis suae xxi. Franciscus de Cordovilla omnibus sacramentis refectus obiit die xxv. Maii. Is fuit filius Joannis de Cordovilla, cujus egregia facinora descripsit Michelesius. Aliqua etiam edixit de Francisco. A sexto aetatis suae anno educationis gratia mansit in coenobio S. Isidori Sylvae Lorinae, in quo simul cum parente habitum sumpsit tirociniumque inchoavit: conscientiae nitore ita exornatus erat, ut nullo unquam tempore inquinatus fuerit labe lethalis peccati; poenitentiae tamen operibus valde sese dabat. Magnam de se in litteris expectationem reliquit.

Sebastianus a S. Maria. Joannes a S. Maria part. 3. lib. 4. cap. 5.

Franciscus de Cordovilla. Joannes a S. Maria part. 3. lib. 4. cap. 5. Ann. min. ad an. 1565. num. 118 et seq.

LXI. In conventu Rosarii ejusdem provinciae obiit Christophorus de Cabezuelas die xv. Julii. Priusquam minorum ordini adscriberetur, sacerdos erat, insignisque theologus. Extitit etiam magni nominis concionator, tantaque in concionando vi exornabatur, ut auditorum animos percelleret, peccatoresque diabolica fraude deceptos ad meliorem frugem revocaret. In confessionibus audiendis, dies noctesque insumebat; in S. Francisci Mexicano coenobio die v. Septembris Franciscus de Ledesma, olim alumnus provinciae S. Gabrielis, qui cum charitate ferveret, Mexicum profectus erat, ut Christi doctrinam in gentes disseminaret. Praefuit tironibus franciscanis, quibus virtutum exemplis, insignes sanctosque discipulos peperit. Item spe longe lateque eamdem Christi fidem, proprio etiam sanguine, si opus esset, dilatandi, egressus erat e provincia S. Joannis Baptistae Bernardinus Biarensis. Verum cum advenisset in coenobium Deiparae del Oreto prope Hispalim, infirmatus ad mortem, e vita decessit die xi. Decembris, ad cujus funus ob spectatam ipsius sanctitatem magnus populorum concursus factus est. Joannes de Romanones provinciae Castellae alumnus, postquam quadraginta annorum spatio Mexicanas gentes, ad quas adierat, praedicationibus et scriptis ad virtutis semitam adduxisset, obitus sui certior redditus, post expletum missae sacrificium petiit a guardiano conventus de Cholulla, ut sacra festinanter muniretur unctione. Quo peracto, et hymno *o Gloriosa Domina* dicto, spiritum

Christophorus de Cabezuelas. Idem ibid. c. 19.

Franciscus de Ledesma. Gonzaga in prov. S. Evangelii pag. 1242.

Bernardinus Biarensis. Joannes a S. Maria ibid. cap. 40.

Joannes de Romanones. Torquemada lib. 20. cap. 63. pag. 532.

Digitized by Google

Benstain lit. R. Deo placidissime tradidit. Reliquit in lingua mexicana mss. *Sermones, et alios tractatus spirituales; Stromata de sacra Scriptura, et SS. Ecclesiae Patribus pro usu concionatorum.* E vivis ereptus est Item hoc anno in coenobio S. Francisci de Lima in regno Peruano

Marcus Gofrè. *Salina in chron. prov. lib. 3. cap. 13.*

Marcus Gofrè Complutensis, theologiae mysticae maxime excultus insignisque praedicator. Ad tantam sanctitatis perfectionem devenit, ut indignum se putaret divinae Dei praesentiae. SS. Apostolorum provinciam summa prudentia administravit.

Julianus Donati. *Joan. a S. Maria ibidem cap. 49.*

LXII. Julianus Donati alumnus provinciae S. Joannis Baptistae, vir admirandae sanctitatis, et in suum corpus austeritatis, ipsum jejuniis, vigiliis, nuditate extenuans. Orationi sic vacabat, ut potus et cibi saepe oblivisceretur; quo tempore, ingens splendor nonnumquam visus est super eum clarescere. Detecto capite, nudisque semper incessit pedibus. Eo die xxi. Decembris defuncto, beatam ejus animam angelicis stipatam choris euntem in coelum quamplures conspexerunt. Eodem in coenobio

Alphonsus Rubeus. *Idem ibidem.*

die xxviii. ejusdem mensis Alponsus Rubeus laicus, pauperrimo indutus habitu, victuque modico enutritus. Asperrimo cilicio corpus constringebat. Dum orationi in ecclesia insisteret, saepe elevabatur, radiique velut solares e SS. Eucharistiae Sacramento erumpebant, vultum ejus miro ful-

Antonius Aethiop. *Pirrus not. Syracusan. eccl. tom. 1. pag. 671.*

gore collustrantes. In conventu S. Mariae de Jesu Calatahieroni provinciae Siciliae obiit Antonius Aethyops tertii ordinis professor, vir simplex, et spiritu prophetico afflatus. Sui obitus diem praedixit.

LXIII. Virtutum meritis abunde hoc tempore micabat Ludovicus Spoletanus, qui habitum tertii ordinis S. Francisci devotionis gratia gerebat.

Acta SS. ad diem 21. Maii pag. 25.

Ob vitae puritatem a S. Philippo Neri, cui erat addictissimus, regimini puellarum monasterii S. Catharinae de Funariis, sive de Rosa destinatus, cum hoc anno certis de causis ab illo discedere optasset, abeundi copiam tamen a Sancto haud obtinuit, quinimo eo munere summa cum laude diu functus est.

Jacobus de Eugubio. *Ann. min. ad an. 1568. n. 37. et 38.*

LXIV. Plurium beata mors nobilitavit capucinorum institutum; die xxix. Decembris Jacobus de Eugubio, de quo plura Michelesius. In juvenili aetate primum inter observantes cooptatus fuit; mox vero ad capucinos transivit: desiderio martyrii incensus, adiit Tunetum, ac Constantinopolim; spe martyrii frustratus in Siciliam perrexit, ubi aliqua tam virorum, quam mulierum coenobia fratrum tertii ordinis *degli scalzi* Drepani fundavit, ac rexit, vicarii generalis titulo. Verum anno mdlxxviii. mandante Pontifice, post triginta tres annos, quibus intra eos expleverat, ad capucinos iterum convolavit. Decessit in coenobio S. Bonaventurae Urbis juxta montem Quirinalem in foro Suario.

Antonius Ciocianensis. *De Arembergh p. 439.*

LXV. In provincia Etruriae in coenobio Senarum obiit Antonius Ciocianensis, eo die quo suum obitum antea praedixerat. Saepe, licet laicus guardiani, diffinitoris, ac magistri novitiorum munia obivit. Meditatione, oratione, carnisque mortificatione delectabatur, quibus sanctis operibus, de satana semper retulit triumphum. Quadam die a sodali interrogatus, quamdiu institutum capucinorum foret in sua integritate permansurum, respondit: *tamdiu incolumen futurum, quamdiu orationis studium sospes esset; ruinae vero proximum, cum in eo orationis spiritum elanguerit.* Praeclara dona a Deo accepit, occulta nimirum cognoscendi, et futura praedicendi.

Digitized by Google

LXVI. In Hydruntina provincia decessit Bernardinus a Murciano laicus, in maxima cordis simplicitate, morumque sanctitate vitam ducens; Augustinus a Latertia item laicus, qui cum mira innocentia floreret, meruit ante mortem B. Virginis ac seraphici parentis praesentia recreari; Jacobus Aletinus sacerdos, concionator, ac ejusdem provinciae vicarius provincialis, zelo regularis observantiae, et morum gravitate eximius; Anselmus item Aletinus, et Gregorius Gallipolitanus clerici; quorum primus vix emissa professione, cum vitae puritate decessit; alter vero ab effraeni licentia vivendi ad meliora revocatus, inter carnis macerationem, et flagella Deo spiritum reddidit; postremo Hieronymus a Butunto sacerdos; is relicta medendi arte, capucinorum jugo se subjecit, spectaculum austeritatum factus. Lacrymarum, ac altissimarum rerum contemplationum donis erat a Deo ditatus. Dum in choro divinas laudes cum caeteris persolvebat, ab humanis abstractus, coelestibus angelorum choris videbatur insertus. Obiit Aletii singulari sanctimonia clarus.

Bernardin. a Murciano. *Idem pag.* 49.
Augustinus a Latertia. *Idem pag* 46.
Jacobus Aletinus. *Idem pag.* 115.
Anselmus Aletin. *Idem pag.* 34.
Gregorius Gallipolitanus. *Boverius pag.* 858.
Hieronymus a Butunto. *De Arembergh p.* 245.

LXVII. In provincia Bononiensi obiit Alexander a Butrio sacerdos. A daemone in oratione varie vexabatur; attamen ejusdem insidias ita deluit, ut aliquando una, aliquando tribus super ejus caput redimitus renitentibus coronis e coelo descendentibus appareret. Consumatis de hoste victoriis, Veruchii dilecto suo animam reddidit; Joannes Baptista Ferrariensis clericus, tantam in moribus honestatem praeferebat, ut angeli potius quam hominis formam referret. Instante morte, petita a guardiano benedictione flexoque versus eum capite, eodem momento obiit anno aetatis suae XIX. in Mutinensi coenobio. Hunc sequutus est Joannes Foroliviensis sacerdos, diu occupatus in novitiorum institutione.

Alexander a Butrio. *Idem. pag.* 305.
Joannes Baptista Ferrariensis. *Idem pag.* 334.
Joannes Foroliviensis. *Idem pag.* 196.

LXVIII. In S. Francisci provincia decessere Illuminatus a Nursia laicus, vir simplex, cui Dominus super belluas avesque contulit dominium; Bartholomaeus a Marciano item laicus, animi candore, et innocentia apud omnes commendatus; Pacificus a Spoleto sacerdos; morbo extremo praegravatus, ei adstiterunt Christus Dominus, B. Virgo, et Beatorum agmina ad praemia coelestia illum allicientes; Humilis a Spoleto item laicus, qui per octo integros annos hac oratione in missae sacrificio protulit in elevatione SS. Sacramenti: *Domine Jesu Christe, meis quaeso propitius esto peccatis, ut te semper laudare queam cum angelis beatis*: reliquis posterioribus annis pluries e sacramento audivisse hanc vocem secreto revelavit confessario suo: *en ego tuis propitius ero peccatis meque semper laudabis cum angelis beatis;* Stephanus de Fulginio, relicto provinciae regimine quem inter observantes exacte obibat, se contulit ad capucinos, ubi licet provectae aetatis, ac religiosae perfectionis eximius cultor, in carnis maceratione tamen, in obedientia, ac vitae austeritate nulli erat secundus; Thaddaeus a Monte Petriolo sacerdos, evangelicae perfectionis integer emulator; saepe in sylvis latitabat, ut orationi diutius instaret.

Illuminatus a Nursia. *Idem pag.* 443.
Bartholomaeus a Marciano. *Idem pag.* 441.
Pacificus a Spoleto. *Idem pag.* 10.
Humilis a Spoleto. *Idem pag.* 444.
Stephanus a Fulginio. *Idem pag.* 105.
Taddaeus a Monte Petriolo. *Idem pag.* 309.

LXIX. In Messanensi provincia obiit Leo Catanensis laicus, sanctimonia, miraculorum gloria, donoque ecstasis insignis. Claruit etiam consiliorum dono; in provincia Picena Bonaventura Panormitanus sacerdos, vir eximiae patientiae, austeritatis, et innocentiae. Obiit hectica febre in conventu Montisgranarii dioecesis Firmanae; Bernardinus

Leo Catanensis. *Idem pag.* 431.
Bonaventura Panormitanus. *Idem pag.* 307.

Bernardinus Eugubinus. *Idem pag.* 445. Arsenius Bergomas. *Idem pag.* 26. Petrus de Quarteriis. *Idem pag.* 116. Franciscus a Castroveteri. *Idem pag.* 306. Humilis a Paterno. *Idem pag.* 43.

Eugubinus laicus in coenobio Mentulae; in conventu Montis Ulmi Arsenius Bergomas clericus; utrique spectanda se obtulit mortis hora coelorum Regina; in provincia Rhegiensi Petrus de Quarteriis sacerdos, provincialis munere saepe cum laude functus. Fuit regularis disciplinae propugnator acerrimus, et omni pietate ditissimus; Franciscus a Castroveteri sacerdos, qui eumdem timorem Domini, quem ab incunabulis a matre traxerat, usque ad mortem retinuit; et Humilis a Paterno sacerdos, qui cum ad Crucifixi imaginem manus extenderet, inter Domini amplexus placide occubuit. In coenobio Turani uterque decessit.

Joseph a Corleone. *Idem pag.* 435.

LXX. In provincia Panormitana obiit Josephus a Corleone laicus, virtute, paupertate, obedientia, et castitate dives. In oratione tanto mentis excessu in Deum ferebatur, ut cum divini amoris flamma in angustu pectoris sui sinu contineri non valeret, in voces et cantus plerumque eructabat.

Michael a Neapoli. *Idem pag.* 247.

Ex provincia Neapolitana Michael a Neapoli sacerdos, dum Camerini operam dabat praedicationi quadragesimali. Erat vir ingenio, eruditione, et virtute praeclarus. Cum devenisset ad extremum vitae periculum extra se raptus, mira de mansionibus purgatorii inferni, ac paradisi aperuit arcana. Scripsit *annotationes super prophetas majores, praecipue super Ezechielem, et sermones plurimos diversi generis.* MSS. asservantur in bibliotheca ducis Urbini.

Catharina Gonzalez. *Leonardus a Neapoli tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 74.

LXXI. Inter sorores tertiarias sponso suo unita est hoc anno in coelis Catharina Gonzalez tertiaria, virtutibus florens in monasterio S. Mariae Magdalenae Alcazarii provinciae Carthaginensis. Inter egregias ejus dotes emicuit in meditatione passionis Christi, pro qua tanto teneritudinis sensu afficiebatur, ut in ea recolenda viribus penitus deficeret. A daemonibus saeptissime vexabatur, a quibus ea vel vapulabat, vel e monasterii scalis projiciebatur. In obediendo singularis evasit. Extra aedes monasterii anno aetatis XC. decessit, dum obedientiae merito stipes pro alendis sororibus mendicabat. Eadem hora, qua spiritum emisit, campanula, mirantibus sonoribus, sonum extemplo edidit.

Clara Palomeno. *Alphonsus de Torres in chron. prov. Granatensis pag.* 509.

LXXII. In monasterio S. Clarae Forojulii provinciae Baeticae obiit Clara Palomeno, silentio et mortificationi admodum intenta. Deum assidue exorabat, ut infirmitatibus supra modum, ne purgatorii poenas in altera vita sustineret, gravaretur, quas patientissime usque ad mortem tulit; in monasterio S. Elisabeth Cordubae ejusdem provinciae

Elvira Mexia. *Idem ibidem pag.* 565.

Elvira Mexia, quae licet toto corpore foetentibus plagis foret sauciata, Deum suum assidue collaudabat, caeterasque sorores ad eum toto corde diligendum incitabat. Inter divinas laudes spiritum Deo reddidit;

Leonora de Ayala. *Idem ibidem pag.* 620.

Leonora de Ayala in monasterio Conceptionis Montiliae vix a sua abbatissa benedictionem implorata, placidissime obdormivit in Domino. Ob sui animi spectatissimas dotes, plurimum a daemonibus fuit horrendis visionibus lacessita. Ad superos evolavit in monasterio Dominae nostrae

Isabella de Hungaria. *Monum. prov. Castellae.*

Planitiei Almagri dioecesis Toletanae nobilis virgo Isabella de Hungaria tertiaria, poenitentiae operibus addicta, paupertateque prope singularis, nec cellam, nec lectum, in quo decumberet habens. Ejus opera usus est Franciscus Ximenius S. R. E. cardinalis ad excitandum monasterium S. Joannis Baptistae Toleti.

Caecilia a S. Joanne Baptista.

LXXIII. Die XIII. Februarii ad Dominum migravit Caecilia a Sancto Joanne Baptista, una ex fundatricibus monasterii tertii ordinis S. An-

nae civitatis Ulyssiponae, charitate erga Christi pauperes insignis, cujus pietatem Deus acceptans, illi quandoque coelitus providebat, ac alia eroganda extemplo suppeditabat. Blanca de la Columna ex illustri genere Manrique Portucarrero, e monasterio de Palma ad aliud Matris Dei de Casalla tertii ordinis de poenitentia missa, ut moniales ad clausurae leges servandas adigeret, cum ipsae abnuissent, ad monasterium ejusdem oppidi titulo S. Clarae se contulit, uti electa abbatissa, aliis se praebuit, praesertim in tollerandis adversis, virtutis exemplar. Die xiv. Septembris defuncta, prae sanctitatis opinione suum corpus e communi tumulo eductum, inter caeteras sorores, quae sancte obierunt, fuit repositum. Eodem anno ibidem pie decessit Anna a Jesu, quae cum diutius orationi et contemplationi insisteret, meruit aliquando coelestibus frui visionibus, ac puerum Jesum in ulnis amplecti.

Arturus in Ginaeceo ad diem 13. Februarii. Blanca de la Columna. *De Guadalupe in prov. Angelorum pag. 567.* Anna a Jesu. *Idem ibidem pag. 611.*

LXXIV. In monasterio S. Clarae Portus in provincia Portugalliae die xxiii. Januarii Francisca de Jesu, quae avito censu, quo affluebat, relicto, vitam inter corporis afflictationes ad xxiv. aetatis suae annum in quo sancte obiit, transegit. Ibidem die xxiii. Maii coelestem gloriam assecuta est Anna de Chagas, quae spreto nobili connubio ei a parentibus oblato, sponso suo Christo desponsata est in hoc monasterio, ubi corporis maceratione, et virtutum exercitatione floruit. Tanto animi dolore afficiebatur in recolenda Christi Domini passione, ut viribus pene deficeret in quibuslibet praesertim sextis feriis totius anni. In monasterio S. Clarae de Amarante in eadem provincia xv. Martii Margarita soror, lacrymarum dono ditata erat in meditandis Christi Domini cruciatibus. Ante ejus mortem, ut sibi legeretur, postulavit a sororibus illud Evangelii caput, in quo passio Christi narratur, et ad illud verbum *expiravit*, in osculo Domini occubuit. Eodem anno cum sanctitatis laude ibidem e vivis ereptae fuerunt Francisca a Plagis, Joanna a Spiritu Sancto, Birgitta de la Corona, Helena de Cruce, et Maria de Jesu. In monasterio S. Clarae de Santarem ejusdem provinciae die viii. Decembris Violanta ab Assumptione, aetatis suae anno lxxx., mansuetudine, et charitate erga SS. Eucharistiae sacramentum insignis. Idem monasterium xx. annorum spatio sanctissime administravit

Francisca de Jesu. *Emmanuel de Spe tom. 2. pag. 586.* Anna de Chagas. *Agiologium Lusitan. ad diem 23. Maii.* Margarita soror. *De Spe ibid. pag. 258.* *Idem ibidem pag. 332.* Violanta ab Assumptione. *Idem ibidem pag. 537.*

LXXV. Hoc aevo die xxxi. Decembris S. Margaritae Cortonensis corpus, quod anno mcccxxx. repositum fuerat in cornu epistolae arae majoris, translatum est ad novum sepulchrum in summo altari erectum. Extat autographum hisce verbis expressum: *A dì ultimo Dicembre* 1580. *si è traslato il glorioso corpo di Santa Margherita nell' altar maggiore a suo onore edificato, con grande onore, e concorso di tutta la città di Cortona; e il reverendo padre fr. Luca da Cutigliano a suo onore fece una onoratissima predica, e dottissima; del che ne sia Dio ringraziato.* Item novo pulchroque mausoleo conditae sunt hoc eodem anno sacrae b. Michelinae Pisaurensis exuviae, apposito ad sepulchrum epitaphio: *Divae Michelinae ossa anno* 1356. (defunctae) *ex tumulo vetustate obsoleto exempta, Zoroastes Barignanus et Hippolyta Leonarda uxor novo hoc monumento locanda curarunt anno* 1580.

Vita di S. Margarita disertaz. 12. pag. 136.

LXXVI. Circa haec tempora cum corpus b. Archangeli a Calataphimo ex arca marmorea, anno MD. affabre constructa cum ejus effigie radiis in capite exornata, sumptibus Federici Enriquez de Cabrera, elevaretur ad altare S. Rosaliae in ecclesia observantium S. Mariae de Jesu de Alcamo provinciae Siculae, Sebastianus Bagulinus Alcamensis egregius poeta, in ejus laudem quaedam carmina contexnit, quae nos hic velut suo loco ponimus, primum edita a Josepho Triolo doctissimo viro Alcamensi anno MDCCLXXXII.

Ex processu Mazzariensi pag. 31. §. 439. Romae 1836.

IN DEPORTATIONE CORPORIS B. ARCHANGELI
ELEGIA

Unde mea insolitis ardent praecordia flammis?
Dum licet et recolent pectora carmen eat.
Carmen eat, veluti Sicula de Virgine quondam
Tergeminum nostras prodiit inter aquas:
Aut quale in sylvis iterat Meandrius ales
Incanum penna trajiciente caput.
Ad clivum qua mons spectat Bonifatus in Arcton
Hic ubi nunc Urbs est, lucus et herba fuit.
Ast ubi Martino dotali foedere cessit
Trinacria et taedis o Aragona tuis,
Ille quidem exosus paeninae incommoda terrae
Transtulit Alcameas in loca plana domos.
Christiparae hic natoque Aedes volventibus annis
A Cabrarea gente dicata fuit.
Sed tamen, o memorande senex Archangele noster,
Haec moles operis dicitur esse tui.
Felix qui Templum Maria duce, et auspice Jesu
Dum rapit ad coelum te tua flamma locas.
Non illic sorda jam cum bove taurus aravit,
Qui nova signaret limina, Jesus erat.
Non omen querna praedixit ab ilice cornix,
Virgo operi tanto nomen et omen erat.
Euge senex, euge alme senex Archangele noster:
Terra sat auspiciis nostra beata tuis.
Felix, qui sacrum concepisti pectore nomen
Quo duce securas incipis ire vias.
Felices qui ausere tuo narrantis ab ore
Quanta pios olim praemia digna manent.
Namque tibi ut populo ipse pius pia sensa recludas
Credibile est ipsum consuluisse Deum.
Ossa quidem tumulo vidi, sed adesse loquenti
Tempora mi vitae non tribuere meae.
Ex quo etenim tremulos tibi mors surrepsit in artus
Concessumque tipi est dicere: terra vale,
Triginta in terris tulerat trieterida phaebus
Atque idem (memini si bene) lustra duo.
Alcameae tunc me Crinisis in equore terrae
Conceptum ex Athesi flumine nympha tulit.
Illa tulit, qui Dive tuos celebraret honores
Laeta quod officium praestitit illa suum.

Mecum ea pro meritis gelido tua membra sepulchro
Vidit, et optatis ora rigavit aquis.
Sancte Pater, seu nunc specie pulcherrimus oris
Ethereis cingis tempora cana rosis;
Seu tu coelituum choris immixtus oberras
Et pede felici sydera summa teris;
Sive novum sydus fulges ubi scorpius ardens
Convocat in geminos brachia curva sinus:
Aspice suppositum justa tibi lance sepulchrum,
Ni procul arentem vergeret in Libiam;
Et defende bonus puero tibi nota senique
Haec loca, quae nutu stantque caduntque tuo.

BEATO ARCHANGELO

ODE

Nocturnas epulas atque toreumata
Annoso uda mero chare Deo Senex
Sprevisti in quibus est ebrietas, venus
Et somnus veneris comes.
Non te pulchra domus marmore candido
Exciso in Pariis Montibus, et jugis
Olim detinuit; non laquearia
Auro splendida divite;
Sed durum stabulum, sed male commoda
Sedes atque suis lecta paludibus
Ulva praebuerunt et juveni, et seni
Casto stramineum torum:
Prostratusque inopi membra super toro
O illum quoties uvidulis rigas
Humectasque genis, dum superum domos
Et dum Regna Acherontia.
Contemplaris; et ad dulcia vulnera
Et confossa truci pectora cuspide
Christi saepe redis, qui scelus impium
Suspensus trabe diluit.

DE ANTRO B. ARCHANGELI.

EPIGRAMMA

Quisquis ades, veterisque subis penetralia cryptae
Thus fer, habent tenuis commoda magna casae.
Nonne vides antrum mira pietate verendum
Obtutu ut dicas, hic quoque Numen inest?
Mirum ad coelitum ferre hinc convivia, cui jam
Flumina pro potu, proque dape herba fuit?

LXXVII. Ejusdem acta hucusque praetermissa notamus ex processu condito in oppidis Alcami, et Calataphimi dioecesis Mazzariensis pro confirmatione cultus eidem Beato ab immemorabili praestito. Vitales auras hausit Archangelus anno MCCCXC. in oppido Calataphimi dioecesis Mazzariensis in Sicilia ex nobili Placentia stirpe. Sub ipso juventutis flore divitiis mundique illecebris valedicens, ad M. P. ab eodem oppido in antro prope ecclesiam B. Mariae de Jubino nuncupatam se

recepit, ubi crebris precibus vacans, saepe saepius noctu Deipara Virgo arbori cyparissus insidens, quae prope antrum ad mediocrem altitudinem elevabatur, ei apparebat. Hinc cum coelestis prodigii fama in dies penes conterraneos percrebesceret, eamque ob causam Archangeli nomen admodum illustratum esset, Alcamum anno MCDX., aetatis suae XX. contendit. Hic cum hospitalis domus S. Antonii aliquando ante derelicta, ei esset oblata, illuc statim adiit, occlususque in antro, quod hisce temporibus a b. Archangelo nuncupatur, asperrimam vitae rationem olim institutam alacriter prosequutus est. Dei gloriam animarumque salutem impense fovebat, signis etiam et miraculis, quibus Deus illum cumulatissime ditatum voluit, super omnes languores spiritusque immundos.

Ann. min. ad an. 1426. in regesto pontificio p. 419. tom. 10.

LXXVIII. At cum anno MCDXXVI. Martinus V. *Licet in caetera* V. idus Decembris eremos aboleverit, eremitasque omnes sub regularis disciplinae jugo vitam degere decrevisset, jussa Pontificis summi facturus, Panormum convolavit, ubi a B. Matthaeo ab Agrigento, tunc observantium provinciae vicario, eodem anno in coenobio Panormitano veste suscepta, tirocinium inchoavit, solemniaque vota Deo nuncupavit. Alcamum deinde repetiit, ubi, jubente eodem b. Matthaeo, S. Antonii domum hospitalem in conventus formam redegit. Postmodum vicarius provinciae renunciatus, regularum ac apostolicarum constitutionum extitit rigidus custos, ac promotor eximius, sodalibus interim suis forma factus ex animo. Spiritu prophetico inclaruit, simulque cum laude, sequentibus signis, verbum Dei annuntiavit. Meritorum plenus Alcami in coenobio S. Mariae de Jesu, ubi diu moratus fuerat anno MCDLX. aetatis suae LXX. sancte decessit, communi in fratrum sepulchro, sed separato ac distincto loco humatum. At cum ad ejus tumulum speciali privilegio herniosi sanarentur, crebraque alia miracula ederentur, ad Alcamensium preces corpus Beati e communi sepulchro educere, ac honestiori marmoreoque loculo recondere coacti sunt illius coenobii fratres. Dum e tumulo elevaretur prodigium accidit, quod vehementius populi devotionem promovit. Nam cum de more corporis ejus in tumulo sarmenta fuerint supposita, eadem in tumuli apertione inventa sunt pampinos germinasse.

Ex cit. processu §. 219.

LXXIX. Non defuere subinde et alia miracula. Tradunt per Beati coronae tactum, quam ipse ex persicorum malorum nucleis aptaverat, ac subinde cuidam mulieri pauperi dono dederat, quae postea nobilis familiae Triolo et Galiffi venit in potestatem, quamplures mulieres a partus periculis mirum in modum innoxias fuisse. Cum fratres conventus Alcamensis aquarum inopia laborarent, ope Beati implorata, fons aquae extemplo erupit, quae hisce etiam temporibus emanat, quaeque a beato Archangelo dicitur, cujus potu multi a morbis sospitatem assequuntur. Infula Beati admota mamillae Annae Leonis uxoris D. Ferdinandi Cassarà scirro affectae, illico sanata est. Invocato Beati nomine, filia Mariani Accardo recens nata, sed mortua, revixit; Joseph Maranzano, et Carmelus ignoti cognominis hernia inveterata patientes, valetudinem illico recuperarunt; doloresque nephtiticos, quibus duobus abhinc annis detinebatur, ab Anna Mortillaro expulit.

Ibidem §. 84.

Ibid. §. 300. et seq.

LXXX. Iis igitur aliisve micantibus signis, Horatius de Turre Mazzariensis ecclesiae antistes anno MDCCXC. confectis actis, sedulo incubuit, ut b. Archangeli cultus ab apostolica sede confirmaretur. At ingruentibus aevi illius difficultatibus, res dilata est usque ad annum MDCCCXXVII., sedente in cathedra S. Petri Leone XII. Pontifice. Eo e vivis erepto, ad humillimas preces Rmi P. Josephi Mariae ab Alexandria tunc vicarii generalis ordinis, Gregorius XVI. ex S. R. C. consulto, die IX. Septembris anni MDCCCXXXVI. cultum publicum et ecclesiasticum *Fr. Archangelo a Calataphimo ab immemorabili praestitum* sua auctoritate communivit hoc edito diplomate.

DECRETUM MAZZARIEN.

Approbationis cultus ab immemorabili praestiti FR. ARCHANGELO A CALATAPHIMO sacerdoti professo Ordinis Minorum S. Francisci de observantia Beato nuncupato.

Calataphimi, quod est oppidum Mazzariensis dioecesis in Sicilia, nobili Placentia stirpe progenitus anno MCCCXC. vitae auras hausit servus Dei fr. Archangelus Beatus nuncupatus. Sub ipso flore juventae quum probe intelligeret spirituali, ad quam anhelabat, perfectioni, summo divitias mundique illecebras esse impedimento, in Eremum secessit, et in antro sub Ecclesia a Jubino perantiqua Bmae Mariae Virginis Icone celebri se recepit, a qua in oratione vigilans crebra visione recreatus, famam inde de se percrebrescentem et honores declinans, Alcamum contendit anno MCCCCX. Hic quum ei Hospitale a S. Antonio nuncupatum fuisset oblatum, vitae ratione nihil immutata illuc transmigravit, atque ibi se pariter occuluit in antro. Omnigenis ibidem virtutibus incubuit: fuit enim humilis, temperans, prudens, ea demum fide, spe, charitate, ut coelestia semper contemplaretur, Deique gloriam et animarum salutem impense promoveret. Itaque amplum supernaturalium donorum, miraculorumque munus Deus eidem contulit, quae maximam omnium existimationem illi conciliavit. Sed quum sa. me. Martinus Papa V. anno MCCCCXXV. Eremos abolevetit, Eremitasque omnes sub regulari disciplina vivere voluerit, hujus mandata exequuturus Archangelus Panormum convolavit, et Beato Matthaeo ab Agrigento consociatus, pauperem S. Francisci vestem in Ordine Minorum de Observantia induit, expletoque tirocinio Alcamum repetiit, recensitumque Hospitale in coenobii formam redegit, in eoque provinciae Vicarius est renunciatus, quod munus obedientia susceptum humilitate gessit. Instituti praecipue fuit rigidus custos et promotor, in mandatis servandis caeteris exemplo praeivit, Dei verbum non sine laude populo annunciavit, spiritu prophetiae claruit, ac multa peregit miracula. Senio tandem confectus Alcami, ubi diu fuerat moratus, meritorum plenus ingenti cum fama sanctitatis decessit anno MCCCCLX., et in communi fratrum sepulchro, loco tamen separato conditus. Pietas vero fidelium haud multo post praestitit, ut Corpus ejus e tumulo eductum publicae venerationi super Altare pateret, quaeque magis excitata fuit ex eo, quod aperto sepulchro sarmenta Corpori supposita sunt inventa pampinos germinasse. Haec publici cultus argumenta inde orta, atque annuentibus Ordinariis nulla temporum rerumque vicissitudine intercepta, ad hodiernum

Digitized by Google

imo diem integre producta, et tum penes omnes Scriptores pictasque in Imagines expressa et cohonestata, relataque Ordinario in processu rite in dioecesi Mazzariensi absoluto, stimulos addiderunt animo R. P. Fr. Josephi Mariae ab Alexandria Vicarii Generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, qui sacrorum Rituum Congregationi, ut de more hic cultus publicus et ecclesiasticus servo Dei fr. Arcangelo a Calataphimo sacerdoti professo ejusdem ordinis ab immemorabili praestitus confirmaretur supplices porrexit preces. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales aedes infrascripta die ordinario in coetu coadunata, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Petri Francisci Galleffi Episcopi Portuensis, S. Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarii, hujusque causae Ponentis, audito prius R. P. D. Virgilio Pescetelli Sanctae Fidei Promotore, qui scripto et voce suam sententiam aperuit, momentis rationum omnibus rite accurateque libratis, consideratisque responsionibus ad animadversiones per defensores datis, rescribendum censuit: - Affirmative, seu constare de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII. die 27. Augusti 1836.

Facta postmodum de praemissis per me subscriptum Secretarium SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO GREGORIO PAPAE XVI. fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus adprobavit, confirmavitque cultum publicum et ecclesiasticum SERVO DEI FR. ARCHANGELO A CALATAPHIMO praedicto Beato nuncupato ab immemorabili praestitum. Die 9. *Septembris ejusdem anni* 1836.

C. M. Episcopus Praenest. Card. Pedicinius S. R. E. Vice-Cancellarius S. R. C. Praefectus.

J. G. Fatati S. R. C. Secret.

Ann. min. ad an. 1567. num. 111. LXXXI. Duorum fratrum corpora inventa sunt plane incorrupta. In ecclesia Dominae nostrae de Angelis conventus Cadafalsi provinciae S. Josephi reserato post tresdecim annos Francisci a Magdalena tumulo, ut aliud cujusdam fratris defuncti corpus humaretur, integrum cum *Marchesius in vita S. Petri Alcantaren. p. 161. n. 9.* habito intacto repertum est, licet aqua ad genua fratris tumulum ingressi, pervenisset. Item post lapsum annorum tresdecim, eodem modo licet aquis referto tumulo, inventum est corpus Joannis de Cordovilla anno MDLXVII. defuncti in coenobio Cadahalsi.

LXXXII. Viri pietate, litterisque famosi e vita excidunt. Memoria dignior est Aloisius Puteus anno MDVII. in oppido Burgi-Novi prope civitatem Placentiae natus. Prima ineunte aetate seraphicum observantiae ordinem ingressus, plura de se edidit morum, ac scientiarum specimina. Magni habitus est a Pontifice Pio IV. quo mandante, Tridentinae synodo interfuit, ubi e suggestu coram Patribus die XXII. Februa- *Sbaralea de Script. lit. A.* rii, et XXVI. Aprilis anni MDLXII. orationem protulit. Tum commissarii generalis officio, tum totius ordinis supremo regimine expleto, austeriorem vivendi normam aggressus, vitae cursum hoc anno complevit, variis relictis in Scotum doctissimis commetariis. Extat de eo epitaphium a Francisco Panigarola contextum, ac marmori rubro incisum, positum ex adverso sacrarii ecclesiae Annuntiationis Bononiae.

D. .O. M.

FR. ALOYSIUS PUTEUS BURGONOVANUS EX
MINORIBUS OBSER. HIC SITUS EST.
QUEM OMNES QUI ALIQUAM ERUDITIONIS
ADMINISTRATIONISQ. FAMAM
IN FAMILIA SUA TULERUNT ET MAGISTRUM
ET EXEMPLUM
SIBI PRAECIPUUM ASCIVERUNT.
QUI VERO CONCILIO TRIDENT. INTERFUERUNT QUO ILLE
A PIO IIII. PONT. MAX.
MISSUS AFFUIT UTRAMQUE ET DOCTRINAE
ET SAPIENTIAE LAUDEM
MIRIFICE COMPROBARUNT.
QUI PROVINCIALIA AC GENERALIA MUNERA
TAMDIU EXERCUIT
TOT ITALIAE SUGGESTUS . . . . . SCOTUM
TANTA DILIGENTIA
ET VOCE ET SCRIPTIS EXPLICUIT
UT VIX HORAM UNAM VACUAM HABUISSE VIDEATUR.
DEMUM JEJUNIIS VIGILIIS PEREGRINATIONIBUS
STUDIISQUE
MAGIS QUAM AETATE CONFECTUS GRAVIBUS
APOPLEXIAE INCOMODIS DIVEXATUS
CHRISTIANAE PATIENTIAE NOBILE NOBIS EXEMPLUM
RELIQUIT-
OBIIT ANNUM AGENS LXXIII. VIIII. NOVEMB. M. D. L. XXX.
TANTO PATRI FR. HIERONY. IMOLEN. M. D. D. C.

LXXXIII. Habuit ejusdem instituti germanum fratrem Archangelum, *pannosum* , italice *lo stracciato*, ex lacera et segmentata veste, qua ex paupertatis zelo erat indutus, nuncupatum. Summo ingenio praeditus, plura posteris reliquit scripta. Anno MDLVII. Ferrariae typis Francisci Rubei edidit italice *speculum salutis de nomine Jesu*, nuncupavitque D. Thaddaeo Malaspina, et *Apologiam pro hebraicae linguae praestantia*; anno MDLXIV. per Alexandrum Benacci *Apologiam pro D. Jo. Pico Mirandulae contra Rev. D. Petrum Garsiam Episcopum Vercellensem*, verius *Ussellensem a f. Archangelo consecratam et editam ad Çosmum Medicem cum expositione conclusionum cabalistarum Pici Mirandulani*, denuo Basileae cusam anno MDC.; *Interpretationes in cabalistarum selectiora dogmata Joannis Pici* Venetiis an. MDLXIX.

LXXXIV. In conventu S. Francisci Mexici post diuturnam aegritudinem die XVIII. Martii Alphonsus Molina Hispanus, hoc anno, non vero juxta Possevinum anno MDLXXXIV. cum sanctitatis opinione defunctus. *Possevinus in apparatu sacro.*
Is adhuc puer, a parentibus in Novam Hispaniam adductus, mexicana *Ann. min. ad an. 1529. num. 5.*
lingua ob aetatis teneritudinem ita brevi tempore excultus fuit, ut illam expedite loqueretur. Illuc Franciscani appulsi, Cortesii ope, a matre illum impetrarunt, ut eo velut utriusque idiomatis perito uterentur interprete. Ubi per aetatem licuit, observantium habitu suscepto, me- *Torquemada t. 3. lib. 20. cap. 59.*

Digitized by Google

xicanas gentes sacro evangelii praeconio, spatio quinquaginta annorum erudivit, at tanta cum uberrima animarum messe, ut vix enarrari posse crediderim. Verum, ne eo advenientibus fratribus aliquod deesset, pleraque illius idiomatis, quae subnectimus scripsit, perdiscendae linguae mexicanae valde perutilia; *Dictionarium duplex Castellano-Mexicanum et Mexicano-Castellanum* Mexici an. MDLV. et an. MDLXXI. apud Antonium de Espinosa; *Artem linguae mexicanae*, seu *grammaticam* ibidem an. MDLXXI.; *Catechismum*, sive *doctrinam christianam majorem et minorem* ibidem an. MDLXIV. et an. MDCVI.; *Confessionale duplex majus et minus* ibidem an. MDLXV.; *Praeparatoria pro receptione SS. Sacramenti Eucharistiae; Vitam S. Francisci Asisiatis; Evangelia totius anni; Officium B. Mariae Virginis; Orationes multas, pias preces, quibus gens illa pietati assuefieret.*

Rodulphus p. 327. LXXXV. Venetiis Joannes Petrus Fortis Venetus conventualis *elegiaci carminis*, ut habet Rodulphus, *non ignarus*, lingua Etrusca perite transtulit *Psalmos Davidis, qui poenitentiales* dicuntur; scripsit etiam *de laudibus montium*. Antonius Posius a Monte Ilcino conventualis, prius regens, juxta Waddingum, in gymnasio Patavino, vel, juxta Sbaraleam, in conventu SS. XII. Apostolorum de Urbe, postea vero publicus sacrae theologiae professor in Sapientia Romana. Per aliquot annos explevit officium procuratoris generalis ordinis; interfuit concilio Tridentino, in quo die III. Maii anni MDLXII. orationem ad Patres habuit. Vulgavit Venetiis an. MDLX. et an. MDLXII. per Cominum Tridinensem *Thesaurum in omnia Aristotelis et Averrois opera et copiosissimum indicem*, et omnia *Aristotelis opera*. Excusit an. MDLIX. Romae per Antonium Baldum *scriptum S. Bonaventurae* in quatuor libros sententiarum ab ipso emendatum, singulis quaestionibus additis argumentis, collatione locorum, ac controversiarum SS. Thomae, Bonaventurae, et Scoti; opus Pio V. dicavit. Scripsit insuper *disputationes de rebus theologicis*, et *de motibus animi obscuris*. Obiit in patria hydropisi affectus, hoc epitaphio decoratus:

Waddingus, Sbaralea in Supplem. ad Script.

Antonio Posio Ilcinensi franciscanorum conventualium Procuratori, Philosopho, ac sacrosanctae Tridentinae Synodi Theologo illustri, Hispanorum sacerdotum promotori, librorumque prohibitorum a Pontifice Maximo Secretario constituto, qui plurimis ingenii sui editis monumentis obiit anno a nativitate quinquagesimo secundo, a nativitate Domini millesimo, et quinquagesimo supra octogesimum IV. *nonas Novembris. Fr. Phamphilius Posius fratris filius moestissimus posuit an. D.* 1582.

LXXXVI. Patavii Carolus Billaeus, sive Bellius conventualis, patria Ragusinus, alumnus vero Siculae provinciae, qui primum Catanae, mox Senis theologiam explanavit. Anno MDLXXV. Patavii metaphysicam publice docuit, et anno MDLXVIII. fuit assumptus magister suae provinciae, ut scribit Cagliola, quem dicit fuisse celeberrimum concionatorem. Posteris reliquit ingenii sui monumenta, idest *conciones varias et orationes; carmina varia; dialogum pro Hierosolyma Torquati Tassi* italice Venetiis typis Aldinis: *tractatus de multiplici sensu sacrae scripturae; de natura secundarum intentionum tractatum*, quem Venetiis an. MDLXXXIX. Nicolaus Oddo Patavinus Olivetanus monachus Sixto

Cagliola in prov. Siciliae pag. 128.

V. sacravit; *formalitates* Scoti, quas typis maudare pollicitus est idem Oddo in epistola nnncupatoria ad Sixtum, praemissa relato tractatui.

LXXXVII. Franciscus de Alcater provinciae S. Jacobi alumnus, observantiae regularis professor. Varia scripsit idiomate hispanico: *confessionarium*, sive *summam casuum conscientiae*, quae primum Salmanticae anno MDLXXII. prodiit, Alexandro de Canova typographo, tum Cordubae an. MDXCII., postremo Matriti an. MDXCVIII et alibi. Interim *librum de ludo* edidit Salmanticae an. MDLXXXIX. per Andream de Portuenii, falso tributum a Joanne a S. Antonio Joanni Alcozer ejusdem instituti. Liber autem *de caeremoniis ecclesiasticis*, quem Waddingus mendose Francisco tribuit, est foetus laudati Joannis, ut tenet etiam Bartholomaeus Gavanti in suo opere de *caeremoniis ecclesiasticis*.

Joannes de S. Antonio t. 1. p. 356.

Wadding. de Scriptur. lit. F. Gavanti in indice auctorum.

LXXXVIII. Emicant in doctrina et litteris quamplurimi. Cum intermissum laborem, quem pro edendis operibus S. Ambrosii archiepiscopi Mediolanensis, mandante Pio IV. et Pio V. denuo repetiisset Felix cardinalis Peretti conventualis, typis Dominici Bosa vulgavit hoc ac duobus insequentibus annis quatuor ejusdem S. Doctoris tomos; alter vero anno MDLXXXV. lucem aspexit, quem, eo sedente in b. Petri Cathedra, Joannes Baptista Bandinius edidit, eidemque nuncupavit. Quatuor priora volumina dicavit Summo Pontifici Gregorio XIII., in cujus epistola laboris ac diligentiae fructus, quos in ea ornanda contulerat, hisce verbis enarrat laudatus Peretti. » Qualemcumque postea nactus quietem, hortatu » jussuque S. V. inchoatum opus repetens, praeclaros doctores, viros » doctos, et pietate graves, ac linguarum intelligentia, et historiarum » cognitione insignes, praeterea in scholastica theologia, et Patrum le» ctione admodum versatos delegi, mihique laboris socios adscivi. Ita» que onus alacriter subeuntes, munerique plures annos strenue una » incumbentes, tandem multis vigiliis, plurimoque impendio, Deo bo» norum omnium largitore nobis propitio absolvimus. Quorum ope at» que adminiculo, obscura explicuimus, manca supplevimus, adjecta » rejecimus, transposita reposuimus, depravata emendavimus, omnia » demum ut germanam Ambrosii frasem redolerent, ejusque dignitati » atque gravitati responderent, sedulo curavimus; et ut ipsimet auctor » loqui videretur, supposititiis quibusque abscissis, pro viribus studui» mus ».

LXXXIX. Joannes Redaldus Venetus alumnus provinciae S. Antonii MDLXXIII., et MDLXXX. in eadem civitate vulgavit *Kalendarium ad usum universae religionis fratrum minorum, et monialium S. Francisci regularis observantiae juxta ritum Breviarii Romani reformati*. Bernardinus a Monte Calvo Genuensis provinciae *Concordantias Bibliorum sacrorum* confecit, dicavitque Gregorio XIII. Pontifici. Hieronymus Mendieta Victoriensis Hispanus provinciae Cantabrigiae, sacrae theologiae lector in provincia S. Evangelii, et insignis illarum regionum verbi Dei disseminator scripsit *Historiam Ecclesiasticam Indianam*, quam laudat auctor bibliothecae orientalis. Torquemada subdit *epistolas varias eruditione plenas* ad generalem ministrum Franciscum Gonzagam misisse. Bernardinus Sahuguntinus Hispanus Cantabriae provinciae alumnus, postquam ad Indias occidentales sese contulisset, totum se dedit addiscendis illius nationis linguis, ut populum instruere valeret.

Oldoinus in Scriptoribus Liguris.

Eas tanta perfectione calluit, ut plura ediderit scripta praedicatoribus, atque magistris perutilia. Mexicano idiomate scripsit *Artem*, sive *grammaticam linguae mexicanae addiscendae*, et *Dictionarium copiosissimum in XII. libros distinctum*, ubi universim varia linguarum genera, proprietatesque, emphasim, et verborum accentum dilucide expenduntur, itaut doctum et vulgare idioma apposuerit, et formulas omnes loquendi, quibus illi sive in religionis cultu, sive in rerum commercio, sive in familiari conversatione utuntur; *Vocabularium trilingue, latini* nempe *idiomatis, hispanici, et mexicani, Psalmodiam, varios nimirum cantus, et carmina spiritualia de Christi Domini, Mariae Matris, aliorumque SS. gestis, quibus Indi in suis choreis, nuptiis, hymenaeisque et jocis uterentur, et profanis vocibus, inanisque Deorum inanium ritibus desuescerent; sermones sacros pro totius anni curriculo, quosdam breves, alios copiosiores juxta argumenti, et festorum differentiam; postillam super omnia Evangelia dominicalia*. An autem hoc opus sit ejusdem auctoris, incertum tradit Antonius a S. Leone. A nonnullis etiam ipsi tribuitur opus *de Mexici occupatione*. In mexicanam linguam vertit *vitam S. Bernardini Senensis; expositionem paraphrasticam super symbolum Quicumque*, aliam super idem *symbolum* in forma dialogi; *doctrinas medicis valde utiles; collationes VII. morales; speculum spirituale*. Ejusdem meminit Torquemada et Ventacur. Hispanice autem scripsit *Platica para despues del Bautismo los Ninos; Platica de los primieros PP. de nuova Espana en la conversion de los Senores della; Historias de las cosas antiguas, que los Indios usuvan en su infidelidad, assi de sus dioses idolatryas, vitos, y politica*.

Antonius a S. Leone in Biblioth. Indiae Occid. tit. 18.

Torquemada tom. 3. Chron. prov. S. Evang. l. 20. c. 46. Ventacur chron. ejusd. prov.

XC. Petrus Cascales Hispanus provinciae Castellae *sermonum variorum quatuor magna volumina* conscripsit. Asservantur MSS. in Bibliotheca conventus S. Marie de Saliceto. Erat sacrae theologiae professor, et vir eloquentissimus. Eo usus est Philippus II. pro sibi vindicando Lusitanorum regno. Pieria Imperiatia a Joanne a S. Antonio vocata *Prieria Imperiaria* Romana ex tertio ordine, femina pietati addicta, alias proprio ore dictavit, alias propria manu scripsit revelationes, apparitiones, documenta, et spiritualia opera, quae collecta in XII. opuscula a suo moderatore Ludovico de Triora Genuensi in provincia Romana reformatorum custode, tunc temporis asservabantur MSS. in coenobio Transtyberim. Inter quae sunt; *Tractatus de vocatione peccatoris; scala XXXIII. graduum, per quam omnes sancti ascenderunt in coelum; considerationes XXII. de ultima coena D. N. J. C.; remedium contra tentationes, de judicio particulari cujuslibet animae tempore mortis*.

Joan. de S. Antonio tom. 2. pag. 490.

Wadding. de Sriptur. lit. P.

XCI. Ursula Formicina forsan Romana, semel et iterum abbatissa monasterii monialium SS. Cosmae et Damiani de Urbe scripsit non incerto tempore, nec post annum MDLXXX. ut ait Sbaralea, *librum monumentorum dicti monasterii in tres partes distributum*, sed anno MDCVII. quem vidi. In prima parte agit de ejus fundatione, et successione abbatum ordinis S. Benedicti, ad quem olim spectabat; secunda de translatione ejusdem ad moniales; in tertia demum a reformatione usque ad suum tempus. Omnia dexteritate summa disposuit, contexitque, praesertim quae ad bonum regimen attinet ejusdem monasterii.

XCII. Triennio antequam e vita excidisset S. Ludovicus Bertrandus, hanc b. Nicolaus Factor ad eumdem scriptam in pervigilio S. Ludovici episcopi Tolosani minoritae epistolam dedit, humilitatis ac pietatis spiritu undique refertam.

Meo multum dilecto Patri Frati Ludovico Bertrando in conventu Praedicatorum Valentiae.

JESUS MARIA

Sancte mi in vulneribus Jesu Christi.

Gratia et amor et charitas Spiritus Sancti habitent in anima vestrae charitatis, istudque angelicum pectus in amore dulcissimi Jesu inflammet. Hac ipsa hora, qua in S. Antonino, devoto meo historico, legebam de gratia elevationum spiritus et ecstasium Angelici doctoris S. Thomae Aquinatis, oblata occasione per hunc datorem tibi scribendi, dico, mi Pater de amica acceptione nuper in ista domo mihi praestita, Deum mihi testem esse, venisse me cum eadem simplicitate animi, qua charitatem vestram semper invisi; neque unquam mihi subiisse ullam adversus Bertrandum meum suspicionem, nec quidquam aliud, quod animum meum turbare posset. Quam ob rem nec apud Dominum Patriarcham, nec apud quemcumque conquestus fui, ullumve indicium feci exigui amoris; nec vel minimam fidem adhibui ei, qui mihi retulit, te adversus me concionatum esse: nam, etsi id verum fuisset, exercitii spiritualis loco habuissem. Et sicut hoc dico charitati vestrae, ita amicus Dei sim; et egressus ex ista sancta aede sum majori devotione accensus, quam dum ingressus sum; fuissetque mihi gratum, si benedictio per reliquias S. Vincentii impertita fuisset; sed adverti, charitatem vestram visam esse a me fugere. Ac facile credo, Angelum fugisse a daemone, qualis ego sum, imo etiam pejor magisque abominandus. Quamquam vestra charitas parum aspere me habuerit in isto sancto triclinio, istud caput piscis manducans, afficit mihi deinde consolatio a patre meo S. Dominico, sanctoque Vincentio, quae minime parva fuit. Ad magnam Dei gloriam dico, sive in intellectu fuerit, sive in visu corporeo, Deus novit. Pater, pater, pater, a quo times? Ne metue, Pater; Deum habemus, et veritatem ejus; nihil est timendum. Et quis dicat animae, quae de Deo cogitat, continuamque illius servat memoriam, male esse? Et suspiciosum esse, non placet Deo. Charitas vestra catholicus esse et servus Dei. Oramus divinam majestatem, ut te servet, et sub divina manu te protegat. Pro me supplico, Deum ores, ut me faciat servum suum; et praedica contra me, me esse daemonem. Deo gratias ago, quod quidem pater magister me quinquies per S. Franciscum adjurarit, et carissimus meus Bertrandus fugerit me. Quod si mihi nunc propitius non esset, nec fiduciam faceret meus S. Vincentius Ferrerius, quo me verterem? Confido dominum meum S. Vincentium non futurum mihi ingratum; sancti enim non sunt tales. Pater, pater, pater, cur me deseris? Cur me fugis? Ego autem veniam quotidie te visurus, istosque favores excepturus; et quando non, adest ista sancta porta, a qua pater janitor me velut pauperem non repellet, dumque minime putabitur, videbunt inter pauperes manducantem, quod jucundissimum mihi est. Hodie Deo obtuli vitam Jesu Chri- Acta SS. ad diem 10. Octobris p. 421.

sti ex ictibus meis, quod Deus acceptum habere velit. Magnum gaudium sensi coenando inter tot angelicos qui in ea sancta aede sunt. Videbar mihi esse satan inter filios Dei. Ora Deum pro me sancte Ludovice Bertrande. Crastina est vester sanctus, ac etiam meus. Unum crede, me, quando ad te visendum venturus sum, prius de peccatis meis confessurum. Tuus in Domino Jesu Christo crucifixo iste abominandus draco inferni

Frater Petrus Nicolaus Factor.

XCIII. Episcopalem dignitatem assequutus est die IX. Maii ecclesiae Bellinensis *Joannes Nasus*, vocatus a Rodulpho Joannes *Nati*, a Pontifice designatus etiam suffraganeus Joannis Thomae episcopi Brixinensis, non vero Brixiensis, ut aliqui scribunt, cum pensione annua bis centum ducatorum ex fructibus mensae episcopalis Brixinensis; die XVIII. Septembris fuit sacro oleo delibutus a laudato episcopo in ecclesia S. Catharinae; die IV. Julii *Augustinus Buzi* nobilis mediolanensis, quem tabulae consistoriales vocant *Guardianum monasterii Aracoeli*, Ecclesiae Smirnensis, primo suffraganeus cardinalis Moroni, mox Alexandri Farnesii ecclesiarum Ostiensis, et Veliternensis; die XI. Julii *Jacobus Hubertus* ecclesiae Aladensis in Hibernia, ob translationem ipsius episcopi ad ecclesiam Dumensem. Rodulphus eumdem appellat Joannem Scaccosey. Juxta Josephum Torrubia die XIV. Martii electus *Antonius Diaz de Salcedo*, vocatus etiam Aurelius Dievi a Rodulpho, Ecclesiae Cubensis, seu S. Jacobi, caput Insulae Cubensis et Floridae in America sub archiepiscopo Dominicopolitano; die V. Maii anno MDLXXIX. juxta Dionysium Samarthanum *Franciscus a Wallon-Capella* dictus, alias Walungel Audomarensis, Ecclesiae Namurcensis, die VIII. Augusti praesentis anni consecratus a Laurentio Metzio episcopo Boscoducensi, in ecclesia franciscanorum Namurcensium. Idem Dionysius Samarthanus scribit, *Franciscum Petrat* electum fuisse in episcopum Chalcedonensem, et in suffraganeum Ludovici de Berlaynont archiepiscopi Cameracensis. Ad magnum Etruriae ducem Franciscum Medicaeum mittitur a Pontifice Joannes Jeremias, ut ipsi fidem habeat: *Mittimus ad nobilitatem tuam* die XXV. Maii.

Rodulphus p. 235.
Borgia Storia della Chiesa e Città di Velletri lib. 4. pag. 454.
Rodulphus ibidem.
Torrubia tom. 10. in chron. pag. 2.
Rodulphus ibidem.
Gallia Christiana tom. 3. pag. 545.
Idem ibidem p. 166.

XCIV. Saeva lue Genuensem urbem depopulante, voto Deiparae Immaculatae edito, pestis illico evanuit. Patrati prodigii haec est memoria: *in festo Conceptionis B. Mariae fit processio solemnis ad S. Petrum ab anno MDLXXX., quo Dominus a peste secundo liberavit.* Trajecti ad Mosam feria II. Paschatis, qua die solemniter ab observantibus circumgestatur imago B. Mariae Virginis, puer annorum quatuor, nomine Christianus, natu minimus ex Christiano Linsen, et ex Mathilde Meyers parentibus, a nativitate mutus, sine voce prorsus et sono, interimque lienteria laborans, ut a matre solis lineis opertum ac nudipem circumduci fecit in ipsa supplicatione, mox ridere coepit, domumque reversus, avide comedit; vespere demum loqui incoepit hilaris et gaudens.

Officia propria Genuensis ecclesiae pag. 8.
Sedulius de B. V. Mosae Trajectensis pag. 172.

XCV. Uxor cujusdam medici oppidi Ontinenti provinciae Valentiae ad mortem, absque spe salutis, infirma, cum duo fratres coenobii S. Antonii Abbatis ejusdem oppidi, ut sibi in agone opitularentur, eorumque suasu franciscanorum habitum, quo sepeliri cupiebat, petiisset, alla-

Gonzaga in prov. Valentiae conv. 23.

tum habitum saepius deosculata, ex voto Deo se astrinxit eum perpetuo, si ex infirmitate convaluisset, deferendi. Cum se aliquantulum sopori dedisset, dum circumstantes eam a mente alienam existimant, SS. Hieronymi et Francisci praesentia recreata, eorumque meritis amissam sospitatem ex integro recuperavit.

XCVI. In pago Ornillo aegrotabat graviter Maria Sanchezia uxor Ferdinandi Sanchezii, mulier valde pia, ac religiosa discalceatis addicta; proindo societati ordinis per filiationis litteras adscripta. Post aliquot autem adversae valetudinis dies ad extremum adducta, inter alia testamento disposuit, ut sequenti die vel viva, vel mortua ad ecclesiam S. Andreae patrum discalceatorum deportata, supra sepulchrum S. Petri collocaretur, sacrumque pro ipsa fieri curaretur. Nocte proxima ex morbi vehementia eam omnes extinctam judicarunt. Haeredes, aperto testamento, ad dictam ecclesiam leuca distantem eam deportari jubent, et sicut jusserat, omnia rite exequuntur. Dum vero missa celebratur, et sacerdos *Dominus vobiscum* pronuntiat, mirabile visu! mulierem moveri aliquantulum; deinde ad epistolam residere supra feretrum; post ad evangelium erectam, ac devotam missae adsistere spectant universi, summa cum admiratione omnium. Peracto sacro, et gratiis Deo ac servo suo humiliter actis, sana, ac expedita ad domum propriam revertitur, ubi quindecim adhuc annis vitam piam ducens, multos ad intercessionem b. Patris confugere pro variis beneficiis impetrandis edocuit.

Ex processu canonizationis S. Petri Alcantarensis.

XCVII. In monasterio monialium Corporis Christi Pisaurensis perfecte sanata est soror clarissa Agnetis nomine in putrido digito manus, quem medici jussu excidi debebat, ne tota manus inficeretur, statim ac pulvis sepulchri b. Seraphinae Sfortiae ejus digito admotus est, ac votum edidit, se eodem sepulchro digitum argenteum appensuram. Similia contulit b. Seraphina Nicolao Sajano Pisaurensi laudatae virginis parenti, crure tabefacto laboranti, ita ut protinus expedite ambularet. In monasterio Montis Virginis Messanae provinciae Siciliae cum quadam nocte excitatum esset incendium in strue lignorum, Beata Eustochium manifeste apparuit Catharinae a Scala, et a somno expergefacta, eo duxit, ut tanto malo protinus accurreretur.

Allegiani Vita della B. Serafina pag. 120. Roma 1754.

XCVIII. A Luca Cavagnano nobili Mediolanensi erogato capucinis quidquid domi suae pane pro serotina refectione residuus erat, e coelo tantus ei redditus est, quantus tum ad coenam, tum ad diem posterum necessarius erat pro ejus familia plenius reficienda. Inter saevam imbrium et ventorum procellam adstiterunt duobus capucinis Larino Triventum proficiscentibus B. Maria Virgo, ac S. Michael Archangelus, quibus in tanto vitae discrimine preces ex animo fundebant, iisque noctis tempore in sylvis errantibus opem ferunt; nam domi, quam nunquam eo loci viderant, humanissime excepti, coelestibus allocutionibus, cibo, potu, et igne recreantur. Mane facto, tota illa magnifici aedificii moles ex eorumdem oculis evanuit.

Boverius pag. 874.

XCIX. In Aracoelitano templo prope sacrarii fores tumulo contecta sunt ossa Hyppoliti Capilupi Mantuani, episcopi Fanensis, elogio hoc inscripto.

D. O. M. S.

HIPPOLITO CAPILUPO MANTUANO EPISCOPO FANENSI, QUI INTEGRITATE VITAE, SUAVITATE MORUM, ELEGANTIA INGENII, SPECTATA IN MAXIMIS AMICORUM PERICULIS FIDE SINGULARI, IN DIFFICILLIMIS NEGOTIIS EXPLICANDIS DEXTERITATE AC PRUDENTIA EXCELLUIT, HERCULI GONZAGAE CARDINALI MANTUANO SUMME CARUS FUIT, A PIO IIII. LEGATUS AD VENETOS EO MUNERE PER TRIENNIUM SUMMA OMNIUM APPROBATIONE PERFUNCTUS EST. VIXIT ANNOS LXVIII., MENSES VIII., DIES XIII. OBIIT X. CALENDAS MAII CIƆDLXXX. CAMILLUS CAPILUPUS PATRUO OPTIMO OPTIMEQUE DE SE MERITO LACRIMANS POSUIT.

Raynaldi ad an. 1560. n. 42. Calcagni memorie ist. di Recanati pag. 329. S. Maximus Homilia 81. Romae an. 1784.

C. Vincentius Parpalea Pedemontanus, abbas S. Solutoris, non vero S. Salvatoris, ut non recte scribunt Raynaldus, et Calcagni, locus positus foris et prope civitatem Taurini, ubi v. ecclesiae saeculo S. Maximus episcopus orationem habuit in die SS. *Octavii*, *Adventii*, *et Solutoris*, fuit apprime carus Emmanueli Philiberto Sabaudiae duci, ac summo pontifici Pio IV., quo in expleudis difficilioribus tum politicis, tum ecclesiasticis negotiis usi sunt, gravi aegritudine correptus, Recineti occubuit. Defuncti corpus excepit ecclesia observantium S. Mariae de Varano extra moenia ejusdem civitatis. De eo extat epitaphium in cornu Evangelii arae majoris.

D. O. M.

VINCENTIUS PARPALEA
GENERE PEDEMONT.
ABBAS S. SOLUTORIS
CIVITATIS TAURINI
FLEBILE MORTALIS VIXI MORTALIBUS AEVUM
NUNC VIVO INDIGETI SECLA BEATA DEO
OMNIA TUNC VANO VIDI VANESCERE CURSU
NUNC STABILI INTUEOR OMNIA FIXA GRADU.

Supra ejus tumulum habetur et alterum.

VIXIT ANNOS LXXVI
MENSEM UNUM
DIES XIX.
OBIIT RECANETI
DIE II. DECEMBRIS
M.D.LXXX.

Die xxx. Novembris testamento per Pompeum Vignati rogato, summam centum quinquaginta aureorum legavit confratribus domus hospitalis S. Luciae ea lege, ut quolibet anno pro fratrum usibus quamdam pannorum mensuram erogarent. Pium testatoris votum temporis decursu omni caruit effectu.

Rodulphus p. 193.

CI. Nuceriae cum humanitatis debitum absolvisset die xii. Augusti Petrus Antonius Camilli conventualium generalis magister, loco ejus a Pontifice electus est vicarius generalis apostolicus Antonius Fera Planensis Etruscus, dum, actu penes suos visitatoris apostolici munere fungens, collapsam regularem disciplinam modis omnibus ad pristinum fortunae statum redigere tentabat in provincia Siciliae: *Cum sicut accepimus*

die xxii. Augusti. Minus vere igitur scribit Sbaralea, munus hoc suscepisse Maurum Saracenum Forosempronienseın Picentem, nisi dicere velimus, per paucos dies eo functum fuisse. Sbaralea de Script. lit. M.

CII. Henricus III. Galliarum et Poloniae Rex aliqua hoc anno pro visitatoribus ordinis nostri indicit.

HENRICUS DEI GRATIA FRANCIAE ET POLONIAE REX

Dilectis et fidelibus consiliariis, gentibus curias nostras parlamenti tenentibus, ac omnibus nostris locum tenentibus, generalibus, gubernatoribus provinciarum, dioecesis, senescallis, praetoribus, sive eorum vicem gerentibus, omnibusque caeteris nostris justiciariis, et officiariis, ac cuilibet eorum ut ad illum pertinebit, salutem et dilectionem.

Carissimus atque dilectus consanguineus noster fr. Franciscus Gonzaga nuper totius ordinis Divi Francisci minister generalis electus, certiores nos fecit se propediem iturum, sive missurum ad visitandos omnes, qui in hoc nostro regno sui ordinis conventus sunt, ut bonam sanctamque ibi reformationem secundum eorum instituta constituat. Et quia nos desideramus, ut libere ac majori possit auctoritate onus hoc in honorem Dei et conscientiae suae exonerationem exsequi, nos eam ob causam suis supplicationibus et petitionibus inclinantes, volumus vobisque per has praesentes mandamus ut ei assistetis, omnemque illi favorem, auxilium, ac opem feratis, quos ille sive quos missurus est ad dictam faciendam visitationem, a vobis requirent et petent adversus omnes religiosos et religiosas, qui illi fuerint rebelles, et correctionem quam secundum officii sui onerisque debitum facere velit, fugerint; praestetis, sive praebatis manum fortem provincialibus, custodibus, commissariis, caeterisque sui ordinis praelatis; capiatis, et apprehendatis omnes dicti sui ordinis religiosos, qui sine SS. Patris nostri Papae dispensatione extra eorum monasteria fungentes officio curae pastoralis sive vicarii et aliter residere reperiantur in habitu vel sine habitu, et in habitu saeculari. Injungimus similiter et mandamus omnibus episcopis, officialibus, abbatibus, atque prioribus, qui illos celare velint, ut eos a suis superioribus et praelatis capi permittant, ut ad pristinam obedientiam suorumque status et professionis observantiam reducantur. Et quia quamplures viri nobiles, civitates, et communitates volunt (sub praetextu quod sint dictorum conventuum fundatores) usurpare bona mobilia, immobilia, et terras, per ipsos seu alios, vel a suis praedecessoribus dictis conventibus data, et per praefatos religiosos, pro comodo suorum monasteriorum, hortorum, viridiariorum, et aedificiorum acquisita, et ulterius volunt dictos religiosos compellere ad molendum in suis molis et in furnis suis decoquendum, et alias subjectiones, quae maximum illis inferunt praejudicium, et ad quae nullo modo tenentur. Nos desiderantes ipsos in privilegiis (illis per defunctos reges praedecessores nostros concessis et indultis, posteaque per nos sancitis et confirmatis) conservare, prohibemus praedictas tales usurpationes, neve contra suas libertates et vetera privilegia talem subeant Ex manipulo fratrum minorum p. 357.

servitutem, et hoc sub poena inobedientiae indignationisque nostrae incurrendae, accipientes ad hanc finem praedictos religiosos in protectionem et tutelam nostram specialem, in qua eos (omni cum nostra potestate) ac in integra possessione fruitioneque omnium et quorumque suorum bonorum conservabitis. Nec permittetis, sive patiemini illis ullo aliquo modo inferri impedimentum Ceterum permittetis dictum ministrum generalem, aut dictos suos deputatos secure libere ac tute per vestras ditiones, jurisdictiones, et antiportos transire, absque ullo impedimento. Et quia diversis in partibus et locis his praesentibus egere poterit, volumus ut earum litterarum vidimo debite collato, fides adhibeatur, ut praesenti originali, quoniam nobis sic visum est.

Datum Parisiis die xi. Junii 1580.

HENRICUS.

Signatum Brulart.

CIII. Jubet Summus Pontifex, ut fratres mendicantes provinciae Dalmatiae in Italia degentes, eamdem provinciam quantocius repetant: *Exponi nobis* die xxv. Martii; ut restituantur fratribus bona surrepta a conventu S. Francisci conventualium S. Miniati dioecesis Lucaniae: *Significarunt* nobis xi. calend. Maii, et alia a conventu S. Francisci de Fuchecchio ejusdem dioecesis: *Significarunt nobis* pridie calendas Maii; ut uniantur bona quarumdam mulierum tertii ordinis de poenitentia, sita intra fines paroeciae S. Benedicti Mediolanensis, congregationi mulierum S. Mariae *del Soccorso*: *Alias nobis* die xiii. Januarii; ut supprimatur conventus S. Francisci Spirensis, et ejus bona applicentur episcopali mensae, simulque reformationi subjaceat monasterium S. Clarae in suburbio civitatis positum: *Quemadmodum providus* die xi. Julii; eximit a jurisdictione episcopi Portugallensis moniales S. Clarae monasterii B. Mariae de Spe, alias S. Gundisalvi Agrensis, et ordini subjicit: *Sane nobis* die xvii. Septembris; item ex Gonzaga, moniales monasterii Conceptionis B. M. V. Antiquae Mellariae fratrum correctioni subjicit post lapsum quinquaginta annorum a sui fundatione. Indulget ut Bonifacius episcopus Stagnensis sibi assumat pro visitatione apostolica regnorum et provinciarum Dalmatiae, Sclavoniae, Croatiae, Hungariae, Bosniae, Serviae, Valachiae, Moldaviae, Bulgariae, Macedoniae, Albaniae, aliorumque locorum Turcarum et infidelium, fratres de observantia: *In apostolicae sedis* x. Februarii; ut Laurentius provinciae S. Bernardini alumnus absque conscientiae scrupulo emendicare possit eleemosynas pro locis Palaestinae: *Cum sicut* die vii. Junii; ut Joannes Colvo de Corsica in regno del Perù commorans, anno aetatis suae quadragesimo possit extra tempora ordines recipere a quolibet catholico episcopo: *Cum sicut* die xiii. Aprilis; ut Bonaventura de Rosa capucinus propter gravem suam infirmitatem curandam possit transire ad observantes: *Exponi nobis* xxvii. Maii; ut pro necessitatibus monialium S. Clarae provinciae S. Bonaventurae, conversae possint egredi ex monasteriis absque ullo poenae ecclesiasticae incursu: *Necessitatibus dilectarum* die v. Octobris.

Gonzaga in prov. Angelorum monaster. 7.

CIV. Ex autographo Secretariae Brevium singula haec altaria privilegiata ecclesiis nostris hoc anno pro animabus purgatorii concessa exscri-

psimus. In altare B. Mariae Virginis de Angelis ecclesiae S. Francisci conventualium Theatae: *Omnium saluti* III. Idus Julii; in altare capellae Conceptionis B. Mariae Virginis ecclesiae S. Bernardini terrae Lauriae fratrum minorum de observantia Policastrensis dioecesis: *Omnium saluti* v. calend. Aprilis; in altare B. Mariae Virginis ecclesiae S. Catharinae oppidi Crescevi fratrum de observantia Bosnen. dioecesis: *Omnium saluti* calend. Aprilis; in altare capellae B. Mariae ecclesiae S. Jacobi Venetiarum fratrum minorum de observantia: *Omnium saluti* VIII. idus Aprilis; in altare S. Stephani ecclesiae S. Fracisci observantium oppidi Clavaris Genuensis dioecesis: *Omnium saluti* v. calend. Aprilis; in altare S. Francisci in ecclesia ejusdem nominis fratrum de observantia oppidi Civitatis nuncupati de Borgia Tyranonen. dioecesis: *Omnium saluti* pridie idus Aprilis; in altare b. Mariae Virginis ecclesiae S. Francisci observantium oppidi de Pinto Toletan. dioecesis. *Omnium saluti* idibus Aprilis; in altare B. Mariae Virginis ecclesiae S. Francisci observantium oppidi Montis Albani dioecesis Toletanae: *Omnium saluti* idibus Aprilis; in altare Conceptionis B. M. V. fratrum minorum de observantia oppidi Millionici Mateolan. dioecesis: *Omnium saluti* IV. idus Aprilis; in altare S. Antonii ecclesiae S. Francisci recollectorum Lamacen. *Omnium saluti* nonis Maii; in altare B. Mariae Conceptionis ecclesiae S. Francisci fratrum conventualium Papien. *Omnium saluti* pridie calend. Maii; in altare B. Mariae ecclesiae observantium S. Bernardini terrae Salodii Brixien. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Januarii; in altare B. Mariae ecclesiae S. Francisci observantium in Monte Giaccherino Pistorien. *Omnium saluti* XII. calend. Februarii; in altare ecclesiae S. Francisci fratrum minorum de observantia de Avesano Marsican. dioecesis: *Omnium saluti* x. calend. Februarii; in altare S. Mariae Angelorum ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi Calatajubii dioecesis Tyranonen. *Omnium saluti* idibus Januarii; in altare SS. Pietatis ecclesiae S. Francisci conventualium Auximan. *Omnium saluti* idibus Januarii; in altare B. Mariae ecclesiae S. Francisci observantium oppidi civitatis nuncupati de Frias Burgen. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Januarii; in altare Conceptionis Virginis Mariae ecclesiae S. Francisci de Monte observantium Perusin. *Omnium saluti* III. Calend. Martii; in altare S. Michaelis Archangeli ecclesiae S. Francisci observantium Neocastren. *Omnium saluti* idibus Aprilis; in altare S. Matthaei fratrum capucinorum Volaterran. *Omnium saluti* XIII. calend. Decembris; in altare SS. Trinitatis ecclesiae S. Francisci conventualium oppidi Capitis Hilaris Cosen. dioecesis. *Omnium saluti* III. calend. Maii; in altare capellae B. Mariae fontis Misericordiae Scalae Coeli, sumptuose constructae a Francisco Brasca nobili viro Mediolanensi, in ecclesia B. Mariae Angelorum de observantia: *Omnium saluti* nonis Julii; in altare Assumptionis B. M. V. ecclesiae S. Stephani Aretin. fratrum capucinorum: *Omnium saluti* x. calend. Julii; in altare Conceptionis ecclesiae S. Francisci observantium oppidi Bastiae Marianen. dioecesis. *Omnium saluti* nonis Junii; in altare S. Joannis Baptistae ecclesiae S. Francisci de observantia Abulen. *Omnium saluti* pridie idus Decembris; in altare b. Jacobi ecclesiae S. Mariae gratiarum observantium Montisprandonis Asculan. dioecesis. *Omnium saluti* III. idus Decembris; in

altare S. Mariae Angelorum fratrum conventualium ecclesiae S. Francisci Sulmonen. *Omnium saluti* x. calend. Januarii; in altare S. Antonii de Padua ecclesiae Conceptionis B. Mariae fratrum de observantia oppidi S. Secundi Parmen. *Omnium saluti* pridie nonas Octobris; in altare familiae de Citis omnium Sanctorum ecclesiae S. Bernardini Rossan. observantium: *Omnium saluti* III. idns Octobris; in altare B. Mariae Virginis ecclesiae S. Francisci conventualium oppidi de Tarano Sabinen. dioecesis: *Omnium saluti* VIII. calend. Decembris; in altare capellae conversionis s. Pauli ecclesiae S. Francisci ordinis fratrum minorum conventualinm oppidi de Valentia Papien. dioecesis: *Omnium saluti* III. nonas Novembris; in altare S. Crucis ecclesiae S. Francisci fratrum observantium Ragusin. *Omnium saluti* pridie nonas Novembris; in altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae S. Francisci conventualium Firman. *Omnium saluti* VIII. calend. Decembris; in altare Assumptionis B. M. V. ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi Madritii dioecesis Toletanae: *Omnium saluti* calendis Junii; in altare S. Annae ecclesiae S. Francisci observantium insignis oppidi de Guadalajara Toletan. dioecesis: *Omnium saluti* calendis Junii; in altare B. Mariae Virginis de Rosario ecclesiae S. Francisci fratrum conventualium oppidi Montisbodii Senogalliensis dioecesis: *Omnium saluti* nonis Junii; in altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae S. Francisci conventualium Civitatis Castelli: *Omnium saluti* nonis Junii; in altare Conceptionis ecclesiae S. Francisci fratrum minorum observantium de Dunnagall Rapoten. dioecesis: *Omnium saluti* v. nonas Maii; in altare ecclesiae S. Francisci de observantia Funchalen. Nominis Jesu, cujus capella sumptuose erecta fuit a nobili viro Gonzalnts de Camera, duce et gubernatore Insulae Maderae: *Omnium saluti* IV. calendas Junii; in altare Ascensionis D. N. J. C. ecclesiae S. Francisci minorum conventualium Viterbien. *Omnium saluti* x. calendas Augusti; in altare S. Ambrosii ecclesiae S. Francisci observantinm de Villafranca Astoricen. dioecesis: *Omnium saluti* calendis Junii; in altare B. Michelinae ecclesiae S. Francisci conventualium Pisauren. *Omnium saluti* idibus Junii; in altare S. Josephi ecclesiae S. Mariae Constantinopolitan. oppidi Mazafra observantium Motulan. dioecesis. *Omnium saluti* idibus Junii; in altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae S. Francisci fratrum conventualium Hortan. *Omnium saluti* idibus Junii; in altare S. Matthaei ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi Alviti Soran. dioecesis: *Omnium satuti* x. calend. Julii; in altare S. Georgii ecclesiae S. Francisci minorum conventualium insignis oppidi Talleacotii Marsican. dioecesis: *Omnium saluti* v. nonas Maii; in altare S. Francisci ecclesiae S. Matthaei fratrum capucinorum Mantuan. *Omnium saluti* pridie idus Martii; in altare SS. Crucifixi ecclesiae ejusdem nominis Panormitan. fratrum capucinorum: *Omnium saluti* x. calend. Aprilis; in altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae Jesus Mariae terrae S. Martini fratrum observantium Larinen. dioecesis. *Omnium saluti* VIII. calend. Februarii; in altare Conceptionis B. Mariae parochialis ecclesiae S. Crucis, insignis oppidi ejusdem S. Crucis Insulae Gratiosae Agren. dioecesis: *Omnium saluti* calend. Maii; in altare SS. Crucifixi, a Casilda de Mendoza dotato, ecclesiae S. Francisci observantium oppidi de Orduna Calaritan. dioecesis: *Omnium saluti*

Digitized by Google

v. calend. Julii; in altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae Giennen. *Omnium saluti* v. nonas Augusti; in altare SS. Crucifixi ecclesiae S. Bernardini Senensis fratrum minorum de observantia: *Omnium saluti* . . . . in altare SS. Crucifixi ecclesiae Gennensis pro familia Grimaldi: *Singularis fidei* die xx. Januarii.

CV. Afficit indulgentia ecclesiam S. Clarae Neapolis in festo S. Margaritae: *Ad augendam* die xx. Septembris; SS. Cosmae, et Damiani de Urbe in foro Boario tum in festo, quam in tota eorumdem SS. octava: *Ad augendam* xx. Septembris; S. Laurentii mart. capucinorum Civitatis Castellanae in festo ejusdem: *Ad augendam* xxviii. Junii; ad decennium omnes ecclesias Hispaniarum in die S. Mariae de Portiuncula: *Cum sicut accepimus* die x. Junii; ecclesiam capucinorum Veruchii Ariminensis dioecesis in die Sancti Georgii martyris: *Cunctorum*.....; ecclesiam fratrum praedicatorum de Urbe supra Minervam in die Conceptionis B. Mariae Virginis: *Ut sanctissimum* vi. idus Martii; ecclesiam de Illca Tamaracensis in provincia Basiliensi: *Gloriosi principis* iv. calendas Aprilis; ecclesiam Segorvicensis in die Conceptionis B. M. V. *Unigeniti Filii* vi. calendas Octobris.

CVI. Approbat confraternitatem erectam a Lucretia Macedonia abbatissa monasterii monialium S. Clarae Neapolis, sororibusque aggregatis multa largitur: *Cum sicut accepimus* die ix. Novembris; confraternitatem tertii ordinis in provincia S. Bonaventurae erectam studio Nicolai Parisotti ejusdem provinciae alumni: *Pio voto tuo* die viii. Octobris; confraternitatem Conceptionis in civitate Valentiae: *Unigeniti Filii* nonis Januarii; confraternitatem Sanguinis Domini de Dorace dioecesis Caesaraugustanae: *De salute* calendis Martii; confraternitatem B. Mariae de passione Domini, S. Ambrosii, et S. Bernardini in civitate Mediolanensi: *Gloriosi principis* nonis Aprilis; confraternitatem Conceptionis B. Mariae de Santiavilla Cordubensis: *Gloriosi principis* idibus Januarii; confraternitatem Conceptionis in ecclesia S. Joannis de Prato Ulyssiponensis dioecesis: *Unigeniti Filii* ix. calendas Decembris; confraternitatem saecularium disciplinantium Pontis Soconae: *Reddituri* nonis Aprilis; confraternitatem Annuntiationis B. M. V. terrae Cassanensis cum indulgentia Conceptionis: *De salute* nonis Junii; confraternitatem Conceptionis in ecclesia ejusdem nominis de Valparayo de Cintruenigo Tiraponensis: *De salute* x. calendas Junii.

CVII. Largitur indulgentiam plenariam confraternitati Conceptionis erectae in ecclesia S. Francisci civitatis Grosseti: *Cum sicut* die v. Octobris; confraternitati Conceptionis erectae in terra Citernae dioecesis Civitatis Castellanae in die ejusdem festi: *Cum sicut* die i. Decembris; confraternitati erectae in ecclesia monasterii S. Mariae Novae de Urbe congregationis monachorum Montis Oliveti in festo Conceptionis: *Ad augendam* die i. Decembris; confraternitati S. Antonii de Padua erectae in ecclesia S. Francisci Insulae Sorenae: *Cum sicut accepimus* die x. Januarii. Approbat cappellaniam saecularem sitam in altari Conceptionis ecclesiae civitatis Lucensis: *Dignum* xv. calend. Junii; cappellaniam saecularem Conceptionis in ecclesia S. Cassiani civitatis Florentiae: *Dignum arbitramur* idibus Junii.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Minores conventuales, et capucini comitia generalia habent. Multiplicantur fratrum coenobia. Conventus Parisiensis reformatur. Decedunt viri Dei. Provincia Sardiniae ultramontanis addicitur. Eliguntur episcopi, et inquisitores. Emendatur Calendarium Romanum. Pleraque jubet Pontifex. Ordo favoribus ditatur.

I. ANtonio Fera Planensi minorum conventualium vicario apostolico generali, in ordinis praefecturam Petro Antonio Camilli de Nuceria suffecto, jussit Pontifex, ut in civitate Perusina sacro Pentecostes die generale capitulum indiceret, eique plenaria auctoritate praesideret: *Cupientes* die iv. Aprilis, data interim magistro generali mox eligendo potestate, ut ad sui instituti decus et ornamentum xxv. juvenes ad magisterii gradus promoveret, dummodo ad artium ac theologiae studia emittenda reperirentur idonei: *Ut ampliores* die iii. Maii. Ut vero semotis partium studiis, omnia rite procederent, ad electores schedulam obsignatam misit, ut quae in eo statuta erant, sine mora executioni mandarent: *Ex rationabilibus causis* die vii. Maii. Cum autem supremum ordinis regimen idem Antonius Fera die xiv. Maii juxta Rodulphum, vel die xiii. juxta Benoffi adeptus esset, ejusdem electionem grato animo ratam habuit Pontifex, ei praeter xxv., alios xx. magisterii gradus donandi conferens facultatem: *Cum sicut accepimus* die xxiv. Maii. Novi praesulis elogium hisce verbis complexus est idem Rodulphus « Vir sane « honestatis amator, et aspera vitiorum lima, sed adeo acerbus officii « cujusque exactor habebatur, ut valde infensi ei (*) plerique omnes « redderentur, qui in eo severitatem acerbam condimentis humanitatis « mitigari desiderabant, cogitantes jactantesque, si de gentilium quoque « hominum prudentum sententia, nihil laudabilius sit, nihil magno et « praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia, sitque in liberis « populis, et in juris aequabilitate etiam exercenda facilitates, et altitudo « animi quae dicitur, tum probanda tamen ita sit mansuetudo atque « clementia, ut adhibeatur reipublicae causa severitas, sine qua admi- « nistrari civitas non potest, quod propterea nihil sit tam deforme, « quam ad potestatem pietatis et religionis causa datam etiam acerbi- « tatem naturae adjungere. Quicquid fuerit, et hac de re sit, ille tribus « annis ordinem rexit usque ad capitulum generale, ante cujus inchoa- « tionem ab eodem Gregorio creatus est episcopus Marsicanus in Lu- « cania ». Eo in comitio institutus est procurator generalis magister Hieronymus Urbani de Montepolitiano, jam Pisae inquisitor, et olim a secretis Antonii Fera.

Rodulphus p. 198. Benoffi pag. 272.

Rodulphus ibidem.

(*) sic.

II. Cautum fuit in hoc capitulo, ut coenobium SS. XII. Apostolorum Urbis foret *de mensa Reverendissimi Patris Generalis*, et ut moderaretur a magistro provinciae. Postremum decretum fuit hisce verbis expressum.

Nos frater Antonius Planensis doctor theologus, et totius ordinis minorum conventualium in capitulo generali Perusii celebrato congregati, praesidens SS. D. N. Gregorii XIII. ac Generalis electus.

Digitized by Google

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Coram nobis, et toto diffinitorio RR. Patrum Provincialium nostrae Seraphicae Religionis exposuit, et supplicavit dilectus filius frater Antonius Guerrescus a Proceno romanae provinciae Provincialis Magister, quod cum per multum tempus provinciales magistri, qui fuerunt in romana provincia, sua jurisdictione et gubernio caruerint conventus Sanctorum Apostolorum de Urbe, quod in dedecus, et praejudicium ipsius magistri provincialis, totiusque dictae provinciae cedere dignoscebatur, ut nostra apostolica auctoritate, et de consensu et voluntate RR. Patrum diffinitorum, hanc causam de jure judicare, determinare, et sententiare dignaremur. Nos igitur auditis rationibus provincialis supradicti, quia intentis desideriis, nostris maxime temporibus, cupimus bonum commune ab omnibus curari, jurisdictiones suas cuique conservare; viso decreto fel. rec. Clementis VII. super praemissis opportune providente, et constitutionibus ipsius provinciae ab eodem Pontifice confirmatis; viso etiam decreto facto in favorem ipsius provinciae et successorum a Reverendiss. Generali Magistro Antonio Camillo de Nuceria fel. rec. praedecessore nostro, habito etiam unanimi consensu omnium RR. Patrum Provincialium, nostra apostolica auctoritate judicamus, et judicatum declaramus, ut conventus Sanctorum Apostolorum de Urbe, ac ejus fratres ibidem pro tempore existentes, perpetuis futuris temporibus subjectus sit et omnino subjaceat: ita quod in accessu, et recessu ad urbem, et permanendo necessario, et pro negotiis necessariis procurandis, ita recipiatur et tractetur ut provincialis: et si contigerit pro suis negotiis expediendis permanere in dicto conventu, permaneat sumptibus suis, et eo interim, quo Romae fuerit, si quid puniendum, et procurandum fuerit, ut provincialis omni sua jurisdictione puniat et procuret; et quando contigerit generalem abesse a provincia, possit semel in anno ipsum conventum visitare, quam visitationem per triduum expedire teneatur. Volumus ipsum provincialem cameram habere suo officio competentem in dicto conventu, et quando contigerit generalem ab urbe abesse, in camera generalis recipiatur, et permaneat. Ut autem honestum judicium, decretum, vel sententia vim habeat, et robur, mandamus omnibus et singulis fratribus nostri ordinis in provincia Romana commorantibus, et commoraturis virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae, contumacia interveniente, ut non obstantibus quibuscumque, ipsum et suos successores in talem recipiant, et ejus praeceptis humiliter obediant, et in Domino pareant. In quorum fidem, robur et testimonium has nostras fieri jussimus, manu nostra, et omnium diffinitorum subscripsimus, et sigillo religionis vallari et muniri fecimus. Theuli de prov. Rom. pag. 8.

Perusii die XVIII. *Maii* MDLXXXI.

Frater Franciscus de Gualdo provincialis provinciae S. Francisci approbo et confiirmo ut supra manu propria — Fr. Joannes Petrus Todinus provincialis Neapolis approbo et confirmo manu propria — Fr. Lelius Placentinus provincialis Bononiae approbo et con-

firmo manu propria -- Fr. Julius Maviglia de Spetia provincialis magister provinciae S. Nicolai approbo et confirmo manu propria -- Fr. Fabritius de Angelis Trojanus provincialis S. Angeli confirmo ut supra manu propria -- Fr. Bonaventura Maresius provincialis S. Antonii manu propria confirmat -- Fr. Bonaventura Siticensis provincialis Austriae citerioris confirmat manu propria -- Fr. Simon de Sibinico provincialis Dalmatiae confirmat manu propria -- Fr. Ubaldus Seraphinus de Perusio provincialis Aquitaniae confirmo et approbo manu propria -- Fr. Hieronymus Bucchius de Utino provincialis Etruriae approbo et laudo -- Fr. Nicolaus Anglus provincialis S. Bernardini confirmo et approbo -- Fr. Antonius Baldos Sardus provincialis Sardiniae confirmo et approbo -- Fr. Petrus Antonius Mancinus de Ploraco provincialis Marchiae confirmat et approbat ut supra manu propria -- Fr. Marchus Antonius Passarus provincialis in provincia Calabriae confirmat -- Fr. Laurentius Mit. Cum. provincialis provinciae Januae approbat manu propria -- Fr. Archangelus Sermiglianus a Setia commissarius generalis Siciliae approbat et confirmat -- Fr. Antonius Fera Planensis Praesidens generalis electus approbat et confirmat ut supra manu propria.

Locus ✠ Sigilli.

Decretum praedictum, et quaecumque in eo continentur ad declarationem jurisdictionis provincialis romanae provinciae super conventu Sanctorum Apostolorum de Urbe spectantia, approbamus, et confirmationis nostrae munimine roboramus.

Philippus Cardinalis Vastavillanus Protector.

Locus ✠ *Sigilli.*

III. Habuerunt et capucini hoc anno in Urbe generale capitulum, ubi Hieronymi a Monteflorum loco, institutus est vicarius generalis Joannes Maria a Tissa Siculus, pietete insignis, litteris jureque canonico peritus. Procuratoris munus assequutus est Franciscus Mediolanensis. Ut ille ordinis ministerium accepit, lege cavit » ne caparonis poena, quae passim » nullo scripto irrogari solebat, deinceps absque scripto, ac servata juris » forma, cuiquam infligeretur. Idem quoque et de carceris poena, et » vocis privatione, et similibus, quae ob graviora tantum crimina inu» runtur, sanxit. Cum enim eousque delicta, si quae forte in religione » erumperent, nullo judicii strepitu, sed sola ac simplici veritatis inspe» ctione, juxta aequi bonique leges plecterentur, eo auctore, in his co» mitiis statutum est, ut in gravioribus criminibus nonnisi per legitimas » testium probationes, atque alia juris requisita, summarie tamen, juxta » Bonifacii VIII. Pontificis indultum, ad reorum condemnationem a no» stris judicibus procederetur: quod ea potissimum ratione institutum » fuit, tum ne quid praeter justitiam in reorum animadversione fieret, » tum etiam ut (*) omnis violentis aut iniquis oppressionibus via prae» cluderetur. Denique, ut in re gravissima, in qua de sacra viri fama, » ac bono nomine agitur, quo nihil praetiosius haberi solet, nihil leviter, » aut minus aeque patrari contigeret. Res quidem tunc nova quamplu» rimis visa est: qui cum religionis puritatem ac simplicitatem, ob » judiciariam procedendi formam minui ac deperdi existimarent hac » via in criminosos agere, velut piaculum ducebant. At vero cum

Boverius tom. 2. p. 2. num. 2.

(*) *sic*

» hac constitutione rectius justitia administrari coeperit, ipsa temporum » conditione potissimum exigente, malius proculdubio religionis inco» lumitati, tutiusque morborum curationi consultum fuisse, verum esse » ipsa deinde experientia docuit ».

IV. Lutetiam Parisiorum cum commissarii generalis amplissima facultate Bernardum Auximensem, fratresque alios scilicet Franciscum ab Aquiis Bormiis, Franciscum a Turre sacerdotes, Baptistam Luganensem, et Sebastianum Uraniensem clericos, et Fortunatum Mediolanensem laicum, Uraniam caeterosque Helveticorum pagos misit, frequentibus litteris ad hoc permotus Caroli Borromaei Cardinalis, et archiepiscopi Mediolanensis.

V. Maniliam hoc anno pervenerunt secum navi adducti a Gonzalvo Ronquillo de Peñasola novo pro-regis gubernatore, in locum Francisci de Sandino anno elapso defuncti, Dominicus de Salazar ordinis praedicatorum nuper Maniliae episcopus electus, et plerique franciscani, quorum nomina sunt Vincentius Valerus, Antonius de Villanova, Petrus Experanza, Joannes Pachico, Gregorius Menor, Michael de Siria, Joannes de Oliver, et Antonius de S. Gregorio laicus. Datae erant hoc anno a Rege catholico epistolae ad Michaelem de Talavera commissarium, et ad gubernatorem Maniliae, ut ille aliquot ex suis sodalibus probatissimos ad Sinas mittendos deligeret, iste vero ut in tanto negotio iis pro viribus opitularetur. Scripsit et alteram ad Sinarum Imperatorem, ab eis velut regiis oratoribus deferendam. Licet haec franciscalium legatio suo hoc anno destituta sit voto, non omittimus tamen studii insigne testimonium, quo rex flagrabat, religionis christianae semina ubique gentium disseminandi.

DON PHELIPE
por la gracia de Dios Rey
de Espana et. al Rey de China.

A vos el poderoso, y muy estimado Rey de la China, como à aquel, à quien desseamos el verdadero, y entero bien, salud, y prosperidad, con acrecentamiento de buenos desseos. Es tan sobrenatural el amor, que Christo nuestro Senor tiene à sus criaturas, q aviendo padecido por ellas muerte, y passion, y hecho tantos, y tan grandes beneficios, solo quiere de ellas el cumplimiento de sus divinos preceptos; y el premio q les promete, es, darles la gloria, y descanso eterno, acabado el limitado trabajo, y miserable tiempo de esta vida. Y tanto mas serà el descanso, y grado de gloria allà, quanto mas huviere-

PHILIPPUS
Dei gratia Hispaniae Rex
Sinarum Regi.

Tibi, potentissime, ac dilectissime Rex Sinarum, utpote illi, cui omne verum perfectumque exoptamus bonum, salus et prosperitas cum tuorum augmento desideriorum. Christi Domini nostri erga suas creaturas dilectio tam supernaturalis est, ut pro ipsis passionem mortemque perpessus, et insuper maxima ipsis largitus beneficia, nihil aliud nisi suorum custodiam mandatorum expostulet, promittens eis in praemium gloriam, aeternamque requiem post breve, et laboriosum hujus miserabilis vitae tempus. Et eo magis illi magna erit requies, gloriaeque gradus, quo magis ei amorem,

Joan. a S. Maria Chron. provin. s. Greg. pag. 646.

mos aventajado acà en el amor, y servicio suyo: y assi todos los santos que tenemos en el divino cathalogo, y allà gozan de aquellos bienes eternos, y agora son nuestros intercessores, merecieron la gloria que tienen, mediante la passion del mismo Dios, por sus santas obras; y entre ellos ay muchos, q movidos con divina inspiracion instituyeron las religiones, paraque con recogimiento, y clausura, los hombres, que quisieren darse à la contemplacion de las cosas celestiales, y à la predicacion del Evangelio, estubiessen en quietud, y reposo, libres de los movimientos, y desasosiegos del mundo. Y de estos fue uno el glorioso doctor San Agustin, de cuya orden embiamos algunos religiosos con la carta nuestra, que yà avreis recibido; y aunque son tales, como de su doctrina, y obras entendereis, ay orros muchos de diferentes ordenes, que respladecen en esta Iglesia militante, y la adornan con su exemplo. Y entre ellos son dignos de gran veneracion los descalzos de la orden del seraphico P. S. Francisco, que menos preciando las cosas mundanas, viven sin tener cosa propria; los quales con desseo de ayudar à la conversion, y ensenamiento vuestro, y de los naturales de esse Reyno, se han ofrecido à tan largo, y trabajoso camino; paraq el nombre del verdadero Dios, criador de todas las cosas sea en todas partes conocido, y alabado, y sus criaturas gozen de sus favores, y divina gracia. Y con el enstandarte, y vandera de la Cruz, y con intento, y verdara determinacion de morir por ella, van à entender en ello; y visto, que no se mueven no solamente los corazones, pero, ni las hojas de los arboles sin la voluntad del verdadero Dios; y entendiendo, que de el les viene

et famulatum praestiterimus: omnes sancti in divino adscripti catalogo, qui alia in vita jam illis aeternis perfruuntur bonis, et modo nostri sunt protectores, illam, quam possident, ejusdem Dei passione suisque bonis operibus gloriam promeruerunt; quos inter multi inveniuntur, qui sodalitia divino permoti afflatu instituerunt, ut qui in recessu, et clausura coelestium contemplationi, evangeliique praedicationi vacare desiderant, ab hajus saeculi impedimentis, molestiisque immunes, placidam ducere vitam queant. Ex his fuit gloriosus doctor S. Augustinus, cujus ordinis quosdam tibi nostris missimus litteris a te jam acceptis; et licet tales sint, quales ex eorum doctrina, operibusque jam tu perspexeris, sunt tamen et alii haud pauci ordines, qui in hac militanti effulgent ecclesia, quam bono exornant exemplo. Ex his excalceati ordinis seraphici P. S. Francisci magna sunt digni veneratione, qui mundana parvipendentes absque ullius rei vivunt proprietate, et tui tuorumque in isto amplo regno subditorum instructionis et conversionis flagrantes desiderio tam longo laboriosoque itineri se alacres commiserunt, ut ubique terrarum veri Dei cunctorum creatoris nomen cognoscatur, laudetur, et omnes creaturae ejus beneficiis, divinisque gratiis perfruantur. Quot Crucis vexillo firma, constantique voluntate vitam pro ipsa effundendi ad illud tam sanctum opus profecti sunt; et nos scientes non tantum hominum corda, sed et arborum folia haud moveri absque veri Dei voluntate; et perspicientes ab ipso enasci hoc eorum fervens, et patens desiderium, nostram addere operam, hisque no-

el ferviente charitativo, y poderoso desseo, avemos querido condescender con el, y acompañarlos con esta carta. Y assi afectuosamente, poderoso Rey, os ruego, y encargo, que mireis por estos religiosos, y los favorezcais, y aydeis, oyendo atentamente, lo que os dixeren; que sin duda es dichoso el tiempo de vuestro reyno; y Dios os ama, pues ha querido poneros tan en las manos podèr ir al reyno del cielo, quando se acabare el momentaneo, y percedero de este mundo. Lo qual se espera, mirareis mucho, como cosa, q tanto importa, para podèr gozar de tan grande beneficio. Poderoso, y muy estimado Rey, Dios nuestros Señor os alumbre con su gracia, y con ella tenga vuestra persona, y real estado en su continua guarda.

De Santaren à 5. de Junio de 1581. años.

YÒ EL REY

Por mandado de su Magestad
Antonio Erasso.

stris illos commendare litteris voluimus. Quocirca, o Rex potentissime, toto ex animo a te peto, tibique commendo, ut hos religiosos viros tueri, ipsis favorem, auxiliumque praebere, et quod tibi erunt dicturi benigne excipere haud recuses; tui enim regni tempus est prorsus felix; et Deus te amore prosequitur, eoquod tuis in manibus ea mittere voluerit media, quibus post hujus mundi transitorium et momentaneum, regnum coelorum acquirere valeas. Quod te recte perpensurum fore confidimus, utpote illud, quod ad tam magno perfruendum beneficio tibi cordi esse debet. Te potentissime, et dilectissime Rex, Deus Dominus noster divina sua illuminet gratia; et cum ipsa, te regiumque statum sub sua custodia defendat.

Dat. Scalabi die 5. Junii 1581.

EGO REX

De manduto suae Majestatis
Antonius Erasso.

VI. In civitate Amacai iterum concitata a Lusitanis persecutione contra hispanos franciscanos, exulatum abire coactus est Joannes Baptista Pisaurensis, coenobii Dominae nostrae de Angelis praeses. Is primum catenis ab eis constrictus, mox in navim cum socio fr. Antonio de S. Thoma impositus, a mercatoribus Lusitanis Malacam civitatem, quae toti peninsulae dat nomen, regno Siami per isthmum juncta, et ad littus occidentale e regione Sumatrae sita, delatus est. Licet nemini notus, praecipuis tamen benevolentiae signis a populo, optimatibus, et clero exceptus est. Paucis diebus in pp. dominicanorum conventu hospes fuit; nam episcopo loci suffragante, ei ad incolendum cessit eremum quoddam B. Mariae *de Bocachina*, non intra, ut habet Gonzaga, sed extra moenia civitatis positum, cui paullo post S. Josephi titulus datus est. Omnibus omnia fictus, verbo et exemplo quamplures ad bonam frugem adduxit, aliquot vero ad seraphicae religionis habitum suscipiendum allexit. Conv. Malacae. *Gonzaga* 1358.

VII. Cum anno MDLXXV., ut diximus, Valdiviae civitas terraemotus impetu deleta esset, in communi ruina periit omnino coenobium Dominae nostrae de Remediis in provincia SS. Trinitatis de Chile. Novum tamen prope eamdem civitatem amoena planitie statim excitare coeperunt cives, quod perfectionis culmen hoc anno accepit. In civitate Chillan aedificata ad ora fluminis ejusdem nominis anno MDLXXX. juxta Busching, positum fuit circa haec tempora à christifidelibus domicilium etiam pro Conv. Valdiviae. *Ann. min. ad an.* 1575. *num.* 86. *Gonzaga in prov. SS. Trinitatis de Chile conv.* 12. Convent. Chillan. *Busching tom.* 33. *pag.* 106.

Gonzaga ibidem conv. 11.

fratribus, S. Bartholomaei Apostoli titulo. Inhabitantur haec duo fratrum coenobia ab uno vel ab altero tantum, ob eorumdem penuriam, religioso fratre.

Conv. Charcarum. *Gons. in prov. SS. 12. Apostol. conv. 4.*

Conv. Canete. *Idem ibid. conv. 10.*

VIII. Francisco Alcocerio provinciae SS. XII. Apostolorum Peruani regni ministro, construi coepit ad VIII. leucas a civitate S. Crucis de la Sierra coenobium Dominae nostrae de Angelis, in pulchra ac fertili valle oppidi Misque, quod paullopost, excrescentibus supra modum ruralibus domibus, paleis palmarumque foliis contectis, ab Indis Chacaras, sive Charcas nuncupatis, civitatis titulo fuit ab Hispanis decorati. A XV. fratribus incolitur. Eodem provinciae ministro agente, e conventu oppidi Cañete ad VI. leucas a Lima, fundato anno MDLXXVI., translati sunt fratres ad alium magis accomodum hoc tempore communibus fidelium eleemosynis constructum. Morantur VIII. fratres.

Conventus Mulae, *Ann. min. ad an. 1574. num. 45. Gons. in prov. Carthaginensis conv. 31.*

IX. E coenobio oppidi Mulae dioecesis Carthaginensis an. MDLXXIV. fundato, ob aeris inclementiam, commigraverunt hoc anno fratres ad aliud prope eumdem oppidum, quod ex auctoritate Gozemuli Zapata Carthaginensis episcopi, Mensia Requiesenia a Zuniga oppidi domina, et Beneventanorum comitissa, locique communitas construxerant juxta pervetustam aediculam Immaculatae Conceptionis Deiparae. Eadem inclyta comitissa plura sacra vasa, ac pretiosam suppellectilem eisdem fratribus benigne contulit. Aedem incolunt XII. fratres.

Conv. Conchensis.

Gonzaga in prov. s. Josephi conv. 32.

Ann. min. ad an. 1572. num. 89.

Monument. prov.

X. Marcus a Parada cathedralis ecclesiae Conchensis canonicus, et Alacornensis archidiaconus, proprio aere, non longe a civitate Conchensi fundavit hoc anno, juxta Gonzaga, conventum sub titulo S. Laurentii martyris prope fluvium Xucar. Michelesius vero monumentis provinciae innixus id retulit ad annum MDLXXII., putatque Gonzagam loquutum fuisse de novo fratrum in eodem coenobio incolatu, non vero de nova ipsius fundatione. Verum illius provinciae scriptores tradunt, locum illum adnexumque oratorium fratribus traditum fuisse anno MDLXXVIII., ac utrumque, quia religiosae vitae non satis accomodum, de novo constructum anno MDCVIII. Circa haec tempora Franciscus Ximenez minister provinciae S. Joannis Baptistae discalceatorum immisit fratres in conventum SS. Conceptionis oppidi de Callosa dioecesis Orivelae, constructum incolarum facultatibus.

Conv. Callosae.

Joan. a S. Maria tom. 1. pag. 528.

Conv. Olleolarum *Ann. min. ad an. 1570. num 26. Gonzaga in prov. s. Ludovici conv. 25.*

XI. Ab anno MDXXXI. usque ad annum MDLXX. ardentius optaverant Olleolarum cives dioecesis Telonensis in Gallo-Provincia coenobium pro minoritis in suo agro excitare. Voti compotes facti sunt tum a Clemente VII. tum a Senatu, operique proinde manum admoverunt anno MDXXXVI. Verum Gallia tumultibus bellicis, ac haereticorum criminibus undique quassata, opus distulerunt id hunc annum. Expensis igitur reipublicae sub regimine Nicolai Bernardi provinciae ministri sub titulis B. Mariae de Pace, ac S. Francisci, conventum inchoarunt pro inhabitatione XII. fratrum. Ecclesiam benedixit episcopus Massiliensis.

Conventus Acerni. *Monum. prov.*

XII. Postulantibus civibus Acerni provinciae Principatus citerioris, obtinuerunt a Pontifice facultatem construendi domum, et ecclesiam pro observantibus sub invocatione S. Antonii Patavini, pro qua annuum censum constituerunt. Extat chirographum pontificium: *Piis christifidelium votis* die XXV. Septembris. Extra portam S. Januarii martyris Neapolis exurgit hoc anno conventus B. Mariae de Angelis, quem aliquot

Conv. Neapolis.

ex nobilium coetu propriis facultatibus erigendum curarunt. Huic fundationi, ob caeteros conventus illic erectos, refragabatur Gonzaga; verum plurimum deinc ob perspectam populorum, nobiliumque eo confluentium frequentiam, loci amoenitatem, aerisque salubritatem, ejusmodi fundatione gavisus est. Locus olim spectabat ad monachos S. Benedicti. *Gonzaga. in prov. Terrae Laboris. conv. 5.*

XIII. In provincia S. Nicolai Rapollensium civium expensis, prope ejusdem moenia coenobium, titulo B. Mariae Virginis de Fonteovina, construitur, quod licet hoc anno adhuc sub artificum manibus sit, inhabitatur tamen ab VIII. fratribus. In eadem provincia prope urbem Poligniani extitit conventus B. Mariae de Constantinopoli, aedificatus partim expensis Joannis Vincentii de Tolfa oppidi domini, partimque piis fidelium eleemosynis. Deservit XII. fratribus. Item in eadem provincia prope oppidum Liberani dioecesis Auriensis positum est coenobium B. Mariae de Gratia pro XII. fratribus continendis, ex communibus eorumdem populorum facultatibus excitatum. De his coenobiis agit etiam Bonaventura a Fasano. Conv. Rapollensis. *Idem in prov. s. Nicolai conv. 46.* Conv. Poligniani. *Idem ibidem conv. 47.* Conv. Liberani. *Idem ibidem conv. 48. In prov. s. Nicolai*

XIV. Bello in Italia inter Carolum V., et Franciscum Valesium exardescente, cum dejectum fuisset vetus fratrum observantium domicilium positum extra moenia civitatis Fossani in Pedemontana regione, in loco *S. Martha* nuncupato, aliud intra ejusdem moenia excitarunt cives hoc anno, non vero an. MDXLVI. ut scribit Joannes de Luca Venetus annalium continuator. Primum novae ecclesiae SS. Annuntiationis titulo fundamenti lapidem posuit XVII. calendas Maii ipse Carolus Emmanuel I. Sabaudiae dux pientissimus, aedificium pro tempore urgentibus fr. Francisco a Saviliano, Innocentio a Crescentino, et Archangelo a Carmagnola, quorum studio brevi temporis spatio sex continendis fratribus fuit accomodum. Conv. Fossani. *Idem in provincia. Genuae conv. 25. Ann. min ad an 1546. num. 175. Paulus Britius pag. 84.*

XV. Sunt litterae Dominici Pinelli episcopi et principis Firmani, quibus fr. Antonio Marvini de Fallerono datur facultas extruendi coenobium prope et extra oppidum Gualdi Firmi dioecesis Firmanae in ecclesia B. Mariae Gratiarum, ob resignationem episcopo factam a Gismundo Bozio de Belfortio, illius ecclesiae, locique patrono.

Dominus Pinellus Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus, et princeps Firmanus dilecto nobis in Christo R. P. fr. Antonio Marvini de Fallerono ordinis S. Francisci minorum de observantia.

Cum pro parte dilecti filii fr. Seraphini de Montebarochio provinciae hujus Marchiae ministri expositum nobis fuerit, qualiter ad gloriam omnipotentis Dei, ac gloriosissimae Virginis Mariae, ad incrementum fidei, et augmentum religionis cuperet in territorio castri Gualdi nostrae Firman. dioecesis, et prope ipsum castrum erigere monasterium seu conventum ordinis minorum S. Francisci de observantia; cumque similiter pro parte dilectorum filiorum nostrorum communitatis et hominum dicti castri humiliter nobis supplicatum fuerit, ut dignaremur eis praedictum monasterium erigendum concedere, narrantes quod ex hujusmodi erectione maximam sint in dies habituri spiritualem consolationem, et insuper tam minister ordinis quam communitas narrantes quod apud dictum castrum adest quaedam ecclesia ruralis et sine cura sub invocatione B. Virginis Mariae, cujus rector ad praesens existit dilectus filius Gismundus Bozius de *Ex archivo San. Francisci ad altum Anconae.*

Belforte dioecesis Camerinen. quae cum fere reperiatur destituta et situata in loco valde apto et commodo pro hujusmodi construendo, et instituendo monasterio, quodque dictus Gismundus ad gloriam omnipotentis Dei, ad dictorum ministri et communitatis requisitionem paratus est libere et sponte in manibus nostris hujusmodi ecclesiam ad effectum hujusmodi cedere; reservatis tamen sibi omnibus fructibus pro se et successoribus, reservata tamen dictis fratribus quadam parte terrarum prope dictam ecclesiam ad mensuram unius modiuli pro conficiendo horto et sylva, ac omnibus aliis ornamentis, ac aliis quibuscumque ad divinum cultum pertinentibus, de quibus dicti fratres teneantur facere inventarium, et quod de aliis terris debeat erigi altare, quibus caetera bona applicentur. Nos cupientes pro debito nostri pastoralis officii providere, ne ecclesiae propter ejus paupertatem devastentur, et quod cultus divinus in quantum fieri potest augeatur, et quod saluti animarum in quantum fieri potest consulatur, hujusmodi supplicationibus tam dictorum ministri, quam universitatis et hominum, ac etiam Gismundi inclinati auctoritate nostra ordinaria, ac etiam quacumque, qua in hac parte fungimur, majori ac delegato accedente consensu dicti Gismundi, praedictam ecclesiam B. Mariae prope et extra dictum castrum Gualdi cum uno modiulo terrae, ac supradictis mobilibus ad divinum cultum pertinentibus, praefato ministro nomine totius ordinis petentis perpetuo damus, concedimus, ac praefatae religioni divi Francisci de observantia incorporamus, ac annectimur; ita quod intra tempus quinque annorum debeant construi facere monasterium, in quo teneantur residere tot fratres, quot ex forma regulae eorum tenentur in eorum locis residere. Ulteriusque debeant in perpetuum singulis annis in festo Assumptionis B. Mariae Virginis nobis et successoribus nostris unam libram cerae laboratae in recognitione dominii et jurisdictionis deferre, ac effectualiter praesentare, quod si per tres annos defecerint cadant ab omnibus quibuscumque eorum juribus, praesensque provisio nulla et invalida censeatur, nullumque jus in petitorio seu in possessorio tribuat, non obstantibus etc. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium veritatis praesentes has nostras litteras manu nostra subscriptas per infrascriptum nostrum notarium et cancellarium fieri fecimus, nostrique soliti sigilli quo in talibus utimur, jussimus et fecimus appensione communiri.

Datum Firmi in aedibus episcopalibus die XXIII. *Januarii sub anno* MDLXXXI. *Indictione* IX. *Pontificatus SS. in Christo P. et D. N. Gregorii XIII. anno* IX.

Dominicus episcopus.

Augustinus Catalutius Cancel. Rog.

Conventus. Almolongae. *Ann. min. ad an.* 1541. *num.* 56. *Gonzaga in prov. Nominis Jesu conv.* 2.

XVI. Inter vitae difficultates ab anno MDXLII. usque ad praesentem, ne saluti neophitorum deesse viderentur, incoluerunt observantes male sartum frequentibusque terrae motibus fatiscentem coenobium S. Francisci eversae civitatis S. Jacobi, cui deinde Almolongae nomen indidere, in provincia Nominis Jesu de Guatamala. Verum cum hoc anno penitus corruisset, statim aere publico ad ampliorem formam restitutum est. Lutheranismo in Carniola de die in diem magis magisque inva-

lescente, fratrum numerus conventus Labacensis titulo B. Virginis Assumptae tum ob eleemosynam diminutam, tum ob acatholicorum persecutiones decrevit ita quidem, ut subinde vix unus alterve frater in eo haeserit. Serenissimus archidux diplomate Graecii hoc anno expedito, laborum causa pro salute proximi a fratribus exantlatorum sancivit, ut ex aerario pro eorumdem sustentatione annuatim L. floreni, necnon LII. pro restauratione conventus impenderentur. Anno MDXCV. de licentia Clementis VIII. Jesuitae eumdem incoluere, biennio post ad Xenodochium caesareum S. Jacobi (in eodem conventu posito) translatis fratribus. Lutheri tenebris dissipatis, patres provinciae Bosniae Croatiae claustrum repetierunt, et anno MDCXIX. in eo primitus provincialia comitia coegerunt. Conv. Labacensis. Greiderer tom. 1. lib. 11. n. 91. p. 90.

XVII. Raphael Serra minister provinciae Majoricarum die XXI. Junii possessionem accepit coenobii S. Antonii Patavini oppidi de Artà, oppidanorum largitione constructi in fundo generose oblato a D. Antonio Dameto. Distat a metropolitana urbe Majoricensi XXX. M. et quarto lapide a mare Balearico. Eo ob sui distantiam relicto, anno MDCX. aliud sub eadem invocatione intra eorumdem moenia pro incolatu XVII. fratrum construxerunt oppidani, plene absolutum anno MDCXXIII. Conventus Dominae Nostrae de Stella de Marvan, positus in summitate montis Herminei dioecesis Egytanensis in provincia Algarbiorum circa annum MCCLVIII. fundatus, e conventualium regimine ad observantes transiit hoc anno. Hospitantur ibi XV. fratres. Convent. de Artà. Monum. prov. Majoricarum. Conventus de Marvan. Monum prov. Algarbiorum.

XVIII. Hoc anno die IV. Augusti, sacristae incuria, dum nocturno tempore fratres cubitum ivissent, praeter ecclesiam, penitus exarsit coenobium Annuntiationis B. Mariae Virginis civitatis Belici in provincia S. Bonaventurae, quin tamen ullus ex fratribus laederetur. Fodere in monum. prov. pag. 778.

XIX. Christophori Barthorei Vaiwoda, Stephani regis Poloniae fratris favore, attributum est patribus societatis Jesu in civitate Claudianopoli in Transilvania templum et coenobium, olim franciscanorum, plane desertum, nec non pro eorumdem collegio instituendo monasterium monialium vacuum, quaesitum et designatum a principis cancellario, et a p. Stephano Aratore, in quo una tantum vetula superstes, eaque caeca morabatur. Quod ut rescivisset, et adesse eos, causamve cognovisset vetula » narrabo, inquit, ita Sacchini, vobis somnium meum; Sacchini lib. 1. pag 25.
» videbar cum sororibus meis in sacello nostro praesens interesse, dum
» canonicae preces decantarentur. Quibus absolutis ita me quaedam e so-
» roribus compellere visa est, mater noveris hoc in loco scholas ca-
» tholicas exercitatum iri, statimque his dictis visio omnis evanuit. Nunc
» igitur laetor plurimum, quod et religiosorum in potestatem aedes haec
» veniant, et instituendae juventuti dedicentur. Haud multis post die-
» bus defuncta est vetula, et in collegii templo sepulta. Aedes et ad
» docendum, et ad incolendum propere concinnatae, in easque Aprili
» mense ex (*Abbatia*) Colosmonostra migratum ».

XX. Patres conventuales ab anno MDLXXVI. usque ad praesens, praeter suo loco posita, haec, ut habuimus ex archivo SS. XII. Apostolorum Urbis, acceptarunt coenobia; in civitate Neapolis conventum S. Severi, S. Francisci, SS. Salvatoris, S. Sepulchri, ac S. Mariae Paretis, pluribus beneficiis cumulatum a Philippo Sangiorgio Perusino; in eadem

provincia, Casertae conventum S. Catharinae virg. et martyris; Surrenti S. Mariae de Monte; in provincia S. Nicolai conventum Vetranae, et conventum S. Mariae Veteris, et S. Francisci Motolae; in provincia S. Francisci conventum Valfabricae, et Monterchii conventum S. Antonii Abbatis, de assensu magni ducis Etruriae Francisci de Medicis; in provincia S. Angeli conventum Castri de Sanguene; in provincia Romana conventum S. Mariae de Oliva Roviani; in provincia Calabriae in custodia Vallis die xvii. Novembris novam aedem sibi compararunt titulo S. Mariae de Gratia in civitate Cosentiae, hoc, non vero anno transacto, ut scribit Sbaralea; nam altera eorumdem aedes anno mdliii. concessa fuit observantibus.

Sbaralea in Suppl. xii. ad ann. 1230. n. 25.

XXI. Approbat Summus Pontifex donationem Villae de Macradabrava, sive Villa-bagnada factam a monialibus Antiquae Sandeciae ordinis S. Clarae gymnasio minorum conventualium Cracoviensis, anno mdlxxix., ut diximus, erecto, simulque ratam habet piam voluntatem monialium monasterii S. Andreae ejusdem civitatis quotannis solvendi summam lxx. florenorum pro lectoris necessitatibus ac studentium: *Cumsicut accepimus* die viii. Decembris, modumque statuit, quo hujusmodi proventus erogari debeant, conditionesque adjicit a fratribus perpetuis futuris temporibus servandas: *Intelleximus* die.... Datis litteris guardiano conventualium coenobii oppidi Barletta dioecesis Tranensis indulsit, ut pro perficienda eorumdem ecclesia dirueretur altera titulo S. Nicolai ejusdem oppidi penitus derelicta, ac deserta: *Exposcit* die xviii. Novembris.

XXII. Hoc anno die xvi. Februarii sub hora decima noctis, eodem modo, quo die xxii. Augusti mdlxxiv. maxima ex parte igne conflagrarunt nebulones haeretici invicem permixti calviniani nimirum, lutherani, et anabaptistae conventualium coenobium Antuerpiae. Rem sic narrat Rodulphus. » Data sunt opera, ut illi patres per calumniam, » tamquam qui carnes in quadragesima comedissent, traducerentur, » hujus rei persuadendae causa jactatis in hortum illorum ossibus, et » carnibus. Sed et honestae quaedam matronae, vel (ut magis aliis pla- » cet) meretriculae sectariis summissae sunt, sectarii teterrimo in vul- » gus sparso rumore, tamquam illorum patrum scorta comprehende- » runt, cum tamen proprii illarum mariti testarentur eo ipso tempo- » ris momento illuc eas fuisse a suis domibus introgressas ».

Conventus Antuerpiae conflagratur. Rodulphus p. 288.

XXIII. Ab anno mdlxxiv. jam franciscani observantes, mutuae charitatis vinculo una simul cum patribus conventualibus diversabantur in regionibus Constantinopolis, ut christifideles praedicatione et sacramentorum pabulo alerentur. Patrum conventualium nomina, qui conventum S. Francisci Perae incolebant, sunt, nimirum Hieronymus de Chio tunc guardianus, Laurentius.... Alphonsus Armenus, et Bernardus de Ravenna sacerdotes; observantes Laurentius Brixiensis, Bartholomaeus de Chio, et Franciscus de Candia, quorum postremus in visitatione apostolica jussu Gregorii XIII. ibidem peracta a Petro episcopo Nonensi institutus fuit guardianus ejusdem coenobii S. Francisci conventualium, et commissarius provincialis usque ad adventum novi ministri. Hujus electionis monumentum penes me habeo sic expressum.

Petrus Cedulinus Dei et Apostolicae Sedis gratia Nonen. Episcopus, Constantinopoli, Perae, ac locis adjacentibus apostolicus visitator, et delegatus generalis et specialis.

Dilecto nobis in Christo fratri Francisco de Candia ordinis minorum observantium salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Nos te in capitulo conventuali in guardianum conventus et monasterii S. Francisci de Pera Constantinopolitan. dioecesis eligendum sub die VII. *Januarii proxime praeteriti deputaverimus, ut ejus curam humiliter et diligenter juxta gratiam tibi a Domino exhibitam exequaris, quod usque ad hunc diem praestare non destitisti, tenore praesentium te in guardianum apostolica auctoritate praesentis monasterii confirmantes, facultatem tibi insuper commissarii provincialis usque ad adventum novi ministri, seu Sedis Apostolicae mandatum impartimur, dispensantes tecum super omnibus, quae huic nostrae deputationi essent contraria, et mandantes tibi, ut pro obedientia hujusmodi officium suscipias, ac omnibus et singulis fratribus in dicto monasterio et provincia commorantibus, et commoraturos, ut tibi in omnibus, quae ad tuum pertinere dignoscuntur officium, humiliter et probe obediant. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas, et sigilli nostri majoris impressione muniri per cancellarium nostrum infrascriptum fieri et publicari atque subscribi voluimus.*

Datum Perae apud S. Franciscum XIV. *Aprilis* 1581.

Petrus Episcopus Nonen.

Locus ✠ Sigilli

Bernardinus Fredianus Lucensis
Canonicus Notarius.

XXIV. Sua etiam domicilia obtinuerunt tertii ordinis fratres, in urbe praesertim Panormitana. Nicolaus Antonius Spatafora die XXVI Junii nonnulla eis bona contulit pro fundatione conventus de Zisa nuncupati, in ecclesia titulo Annuntiationis Deiparae, quem anno insequenti inchoarunt. Distat ab urbe D. P. Diu hic magna sanctitatis fama vixit Joannes Vincentius Terrecias, olim baro Pittenei, defunctus die VI. Februarii anno MDCLXII. Post mortem miraculis coruscavit; coenobium S. Mariae de Misericordia, quod tamen ita fidelium eleemosynis increvit, ut anno MDXCVII. augustior evaserit; coenobium S. Nicolai de Gurguro, positum extra moenia urbis in via ad Corleonem, olim excitatum a Theodoro Antiocho pro Cirsterciensibus; occupatum deinde a patribus Benedictinis, hoc anno ipsis fratribus tertiariis cessit, postmodum ampliatum impensis Joannis de Virginibus archiepiscopi Panormitani; coenobium S. Mariae de Alto in Messanensi civitate antiquitus concessum a Roberto episcopo Messanensi et Trinensi Rechildae abbatissae pro virginum collegio. Aloisio Cartagnano de S. Ginesio visitatori provinciae Marchiae Dominicus Pinelli episcopus Firmanus die XXXI. Martii concessit ecclesiam SS. Crucifixi ejusdem civitatis una cum aliquibus aedibus, ut a suis incolerentur.

Convent. de Zisa. *Pyrrus in notitia 1. eccles. Panormitanae tom. 1. col. 304.*

Conv. S. Mariae de Misericordia.

Convent. de Gurguro.

Convent. de Alto. *Pyrrus in notitia eccl. messanen. col. 499.*

Conventus Firmi. *Bordonius in prov. Marchiae p. 786.*

XXV. In provincia Romana construitur pro capucinis conventus Sermonetae dioecesis Terracinensis; in provincia Bononiensi conventus Castri Bononiensis dioecesis Faventiae; in provincia Lombardiae conventus Bozzuli dioecesis Cremonensis; in provincia Veneta conventus

Conventus capucinorum. Ex indice Michaelis a Tugio, et ex Boverio.

Clodiae; in provincia Pedemontana conventus Saluthii; in provincia Basilicatae conventus S. Cypriani; in provincia Cosentiae conventus Carolei et Nuceriae; in provincia Panormitana conventus Calataphimi, et montis Regalis; in Helvetia conventus in oppido Altorff Cantonis Uraniensis, titulo SS. Omnium; in provincia Parisiensi conventus Stampae; in provincia Tolosana conventus Cereti; in provincia Cataloniae conventus prope urbem Gerundae in monte, quem B. Mariae de Eremita appellant.

Monaster. Montisluponis. *Monumentum provinciae.* XXVI. Praetermissum hic ponimus monasterium monialium titulo S. Clarae in oppido Montisluponum, nunc dioecesis Laureti in provincia Marchiae, quod anno MDLXI. quaedam piae loci mulieres propriis sumptibus excitarunt. *Anno MDCXXXVI. venerabiles moniales S. Clarae Montisluponum sacrum velum susceperunt ab Ilmo et Remo D. Amico Panico Maceraten. Episcopo Lauretan. et Recineten., eodemque tempore fuit confirmata abbatissa R. Mater Eugenia Marcolini.* Subsunt regimini episcopi. Luca Scardi episcopo Terracinae agente, intra moenia oppidi Setiensis constructum fuit hoc anno civium expensis monasterium titulo S. Clarae pro XXXV. sororibus, quarum regimen penes episcopum Terracinensem est.

Monasterium Setiense. *Monum. provinciae.*

Ann. min. ad an. 1572. num. 66. XXVII. Moniales monasterii Andomarensis in Zelandia, quae haereticorum incursu, et vexationibus anno MDLXXII. Antuerpiam petierant, hoc anno iterum ab ea civitate coactae exulare, post multa vitae discrimina venerunt in oppidum S. Andomari, ubi a senatu et a populo omnibus charitatis officiis exceptae, Philippus II. ad pro eis insigne monasterium aedificandum curavit. Praecipuum vero earumdem benefactorem habuerunt moniales nobilem virum Bruxellensem Joannem Brincevat catholici regis aerarii praefectum, qui quoad vixit, suadente Margarita Bogaeste uxore, beneficiis eas prosequutus est. Anno MDLXXIII. eas provinciae Flandriae regimini subjecit generalis minister. Hoc in monasterio sancte occubuerunt anno MDCXIII. Maria Marmans prima abbatissa, cui praecesserat Anna Handrica miris ecstasibus famosa; eodem anno Isabella Hornebout; anno MDCXXIII. Anna Latias; anno MDCXXIV. Maria de Merode; et anno MDCXXXVI. Joanna de la Houssoje.

Monast. oppidi S. Andomari. *Monum. provinc. Flandriae.*

Monum. provinc. Flandriae. XXVIII. Everso ab haereticis, duce Guilielmo Nassonio in universa Hollandia haeresim disseminante anno MDLXXII. monasterio Delphense in provincia inferioris Germaniae, sorores clarissae hac illac errantes, tandem solicitudine uxoris D. de Pammela concilii privati Montensis in Hannonia, receptae fuerunt apud nobilem et piam viduam, ubi laudatus praeses habebat hospitium. Paullopost de assensu capituli dominarum S. Waldetrudis, domum obtinuerunt quarumdam pauperum sororum ad eumdem capitulum spectantem, quam incoluerunt annos quinque, translatis postmodum ad monasterium S. Crucis de Cella. Una ex monialibus Martina nomine, dum fugam capiebat, inter aerumnas vitam finivit.

Monaster. Montense. Martina soror.

XXIX. Recruduere et hoc anno inter recollectos et observantes in catalonia dissensiones. Multiplicato namque in Aragonia, Valentia, et Catalonia recollectorum fratrum ac coenobiorum numero, propriam separatamque ab observantibus sibi constitui provinciam serio ipsi excogitarunt. Igitur ad Sanctam Sedem confugientes, apostolicas litteras, qui-

Digitized by Google

bus avulsam, et haud dependentem a caeteris observantium novae provinciae, quam Tarraconensem appellant, erectionem impetrarunt, ipsoque Angelo de Paz custode, illius provinciae vicario interim ab eodem pontifice delecto: *Ex quo nos Deus* die XVIII. Februarii. Acceptis litteris provinciae capitulum indixerunt, in quo cum omnium voto collata fuisset ministri provincialis dignitas Angelo de Paz notae pietatis viro, is una cum Caesare de Bergamo ab Alba Pompea Pedemontano, provinciam nuper erectam statim perlustrare coepit. Verum arrepta ab observantibus occasione, quod ipsi nec pontificium diploma catholicae Philippi regis curiae ostenderint, nec commissarios observantes ad recollectorum coenobia visitanda eo tempore institutos acceptarint, eidem deferunt, novitiam recollectorum provinciam, ne suo exemplo caeteris esset divisionis causa, regio mandato quantocius ex provinciarum albo deleri oportere. Hinc Rex accersito Taberna episcopo Laudensi apud se nuntio, apostolicum breve suspendi, ac Tarraconensem recollectorum provinciam extingui imperavit; quod inconsulto Pontifice, nuntius peregit. Quare Angelus de Paz suo destitutus munere, non ad catholici regis, quo evocabatur, curiam, sed Romam ad Pontificem continuo advolavit, qui eo audito, contra Nuntium indignatus est, quod sua jurisdictionis jura excessisset. Attamen optatam, rege catholico obsistente, assequi nequivit Angelus de Paz pontificiae constitutionis confirmationem, imo praefati regis, cardinalis Medicaei ordinis protectoris, et generalis ministri ad iteratas contentiones, haec omni suo caruit effectu.

XXX. Dum haec pro ordinis unitate, vinculoque pacis haberentur in Hispania, novae ciuntur turbae, novaque dissidia excitantur in almo S. Francisci Parisiensi coenobio. Nam cum commissarii visitatoris munere insignitus a ministro generali, eo se contulisset Joannes Porthaesius, olim provinciae Pictaviensis custos, ordinisque diffinitor generalis, ad tantum facinus devenere fratres, ut veriti non sint, virum doctrina prudentiaque clarum, nec, qua decet humanitate excipere, imo e coenobio ipso audacter extrudere. Ut eorumdem petulantiam retunderet, hanc ad ipsos epistolam misit Franciscus Gonzaga.

Honorandi Magistri, Rndi ac Vndi Patres, et Fratres conventus nostri Parisiensis.

Cum in tantorum filiorum sapientia, doctrina, ac numero sim solitus apud me saepe laetari, mihique fore consolationi vos ac vestra credidi, me tamen ab spe ac desiderio frustratum vestris conspexi litteris; forte aut demeritis aut filiorum insolentia permissum; sed ni fallor, ut sapientia hominum in spiritu alienorum credam. Ceterum id facta vestra confirmant: nam quid magis sapientibus indignum, et viris religiosis adversum, quam et summo praelato, ac multis ordinis sanctionibus, ne dicam sanctissimis ecclesiae constitutionibus adversari? Non enim latere debebat tantae reipublicae patres, in nostris capitulis generalibus statutum, ad omnes ordinis partes, ac provincias generalem ministrum posse commissarios destinare. Insuper et eosdem ab omnibus ordinis partibus fore recipiendos, sub poenis quae a SS. D. N. Papa in constitutione edita anno MDLXXV. *continentur. Vos autem, quo*

instigante ignoto, num ignorantia aut malitia, et nostrum ad vos directum commissarium, qua decet reverentia, non recepistis, sed cum scandalo ordinis nostri et hominem expulistis, et idem facere quod saeculi principes curastis? Qui et technis suasi, rei veritate relata, vestris petitionibus adhaeserunt sapientes, religiosi, illustresque, cum sine vestra humilitate obvia et taciturnitate potius aedificati fuissent. Quis enim hominum quantumvis saeculi negotiis deditus non scandalizabitur, favores expetere fratres, ut praelatis rebellent, ut liberius pro captu omnia agere valeant? Pagani, ne dicam fideles, scandalum ex vestra insolentia reportabunt. Vestram defleo miseriam fratres, ac meum infortunium deploro, quod fratribus, et franciscanis religiosis putans me praesidere, canes ac viperas in matrem insurgentes videar sustinere, ac regere. Sed non ad omnes haec verba mea refero, sed ad illos potissimum, qui cum nec Deum timeant, nec homines revereantur, regulae nostrae transgressores, superbi, et inflati cum sint, non Deo, sed ventri inservientes, et libidines confusionesque suas spumantes, alios corruperunt, commoverunt, solicitarunt, et fere impulerunt ad seditiones, et rebelliones, idque ut diutius in suis malefactis se confovere valeant. Causas multas allegare conati sunt suae rebellionis; at vera unicaque causa est, quod nolunt ab aliquo visitari, qui eos noscat, et castigare valeat. Asserunt se privilegium habere de non mittendo commissario ad vestrum conventum, nisi ex una trium provinciarum; at probe sciunt, tale privilegium nec visum, nec unquam confirmatum a me fuisse, suaque privilegia irrita esse constat, donec a generali ministro confirmarentur, ad quem regimen conventus Parisiensis attinet, non autem ad eos, qui praecipuam discretorii partem agere, et repraesentare contingunt, cum sint potius sinagoga malignantiam. Asserunt, me velle dare conventum Parisiensem fratribus aliarum provinciarum, quod numquam in animum ascenderat, ut novit Deus: et ex gratiis et favoribus patribus trium provinciarum saepe a me concessis, perspicuum esse potest. Nostis quot scelera, seditiones, et insolentiae a duobus annis citra in vestro conventu Parisiensi perpetratae sunt contra guardianum, ordinis statuta, et in magnum vestri conventus detrimentum: quibus cum occurri non potuerit paternis meis monitionibus, et ministerio commissarii ex vobis selecti, constetque ex tribus provinciis fuisse fratres illos, qui insolentias fecerunt, et foverunt, nullus certe commissarius ex dictis provinciis modo mittendus erat, qui non esset suspectus judex in multis, quae commissarium mitti exigebant. Hac igitur, et aliis rationibus ducti, quae vestri conventus commodum et decorem concernunt, commissarium ex alia provincia elegimus patrem, inquam, Porthaesium virum gravem doctum, prudentem, et tali munere dignissimum, qui non petiit hanc commissionem, ut novit Deus, sed vocatus, et praecepto nostro coactus eam acceptavit. Cum ergo constet conventum Parisiensem esse subjectum generali ministro, cum constet generalem ministrum posse particulares commissarios destinare, cum circa vestrum conventum hoc fecerint alii generales, et ultimus Rmus a Capitefontium praedecessor noster, qui ad vos misit R. P. fr. Joannem Benedicti, qui vobis praefuit ut scitis (quamvis non esset ex tribus provinciis) cum SS. D.

N. Papa statuerit, commissarios a generali missos a cunctis fratribus esse recipiendos, profecto nulla ratione vera excusari poterit haec vestra rebellio. Tantis itaque obliti cum sitis in vestri jacturam, et totius ordinis detrimentum, ego, etsi contra pietatem innatam, officii nequeo oblivisci, ut vobis ac ordini satisfaciam. Quare et factionibus factisque vestris patenti publica, et sequenti respondebo, quam cum summopere expetam, haec agere cogor, ut spiritus salvus fiat. Utinam poeniteamini in salutem, ut gaudium et fructum ex jactura more bonorum reportetis! Quod si contemptu, humilitate, ac debito servitutis neglecto, correptioni nostrae parere recusaveritis, majora praedictis adjicentur gravamina; nam ultimum cogar adire remedium, Regique christianissimo quorumdam ex vobis delicta, incompositos mores, atque pravas consuetudines declarare, quibus celebratissimi conventus Parisiensis splendorem obtenebrare non verentur, nec multiplicem Dei punitionem percipiunt. Nihil enim intentatum relinquam, ut si non opportune, ut opto, saltem importune creditas oves a nocivis reducam, et ad salubria pascua, gloriosaque, ut possibile erit, ducam. Quod si aliqui submurmurarunt, me velle jura trium provinciarum mutare, hoc certe falsum comprobatur ex factis nostris; nam absque aliqua contradictione nostra, imo cum nostro favore, ex tribus provinciis ad gradus promoventur, et guardiani, officiales, et lectores conventus Parisiensis fiunt, nec commissario nostro generali cismontano dictus conventus subjicitur, sed nobis, et commissario nostro particulari.

Datum in conventu nostro S. Mariae Angelorum Assisii die III. *Augusti* MDLXXXI.

P. V. Servus in Christo
fr. Franciscus Gonzaga genlis minister qui supra

XXXI. Alteram sub eadem die ad ipsos inscripsit qua, omnibus Parisiensis conventus officialibus exauctoratis, novum coenobii praesidem elegit Petrum Burgundum, Parisiensis accademiae doctorem, provinciaeque Turoniensis alumnum.

Franciscus Gonzaga totius ordinis minorum generalis minister, et servus, honorandis magistris, doctoribus, lectoribus, baccalaureis, venerandis patribus, ac reliquis conventus nostri Parisiensis S. Francisci chordigerorum, divinae voluntatis cognitionem exoptat.

Tametsi naturali divino et humano jure subditi teneantur summis praefectis suis honorem, reverentiam, et obedientiam deferre, illi tamen qui non communibus legibus atque decretis, sed peculiari instituto ac voto ad tantam obedientiam perpetuo mancipantur, promptiores esse debent ad parendum suorum praelatorum mandatis. Nam si voti naturam pensamus, si majorum vitam inquirimus, et nostrorum maxime exempla revolvimus, non obedire tantum praeceptis, sed occurrere prelatorum desideriis debent. Quapropter, ut alias jam ad vos scripsimus, mirari satis non possum, tantopere a naturae fundamento, a sanctionibus patrum, et a proprio instituto videre declinatam franciscanam familiam et totius ordinis nostri celebratum collegium Parisiense, ac tantae eruditionis humanae benemeritos patres, ut non

modo non vereantur non obedire summi praelati mandatis, verum et resistere sibi ac suo commissario procurant: nec id tantum, sed quasi voluntate pro lege utentes ad nutum captumque suum contra ordinem et consuetudinem, totam familiam componere, ordinare praefectos, legem condere, saeculi principes contra ordinem excitare, simplicium animos ad rebellandum solicitare, conventum malignantium facere, omniaque disponere libere in sui perniciem. Proh dolor! Ubi aurum, ubi odor collegii Parisiensis? Mutatus est color optimus, manum misit hostis ad omnia desiderabilia sua. Quid magis sapientibus indignum, ac viris religiosis adversum, quam vestro generali ministro, SS. Patris Nostri Seraphici Francisci vicario, seu legitimo successori, ac tot ordinis sanctionibus, ne dicam sanctissimis ecclesiae constitutionibus adversari? Nonne regula seraphica clamat – universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum, et ei teneantur firmiter obedire? – Nonne iterum praecepit firmiter fratribus, ut obediant suis ministris? An non estis vos divi Patris Francisci fratres, et suam regulam professi? Nonne in capitulo generali celebrato Assisii anno MDXLVII. §. commissarii missi etc. decernitur et statuitur, quod rebellantes commissariis a generali ministro missis, poenis ibi expressis plectantur tamquam conspiratores in praelatos? Quemadmodum etiam in comitiis generalibus Aquilae MDLIX. celebratis declaratum fuit, generales ministros mittere posse commissarios, et sancitum, ut qui contrarium asserere praesumpserit, sententiam excommunicationis incurrat. Constat igitur liquido quod poteram ad vos mittere commissarium, idque nedum ex tribus provinciis, verum et ex quacumque ordinis parte assumptum. Quod et fecerunt alii generales ministri nostri praedecessores, ut bene nostis. Nec obstat quod false et cautelose objiciatur, privilegia trium provinciarum, juxta decretum ultimi comitii generalis celebrati Parisiis anno MDLXXIX. nisi a generali ministro probentur, rata non habeantur, cum privilegium objectum de commissario mittendo Lutetiam ex altera trium provinciarum, nec confirmavi, nec vidi. Denique SS. D. N. Gregorius XIII. Papa in sua constitutione, quam ad instantiam reverendissimi praedecessoris nostri edidit anno MDLXXV., declarat liberum esse generalibus ministris quotiescumque eis expedire videbitur, commissarios instituere, praecepitque sub gravissimis poenis ibi expressis, ne dictis commissariis contradicere, aut eos non recipere praesumant ordinis nostri fratres. Ex quibus omnibus satis, superque constat, quam grave flagitium perpetrarunt hi, qui patrem Porthaesium doctorem eximium, ac totius ordinis diffinitorem, et patrem, virum utique peritissimum, gravem, in negotiis expertum et religiosissimum comissarium nostrum, ad vestrum conventum destinatum, non receperunt, imo ei se rebellarunt cum maximo ordinis nostri scandalo. Gauderem hercle patres, in tam calamitoso tempore, non agere judicem, non exercere praefecturam. Quid agam, dubito; Deum exquirentem subditorum audio, impatientiam pravorum experior, et meipsum humana et nativa pietas, ab aequia et gravi correptione seu punitione retardat: summi patris et judicis regulam attendere nitar, in tam opinato flagitio, et justitiam cum misericordia temperabo, ita

ut si fieri poterit, finis consequatur utriusque, consulamque animarum saluti et ordinis nostri conservationi. Quare his nostris in primis electiones omnes tam guardiani, quam praesidentis, ac caeterorum officiorum vestri conventus Parisiensis, post notitiam dictae commissionis nostrae factas, cassamus, annullamus, ac irritas atque nullas esse declaramus, omnesque actus tam intra, quam extra conventum factos, nullius extitisse momenti manifestamus. Praecipientes in virtute s. obedientiae, et sub excommunicationis, et omnium officiorum ordinis ac quarumcumque dignitatum privationis poena, necnon carceris, et exilii ad tempus nobis beneplacitum, ac sub nota infamiae, ut tam guardianus electus, quam alii officiales vestri conventus sine nostro praeside, sive praenominato commissario electi, desistant ab officiis suis, et actibus. Ulterius vobis, et cuilibet vestrum ac aliis quibuscumque in dicto conventu Parisiensi degentibus sub iisdem poenis praecipimus, ut tam guardianum praetensum, quam praesidentem, quam reliquos officiales, seu vicarios sine nostro praefato commissario electos, quasi privatos fratres habeatis, nulloque modo illis pareatis, faveatis, aut quasi superioribus dicti conventus opitulemini ullis in rebus. Verum cum acephala non debeat fieri tantorum congregatio fratrum in culpa et peccato majorum, ac sorte paucorum, ideo tenore praesentium ex officii nostri potestate, ac SS. D. N. Gregorii XIII. auctoritate, honorandum magistrum fratrem Petrum Burgundum doctorem Parisiensem provinciae Turoniae praedicti conventus Parisiensis S. Francisci chordigerorum in guardianum eligo, et electum confirmo, tum quod praedicti conventus multorum votis expostulatum, tum quod dignum tanto munere fida relatione intelligam. Praecipio dicto honorando magistro Burgundo in virtute s. obedientiae, ac sub poenis arbitrio nostro infligendis, ut hoc munus suscipiat, et dictum conventum regat, et moderetur. Omnibus autem subditis nosris in dicto conventu commorantibus, sub poenis supradictis jubemus, ut dictum honorandum magistrum Burgundum tamquam verum et legitimum praelatum dicti conventus suscipiant, eique pareant.

Datum in conventu nostro S. Mariae Angelorum Assisii die III. *Augusti* MDLXXXI.

fr. Franciscus Gonzaga qui supra manu propria.

XXXII. Joannes Connoly conventus de Askeaton in provincia Hiberniae sacerdos hoc anno a militibns Anglis, duce Nicolao Melley, comprehensus tribus, vel quatuor lethalibus vulneribus in caput inlatis, ab altero milite gladio transfixus, gloriosum Christi nomen ingeminans martyr occubuit. Guilielmus Fenal ejusdem coenobii sacerdos fuga paullo ante elapsus, ab iisdem militibus captus, cingulo suo ex arbore proximo suspensus est. Rodriquez de la Fuente, dum in Insula S. Dominici Indorum saluti, ad quos e provincia Castellae profectus erat, intenderet, primum ab illis captus, ac postea crudeli martyrio affectus, tandem ejusdem corpus depasti sunt. At illico eorumdem corporibus disruptis, ultricem Dei manum sentierunt.

[Joannes Connoly mart. *Brennan p. 125.*]
[Guilielmus Fenal mart. *Idem ibibem.*]
[Rodriquez de la Fuente mart.]
[*Anton. Roxo in vita S. Didaci lib. 5. c. 2. p. 384.*]

XXXIII. Die IX. Octobris felix ad astra migravit S. Ludovicus Bertrandus ordinis praedicatorum, cui funeri adstitit et B. Petrus Nicolaus

[*Joseph de Alapont in vita b. Nicolai Factoris pag. 42.*]

Factor. Is de ejus virtutum meritis ingentique qua fruebatur gloria, mira per diem, caeteris prae gaudio illacrymantibus, inter mentis excessus, crebasque ecstases protulit, quin potu et cibo reficeretur. Hinc domum reversus, in ejus laudem hanc elucubravit precem, quam devotione summa singulis diebus repetebat.

Salazar in Martyrologio Hispano ad diem 19. Octobris t. 5. p. 590.

O proles Valentinae civitatis praeclarissima, o jubar omnium virtutum perfectione ornatum, decoratumque. O rosa rubicundissima, charitatis vernans, atque fragrans. O seraphim flammigerae dilectionis divinae ardentissimae. O vir vere catholice et apostolice. O flosculum florigerae dominicanae religionis gratissimum et odoriferum. O gemma sacerdotum praefulgentissima. O fili sanctissimi patris nostri Dominici legitime beate Ludovice Bertrande, divinae legis amator, ora pro nobis ad Dominum Jesum Christum, qui in numero beatorum suorum te coronare dignatus est.

Ora pro nobis b. Ludovice Bertrande, ut digni etc.

Oratio. Praesta quaesumus omnipotens et misericors Deus, ut qui b. Ludovici Bertrandi sanctitatem, et vitam gloriosam celebramus, ejus etiam virtutes imitemur, et imitando proficiamus, et proficiendo ad regna coelestia pervenire feliciter valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

XXXIV. Cursum vitae in sanctitatis opinione consumarunt quamplures viri Dei ex minorum observantium coetu. In coenobio S. Laurentii oppidi Montiliae in provincia Granatensi Petrus de Angelis sanctimoniae vitae spectabilis. Adeo devote ac reverenter operam dabat augustissimo Eucharistiae sacrificio, ut aliquoties patentibus signis meruerit Deum suae oblationis hostiam in suavitatis odorem acceptasse. Eum eripuit Deus die xxvi. Januarii. Quievit in coenobio Urbis S. Francisci Transtyberim die xii. Julii Barnabas de Pistorio laicus Etruscus, alumnusque reformatae custodiae Romanae. Ab infantia divinis benedictionibus praeventus, singulari puritate et honestate morum excelluit. Afflictis, infirmis, et egenis, optima, qua erat praeditus affabilitate, solabatur. Tanto charitatis igne in Deum ferebatur, ut aliquando a sodalibus visum fuerit caput ejus miro splendore circumdari. In conventu S. Francisci de Extremoz provinciae Algarbiorum extat memoria D. fr. Adromatii Episcopi Hibernensis, qui post gravissimas injurias ab haereticis sibi inlatas, sua episcopali sede relicta, cum aliquot sociis in Lusitaniam venit, ubi hoc anno senectute confectus obdormivit in Domino die xx. Martii. mss. provinciae tradunt, eo morte vix praevento, coenobii tintinabula, nullo pulsante, somum edidisse. In provincia Portugalliae ad coelestia migravit in coenobio S. Francisci Ulyssiponensis Emmanuel a Conceptione laicus, qui patientia admirabili ostiarii munus viginti annorum spatio illic obivit, pauperum interim lavans pedes, et cibaria infirmis in eorumdem domus deferens. Aspero cilicio membra domabat. Dum orationi incumberet, saepe in ecstasim rapiebatur.

Petrus de Angelis. *Ann. min. ad an. 1515. num. 58.*

Alphonsus de Torres in chron. prov. Granat. pag. 294.

Barnabas de Pistorio. *Monum. provin.*

Adromatius Episcopus. *Hagiologium Lusitan. ad diem 20. Martii.*

Emmanuel a Conceptione. *De Spe l. 1. p. 217.*

XXXV. Cornelius Braverius Adriani filius anno mdxxi. natalem habuit in civitate Dordracana ob originis locum Dordracensis appellatus. A primaeva aetate a parente suo missus ad accademiam Lavaniensem, ut humanioribus, divinisque imbueretur disciplinis, hebraicis, graecis, latinisque litteris, brevi tempore instructus adparuit. Mox comparato

Cornelius Braverius.

Petrus Marcantius in 12. fundamentis.

sibi in illa frequentissima accademia erudilissimi theologi nomine, Burgas, ut sacrarum litterarum oracula explaoaret, vocatus fuit, ubi audita parentis morte, saeculo nuncium remisit, et inter mioores conventuales anno aetatis suae xxx. seraphicum sumpsit habitum. In lectoris ac concionatoris muniis delectus, vix enarrari potest, quot doctrinae, zelique specimina ediderit xxx. aonorum curriculo, quibus et tyronibus praefuit, ac fidelibus calamitosis hisce temporibus Dei verbum anountiavit. Fertur anno MDLXXIII. primum editos fuisse ejusdem *sermones*. Hoc eodem anno cum a Geusiis partim fugati, partim dispersi, partimque mactati fuisseot monachi sacerdotes clerici ac Burgensium fraociscanorum coenobium funditus eversum, ne fideles divini verbi pabulo destituereotur, inter amicorum lares delitescens, hinc illincque ad privatos coetus discurrens, singulos ad fidei constaotiam hortabatur, sacramentorumque refectione nutriebat. Licet ab haereticis variis iisque gravissimis lacessitos injuriis, ac ad necem usque conquisitus, ab eorum tameo insidiis, Deo illum protegente, liber evasit, et placidissimam justorum mortem die XIII. Julii, LX. suae aetatis anno obtinuit. Eum obiisse anno MDLXXXV. mendose scribit Franciscus Antooius Benoffi. Defuncti corpus inter catholicorum fletus in Xenodochio S. Joannis delatom, XXIV. post annos solemni pompa ad S. Fraocisci Burgensis conveotualium ecclesiam translatum fuit. Extat de eo epitaphinm olim inscriptum in ara maxima templi Xenodochii S. Joannis Burgensis.

Sbaralea in suplem. ad script. lit. C.
Ann. min. an. 1578. num. 90.
Benoffi pag. 275.

Ecquis in obscuro latitans (dic parva tabella)
Tumulo hoc repostus conditur?
Quis fugiens adeo est et famae, et lucis, et aurae
Umbris ut hic velit obrui?
Tu ne, Pater, celebri condigno ex marmore cryptae
Hic, *Dordracene*, recubas?
Quem tam facuodae decoravit gratia linguae,
Monita salutis non dares,
Ut tua fama volet totum vulgata per orbem,
Stridente quamvis zoilo?
Sed quia Seraphici placuit pia semita Patris,
Placuit sepulchrum ignobile.
Nam tituli, et parco excisae de marmore tumbae
Aetate longa intercidunt.
Virtus sola viget, vivitque aeterna, nec aevo
Labente longo extinguitur.
Haec jam te aequavit superis, coeloque beavit,
Sertis decorum fulgidis.
Quid juvat ignoto hunc coelo vixerit?

XXXVI. Franciscus Lupanus, sive Zuppanus Antibarensis, episcopus Catharensis in Illyrico, cum ecclesiae suae jura tueretur ablataque recuperare oiteretur, ab emulis et impiis hominibus veneno sublatus est, vix expleto tertio sui pontificatus anno. Angustinus Snperbus in MSS. catalogo scriptorum ordinis scribit reliquisse: *conciones quadragesimales*, *sermones de Sanctis*, *commentaria super dialecticam*, et *de modo orandi*. Hoc eodem anno edidit Mexici Petrus Ortiz franci-

Rodulphus p. 275.
Flaminius Corneli pag. 40.

Beristain lit O.

scanus de observantia suam orationem quam habuit in funere Alphonsi Veracrux Augustiniani; anno insequenti vulgavit acta quarumdam monialium S. Clarae monasterii civitatis de Puebla Angelorum.

Hieronymus de Carcamo. *Alphonsus de Torres in prov. Granat. pag. 293.*

XXXVII. Hieronymus de Carcamo Cordubensis relicto nobilissimae familiae suae primogeniti jure, ad fratres minores convolavit, inter quos solitudinis amore captus, totius quadragesimae et adventus tempore in eremis S. Francisci de Monte provinciae Baeticae latitabat, spectaculum factus asperitatum, quibus corpus macerabat. Panem ad victum, et aquam ad potum adhibebat, imo neque pane aliquando usus est, sed integrum, quem secum detulerat, ad coenobium reportabat. Annorum et meritorum plenus in eodem coenobio occubuit. In conventu S. Laurentii Montiliae ejusdem provinciae Joannes de Regibus, castimonia, paupertate, et oratione illustris. Nudis semper pedibus incessit, et carnem asperrimo cilicio constringebat.

Joannes de Regibus. *Idem ibidem pag. 297.*

Hueber ad diem 12. Aprilis. Petrus de Zarino. Joannes Osorius. *Marianus ab Orscelar pag. 251.*

XXXVIII. In tribus chronicis Joannis Sanning apud Hueber invenio, xii. Aprilis e vita migrasse in coenobio Varadini in Sclavonia Petrum de Zarino sacerdotem, in divino servitio assidue occupatum, prophetiaeque spiritu clarum. Joannes ex nobili Osoriorum prosapia in oppido Occaniae regni Toletani progenitus, adhuc adolescens in novam Hispaniam se contulerat cum Antonio Mendoza illius regionis pro-rege, cui, ob vitae probitatem, magno erat in pretio. In Hispaniam paullo post reversus, ut inde Mexicum, confectis negotiis sibi a pro-rege demandatis, secundo adiret, Hispali dum sisteret, Franciscum de Bustamante, et Franciscum Toral observantes fratres invenit, qui Jacobum de Testera comitabantur Mexicum proficiscentem evangelii praedicandi causa. Facta est super eum manus Domini, et ultro se illis praebuit eosque deprecatus est, ut in humili laicorum statu, licet instructus litteris, ei franciscanorum habitum concederent. Hic assumptus, Mexicanam civitatem simul cum ipsis adiit, ubi anno MDXLII. professione regulari emissa, sacristae muneri addictus est, caeteris eximia sua probitate ad virtutem capessendam excitatis. Diu tristitia sive melancholiae morbo ita affectus est, ut singulis ferme momentis ad desperationem adigeretur, sed Dei beneficio pristinae incolumitati redditus est. A sacristae officio superiorum venia solutus, animi sui quieti vacans, ac Deo unice inserviens, plenus dierum abiit ad Dominum die xi. Septembris in S. Francisci Mexicano coenobio.

Christophorus de la Placa. *Boretius in chron. pag. 815.*

XXXIX. In conventu S. Joannis Baptistae de la Ribera Valentiae die xv. Octobris Christophorus de la Plaça eximio praestans ingenio, lectoris ac concionatoris munia cum laude animarumque salute obivit. Majori perfectionis desiderio incensus, ex observantium familia ad discalceatos transivit, a quibus S. Joannis Baptistae anno MDLXXVII. minister provincialis primus renuntiatus, ea praebuit virtutum nempe humilitatis, comitatis, modestiae, charitatis ornamenta, ut aliis stupori et admirationi fuerit. Nullo unquam tempore, quamvis senectute gravatus, et provinciae curis distentus, a communi fratrum vita, licet illam lustrasset, deflexit. Nocturnis diurnisque officiis, et meditationibus, quae ad quatuor et amplius horas post matutinas preces in ecclesia protrahebat, presto aderat. Corporis afflictationibus et jejuniis deditus, aliquando frustulum panis, aliquando herbam sylvestrem, eam-

que crudam pro cibo sumebat. Graviter objurgavit paullo ante ejus mortem coquinae curatorem ob appositum sibi ferculum piscium tali die, quo in pane et aqua a fratribus agebatur jejunium. Obitus sui ante sex menses a Deo certior factus fuit.

XL. Dum medicorum consilio ad valetudinem recuperandam domi suae in pago Jojosae dioecesis Civitatensis in Hispania commoraretur Franciscus de Jojosa, felici agone terminum vitae suae eo loci posuit, in parochiali ecclesia tumulo exceptus. Pluries suae provinciae guardiani et diffinitoris, quin et provincialatus officium, licet invitus, summa vigilantia exercuit. Contradictiones ac ludibria aequo animo tulit. Castitatem ad miraculum servavit, Deoque suo ut eam incontaminatam redderet, aspero cilicio quo ad nudam carnem usus est, jugi oculorum custodia, abstinentia, jejuniisque communivit. Silentium et solitudinem expetebat, ubi saepe ecstases passus, conversationem suam in coelis habebat. Illum rapuit Deus die xx. Octobris.

Franciscus a Jojosa. *Hueber ad diem 20. Octobris.*

XLI. Ex capucinorum familia cum sanctitatis opinione obiere in provincia Mediolanensi Alexius a Viglebano laicus, abstinentiae rigore, oratione, ac devotione erga SS. Eucharistiae sacramentum admirabilis. Dum semel ad Deum preces funderet, quibus postulabat certior fieri de sua salute, acriter a Deo, quia caeteros, si minus recte viverent, judicabat, correptus est; at poenitentia meruit, ut vitae curriculum feliciter impleret: decessit in coenobio Bergomi; in conventu S. Victoris Mediolani Vitalis a Mediolano sacerdos: in ipsa sui obitus hora visus est splendor e cellae tecto consurgere, et in coelum conscendere; in conventu Vallis Camunorum in agro Brixiano Silvester clericus, dictus *pauper*, suae mortis die et hora sibi revelata a SS. Apostolis Petro et Paulo ante diem octavum.

Alexius a Viglebano. *De Arembergh t. 2. pag. 528.*

Vitalis a Mediolano. *Idem pag. 436.*

Silvester Brixiensis. *Boverius. tom. 2. pag. 10.*

XLII. In provincia Picena Marius a Foro Sarraceno, oppido inter Caesanam et Sarsinam, vir, appellatus a Michaele a Tugio, innocens, spiritu prophetico clarus, et excellens ad fugandos daemones, extremum diem egit Tolentini in hospitio sibi parato a nobili viro Baptista Parisani. Primum inter Augustinianos doctoris lauream consequutus, deinde anno mdxxxvi. ad capucinos transivit. Extitit Picenae provinciae alumnus, et vicarius provincialis; commissarii quoque generalis titulo Siculam provinciam perlustravit. Anno mdlxvii. in comitiis generalibus Romae habitis successit Evangelistae de Canobio in munere vicarii generalis ordinis, quod ad sex annos tanta prudentia, ac solicitudine, inquit Boverius, administravit, ut nulli secundus videretur. Scripsit *Poemata duo pia et erudita; unum de Vita B. V. Mariae, et alterum de S. Mariae Magdalenae conversione, et de ipsius poenitentia encomium* Venetiis anno mdlxxxvi; *tractatum chronologicum suae capucinorum familiae usque ad annum mdlxx.* Rodulphus scriptor coevus, contra quem calamum stringit laudatus Boverius, ejusdem biographiam paucis verbis contexuit: *vir iste fuit mediocriter doctus, natus potius ad cantandos hymnos, quam ad regimen. Hic quaedam loca dimisit ob incommoda fratrum, utpote ab urbibus nimium remota. Unde visus est a priori vita aliquantulum declinare, et laxiores remittere habenas;* in conventu oppidi Lori dioecesis Firmanae Bonaventura Verouensis laicus, praeclara contra suae pudicitiae aggressores

Marius a Foro Sarraceno. *Bullar. capuc. t. 2. pag. 34.*

Boverius t. 2. p. 13.

Rodulphus p. 201.

Bonaventura Verouensis. *De Arembergh t. 2. pag. 530.*

reliquit castitatis exempla. Ab Angelo sui custode nuncium futurae mortis accepit.

Seraphinus de Reghio. *Idem pag.* 332.
Nicolaus Hispanus. *Idem pag.* 508.
Joannes Gerundinensis. *Idem pag.* 506.

XLIII. In provincia Calabriae obiit Seraphinus de Reghio laicus, admirabili pietate ac humilitate, necnon praecipua devotione erga sacerdotes clarus; in coenobio Politii Nicolaus Hispanus clericus illustrissima stirpe progenitus. Praefuit sub Philippo II. Siculis triremibus. Crucis Christi meditationem maxima pietate prosequebatur. Aliquando geminas trabes fune, qua erat praecinctus, in modum crucis colligatas, humeris sibi imponebat, ac per longos sylvae tractus raptabat; in provincia Cataloniae Joannes Gerundinensis novitius clericus. Frui saepe meruit praesentia et colloquio b. Mariae Virginis, quam singulari colebat pietatis affectu. Quadam vero die, dum de more completorium a fratribus inchoaretur ab his verbis *jube Domne benedicere*, caeteris surgentibus, is genuflexus manens, velut spiritu ebrius, in haec verba erupit: *benedicant te Angeli, o Maria sanctissima: benedicant te coelestes spiritus, o Virgo virginum Deipara.*

Agnes de S. Gabriele. *Alphonsus de Torres pag.* 566.
Francisca a Conceptione. *Idem ibid. p.* 737.
Catharina de Benavides. *Idem ibid. p.* 580.

XLIV. Agnes de S. Gabriele invitis parentibus ingressa monasterium S. Elisabeth Cordubae provinciae Baeticae ubi quievit, tanto rigore suum corpus retundit, ut totius vitae suee cursu jejunii leges servaverit, et nunquam carnes ediderit; in monasterio Assumptionis b. Mariae Virginis Aquilarii ejusdem provinciae eodem probationis anno coelestia petivit Francisca a Conceptione. Paullo ante ejusdem obitum clarum sidus in ejus cubiculo apparuit; ad S. Antonii Baetiae Catharina de Benavides revincta ciliciis, flagellis sancia, et lacrymis confecta, quas uberes fundebat, praesertim ferie sexta majoris hebdomadae. Septennio post ejus tumulo, ut alis defuncta soror humaretur, reserato, ejusdem corpus inventum fuit, recentibus tamen praecordiis, ad arenae similitudinem resolutum.

Catharina a S. Francisco. *De Guadalupe p.* 568.
Ann. min. ad an. 1494. *n.* 70.

XLV. Ad coelestie migravit in monasterio Cassalensi Catharina a S. Francisco, cujus nomen ignoratur a Waddingo, quae cum in saeculo virtutibus floreret, omnium oculos in seipsam attraxerat. Eminebat praecipue in ferventissima charitate erga SS. Eucharistiae sacramentum, atque in eximia devotione erga S. Francisci sodales coenobii Cassalensis. Haec virgo assueverat eis quotidie, inconsulto parente, vasculum vini ex dolio reposito exhaurire, nec prius periculum sensit, quam vas exhauriretur. Cumque ab avaro patre imminere sibi malum timeret, S. Franciscum, cujus amore beneficium hoc erga illius sectatores praestare sibi putabat licere, multis precibus rogavit, ut succurreret. Exandivisse magno conspexit miraculo dolio redundante. Rem patri narravit, atque inde ille commotus, erga S. Franciscum majorem accepit affectum doliumque miraculose supereffluens fratribus transmisit. Hoc prodigio excitata, ad Cassalense monialium monasterium convolavit, in quo cunctis virtutibus emicans meruit ante octiduum de sui morte a Deo certior fieri. Defunctae corpus e communi sororum sepulchro erutum, distincto in loco fuit humatum. In monasterio SS. Cosmae et Damiani de Urbe abiit ad Dominum xx. anno aetatis suae Elisabeth Crivelli, innocentia morum spectabilis.

Elisabeth Crivelli. *Ex authographo monasterii.*

Maria Henrici.

XLVI. In monasterio S. Clarae de Angelis civitatis Coloniae Agrippinae ad Rhenum die vi. Februarii decessit soror Maria Henrici, de qua

aliqua diximus ad annum MDLXXVI. De ea ex triplici chronaca P. Santning habet Hueber: *Cum in Hollandia ab haereticis gravissimas pateretur persecutiones, quibus haud aliter sese quam per absolutum exilium exuere poterat, numquam tamen vel in se, vel in suis concreditis, a religione labefactari potuit, continue ultra medium saeculum martyr, quae denique sine ferro, sine igne ad coelestes agni nuptias, una cum sapientibus virginibus intravit gloriosa.* In monasterio sororum tertii ordinis Corporis Christi Villaenovae Infantium in Hispania ad sponsum evolavit Elisabeth a Rota. Admodum illuxit patientia, pietate, ac divinarum rerum contemplatione, illius spiritum moderante P. Didaco Ximenio virtutibus et doctrina exornato. Per annos XXX. extitit abbatissa monasterii, omnibus monialibus se praebens ceu sanctimoniae, ac perfectionis exemplar.

Ann. min. ad an. 1576. num. 39. Hueber ad diem 7. Februarii.

Elisabeth a Rota. *Arturus ad diem 5. Aprilis.*

XLVII. Christophoro Boncompagni archiepiscopo Ravennati committitur suppressio monasterii S. Pauli Ravennae, ejusque unio cum monasterio S. Clarae: *Exponi nobis* die IV. Aprilis. Haec monialium translatio peracta est a laudato archiepiscopo die XX. Maii. Ita ex ejus epistola ad cardinalem Philippum Boocompagnum titulo S. Sixti, relata a Marco Fantuzzi. Non igitur e monasterio S. Catharinae eductae fuerunt moniales ad aliud S. Clarae incolendum, ut falso scribit Hieronymus Fabri; Archiepiscopo Neapolitano suppressio monasterii S. Pauli terrae Caivani dioecesis Aversanae ejusque bonorum unio monasterio S. Francisci posito intra moenia civitatis Aversae: *Exponi nobis* die XXVIII. Aprilis; subjicit praesulibus observantium monasterium S. Jacobi Minoris Campaniae, olim administratum a conventualibus, et postea ab episcopis Campaniae: *De statu monasteriorum* die XVI. Februarii; indulget, ut in regno Poloniae moniales ordinis S. Clarae subsint minoribus conventualibus: *Etsi felic. recordat.* die XXII. Octobris. Pacatis aliquantulum rebus in Flandria, in Belgio, finitimisque regionibus, et quampluribus civitatibus, ope Alexandri Farnesii ducis Parmensis, ad regis obsequium adductis, commissarii generalis munere pro reformandis virorum et mulierum coenobiis, iisque extorribus ad proprias aedes reducendis, insignitus est a Pontifice Joannes Hayus Scotus, in rebus gerendis plurimum commendatus, *Cum sicut accepimus* die XI. Martii; Annibali de Calabria committitur, ut in Poloniae regnum se conferat ad erudiendos in catholica fide tyrones franciscanos, cum facultate haereticorum libros legendi, ac penes se retinendi: *Cum sicut* die XV. Julii; ut Nicolaus de Cortona serenissimorum DD. Joannae Rusticae, et Magni Ducis Francisci theologus et confessarius, rectoris officio fungatur in Florentino Innocentiano Xenodochio: *Exponi nobis* die XXV. Februarii; ut Antonius Talpa de S. Severino Picenus reformet monasterium monialium Maleani in Sabinis: *Cum sicut* die XV. Aprilis.

Fantuzzi Monumenti Ravennati tom. 6. pag. 175. Venezia 1804. Fabri Sacre Memorie di Ravenna part. 1. pag. 146.

Terrinca in theatro Etrusco p. 222.

XLVIII. Cum sub immani Turcarum tyrannide fratres provinciae Insulae Cretensis, quae prius Venetae reipublicae parebat, versarentur, et ob paucitatem Christifidelium latinorum more viventium, et ob eleemosynarum defectum magna inopia laborarent, obtinuerunt a Pontifice facultatem recipiendi legata, eorumdem fructus et redditus tum ad consulendum inopiae, tum ad aedes reficiendas conferendi: *Exponi nobis* die I. Septembris. Eo namque tempore ad provinciam hanc spectabant

Gonzaga in prov. Candiae pag. 439.

Digitized by Google

in civitate Cytei coenobia S. Francisci, et S. Joannis Baptistae, et alterum prope pagum Sumetum non longe ab eadem civitate, S. Antonii Patavini titulo; prope Gnossum ad xxv. lapidem ab eadem civitate coenobium S. Mariae de Angelis; coenobium S. Francisci intra moenia civitatis Rethymii, denuo fidelium expensis ex parte reaedificatum; antea enim a Turcis igne conflagratum fuerat. Extabat etiam in eadem civitate, quem solo pariter aequarunt, conventus S. Athanasii; coenobium S. Francisci, et S. Salvatoris in civitate Cydonii, et extra ipsam ad xxx. m. p. aliud S. Georgio sacratum; extra civitatem Insulae Zacynthi, vulgo *Zante* in maris littore coenobium S. Mariae, extructum post exitium alterius conventus; coenobium S. Antonii de Padua in Insula *Chio*, sive *Scio*; S. Rochi postremo in Corcyrensi Insula positum. Duo monialium de tertia regula sororum collegia, alterum Cytei titulo S. Hieronymi, alterum Rethymii adhuc ministro provinciae subsunt.

XLIX. Turcae graecique schismatici indignati ob supplicem libellum ad aulam Ottomanam datum anno mdlxxix. a Joanne de Bergomo Terrae Sanctae custode, ob continuas eorumdem contra fratres inlatas molestias, apud eamdem aulam hoc anno ipsi insimularunt fratres, auctum ab eis aedificiis coenobium Bethlemiticum, decem millibus continendis militibus idoneum. Ad haec ira percitus Imperator, novam aedem solo aequari jussit et in illud irrumpentes sacrilegi clibanum, valetudinarium, ac duo super hospitium posita cubicula diruerunt, parati ad pessima quaeque, nisi Angelus Stella Venetus, tunc loci praeses, quoddam eis *chirographum* ostendisset. Ut his malis consuleret ipse, Constantinopolim profectus, et criminosorum hominum animadversionem, aediumque propriis eorumdem sumptibu reparationem a regiis ministris adeptus est; at morte in itinere correptus, supremum mandatum suo penitus caruit effectu. Circa haec tempora item aulicorum Ottomanici imperii calliditate reseratae sunt ecclesiae in regione Galatiae S. Francisci, S. Annae, ac S. Sebastiani Martyris, ut inde ea profanationi exponerent; quae ne evenirent magnam auri vim impenderunt pii Galliarum christifideles.

De Hammer Squarcio d'istoria dell' impero ottomano tom. 13. p. 206. Venezia 1830.

Gonzaga in prov. Sardiniae.

L. Provincia observantium Sardiniae, quae provinciae nomen sortita est anno mcdli. in capitulo Mantuae celebrato, aliquando Ultramontanae, aliquando vero Citramontanae familiae unita extitit. Dum autem in Aracoelitano coenobio anno mdlxxv. sub Christophoro de Capitefontium haberetur intermedia generalis congregatio, Philippus II. enixe apud patres institit, ut ea denuo in album Ultramontanae familiae inscriberetur. Verum contradicentibus aliquibus patribus, pium regis votum suo caruit effectu. Attamen cum variae, eaeque gravissimae iterum adductae essent ab eodem rege catholico ad Franciscum Gonzagam rationes, de assensu diffinitorum Citramontanae familiae, Ultramontanis perpetuo adscivit hoc dato diplomate.

» Frater Franciscus Gonzaga totius ordinis minorum generalis mi-
» nister et servus, universis et singulis praesentes litteras inspecturis,
» salutem et sinceram in Domino Jesu devotionem. »

» Tanta est potentissimi Philippi Hispaniarum Regis catholici in or-
» dinem nostrum benevolentia et tam insignis erga pauperes evangeli-
» cos observantia, ut obsequium omne suae majestati catholicae prae-
» stare, ac religiosissimis tanti Regis petitionibus annuere, pro tenuis-

Digitized by Google

» simis nostris viribus merito debeamus. Cum ergo Rex ipse catholicus
» solita animi pietate ad provinciam Sardiniae fratrum minorum regu-
» laris observantiae jampridem attenderet, et eam in via Dei dirigere
» optaret, ac certis quibusdam gravissimis causis et rationibus ductus
» illam Ultramontanae familiae dicti ordinis ascribendam esse judicaret,
» atque parti Hispaniarum applicandam, vehementer cupiebat eam ap-
» plicationem executioni demandari, quemadmodum id denuo vehemen-
» tius exoptat. Quod ut suaviter et aptiori modo fieri queat, assensum
» nostrum verbis efficacissimis petere, ac instanter a nobis requirere non
» est dedignatus. Nos autem, tametsi ab incunabulis Majestati suae ca-
» tholicae addictissimi simus, attendentes negotium hoc ad totam fami-
» liam Cismontanam attinere, omnibus ordinis nostri Patribus in dicta
» familia consistentibus illud exponendum esse, atque eorum de re ista
» sententiam expetendam duximus, ut tantorum Patrum consilio matu-
» rius in re gravi procederetur. Habita igitur consultatione cum prae-
» fatis Patribus, omnes grato animo catholicae majestatis petitioni ob-
» sequentissime morem gerere cupientes, dictae regiae petitioni assen-
» tiendum esse responderunt. Proinde attendentes ad efficaciam rationum,
» quae animum praefati Regis catholici ad hanc petitionem impellunt,
» et ad praeclara merita suae catholicae majestatis, quae mille titulis
» est de ordine nostro, fideque catholica benemerita, atque ad debitam
» obsequii, et devotionis sinceritatem ei a nobis exhibendam, tenore
» praesentium de communi consensu, voluntate, ac beneplacito dictorum
» ordinis patrum, videlicet admodum RR. PP. Antonii Ginestreti pro-
» vinciae Marchiae, et Bonaventurae de Clavaro provinciae Genuae,
» olim in dicta familia generalium commissariorum, ac RR. PP. fratrum
» Danielis de Meduna provinciae S. Antonii dicti ordinis ac generalis
» in curia romana procuratoris, Francisci Panigarolae provinciae Medio-
» lani, Vincentii a Gaido provinciae Brixiae, Thomae de Massa provinciae
» Marchiae, Danielis a Monferrato provinciae Basilicatae, Vincentii de
» Roma provinciae Romanae, Seraphini Monsalbani provinciae S. Anto-
» nii, Joannis Vollera provinciae Terrae Laboris, Cornelii de Buxeto,
» et Hieronymi ab Imola provinciae Bononiae, Andreae Cernota provin-
» ciae Dalmatiae, et Vincentii de Messana provinciae Siciliae, Clemen-
» tis a S. Petro in Galatina provinciae S. Nicolai, ac proinde omnium
» ordinis nostri Patrum praenominatae familiae Citramontanae consen-
» sum, et assensum nostrum, voluntatem atque beneplacitum damus,
» ut dicta provincia Sardiniae a saepe dicta familia Citramontana dis-
» membretur, et separetur, ac alteri ejusdem ordinis familiae, quae Ul-
» tramontana a nobis Italis appellatur, ac proinde Hispaniarum parti
» uniatur, et incorporetur. Eritque nobis gratum, imo et gratissimum,
» quod SS. D. N. PP. hanc dictae provinciae Sardiniae separationem ab
» una familia, et unionem (ut praefertur) cum altera facere dignetur.
» In quorum omnium et singulorum fidem praesentes litteras manu
» nostra subscriptas, et majori nostri officii sigillo munitas damus.

» Parmae die v. mensis Novembris MDLXXXI.

» fr. Franciscus Gonzaga qui supra manu propria. »

L. ✠ S.

LI. Conventuum ac monasteriorum laudatae provinciae specimen exhibet idem Gonzaga.

PROVINCIAE SARDINIAE CONVENTUS.

1. S. Mariae de Gratia Sassaris.
2. S. Mariae de Jesu Calaris.
3. S. Mariae Magdalenae Oristagni.
4. S. Mariae de Angelis Lusurgii.
5. Pietatis Algarii.
6. S. Francisci Userii.
7. S. Francisci Galurae sive Templi.

MONASTERIA.

1. S. Luciae Calaris.
2. S. Clarae Sassaris.

Casimirus de Roma pag. 110.

LII. Die viii. Octobris ordo et populus terrae Corae Ostiensis dioecesis in provincia Romana pia liberalitate erga fratres ductus statuit, ut annuatim assignarentur scutata viginti nummorum pro usu et victu fratrum S. Francisci; quod subsidium sit perpetuum, et perpetuo duraturum de introitu dicti communis; hac tamen conditione apposita, quod R. P. minister provinciae Romanae curare debeat cum effectu, ut continuo in monasterio S. Francisci resideant saltem decem fratres, inter quos adsint minimum quotuor sacerdotes, et confessores.

Ex archivo s. Mariae Angelorum de Portiuncula.

Rodulphus p. 252. et 298. Pisanus in conformit. 28.

LIII. Domina Julia quondam Rosatoni de Palatio comitatus Assisii donationis causa irrevocabiliter inter vivos die xxvi. Februarii omnia sua bona mobilia, stabilia, praesentia, et futura ubique existentia, pro fabrica ecclesiae S. Mariae Angelorum de Portinncula nondum ad perfectionis culmen adducta, lubentissime contulit. Ecclesia haec natura sua mater, et caput totius ordinis fratrum minorum, ex qua, fatentibus et ipsis scriptoribus PP. conventualium Petro Rodulpho Tossiniano, et Hieremia Buchio in nova editione Conformitatum Pisani, initium sumpsit, tanta Romanorum Pontificum, Praesulum, Regum, Principum, christifidelium beneficentia, mira pulchritudine, molisque amplitudine constructa, cum tarraemotus impetu die xiii. Januarii anni mdcccxxxii., omnium moerore magna ex parte fuisset disjecta, sedulam supremi ordinis nostri moderatores navarunt operam, ut tanto exitio quantocius manus admoverentur. Verum licet eodem anno sub die xxii. Februarii, favente GREGORIO XVI. Pontifice, Ferdinandus de S. Bartholomaeo tunc ordinis generalis vicarius, una cum Francisco cardinali Galeffi Protectore plura ad opus egerit, res tamen ita ferme se habuit usque ad annum mdcccxxxvi., quo cum supremam ordinis praefecturam adeptus jam esset Josephus Maria ab Alexandria, nihil intentatum reliquit, ut labefactatum templum propere reficeretur. Eo igitur auctore, oraculo laudati beneficentissimi Pontificis, ad opus aggrediendum propositus fuit Eminentissimus Augustinus Cardinalis Rivarola, in publicis procurandis rebus nemini secundus. Demandatum sibi munus lubenti animo suscepit, tantaque alacritate promovit ac prosequutus est, ut anno mdcccxl. die viii. Septembris, plaudentibus populis, sacra aedes in solidiorem formam adducta, insigni pompa divinis ritibus D. O. M. consacrata extiterit ab Eminentissimo Aloisio Cardinali Lambruschini vigilantissimo Ordinis Patrono, a publicis nogotiis et Brevibus administro. Editam a Pontifice postremam constitutionem hic exscribimus.

Digitized by Google

GREGORIUS PP. XVI.
ad futuram rei memoriam.

Ubi primum magno cum animi nostri dolore accepimus religiosissimum augustissimumque templum SS. Dei genitrici Mariae Angelorum sacrum, atque ad Assisium situm, originis vetustate, molis amplitudine, operis pulchritudine, ac S. Francisci Assisinatis potissimum memoria, qui inibi amplissimis coelestibus cumulatus donis sui ordinis fundamenta jecit, conspicuum, tot miraculis nobilitatum, atque etiam ob ecclesiae thesauros, quibus ditatum, populorum concursu, frequentiaque celebratum, terraemotus impetu magna ex parte labefactatum fuisse atque convulsum, nulla interposita mora, propter singularem nostrum erga Deiparam Virginem affectum, ad illud reficiendum, instaurandumque curas omnes, cogitationesque convertimus. Itaque per similes apostolicas litteras die VII. *Februarii anno* MDCCCXXXII. *ad omnes venerabiles fratres archiepiscopos, et episcopos Italiae et adjacentium Insularum datas, illorum studium excitandum curavimus, ut populi eorum fidei commissi atque concrediti piis largitionibus tanto operi perficiendo omnem opem praebere studerent. Maxima nunc vero laetitia perfundimur, atque exultamus in Domino, nam quod tam vehementer optabamus, ut longe maximum religionis monumentum in pristinum restitueretur splendorem, id ineffabili divinae bonitatis abundantia octo vix elapsis annis evenisse laetamur. Etenim egregia christifidelium erga Deiparam Virginem mirandum in modum refulsit pietas, qui ad insignem illam sacram instaurandam Aedem pro viribus copiosa dona certatim offerre, atque adjutricem manum porrigere non dubitarunt. Neque minori studio, et contentione in hac re praestiterunt religiosi fratrum ordinis minorum S. Francisci de observantia, ac praecipue dilectus filius Josephus Maria ab Alexandria totius illius ordinis supremus moderator, seu minister generalis, qui nihil inausum, nihilque intentatum reliquit, ut opus ipsum prospere, feliciterque confici posset. Summis praesertim laudibus dilectus in Christo filius noster Augustinus S. R. E. Diaconus Cardinalis Rivarola merito, atque optimo jure est efferendus, omnique praeconiorum genere decorandus. Ipse enim vix dum a nobis veluti commissarius apostolicus illi operi conficiendo fuit praepositus, nullis neque curis, neque consiliis sibi parcendum duxit, ac tam mira solertia, alacritate, providentia in ejus templi instaurationem rite absolvendam incubuit, ut communi omnium admiratione templum ipsum non modo in pristinam dignitatem restitutum, verum etiam splendidiore cultu exornatum, ac magnificis praetiosis operibus omni ex parte auctum in praesentia conspiciatur. Jam vero cum templum idem ita instauratum solemni ritu est consecrandum, nostris erat in votis nonnullorum Romanorum Pontificum decessorum nostrorum vestigiis insistere, et commemorati templi consecrationem solemnibus caeremoniis Nos ipsos peragere. Verum cum gravissimis de causis votorum compotes minime esse possimus, illud consilium suscepimus, in eamque devenimus sententiam, ut relicta pariter a quibusdam Romanis Pon-*

tificibus praedecessoribus nostris documenta sequentes, praestantissimum aliquem eligeremus virum, qui nostro nomine illam perficeret. Atque hujusmodi officium dilecto in Christo filio nostro Aloisio S. R. E. Cardinali Lambruschini nuncupato committendum censuimus, qui totius ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia vigilantissimus patronus, quique a nostris publicis negotiis, et a brevibus, atque aliis amplissimis fungens muneribus, magnarum virtutum, et multorum recte factorum gloria clarissimus, tanta cum sui nominis laude, tantaque fide, religione, pietate, integritate, prudentia, doctrina omnem operam Nobis, atque huic Petri Cathedrae praestare numquam cessat, ac tot sane nominibus de Nobis deque hac Apostolica Sede, ac de christiana, et civili republica optime meritus. Quam ob rem hisce litteris auctoritate nostra apostolica eumdem dilectum filium nostrum Aloisium S. R. E. Cardinalem Lambruschini eligimus, constituimus, et deputamus, ut ipse faustissimo die octavo proximi mensis Septembris, quo gloriosa Deiparae Virginis Nativitas annua solemnitate recolitur, nostra vice solemnem commemorati templi Mariae Sanctae Angelorum consecrationem faciat, atque perficiat. Ut autem haec caeremonia solemniore pompa, et majore christifidelium spirituali utilitate fieri possit, atque omnium erga sospitatricem Virginem augeatur pietas, coelestes ecclesiae thesauros reserandos, et plenariam indulgentiam in forma Jubilaei tribuendam censuimus. Quocirca auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac s. communione refectis, qui templum idem, quo die solemnis consecratio peragitur, usque ad Dominicam proxime sequentem inclusive visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. R. Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effunderint, plenariam spatio praedictorum dierum per unumquemque christifidelem semel dumtaxat ad sui libitum eligendum lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam, atque remissionem, quam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Et quo christifideles coelestium munerum hujusmodi facilius evadant participes, ipsi dilecto filio nostro Aloisio Cardinali Lambruschini aliquos presbyteros saeculares, vel cujusvis ordinis, congregationis, aut instituti regulares ad excipiendas ipsorum sacramentales confessiones alias approbatos deputandi, qui eosdem christifideles, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus, et quibuscumque excessibus, et criminibus, ac casibus Sedi Apostolicae reservatis, (haeresis, simoniae, duelli, violationis clausurae monasteriorum monialium, et recursus ad judices laicos contra formam sacrorum canonum, exceptis) nec non excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, ac poenis, imposita cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari, in foro conscientiae tantum absolvere, votaque simplicia in aliud pium opus eorum similiter arbitrio, et prudentia commutare possint, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus atque elargimur. Regularibus vero intra clau-

stra degentibus, nec non aliis quibuscumque etiam in carcere, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quovis impedimento detentis, qui praescripta obire nequiverint, ut illa confessarii jam approbati in alia pietatis opera commutare possint, eaque injungere, quae ab ipsis peragi possint, pariter concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc. Praesentibus hac vice tantum valituris.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo Piscatoris die XVIII. *mensis Augusti anno* MDCCCXL. *Pontificatus nostri anno* X.

Loco ✠ Sigilli.

Pro Domino Card. Lambruschini
A. Picchioni Substitutus.

LIV. Instante Rege catholico Summus Pontifex in consistorio die VI. Martii promovit ad ecclesiam Ovetensem in Hispania *Franciscum Horantius* Valleoletanum, olim a confessionibus, et consiliis Joanni Austriaco Belgii gubernatori; in consistorio die XXIX. Maii ad ecclesiam Clusinam *Massaeum*, alii *Matthaeum Bardi* ex comitibus Vernii Florentinum, per obitum Salvatoris Pacini a Colle Etruriae; in consistorio die VI. Novembris ad ecclesiam Conseranensem in Aquitania *Franciscum Bonardi* a Monteregali in Pedemontio; in consistorio die XX. Octobris, postulante rege catholico ad ecclesiam Portucallensem, *Porto*, in Lusitania sub archiepiscopo Braccarensi *Marcum Ulyssiponensem.*

LV. Magister Annibal Santucci de Urbino minorita conventualis instituitur generalis haereticae pravitatis inquisitor pro tota Senarum ditione; et magister Franciscus Pratelli de Monteflorum dioecesis Pisaurensis pro civitate et territorio Pisanensi, datis litteris sub uno eodemque die incipientibus: *Sperantes* die XVIII. Januarii.

LVI. Sybilla filia Pauli Wallerii ab Huekelem, et Corneliae Valkenburgensis gravi totius corporis paralysi afflicta, atque in brachio laevo a manu ad cubitum plurima foramina habens, tamquam aciculis puncta, jugiter, instar muriae salsissimum, stillantia sanguinem, frustra cunctis medicamentis adhibitis, dum mater vota Beatae Virgini ad Mosam Trajectensem vertit, se proxima in supplicatione paschali processuram, cumque illa die viam processionis obivisset, non multo post perfecte convaluit. Unde illa matri: *Mater, num mea fulcra in ignem projiciam? En sine illis incedo.* Quidam pistor Gratianopolitanus filiolam habens podagrae doloribus, quin deambulare valeret, cruciatam, b. Joannae Bellae defunctae cum ingenti sanctitatis opinione in monasterio S. Clarae ejusdem civitatis, miraculorumve gloria tunc temporis illustri, enixis precibus se commendavit, ut a morbo illa liberaretur. Ut id efficacius assequeretur, exoravit sorores clarissas, ut ad Beatae honorem supplicationem novandialem peragerent. Singulo die infirmam filiam a matre eo delatam, sacrae virgines per monasterii rotam excipiebant, ac super B. tumulum dum orationi instarent, locabant. Octavo die extemplo ab infirmitate liberata, e rota in matris sinu se exsiliit.

Sedulius p. 176.

Fodere pag. 170. Ann. min. ad an. 1469. num. 33.

LVII. Jacobus Vidal civis Tarraconensis in flumen aquarum copia exuberans praeceps delapsus, invocato S. Francisci, cui erat devotissimus, nomine, ab immersionis periculo evasit incolumis. In coenobio Conceptionis Petrosi provinciae S. Josephi, cum a fratribus quidquid edulii ac panis erat, absumptum fuisset, nec, prohibentibus imbribus, necessa-

Gonzaga in prov. Cataloniae conv. 7. pag. 1109.

Digitized by Google

Idem in prov. S. Joseph conv. 2. p. 1145.

ria vitae sibi mendicare valerent, iis orationi instantibus, eo adventavit quidam illius pagi agricola, qui equo veloci, non sine praesentissimo vitae discrimine, superatis inundantibus rivulis, fratribus panem, vinum, pisciculos, fructusque aliquot ministravit. Ignatius Martinez Lusitanus Jesuita concionator eximius devotionis gratia exosculatus Patavii S. Antonii linguam » ita, teste Bollando, repente immutatus est, ut spiritum » et linguam Sancti induisse videretur. Igitur deposito veterum Rethorum more, coepit concionari apostolice tanto spiritu et fructu, ut » totam Lusitaniam commoverit. Totos exinde sexdecim annos pueris, » pauperibus, rudibus, servis, militibus christiana doctrina imbuendis » magna charitate, magnoque spiritus ardore consumpsit.... Itaque omnibus feriatis diebus, semel atque iterum concionabatur ad plebem, » et ad detentos in triremibus, eosque verbis ardentibus ad detestationem peccatorum inflammabat ».

Acta SS. ad diem 13. Junii p. 743.

Boverius tom. 2. p. 22. et suppl.

LVIII. Varia Boverius in quibusdam capucinorum coenobiis memoratu digna evenisse recenset. Pauca delibamus. Mauritius a Marino laicus in oppido Veruchii, contactu S. Francisci regulae, a cujusdam juvenculae corpore daemonem pellit. In conventu Aprusti vulgo Castovillari in Aprutio, fratribus hiemali tempore in summa rerum penuria versantibus, Marcus Antonius Barnabi loci incola sub nocte audita ab alto voce, eleemosynarum copiam illico ad eos misit. Angelus sub juvenis forma pro fratrum Alberti a Mamertino, et Thomae a Tebano refectione eis a tabernario ministrata, pretium offert; et altera die fr. Donatus a Spoleto deliquio in via ob inediam affectus, recenti pane ab Angelo recreatur.

LIX. Statutis a Pio V. in Breviario Romano iis, quae singulis per annum diebus ad preces divinasque laudes rite peragendas opus essent: *Quod a nobis* VII. Idus Julii anno MDLXVIII., ejus in apostolica sede successor Gregorius XIII. sedulam impendit operam, vero solis et lunae motu metiendi Paschatis ac festorum ex eo pendentium celebrationem. Igitur doctissimorum virorum scriptis consiliisque usus, medelam attulit emendationi anni Julii Caesaris, quem unice anno CCCXXV. sacra Nicaena Synodus adoptaverat, ut singuli per orbem terrarum christifideles uno eodemque die sacrum Resurrectionis Dominicae sacramentum colerent. Et ut ab exordio rem petamus, cum annus solaris communis veterum romanorum Romuleus dictus, et a Numa Pompilio castigatus, nonnisi 355 dies complecteretur, hinc Julius Caesar, qui pro certo putabat integrum Zodiacum a sole diebus 365, et horis 6 perlustrari, annum numaeum 10 diebus, horisque 6 adauxit, annumque efformavit dierum 365, et horarum 6, qui a mense Martio initium capiebat. Quia vero quotannis supersunt 6 horae, quae quibuslibet quatuor annis in solidum concrescunt diem, idcirco statuit, ut quarto cuilibet anno unus insereretur dies post vigesimum tertium Februarii; propterea dies, quo abundat, quartus quilibet annus dictus fuit *intercalaris*, *insertus*, et *bissextilis* etiam, quia eo anno ob additum Februarii diem, bis pronunciari deberet *VI. calendas Martias*. Annus etiam uno die abundans, idest quartus quilibet, vocatus fuit *bissextilis*. Igitur annus *julianus*, si communis sit, 365, si vero intercalaris, dies 366 complectitur.

Petavius de doctrina temp. l. 1. pag. 121.

LX. Verum julianam hanc anni castigationem duplici errore laborare *anticipatione aequinoctiorum* nimirum, et *antecessione noviluniorum*

compertum est apud omnes. Anticipatione, inquam, aequinoctiorum; nam annus julianus cnnstat diebus 365, horisque 6; tropicus vero diebus 365, horis 5, 49'. Ille itaque hunc alterum excedit minutis 11, ac proinde ab anno Christi cccxxv. quo celebratum fuit Nicaenum Concilium usque ad annum mdlxxix. quo statuerat Pontifex annum julianum castigare, aequinoctium vernale festinaverat diebus 9, horis 13, 54' neque idcirco cadebat in diem xxi. Martii, sicuti tempore Nicaenae Synodi, sed in xi. diem ejusdem mensis. Hinc anticipatio haec quolibet quarto anno erit minutorum 44; spatio 131 fere annorum ad unum solidum diem ascendet; et ad 3 circiter dies 400 annorum tempore. Quod vero spectat ad noviluniorum antecessionem, arbitrabatur Julius Caesar, lunam suorum annorum 19 eadem die eademque hora ac momento ad eumdem cum sole aspectum redire. At falso: cum enim novilunia annorum 19 cursu citius, idest hora 1, 27', 37" celebrentur, profecto spatio annorum 304 ipsa novilunia citius accidant necesse est, horis nimirum 23, 21', 52", vel ut aliis placet, horis 24, si elapsi fuerint anni 312. Cum itaque ab anno Christi cccxxv. ad annum mdlxxix. excurrissent anni 1254, cumque 312 quatuor vicibus in 1254 contineatur, idcirco anno mdlxxix. deficiebant quatuor dies, ne novilunium reapse obtineretur, proindeque *antecessio noviluniorum* erat dierum 14, dicebaturque luna 14, quae revera erat 18. Inde porro fiebat, ut Pascha non eo die semper celebraretur, quo celebrandum esse decreverat laudatum generale Concilium, die dominico nimirum, qui proxime sequeretur lunam 14 illius mensis, cujus luna 14 incidit in vernale aequinoctium, aut saltem proxime post aequinoctium ipsum a die 15 lunae ad ejusdem lunae die 21.

LXI. Gravissimis hisce incommodis occurrit Pontifex hoc anno, ut recte scribunt Labbeus et Cossartius, non vero anno insequenti juxta Spondanum et Pagi lata constitutione: *Inter gravissimas* vi. calendas Martii. Priori occurrit. Solidos x. dies a Juliano Calendario eximens, statuit, ut anno mdlxxxii. diebus decem mensem Octobrem mulctaretur ac die 5 pro ejusdem 15 haberetur. Quare factum est ut anno insequenti aequinoctium vernale contingeret die 21 Martii, non secus ac Nicaenae synodi tempore. Ne vero aequinoctium vernale versus initium mensis iterum relaberetur, cavit Pontifex, ut ex quatuor centesimis quibuscumque annis, ab anno mdc. exclusive computatis, quartus dumtaxat esset bissextilis. Cum autem aequinoctium spatio annorum 400, tribus diebus anticipet, visum est aequinoctiorum processionem, horum trium intercalarium dierum omissione centesimis quibusque annis facta, optime compensari.

Labbeus in collect. concil. tom. 15. pag. 820. Spondanus ad an. 1582. Pagi in brev. hist. tom. 6. pag. 822. Antuerpiae 1753.

LXII. Occurrit et altero adhibito cyclo 30 epactarum ad novilunia indicanda, quae singulis responderent diebus mensium ordine retrogrado, ad differentiam aureorum numerorum, sive cyclus lunae annorum 19, qui aliquibus tantum diebus respondebant. Sunt autem epactales numeri ita dispositi, ut eadem epacta per totum annum novilunii indicet diem. Nam epacta aetatem lunae ad primam Januarii diem denotat. Ad tanti Pontificis memoriam aureis litteris in marmore inscripta cernitur super maximam portam aulae Bononiensis apud Vaticanum epigraphe.

Digitized by Google

GREGORIVS . XIII . PONT . MAX .
VT . SANCTVM . PASCHA . SVO . IN . PERPETVO . TEMPORE
CELEBRETVR . RATIONEM . ANNI . PERTVRBATAM . RESTITVIT.
MODVMQ . ADHIBVIT . QVO . FVTVRIS . SAECVLIS . IN .
PRAESCRIPTAE . DEFINITIONIS . STATV . SINE . CONFVSIONE . PERSEVERET .
ANNO . MDLXXXII . PONTIF . SVI . XI .

LXIII. Licet Summus Pontifex constitutione lata: *Cum exponi nobis* die XIII. Septembris anni MDLXXIV. Clarenorum coenobia eorumdemque sodalium observantibus incorporari mandaverit, tamen cum hujusmodi transitus omnibus haud arrideret, non pauci ex illis, nulla facultate muniti, ad patres conventuales migrarunt. Hinc factum est, ut evangelicae perfectionis parum soliciti maloque eorum exemplo arrepti, quidam ex observantibus et reformatis, plerique ex capucinis apostasiae nota irretiti, sese ultro eis addiderint. Ut apostatandi praecaveretur occasio, ex qua, non dedecus, imo majorem sui instituti praestantiam perfectioremque illius statum colligit Boverius, Antonio Fera magistro generali conventualium indulget Pontifex, ut eis hac vice dumtaxat in utroque foro absolutionis beneficium impertiat, ac sub ejus obedientia, quin ab aliquo vexentur, contineat: *Sedes Apostolica* die XX. Decembris; interim exemit a solutione decimarum moniales S. Clarae, Conceptionistarum, annuntiationis, ac tertiariarum in congregatione viventium, dummodo sexdecim ducatus auri pro uniuscujusque sustentatione solum habeant: *Pastoralis officii* die XXII Martii; cavit ne tertiarii reformati fratrum conventualium in Sicilia degentes, capucinorum habitum deferant: *Regularium personarum* die IV. Octobris; jubet, ut restituantur bona direpta ex domo conventualium S. Francisci Maceratae: *Significarunt nobis* idibus Octobris; facultatem tribuit custodi S. Francisci conventualium Assisii, ut quaedam praedia vendat, pretiumque eroget pro emptione cujusdam possessionis, nonnullaque alia committit Mario Antonio Florentio commendatario Abbatiae S. Quirini ordinis S. Benedicti terrae Betonae: *De injuncto nobis* idibus Januarii; indulget, ut Antonietta ducissa de Montemoransi semel in anno ingrediatur coenobia capucinorum oppidi Biterrensis, et Agatensis: *Pro parte tua* die XIX. Novembris; ratam habet electionem Antonii de S. Angelo ministri provinciae Siciliae ac diffinitorum, irritam declaratam a generali ministro: *Cum sicut accepimus* die XII. Julii; dispensat super irregularitatem fratres custodiae reformatorum in Sicilia ante legittimam aetatem ad sacros ordines promotos: *Exponi nobis die VIII. Augusti*; indulget, ut custos Indiarum Orientalium sive per se, sive per alios absolvere valeat suos subditos etiam a casibus bullae coenae, aliquibus tamen exceptis: *Piis votis tuis* die XV. Julii; ut Felix de Zara tertii ordinis professor denuo praelo committat librum cui titulus *manipulus curatorum* in lingua illyrica inscriptus: *Cum sicut accepimus* die I. Januarii; ut minores observantes degentes in Indiarum partibus emendicare valeant stipes a regibus et principibus pro consulendis Indorum occidentalium necessitatibus: *Concedimus tibi* die XV. Julii.

Boverius ibidem pag. 2.

LXIV. Altaria privilegiata pro liberatione unius animae a purgatorii poenis declarat Summus Pontifex. Altare sacelli S. Mariae Constanti-

Digitized by Google

nopolitan. ecclesiae S. Francisci Trojan. *Omnium saluti* xii. calendas Novembris; altare B. Mariae de Rosario ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi de Ajamonte dioecesis Hispalen. *Omnium saluti* ix. calend. Novembris; altare S. Antonii ecclesiae S. Francisci conventualium de Lugo Imolen. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Octobris; altare SS. Crucifixi ecclesiae Montiscalvarii Barchinonen. capucinorum: *Omnium sal.* v. calendas Septembris; altare B. Mariae Virginis ecclesiae S. Francisci observantium Mexican. *Omnium saluti* xvi. calend. Septembris; altare B. M. V. ecclesiae S. Francisci minorum observantium oppidi de Benevente Oveten. dioecesis: *Omnium saluti* viii. calend. Augusti; altare S. Joannis Baptistae ecclesiae S. Pauli capucinorum Anconit. fundatum a Joanne Baptista Triumphi secretario apostolico: *Omnium saluti* calend. Junii; altare S. Mariae de Marco ecclesiae S. Bernardini observantium terrae Morani dioecesis Cusanen. *Omnium saluti* nonis Maii; altare S. Bonaventurae ecclesiae S. Francisci de observantia terrae Clusarum Gebenen. dioecesis: *Omnium saluti* calendis Maii; altare B. M. V. ecclesiae S. Francisci ordinis fratrum minorum de observantia Casalen. *Omnium saluti* nonis Aprilis; altare B. M. V. ecclesiae B. Mariae de las Fuentes oppidi de Aguilar de Campos Legionen. dioecesis fratrum excalceatorum observantium: *Omnium sal.* x. calend. Aprilis; altare a guardiano domus S. Francisci oppidi de la Parilla observantium dioecesis Conchen. nominandum: *Omnium saluti* calendis Aprilis; altare B. M. Virginis sacelli sancti nuncupatum ecclesiae S. Bartholomaei in Insula Urbis observantium: *Omnium saluti* xi. calendas Septembris. Adest eo loci in marmore incisum Pontificis privilegium; altare S. Mariae de succursu fratrum minorum conventualium ecclesiae S. Francisci oppidi de Mirabelli Avellin. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Decembris; altare S. Hieronymi sumptibus constructum Hieronymi Martellacci ecclesiae Cornetan. fratrum de observantia: *Omnium sal.* idibus Februarii. Altare die xxvi. Februarii anno insequenti sacro oleo delibutum fuit a Hieronymo Bentivoglio episcopo Montisflasconi; altare B. Mariae de succursu ecclesiae S. Mariae de Conceptione Oppiden. observantium: *Omnium saluti* iii. idus Januarii; altare B. M. V. ecclesiae S. Francisci de Mattalon. Casertan. dioecesis fratrum conventualium: *Omnium saluti* iii. idus Januarii; altare SS. Crucifixi ecclesiae de Jesu Caesaraugustan. *Omnium saluti* ix. calend. Septembris; altare B. Mariae de Loreto ecclesiae S. Barbarae carisien. Observantium: *Omnium saluti* vi. idus Octobris; altare B. Mariae Consolatricis ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi de Villalpando Legionen. dioecesis: *Omnium saluti* x. calend. Martii; altare B. M. V. ecclesiae S. Francisci conventualium de Fossechio Lucan. dioecesis: *Omnium saluti* pridie calendas Novembris; altare S. Sebastiani ecclesiae S. Augustini Panormitan. ordinis fratrum reformatorum conventualium: *Omnium saluti* calendis Julii; altare S. Catharinae ecclesiae S. Francisci observantium oppidi Perpignani dioecesis Elnen. *Omnium saluti* calendis Julii; altare S. Francisci ecclesiae S. Petri conventualium Capuan. *Omnium saluti* xi. calend. Decembris; altare B. M. V. ecclesiae S. Francisci minorum conventualium oppidi Lapenariae dioecesis Marsican. *Omnium sal.* calendis Novembris; altare Conceptionis B. Mariae ecclesiae S. Francisci Cartaginen. observantium: *Omnium saluti* idibus Novembris; altare

S. Catharinae ecclesiae S. Bartholomaei conventualium loci de Plano Suanen. dioecesis: *Omnium saluti* calendis Decembris; altare sacelli SS. Crucifixi confraternitatis S. Crucis ecclesiae S. Francisci observantium Astoricen. *Omnium saluti* xii. calendas Novembris; altare arbitrio guardiani deputandum in ecclesia S. Mariae de Loreto fratrum de observantia Lavellin. *Omnium saluti* viii. idus Novembris; altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae S. Dominici fratrum praedicatorum insignis oppidi civitatis nuncupati de Huete Conchen. dioecesis: *Omnium saluti* pridie idus Septembris altare Spiritus Sancti Basioliorum nuncupatum ecclesiae S. Francisci oppidi Maide conventualium Neocastren. dioecesis: *Omnium saluti* calendis Junii; altare S. Gregorii ecclesiae S. Francisci Calaritan. fratrum conventualium *Omnium saluti* pridie calendas Junii; altare B. Mariae de Monteserra ecclesiae M. B. de Bethelem Turitan. ordinis minorum conventualium: *Omnium saluti* pridie calendas Junii; altare S. Antonii ecclesiae S. Joannis de los Reyes Toletan. fratrum de observantia: *Omnium saluti* xiii. calendas Augusti; altare S. Georgii in sacello S. Nicolai ad dexteram situm ecclesiae S. Francisci conventualium oppidi Castrivillaris Cosanen. dioecesis: *Omnium saluti* calendis Julii; altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae S. Francisci de observantia loci de Framonte dioecesis Almalfitan. *Omnium saluti* calendis Julii; altare S. Clarae ecclesiae S. Antonii observantium Cochin. in Indiis Orientalibus: *Omnium saluti* calendis Julii; altare sacelli de Pietate ecclesiae S. Francisci conventualium oppidi Nuceriae Tropien. dioecesis: *Omnium saluti* pridie idus Septembris; altare B. M. V. ecclesiae S. Francisci capucinorum Ferrarien. *Omnium saluti* xvi. calend. Januarii; altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae S. Francisci conventualium Brixien. *Omnium saluti* nonis Augusti; altare Conceptionis B. M. V. ecclesiae S. Nicolai observantium insignis oppidi Carpen. nullius dioecesis: *Omnium saluti* calendis Augusti; altare S. Luciae ecclesiae S. Floriani fratrum conventualium Aesin. *Omnium sal.* x. cal. Septembris; altare S. Joannis Evangelistae ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi Amatriciae Spoletan. dioecesis: *Omnium saluti* xiii. calend. Aprilis; altare Spiritus Sancti ecclesiae S. Francisci minorum observantium Cosentin. *Omnium saluti* vii. calendas Maii; altare majus ecclesiae S. Francisci fratrum minorum Montisfusculi dioecesis Beneventan. *Omnium saluti* nonis Augusti; altare B. Mariae Conceptionis ecclesiae S. Luciae de Monte Neapolitan. conventualium reformatorum erectum a Peregrina Ossignani: *Omnium saluti* calendis Julii; altare Annuntiationis B. M. V. ecclesiae S. Mariae de Gratia minorum conventualium Strangolen. *Omnium saluti* idibus Martii; altare S. Andreae ecclesiae S. Francisci observantium Praenestin. *Omnium saluti* idibus Martii; altare S. Bonaventurae ecclesiae S. Francisci conventualium Montisleonis dioecesis Militen. *Omnium saluti* vii. idus Martii; altare B. M. V. ecclesiae S. Antonii Chien. fratrum de observantia: *Omnium saluti* iii. cal. Julii; altare B. Jacobi ecclesiae S. Francisci observantium insignis oppidi Complut. Toletan. dioecesis: *Omnium saluti* iii. calend. Julii; altare S. Antonii de Padua ecclesiae S. Francisci minorum observantium insignis oppidi de Guimeraes Bracharen. dioecesis: *Omnium saluti* iii. calend. Martii; altare S. Marci ecclesiae S. Francisci de observantia de Ponteuedra dioecesis Compostel. *Omnium*

saluti vi. calend. Decembris; altare B. M. V. ecclesiae S. Francisci observantium oppidi Vici Saonen. dioecesis: *Omnium saluti* v. calend. Decembris; altare B. M. V. ac SS. Archangelorum Michaelis, et Raphaelis ecclesiae Mariae gratiarum oppidi Nitiae observantium Aqnen. dioecesis provinciae Mediolanen. *Omnium saluti* viii. idus Decembris.

LXV. Largitur indulgentiam visitantibus altare Conceptionis in parochiali ecclesia oppidi de Deva Pampilonensis dioecesis: *Ut laudes gloriosissimae* die xxii. Julii; indulgentiam Conceptionis in ecclesia B. Mariae de Herrera Toletanae dioecesis: *Romanus Pontifex* viii. calendas Januarii; indulgentiam Conceptionis in oppido de Manchatura dioecesis Tullorensis: *Unigeniti Filii* idibus Decembris; indulgentiam in ecclesia Calaguritana pro die S. Francisci: *De salute gregis* viii. calendas Junii; indulgentiam pro confraternitate S. Elisabeth in ecclesia S. Francisci conventualium Urbevetensis; *Ommisso tantis* calendis Octobris.

LXVI. Erigit parochialem ecclesiam titulo Conceptionis in oppido de Onusa Ulyssiponensis dioecesis: *Dignum* pridie idus Octobris; confraternitatem Conceptionis in ecclesia S. Francisci Papiensis: *Salvator noster* nonis Novembris; confraternitatem Conceptionis in ecclesia fratrum Militensis: *Super gregem* nonis Octobris; confraternitatem Conceptionis in parochiali ecclesia S. Joannis de la Palma Hispalensis: *Super gregem* v. idus Maii; confraternitatem Conceptionis in ecclesia ejusdem nominis exra muros Meleritanae: *Super gregem* nonis Octobris; confraternitatem Conceptionis in oppido de Miranda de Ebro Burgensis: *De salute* ix. calendas Septembris.

LXVII. Sunt et alia Pontificis diplomata. Pro archiconfraternitate B. M. V. Gonfalonis de Urbe circa redemptionem captivorum: *Christianae nobiscum* v. calendas Junii; pro coenobio S. Annae minorum conventualium civitatis Neapolitan. *In supereminenti* iii. idus Februarii; pro monialibus clarissis civitatis Nolanae: *Dudum pro parte* iii. idus Julii; pro confraternitate Conceptionis de la Fonte terrae Feliciani Montisferrati: *Cum sicut accepimus* xxv. Novembris; monasterio monialium Annuntiationis Ruthenensis unitur beneficium: *Coelestis Patris* calendis Decembris.

LXVIII. Edita hoc anno a sacra episcoporum et regularium congregatione quaedam decreta pro resolutione controversiarum inter regulares civitatis Mediolanensis, et ejusdem archiepiscopum Carolum Borromaeum coronidis loco hic apponimus. *Franciscus Matritensis in Bull. tom. 5. pag. 73.*

» 1. Liceat regularibus in eorum propriis ecclesiis intra septa mo-
» nasteriorum, sanctissimum Eucharistiae sacramentum processionaliter
» circumferre, et super altare publice adorandum exponere ex gravi,
» publica, sive privata causa.

» 2. Eleemosynae in ecclesiis regularium, et in concionibus, ad mo-
» nasteriorum, ecclesiarumve suarum commodum collectae, dispositioni
» ipsorum libere remaneant. Quae vero ad aliorum locorum, seu per-
» sonarum necessitates sublevandas ad eorum conciones colligentur, in
» eos erogentur usus, eisve distribuantur personis, et locis, quae ordi-
» narii jussu, et mandato in concionibus commendatae fuerint, ita tamen,
» quod cogi non possint extraneos commendare.

» 3. Regularibus concionatoribus in eorum propriis ecclesiis concio- » nandi hora a quoquam non praescribatur, sed liberum sit eisdem » quomodocumque officinm praedicationis peragere.

» 4. Liberum sit haeredibus defuncti unum plurave officia pro de- » functis in ecclesiis regularium celebrari facere, necnon tot ex regu- » laribus ejusdem conventus evocare quot eis videbitur.

» 5. Parochia a regularibus, in quorum ecclesiis parochianum sepe- » liri contingit, non plus portionis ipsis jure, seu consuetudine debitae » quam quae quarta nuncupatur, exigat.

» 6. Si corpora mortuorum sepelienda in ecclesiis monialium regu- » laribus subjectarum deferantur, parochis non liceat corpora ad eccle- » sias praedictas deferre nisi de consensu ejusdem monasterii superioris, » seu confessarii, qui tunc praesens aderit. Haeredes autem minime ad- » stringantur regulares, quibus monasterium subest, ad funus evocare.

» 7. In missae sacrificio is servetur ritus in omnibus ecclesiis, etiam » sanctimonialium, qui hucusque servari consuevit, ita ut, ubi Ambro- » sianus, non Romano, ubi Romanus, non Ambrosiano ritu a quoquam » celebretur.

» 8. Licentiam concionandi regularibus in ecclesiis, quae sui ordinis » non erunt, ordinarius concedat, prout sibi magis expedire videbitur; » et concionator ea obtenta, in ecclesia sibi assignata, absque ulteriori » rectoris licentia, munus suum libere exerceat. Qui vero non in par- » ticulari ecclesia, sed libere concionandi licentiam obtinuerint in tota » dioecesi, nulla ulteriori licentia petita a rectoribus libere concionari » valeant; rectore vero contradicente, nisi ordinarius aliud jusserit, non » praedicetur. Concionatoribus vero approbatis a suis superioribus li- » ceat in quibuscumque ecclesiis sui ordinis concionari, episcopo non » contradicente.

» 9. Ad publicas processiones tantum regulares ab ordinario acce- » dere, juxta formam Concilii Tridentini compelli possint.

» 10. Ad alias vero, quae Mediolani ab universo clero saecnlari fieri » consueverunt, ut sponte accedant, hortentur.

» 11. Regulares ad forum ordinarii in causis civilibus non trahantur, » nisi in casibus a Tridentina Synodo, constitutionibusve pontificiis » praemissis.

» 12. In causis regularium tam coram ordinario, quam coram con- » servatore, aut alio quovis delegato, servari debeat, tam per judices » ipsos, conservatoresve, quam notarios, constitutio pontificia ea de re » edita. In reliquis attendatur tenor litterarum conservatorialium; ita » tamen, ut conservatores semel electi mutari non possint, nisi per » capitulum provinciale, eorumdemque nomina infra mensem a die ele- » ctionis ordinariis indicare debeant, prout a Congr. Sacr. Concil. Trid. » servandum esse declaratum fuit: qui denique conservatores, cum uti » suspecti recusantur, non procedant, nisi ex praescripto Concil. Triden. » sess. 14. cap. 5. de Reform.

» 13. Curam animarum in ecclesiis regularium exercentes, tam re- » gulares, quam saeculares ordinarii jurisdictioni subsint in concernen- » tibus curam animarum, juxta formam Concilii Tridentini.

Digitized by Google

Anno Christi	Gregorii XIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1581.	an. 9. et 10.	anno 5.	an. 374.

» 14. Regulares, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab » ordinariis eorumve examinatoribus reperti et probati fuerint, generaliter quoque, et indistincte, absque alia limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarum admittantur in dioecesi » propria. De caeteris vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio ordinariorum relinquit ipsos cum limitata facultate, prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare et » admittere. Qui autem in domibus propriis laicorum confessiones ex » causa audierint, statim parochum admonere teneantur, et fidem auditae confessionis, pro medico adveniente, relinquere.

» 15. Ordinarii neminem regularium ad ordines promoveant, nisi » qui testimoniales litteras sui superioris de vita et moribus obtulerint.

Romae die II. Julii MDLXXXI.

fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus.

Loco ✠ Sigilli

Anno Christi	Gregorii XIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1582.	an. 10. et 11.	anno 6.	an. 375.

ARGUMENTUM

In Diaconia SS. Cosmae et Damiani de Urbe quorumdam inveniuntur SS. Martyrum corpora. Minoritae iterum Sinensium imperium, Novumque Mexicum petunt. Varia pro fratribus et sororibus domicilia extruuntur. Recensentur episcopi. Quaedam narrantur de b. Petro Nicolao Factore. Martyrii coronam aliquot franciscani diversis in locis accipiunt. Obeunt in osculo Domini religiosi ac virgines. Nonnulla praescribit ac concedit in ordine Summus Pontifex.

1. Romae dum de emendatione martyrologii romani agebatur, non leve inter eruditos ortum erat dissidium circa S. Felicis II. Papae merita. Quidam cum Baronio, eum e SS., Romanorumque Pontificum albo expungendum fore putabant, alii cum cardinali Julio Antonio Sanctorio illi refragrabantur. Hinc variis ab utraque parte rationum momentis adductis, divino accidit nutu, ut sub die XXVII. Julii in pervigilio S. Felicis, in Diaconia SS. Cosmae et Damiani de Urbe in Foro Boario, cui ab anno MDIII. tertii ordinis fratres claustrales praesunt, subtus basim altaris detecta fuerit arca marmorea, duos in loculos interstitio divisa, quorum in uno S. Felicis cineres et ossa indicabantur quiescere ex lapideo laterculo intus posito, hisce contexto litteris.

Baronius ad an. 357. n. 63. et seq.

CORPUS S. FELICIS PAPAE
ET MARTYRIS, QUI DAMNAVIT
CONSTANTIUM

Quapropter haec viri eruditi perpendentes, liti finem fecerunt, communique calculo Felicem, et Pontificem, et martyrem fuisse, nec a mar-

tyrologio romano expungendum professi sunt. In altero vero SS. Martyrum Marci, Marcelliani, et Tranquillini presbyteri exuviae continebantur cum hac inscriptione.

HIC REQUIESCUNT CORPORA SANCTOR. MARCI
ET
MARCELLIANI ET TRANQUILLINI PRESBYTERI

Bernardinus Mezzardi in disquisitione historica eorundem ss. mm. pag. 27.

II. Licet hi non eodem anno glorioso martyrio coronati, nec eodem loco eorumdem corpora humata, nimirum S. Felix in via Aurelia, Marcus, Marcellianus, et Tranquillinus in coemeterio S. Damasi viae veteri Ardeatinae adjacenti, tamen in eadem arca marmorea, interstitio divisa, inventa fuere. Videntur uno eodemque prorsus tempore ea fuisse translata ad hanc ecclesiam, aetate S. Gregorii Papae VII. a Benedicto presbytero cardinali S. Pudentianae tituli Pastoris, qui ecclesiam vetustate ferme collapsam restauravit, ac consecravit, atque sub ara S. Pastoris plurium SS. Martyrum, quas inter S. Felicis Papae II. et SS. Martyrum Marci, Marcelliani, et Tranquillini reliquias posuit. Id ex tabula parieti affixa intra Oratorium S. Petri probabiliter deduci potest, quae talis est.

Tempore Gregorii septeni praesvlis almi
presbyter eximivs praeclarvs vir Benedictvs
moribvs ecclesiam renovavit fvnditvs istam
qvam consecrari sacer idem cardiqvenalis
ejvsdem sacrae fecit svb tempore Papae
Avgvsti mensis septem novemqve Kalendis
nomine Pastoris, Praecvrsorisqve Johannis
de Cruce veste Dei locvs hic et sanctvs haberi
cui pars de sancti sociatur veste Johannis (evang.
Martyris et Stephani papali nomine primi,
martyris et Papae FELICIS honore SECVNDI
nec minvs hermetis praefecti martyris Vrbis
et TRANQVILLINI, MARCI, MARCELLIQVEANI
horum reliqviis constat locvs ille celebris
hinc et multorum possemus nomina qvorvm
dicere si tabvla locvs illis esset in ista
nos meritis horvm redeamvs ad astra polorvm.

III. Hoc eodem anno idem Pontifex societatis Jesu Farnesianorum templum SS. Reliquiis ditare cupiens, terram ejusdem SS. Cosmae et Damiani Basilicae altius effodiendam jussit; quae cum perageretur, die XVIII. Augusti ingenti animi sui laetitia, amota tabula marmorea, quae eidem altari erat pro mensa, intus sub cornu evangelii loculus inventus est sacris ossibus plenus, hisce verbis notatus.

HIC REQVIESCIT S. HARVNDIVS
PRESBYTER ET MONACHVS ET MARTYR

Alter in cornu epistolae eodem modo sacris pignoribus refertus cum hac inscriptione, detectus est.

HIC REQVIESCIT S. HABVNDANTIVS
OIACONVS ET MARTYR

IV. In ecclesia S. Francisci Forani ad M. P. ab oppido Appignani dioecesis Auximanae in provincia Marchiae asservantur SS. quorumdam martyrum reliquiae, quae ex monasterio S. Anastasii Trium Fontium extra moenia Urbis olim Cisterciensium ordinis eductae, ab Alexandro cardinali Farnesio oppidanis largitae fuere.

D. O. M.

RELIQVIIS . SS . MARTYRVM . IN . LOCO . ISTO . RECONDITIS . ILLVSTRISS . ET.
REVERENDIS . DOMINVS . ALEXANDER . CARDINALIS . DE . FARNESIO . EX.
MONASTERIO . DIVI . ANASTASII . TRIVM . FONTIVM . EXTRA . MOENIA.
VRBIS . ROMAE . EXTRACTIS . PIIS . APPIGNANENSIVM . PRECIBVS.
(NVTV . SVMMI . PONTIFICIS . ACCEDENTE .) TEMPLVM . HOC . VENERABILE.
VENERABILIVS . REDDIDIT . ANNO . DOMINI . M . D . LXXXII.

V. Dominicus de Salazar ordinis praedicatorum primus Maniliae episcopus hoc anno synodale concilium coegit, ubi praeter Antonium Sendenum, et Idelphonsum Sanchez Jesuitas, Didacum Vasquez de Mercado cathedralis ecclesiae decanum, interfuerunt etiam franciscani Paulus a Jesu custos, et Joannes de Placentia, in eoque disputatum est, an hispanica vel nativa lingua illius regionis *tegala* appellata instrui deberent, qui fidei Christi initiarentur. Re mature perpensa, tandem difinitum est, eos fore erudiendos lingua *tegala*. Hinc cum plurimum commendaretur christianae doctrinae institutio nuper ex hispano in eumdem sermonem conversa a fr. Joanne a Placentia, ideo mandarunt patres, ut singuli ecclesiarum ministri ea in erudiendis christifidelibus uterentur.

Martines lib. 1. pag. 43.

VI. Deliberatum est hoc anno a Hieronymo de Burgos commissario visitatore custodiae S. Gregorii, qui paullo ante Maniliam accesserat cum septemdecim sodalibus, denuo Sinensium imperium peragrandum esse. Inito igitur consilio cum Augustino de Tordesillas, qui anno MDLXXIX. eo se contulerat cum Petro de Alfaro, die XX. Junii in portu de Cavite ad tres leucas a Manilia navim Joannis Feria et Petri Pinto Hispanorum nactus, solvit ille cum eodem Augustino de Tordesillas, Martino Ignatio de Loyola, Hieronymo de Aquilar, Antonio de Villanova, et Christophoro Gomez laico navita perito. Hinc errat Piñuela dum scribit Hieronymum de Burgos anno MDLXXXI. ad Sinas cum sociis adivisse, et Joannes a S. Antonio, qui putat Martinum Ignatium de Loyola anno MDLXXVII. omnium primum ea in missione commissarii munus explevisse. Die igitur XXIX. SS. Petri et Pauli apostolorum sacro ad *fluvium salis* in ora marittima Chincheu a tempestate delati, applicuere. Illic primo a supremo classis praefecto *de Supin* velut amici, postea uti exploratores habiti, varias per urbes ad opprobrium adducuntur. Postremo a prorege in tenebricoso carcere inclusi, contumeliis a militibus saturati, cibo potuque destituti, proxime e vita excidissent, nisi decimo post die Simon Rodriquez, qui anno MDLXXIX. interpretis officium adversus Petrum de Alfaro ac socios dolose egerat, aliquoties cibaria eis latenter mini-

Pinuela in catalogo mission. Chinae pag. 2.
Joan. de S. Antonio chron. prov. S. Pauli part. 1. pag. 628.

strasset. Omnia periclitatus est idem Augustinus de Tordesillas, ut hominem a fide devium ad ecclesiae sinum adduceret; at ille obstinatior effectus, in sua infidelitate perseveravit.

VII. Tunc temporis in Cantonensem provinciam accesserant quidam Lusitaniae mercatores, quos inter Matthias Peñella Sinensium idiomate eruditus, magnaeque apud illos auctoritatis. Vix ad ejus aures pervenit, franciscanos patres in vincula fore conjectos, statim de eorumdem liberatione egit, eaque a pro-rege consequuta, domum a se paratam semianimes detulit, recreavitque, ubi paullo post Antonius de Villanova tot aerumnis confectus, mortalitatis debitum sanctissime absolvit. Matthiae Peñella epistolam ad gubernatorem Maniliae anno insequenti datam, ex hispanico in latinum vertimus.

Joan. Franciscus de S. Ant. Chron. prov. S. Gregorii pag. 636.

Señor, con la venida del Padre Alonso Sanchez, y sus compañeros, fuè tan estendida la fama, y nobleza de V. S. que no ay persona, que de ella tenga noticia, que no dessee tener por Señor a V. S. y servirle; y como este desseo more en mi, hé holgado, que se aya ofrecido ocasion, paraque se conozca mi voluntad, mas que con palabras. Y estando con este desseo, oi decir que el Padre Comissario estaba presso en la carcel de Canton con los demas Padres Descalzos, que avian venido en su compañia; lo que me obligò a acudir à ello, por tener particular licencia de los Mandarines, y grandes de la tierra; lo qual hice por ser leal vasallo de su magestad, y ser christiano, y empezar, como digo, a servir à V. S. Luego que llguè a Canton, tratando de algunas cosas de la tierra con los Mandarines de mucha importancia (porque, bendito sea nuestro Señor, entiendo la lengua de los Chinos, y hablo tambien, y mejor, que algunos de ellos; que es causa de tener mucha cabida con ellos; y hacerme todos mucha amistad) puse per obra procurar la libertad de los padres, que estaban bien aprissionados, y sentenciados ya por la sospecha, que tienen, de que V. S. los embiò per acà, por espias; y viven con gran recélo, y miedo; y este les hace vivir con

Domine, Patris Alphonsi Sanchez ejusque sociorum adventu, dominationis tuae fama una cum rerum gestarum nobilitate tantum percrebuit, ut nemo adsit, cui pernotum haud sit tuum meritum, et sub tua manere ditione tibique famulari non exoptet. Tale equidem in me praestat desiderium ac ut propitia mihi daretur occasio auspicatus sum, unde magis factis, quam verbis mea bona ostendatur voluntas. Eo animo cum essem detentus, et vociferari audivissem P. Commissarium in carcerem Cantone conjectum fuisse cum aliis patribus excalceatis, qui cum eo venerant, captivorum liberationem curare a Mandarinis civitatisque proceribus me devinctum perspexi, satisfaciens etiam ita meae qualitati fidelis subditi majestatis suae et christicolae, et incipere dominationi tuae famulatum praebere. In Cantonensem provinciam cum pervenissem in agendis nonnullis civitatis negotiis maximi momenti cum Mandarinis (nam ad Dei gloriam sit, Sinarum idioma intelligo, et loquor aequaliter, et forsitan etiam melius quam aliqui eorumdem) in relationem cum ipsis ingredi, benevolentiaeque significationes excipere potui. Tunc nihil intentatum reliqui ad procurandam patrum

tanto caydado, y castigar, al que cogen. Y como yò tenia librado yà del mismo peligro al P. Alonso Sanchez, y à sus companeros, como es notório, por la particular amistad, y merced que me hace el Virréy; ofrecime à qualquier trabajo, q me viniesse, por la salvacion del P. Comissario, y sus compañeros. Y el mejòr, y primor medio, q tube para ello, fuè ofrecerle presentes al Virréy, y à los demàs Mandarines, conforme a sus dignidades, diciendoles, q los padres eran siervos de Dios, y no pretendian del mundo mas, que vivir con trabajos, y pobreza. Y con esto, y otras razones a proposito, quo Dios me ayudò, y alumbrò el entendimiento que les dixésse para persuadirles, y defalumbraros, quel no eran espias, ni se imaginasse tal de ellos, quiso nuestro Señor, qua revocaron la sentencia, y que me los diéssen en fiado, para passarlos de la prission, y carcel, en qua estaban, à otra casa; donde los llebé, entre tanto que pude concluir lo principal, do librarlos del todo. Y crea V. S. que si poco mas me tardara en llegar à Canton, que según los trabajos, y prissiones, en que estaban en la carcel, que todos murieran alli; porque algunos tenian yà señales de ello. Y en el entre tanto, q los tenia en la casa, que digo, donde los passè de la carcel, pedi al Virrey, y Mandarines, que me los diéssen, pasa embiarlos à su tierra, de donde avian venido; lo qual fuè nuestro Señor servido, me concedieron; con tal que no fuessen a Macan. Y esta merced me hizo el Virréy, porque es muy gran Señor mio; y assi los recibi libremente, y me los entregaron con todo fu hato, que no era mucho. Y demas de esto mandò buscar la fragata, en que avian venido,

libertatem, qui stricte in vinculis erant jamque damnati eoquod a tua dominatione illuc ipsos velati exploratores missos fuisse arbitrabantur; magna enim vivunt cum suspicione, et timore, statimque omnes, qui in eam possunt incidere puniunt. Cum jam alia vice data mihi fuisset potestas liberandi ab eodem periculo P. Alphonsum Sanchez sociosque suos, ut omnibus perspectum est, ob singularem benevolentiam qua pro-rex mecum utitur, ideo a malis, quae mihi obventura forent haud deterritus, ut eos a custodia educerem, pro-regi ac mandarinis dixi, Patres Dei famulos esse, nihil velle a mundo, sed dumtaxat vitam in labore et aegestate ducere; et istis, aliisque opportunis rationibus propter Dei auxilium, qui meum illuminavit intellectum, eos persuasos reddere, ab eorumque mente etiam umbram auferre ipsos esse exploratores, voti compos factus fui. Tandem ad sententiam revocandam, et ad mihi tradendos religiosos captivos eos induxi ut ab eo carcere, in quo vincti detinebantur, in aliam domum quam eligerent illos traducere valerem, donec praecipuus finis, totalis scilicet eorum liberatio obtineretur. Pro certo habeat dominatio tua, quod si aliquantisper eo pervenire cunctatus fuissem, tales erant cruciatus, doloresque, quos illo in carcere religiosi patiebantur, ut eos omnes mortuos invenissem, sicut jam aliqui evidentia signa praeferebant. Facta mihi deinde fuit potestas, ut supradicti religiosi ad regiones suas, e quibus venerant revertere valerent, dummodo tamen Amacai non morarentur. Hanc mihi gratiam prorex cum sit meus bonus dominus fecit, qui etiam ad conquirendam

que estaba seis legnas de alli, y mandò se medielse una Cha-pà, que es provision, paraque pudiessen ir seguros, sin q nadie los pusiesse estorvo; la qual lleba Barthelome Vaez que por uo estar yo apercebido, no soy el portador de esta. Mas dandome V. S. licencia, espéro, de aver otra del Virrey para ello. Assi Señor hè hecho este servicio, y otres à Dios, y a su magestad; y pareciendo à V. S. q por este particularmente merezco alguna merced, y galardon, y por estar ofrecido para otros muchos de otras calidades, en lo por venir, como V. S. se podrà infermar; recibiré merced de V. S. en que sea instrumento, paraque su magestad lo entienda; y la mano, que entre estos Chinos tengo, para poderse servir de mi en cosas grandes. Soy casado en esta ciudad; y porque sobre todo hé hablardo largo al P. Commissario, y a Jnan de Feria, que va con el, no me alargo mas; de que V. S. tenga por muy cierto, tenia en esta tierra un leal, y verdadero criado en mi à quien puede mandar todo lo que fuere servido; y nuestro Señor guarde la muy illustre persona de V. S. por muchos años.

De Macào a 10 de Febrero de 1583.

Criado de V. S.

Mathias Peñella.

navem, in qua venerant, et quae sex a Cantonensi provincia distabat leucas misit, jubens insuper ut mihi traderetur Cha-pa, idest syngraphus, quo tuti incedere possent, et ut nemo eis ullam molestiam afferrent. Syngraphum Bartholomaeus Vaez defert, quia ego cum non essem expeditus, illius lator haud esse potui; at si tu mihi veniam dabis, spero me et alterum a pro-rege habiturum syngraphum, ut ad te veniam. Tali mea ratione hoc et alia officia Deo et suae majestati exhibere valui. Si Dominationi tuae ego aliquam promereri mercedem, remunerationemque videbor, aliud honoratius praemium haud excipere potero, quam esse in facultate eo utendi favore, quem cum Sinensibus habeo, ut in rebus magni momenti suae majestati deserviam In hac civitate uxorem duxi; et quia prolixe de omnibus rebus locutus sum cum P. Commissario, et cum Joanne Feria, qui una simul iter peragit, nihil aliud addam; dominatio tua indubium teneat, habere in me hisce in locis fidelem verumque famulum, cui poterit mandata praebere illico adimplenda. Dominus noster ad multos annos tuam incolumem protrahat vitam.

Amacai die 10. Februarii 1583.

Dominationis tuae famulus

Matthias Penella.

De Gubernatis tom. 1. de miss. antiquis pag. 454.

VIII. P. Dominicus de Gubernatis de hac altera franciscanorum missione in Sinensium imperium scribens, haec habet » Secundam missionem ad Sinas obtinuit fr. Hieronymus de Burgos, qui paullopost cum » octo de suis consodalibus ad Meacum amandatus, in provinciam Cantoni a tempestate delatus, cum sociis omnibus ab indignatis Chinensibus, dira fame, diutino carcere, aerumnisque plurimis afflictis, variasque per urbes ad opprobrium, et poenam adductis, tandem veluti » post acceptam pro suis Chinae possessionem fuerunt in Macaum dimissi; et hi potuerunt illi esse, quos dicit Trigaucius Jesuita fuisse » a suo Matthaeo Riccio in carceribus anno MDLXXXII. inventos, et pro » liberatione adjutos » Nonnulla tamen a veritate prorsus aliena profert. Nam hi non octo sed sex dumtaxat fuere, nec obedientia merito Mea-

Digitized by Google

cum amandati, cum Meaci civitas ad Japoniam, Macai sive Amacai vero ad Sinas pertineat; nec consequenter a tempestate e Meaco delati sunt ad Cantoni provinciam; nec tandem Matthaei Ricci Maceratensis ope e captivitate liberati.

IX. Bernardinus Beltramus aliorum sodalium, qui anno MDLXXX. Novum Mexicum petierant, exempla sequutus, Indorum saluti hoc anno consuluit. Sui itineris rationem ita prosequutus est Thuanus, cujus verba, aliquibus tamen ex Francisco Gonzaga emendatis, hic exscribimus. *Thuanus p. 624. Gonzaga p. 1222.*
» Fama excitus, eodemque pio ardore succensus *ex custodia S. Francisci de Zacatecas*, Bernardinus Beltramus ad collegas, *quos eo inscio Indi necaverant*, contendere statuit, et Antonio Espejo Cordubensi opulento institutori, qui ad fodinas *S. Barbarae* domicilium habebat, auctor fuit, ut opes suas in tam laudabilem expeditionem conferret. Quod et ille libentissime fecit, et assumpto Joanne Antivaro novae Cantabriae, quae LXX leucis a fodinis abest, praefecto, qui militibus, quos secum ducebat, praesset, rebus cunctis ad profectionem egregie comparatis, ipse in viam se dat IV. eid. IXbreis superioris anni. Conchos ubi venere, amice excepti sunt a Cacicis, sic regionum praefectos vocant. Regio est tritici ferax, ac frugiferarum arborum, melonibus et cucumeribus abundat, fluviis compluribus irrigatur in iisque pisces optimi saporis. Venatu indigenae vitam tolerant seminudi et arcubus armati, multa ad adorandum sigilla cum haberent, facile ab Hispanis exorati sunt, ut venerandae Crucis signa in solo suo erigi paterentur. Ulterius a Cacicis deducti ad Passaguatas descendere, quorum iidem qui Conchorum mores ac victus. Argenti fodinae apud eos esse creduntur. Passaguatis Tobosi succedunt, et Tobosis Jumani, quos Hispani Patarabuies vocant. Regio hominibus frequens, et oppidis e lapide quadrato. Os, brachia, crura tam viri quam feminae fuco inficiunt, corpore praegrandi, et cultioribus quam vicini moribus. Rebus ad victum necessariis abundant, accedente ad has commoditates navigabili fluvio, quem Baeti suo Hispani non minorem adfirmabant. Plures apud eos lacus aquae salsae ex qua congelata sal optimum colligitur. Inde secundum flumen a Cacicis duodecim dierum spatio deducti obvios habuerunt homines, qui verae religionis notitiam aliquam gestu praeseferebant. Interrogati per interpretem a Pamphilo Nervesio, qui pietatis studio inductus per Floridam Conibam et adjacentes regiones totum novennium in summa rerum omnium penuria deerraverat, se salutaris doctrinae rudimentis initiatos, *forsan a tribus illis franciscanis, qui eo se primum contulere*, significabant. Ii a B. Beltramo confirmati, eorumque exemplo complures ex vicinis regionibus agmine facto ad Antonium confluxere, sindones ex cotonea tela optime concinnatas varii coloris ac fere cyanei, quales ex Sinarum provincia vulgo advehuntur, deferentes. Rupicaprae apud eos frequentes, quarum pellibus pulchre concinnatis vestiuntur. Specimen et metalli optimi oblatum, cujus fodinas XV. abhinc dierum itinere abesse significabant, quae illi per vastas solitudines emensi semper oram fluminis legentes, regionem domibus frequentem ingressi sunt, in qua indigenae coriis, qualiter in Flandria concinnatur, et sale albo abundant. Ripa fluminis fere albis populis coronatur, et nucibus ac viti-

» bus, ut in Castella. Eam provinciam Mexicanam novam Antonius indigetavit. Decem oppidis pluribusque pagis ac decem hominum millibus habitatur. Domus apud eos quatuor contignationum, in quibus et balnea habent, et vestibus ac coriis bene praeparatis utuntur. In bello item clypeis ex crudo vaccae corio, arcubus validis ac sagittis, quibus acies ex silice ignivomo, tanta sive dexteritate, sive vi directis, ut annulatam loricam penetrent. Post quatridui moram Tiguas transitum, quo ab initio Ruisius venerat. Regio sexdecim urbibus habitatur, quorum princeps Poala dicta. Conscii indigenae caedis Francisci Lupi, qui Ruisium comitatus fuerat, in avia relictis domibus confugerant, a quibus vix unquam promissis et veniae spe facta ut redirent adduci potuere. Metallorum locum feracem esse Hispanis constitit; qui cum in Cantabriam unde venerant redire cogitarent, Antonius annitente Beltramo tenuit, ut iter persequerentur, ac biduo post regionem ortum versus Cibolae vicinam maxime omnium fertilem ingressi sunt. Undecim oppidis et ab quadraginta circiter hominum millibus habitatur. His proximi Quires ad triginta septem graduum altitudinem, apud quos quinque oppida, quae fere a quindecim millibus hominum habitantur. Inde quatuordecim leucas emensi ad Cunamos accesserunt, qui quinque oppida item habent, inter quae urbs ampla octo plateis distincta et viginti hominum millibus frequens, qui domos egregie structas ac foris pictas habitant. Opibus illi abundant, fodinas haud hinc procul ostendebant. Inde converso ad septentrionem ortum versus itinere Amies occurrunt, qui septem oppidis habitantes xxx hominum cIↃ in speciem efficiebant. Quindecim abhinc leucis ad occasum Acoma urbs in praealto colle sita est a sex hominum millibus habitata, ad quam per scalam in saxo incisam aditur. Oppidani aquam ex cisternis bibunt, superstitioni gentilium addicti. Indi viginti quatuor leucarum spatio dissitam Zunia, *sive quam Hispani dicunt Cibolam, et Quiviram ante annos quadraginta detectam a fratre Marco Niciense, penetrarunt.* . . . . Inde lustrata valle cui Zaguatae nomen, cujus Cacici obviam progressi in laetitiae signum, masii (hoc est *mays*) id frumenti apud eos genus, farinam per vias spargebant. Ab iis confirmata de lacu sexaginta abhinc dierum itinere fama, cujus incolae auri copia abundabant. Lustrati et Serrani ad mare septentrionem versus projecti, et ortum versus Habates; apud quos crebrae metallorum fodinae. Regio viginti quinque hominum millibus habitatur, cotoneis indusiis optime vestitorum, qui domos ex cedro et pinu plerumque structas quatuor ac quinque contignationum habent. Ultimi lustrati Tomosi, ubi Antonius perhumaniter ab indigenis acceptus, qui tandem ineunte Vtili hoc anno ad vallem S. Bartholomaei rediit, et iis quae toto itinere notaverat aut ab Indis acceperat, confectam relationem ad pro-regem qui Mexici erat misit ».

Ann. min. ad an. 1532. num. 3. et 1539. num. 4. et seq.

Conventus S. Angeli.

Gonzaga in prov. Romana conv. 34. Casimirus de Roma p. 17. et seq.

X. In provincia Romana prope castrum S. Angeli dioecesis Tyburensis extitit domus pro observantibus, opibus Victoriae Tolfa baronissae de Guardia oppidi dominae, in quadam parva ecclesia S. Liberatae, non autem S. Liberati juxta Gonzaga, quam post saeculi xv. medium ob sedatam luem oppidum depopulantem, pii sacerdotis consilio excitarunt incolae. Locum designarunt non absque insigni prodigio tres pueri, baculo, ubi

ecclesia fundari deberet, solum tertio percutientes. Pia universitas quingenta auri nummorum scutata, pleraque alia ad coenobii aedificationem contulit; eo anno insequenti perfecte absoluto, sex fratres, Bernardino de Podio Nativo praeside, ad illud incolendum immissi sunt. Hinc die xvii. Maii Summus Pontifex Prospero cardinali Sanctaecrucis episcopo Tyburensi commisit » ut posteaquam ei legittime constitisset fabricam memorati conventus S. Liberatae, alias ordinis fratrum minorum de observantia S. Francisci, omnibus numeris absolutam, debitaque supellectile tam sacra, quam non sacra, pro uso et habitatione religiosorum necessaria refertam esse, nec non vicinorum populorum pietatem et propensionem ad eleemosynarum largitionem, pro alendis octo saltem religiosis, sufficere posse, eumdem conventum ad primaevum statum regularem reduceret, ac introductioni praedicatorum octo religiosorum ejusdem ordinis, scilicet cum suo guardiano et aliis fratribus eidem subjectis, sub clausura regulari locum esse declararet, atque decerneret, cum hoc ut in eodem conventu assignari deberent, et assidue substentari ad minus ejusmodi octo religiosi ». Vi cujus die ii. Julii locum P. Franciscus de S. Angelo occupavit. Verum cum coenobium debito fratrum numero destitueretur, anno mdclii. Innocentii PP. X. decreto, supressioni subjectum fuit. Redierunt tamen anno mdclxxiii. rem agente apud Clementem X. Federico Cesi Aquaspartensi duce, tunc oppidi domino. Anno mdccxxxvii. funditus ferme excitavit eamdem ecclesiam ac coenobium Reverendissimus Joseph Maria Eborensis. Sacra haec domus pluribus honestatur SS. reliquiis; item diplomata episcoporum cardinalium ecclesiae Tyburensium asservantur, quibus christifidelibus ecclesiam S. Liberatae visitantibus 100. annorum de vera indulgentia conceduntur in festivitatibus Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, nec non Assumptionis B. Mariae Virginis, S. Liberatae, ac S. Angeli.

XI. Hoc anno absoluta cum esset fabrica conventus S. Mariae de consolatione oppidi Caprolae in eadem provincia, quo quinquaginta Alexander cardinalis Farnesius, et sodales Hospitalis S. Joannis Lateranensis centum aureorum nummorum scutata impenderunt, Sebastiano Dominico de Buschio tum guardiano traditus est die xv. Augusti a Michaele Lorenzi, Bernardino Giovannuzzi, Antonio Villani, et Joanne Baptista Manchelli ejusdem oppidi prioribus, *salvo ac reservato beneplacito et consensu Reverendissimi Capituli S. Joannis Lateranen., ac renovatione quindennii, et annuali responsione ad favorem ejusdem capituli*, nimirum annuo censu duarum piperis librarum. Omnia haec rata habet Pontifex: *In supereminenti* calendis Decembris. Caute hic est legendus Michelesius, dum scribit, coenobium hoc absolutum fuisse anno mdlxxxiii. Alexandrum cardinalem Farnesium quingenta, et quinquaginta ducata domum hospitalem S. Joannis Lateranensis pro fabricae constructione erogasse.

Conventus Caprarolae.
Idem p. 58. et seq.

Ann. min. ad an. 1570. *num.* 25.

XII. Ecclesia haec unico altare instructa, sacro oleo delibata fuit die xv. Julii anno mdlxv. a Nicolao Peruschi Civitatis Castellanae et Ortensis episcopo. Haec solo aequata, expensis Farnesianae familiae, ac piis oppidanorum largitionibus circa finem saeculi xv. altera nova extitit sub eadem invocatione, in cujus ara maxima summo est in honore parva B. Mariae Virginis imago, de qua sic habet Panlilius Lorenzi apud Ca-

Idem pag. 62.

simirum de Roma » Sappia V. S., ita scribit ad D. Latinum Mulerio » Archipresbyterum Caprarolae, che quella nicchia con quella immagine, » che oggi si trova sopra l'altar maggiore di detta chiesa (della ma » donna dellaconsolazione) cento e più anni sono se ne stava nel fos- » so di Mazzocchio della strada di Carbognano; et ivi mostrandosi dal » Cielo ogni giorno più miracolosa cominciò a tirarvi il concorso delle » genti, e tra gli altri miracoli, che in confuso si sono intesi, e per » la lunghezza del tempo son passati senza distinta memoria, uno ne » ho sentito più volte chiaramente riferire. Che essendo andata un gior- » no una povera e divota donna per visitare quella divota immagine, » et ivi portata una candela per accenderla, scordatasi del fuoco, tra- » vagliata dal dolore di non potere usare quell'atto pio, e dal pensiere » di tornare indietro, si trovò miracolosamente il lume acceso in ma- » no. Del che stupita e spaventata in un tempo, quasi fuori di se » stessa, dopo molti suoi gridi, e preghiere, se ne ritornò al Castello, » raccontando e predicando il miracoloso successo. Per il che tuttavia » più infervorato il popolo risolse fabbricarle, siccome fece, un tempio » fuori della vecchia porta Romana, nella strada, allora maestra e prin- » cipale, facendolo in un sito concesso e privilegiato dall'illustre Ca- » pitulo di S. Giovanni Laterano di Roma con molte indulgenze, im- » munità, e privilegi. E volendo il Pubblico effettuare questa sua buo- » na intenzione con quella solennità e divozione, che ogni uomo può » giudicare, trasferì quella nicchia con quella immagine alla nuova chie- » sa, et ivi collocata per quel giorno se ne stette. Ma il tutto indarno, » perchè il giorno seguente non fu altrimenti trovata, dove la lasciaro- » no, ma sì bene al fosso nel suo pristino luogo; et in maniera che » non si conosceva esser stata mai mossa. Tornò di nuovo il popolo » a fare il medesimo, e l'istesso successe l'altro giorno con maggior » stupore di prima. Finalmente ispirate quelle genti dal Cielo, per quel- » lo che fu poi dall'esperienza giudicato, fabbricarono un'altra cappel- » letta nell'istesso fosso, e con l'istessa immagine della gloriosa Vergi- » ne; et poi con umiltà, e divozione fu portata l'altra prima immagi- » ne al nuovo tempio a questo effetto fabbricato: et ivi riposta et ac- » comodata si compiacque dal Cielo sodisfare a quel pubblico e devoto » desiderio di essere ivi visitata, e supplicata da Fedeli. La nuova chie- » sa fu poi data per molti anni in cura ad un solo religioso, finchè » cresciuto il popolo, e mal comodo di messe e di confessori, procurò di » mettervi una famiglia di religiosi, e ciò fece già 40 anni sono, con- » cedendola alla Religione de'Minori Osservanti del Serafico P. S. Fran- » cesco etc. »

Conventus Santhiâ. *Monum. provinciae S. Thomae Apostoli p. 85.*

XIII. In provincia Genuae conventus et ecclesia sub invocatione S. Francisci in oppido Santhiâ dioecesis Vercellensis inchoantur hoc anno, expensis potissimum pientissimae feminae Angelae Flaminiae della Lanze, fundum ministrante Francisco Belvisetti loci accola. Anno MDLXXXIV. perfectionis culmen accepit pro incolatu XII. fratrum. In provincia Principatus conventus S. Francisci in oppido Pali dioecesis Consanensis, annuente Scipione Gesnaldo episcopo, fidelium eleemosynis construitur. Eo loci praecipua veneratione colitur pulcherrima imago B. Virginis Immaculatae, quae a christifidelibus non sine munerum coelestium largitione invocatur.

Conventus Pali. *Monum. provinc.*

XIV. Circa haec tempora coenobium humillimum contemplationique accomodum, titulo Visitatoris Deiparae Umblaeni, a Gonzaga appellatum S. Francisci Ombulae, anno MCCCXIII. ad IV. lapidem a Ragusina civitate in littore maris aedificatum, diruit, ut magis amplum construeret vir summae perfectionis P. Silvester Gagliazovik ibidem defunctus; anno MDLXXXV. perfecte complevit P. Franciscus Badagliovick. In Cameracensi praesidio hoc anno expilatum dicitur oppidum Lensii in Ortesia dioecesis Attrebatensis. Eo in excidio iterum et conventus minorum observantium S. Francisci titulo incensus est, teste eodem Gonzaga auctore coevo hisce verbis » multa et gravissima damna et injurias sustinuit hic conventus ex bellorum incommodis, et Gallorum hostium » excursionibus, qui bis hunc conventum incenderunt et spoliarunt, semel adhuc vivente Imperatore Carolo V., et iterum anno MDLXXXII. cum » per insidias oppidum invaserent. Quibus incendiis fere tota supellex » cum omnibus litteris pontificiis et vetustatis monumentis, et reliquiis » absumpta fuit. » Super tumulum B. Pacifici, qui in eorum ecclesia Beati titulo colebatur, conscripserant antea minoritae hoc epitaphium: *sub hoc lapide recondita servantur ossa sacra B. Pacifici ordinis minorum, qui ipse primus fuit provinciae Franciae minister.* Cum autem ibidem post novem annos rediissent, dictae epigraphi apposuerunt annum MDXCI. Fratribus observantibus successerunt Recollecti, et anno MDCIX. coenobio funditus everso, novum conventum novumque templum intra moenia oppidi fidelium eleemosynis construxerunt.

Conventus Umblaeni. Gonzaga in prov. Ragusii conv. 4. Monum. provinc.

Gonzaga in prov s. Andreae conv. 9

Acta SS. ad diem 10. Julii.

XV. Postulante Nicolao Bermundo ministro provinciae S. Ludovici indulget Pontifex: *Regimini militantis ecclesiae* calendis Maii, ut ecclesiam et domum Dominae nostrae de Gratia Carpentoractis piorum catholicorum beneficiis erectam reciperet, licet nondum completam. Item ut recipiat domum in suburbio oppidi Oriolis Tolonensis dioecesis, erectam ab universitate loci sub invocatione B. Mariae de Bona Via: *Piis fidelium votis* calendis Maii. Mandat coadjutori episcopi Salisburgensis, ut fratres de observantia immittat in monasterium ordinis S. Benedicti, positum intra moenia ejusdem civitatis, confessiones audiendi causa, infirmos visitandi, aliaque pia opera exercendi: *Cum sicut accepimus* die XII. Maii; eadem die idipsum jubet ministro provinciae: *Mandavimus.*

Conventus Carpentoractensis. Ann. min. ad an. 1571. n. 19.

Conventus Oriolis.

Conventus Salisburgensis.

XVI. Joannes de Aroaz apud Philippum II. in Indiis occiduis strenuus miles, admodum locuples, cum prole ex uxore Maria de Garibai caruisset, suorum bonorum S. Franciscum fecit haeredem. Consilio in hac re usus P. Francisci a Tolosa, quem esse voluit a se conditi testamenti curatorem anno transacto, facultatem impetravit a Gregorio XIII. excitandi prope oppidum Mondragonis dioecesis Calaguritanae pro observantibus coenobium, sive collegium S. Francisci titulo: *Regimini militantis ecclesiae* idibus Junii. Ne vero ipsi aliqua vel in sustentatione, vel in fabricae mollitione penuria laborarent, statuit, ut quolibet anno in perpetuum a tertiarlis sororibus Monasterii Conceptionis ejusdem oppidi suppeditaretur sexcentorum aureorum vis, lege eis lata, ut duo sacrae theologiae lectores forent, qui duodecim studentes fratres, ac clericos saeculares eo confluentes sedulo in divinis rebus instituerent.

Conv. Mondragonis.

Gonzaga in prov. Cantabriae conv. 18.

XVII. Oppidani Alcoverienses dioecesis Tarraconensis postquam propriis sumptibus ad coenobii formam reduxissent antiquum eremum, ali-

Conventus Alcoveriï.

Idem in prov. Cataloniae conv. 23.

quantulum dissitum ab eodem oppido sub invocatione S. Annae, accedente placito Antonii Augustini archiepiscopi Tarraconensis, illud hoc anno tradidere recollectis custodiae Cataloniae. Continet xii. fratres. Alterum obtinuerunt pro x. fratribus, suffragante laudato archiepiscopo, in eadem custodia non longe ab oppido Riudonis, ex publicis eleemosynis congestis extructum, SS. Joanni Baptistae ac Evangelistae sacrum.

Conv. Riudonis. *Idem ibid. conv. 24.*

XVIII. In provincia S. Joannis Baptistae accessit discalceatis coenobium S. Bernardini apud oppidum S. Matthaei Dertosanae dioecesis, piorum sumptibus paulloante constructum pro xii. fratribus. Ab eo recesserunt anno MDLXXXIV. juxta Antonium Panes. Ob loci angustiam abierunt etiam e coenobio S. Mariae Magdalenae prope oppidum Teclae, sive Yeclae dioecesis Carthaginensis, ut alterum incolerent titulo S. Francisci prope eumdem oppidum. Item deseruerunt conventum Dominae nostrae de Angelis oppidi Liriae dioecesis Valentiae, et occuparunt alterum sub invocatione Conceptionis. Anno MDCIII. illum dimisit Hieronymus Planes provinciae minister.

Conv. Oppidi S. Matthaei *Idem in provincia S. Joan. Baptistae conv. 16.* *Panes lib. 1. cap. 31.* Conventus Teclae. *Idem cap. 13.* Conventus Liriae. *Idem cap. 10.*

XIX. Iisdem discalceatis fratribus provinciae S. Gabrielis a Ludovico Taberna episcopo Laudensi in Hispaniarum regnis Nuntio facultas conceditur duas vel tres domos et ecclesias laudati ordinis in quibusvis locis et terris aedificandi, hoc edito diplomate.

» Ludovicus Taberna Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Laudensis, Sanctissimi Patris et Domini nostri D. Gregorii divina providentia Papae XIII. et ejusdem Sedis in Hispaniarum Regnis cum potestate legati de latere Nuncius.

» Ad futuram rei memoriam. »

Franciscus Matriten. in bull. discalc. tom. 5. p. 74.

» Ex commisso nobis legationis officio ad ea libenter convertimur, » per quae religionis et christifidelium devotionis et cultus divini augmento consulitur, et iis quae propterea processisse dicuntur, ut illibata persistant, cum a nobis petitur, auctoritatis ejusdem officii » adjicimus firmitatem. Sane pro parte dilectorum in Christo ministri » provincialis, et fratrum provinciae S. Gabrielis ordinis fratrum minorum de observantia discalceatorum nuncupatorum nobis oblata petitio » continebat, quod alias in capitulo provinciali ejusdem ordinis fratrum minorum de observantia in domo S. Michaelis Placentini anno » Domini MDLXXX. celebrato, ejusdem ordinis Commissarius Generalis » eisdem provinciali, et fratribus discalceatis nuncupatis dictae provinciae S. Gabrielis, ut in quibusvis civitatibus, terris, et locis, ubi ad » id requisiti fuerint, et ipsis expedire videretur, duas, aut tres dicti » ordinis discalceatorum domos recipere, et de novo in locis ad hoc » congruis juxta eorum regulae formam et tenorem construere et aedificare valerent, licentiam et facultatem concessit, prout in dicti commissarii patentibus litteris desuper confectis continetur. Cum autem » sicut eadem subjungebat petitio, ipsi minister provincialis, ac fratres, » litteras ac per eas illis concessas, licentiam et facultatem praedictas » pro earum firmiori subsistentia ejusdem Sedis munimine roborari cupiant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eisdem robur » nostrae confirmationis adjicere, ac alias in praemissis opportune de » benignitate apostolica providere dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, eosdem provincialem et fratres a quibusvis ex-

» comunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-
» tentiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione,
» vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, dummodo
» in illis per annum non insorduerint, ad effectum praesentium dum-
» taxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore ceo-
» sentes, litteras ac per eas eisdem provinciali, et fratribus concessas li-
» centiam et facultatem hujusmodi, prout provide, ac rite, et recte ab
» eodem commissario generali factae sunt, auctoritate apostolica nobis
» concessa, et qua fungimur in hac parte, tenore praesentium confirma-
» mus et approbamus, illisque apostolicae firmitatis robur adjicimus;
» constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis non
» obstantibus quibuscumque.

» Datis Matriti Toletanae dioecesis anno Incarnationis Dominicae
» MDLXXXII. pridie nonas Julii, Pontificatus praelibati SS. D. N. Papae
» anno XI.

» Ludovicus Taberna Nuntius Apostolicus
» Gentilis Abbreviator. »

XX. Petro ab Azuaga ministro provinciae S. Fidei in novo regno Granatensi, civium largitionibus posita est pro octo fratribus in civitate Mopoxii, quae ad Peruanam Carthaginensem dioecesim spectat, aedes S. Antonio Paduano sacra. Hic sedulam gerunt curam, constructis in oppidis Malibuensium Indorum tribus ecclesiis praesidendi, fideles Christi doctrinam in dies edocendi, ac divina ministrandi. *Convent. Mopoxii. Gonzaga in prov. S. Fidei conv. 9.*

XXI. Regiis ac Hispanorum facultatibus ad CL. M. a civitate Manilae in oppido Caceres in provincia de Camarines hoc anno exsurgit coenobium pro XII. fratribus. Pertinet ad custodiam S. Gregorii Insularum Philippinarum. Haec retulimus ex Gonzaga. Occupata ferme ab aquis veteri civitate S. Jacobi in regione de Guatemala anno MDXLII., novam ad duo milliaria sub eadem invocatione excitarunt Hispani una cum coenobio pro observantibus S. Francisci titulo. Verum die XXVII. Novembris anni MDLXXXI., et initio sequentis, erumpente horrendo cum fragore e monte igne ac sulphure, ac per montis latera in imas valles profluente, parum abfuit, quin civitati exitium inferretur. In tanta urbis calamitate, implorata S. Sebastiani Martyris tutela, accolae e tanto vitae discrimine illico evaserunt, nec ab eo tempore ab ejusmodi metu amplius fuere perculsi. Sluna, Croatiae propugnaculo, a Turcis hoc anno, ut diximus, expugnata et expilata, observantium coenobium incolae amisere. *Conv. Cacerensis. Idem in prov. S. Gregorii pag. 1355. Idem in prov. Nominis Jesu de Guatemala p. 1329. Greiderer tom. 1. lib. 2. n. 166. pag. 142.*

XXII. Diximus anno mox elapso, malignantium opera, e civitate Amacai exulatum abire coactum fuisse Joannem Baptistam Pisaurensem, civitatemque Malacae petiisse. Illuc paullopost advenit Arias Gomez Lusitanus illius civitatis praeses, qui audita adversus sanctum sacerdotem persecutione, navim nactus, simul cum ipso Amacaum perrexit, ut honori Pisaurensis consuleret, calumniatoresve mulctaret; eo tamen veniam deprecante, singuli ab animadversione fuerunt expertes. Ut accessit, de novo extruendo pro pueris eo undique confluentibus collegio, animo cogitare coepit; sed refragantibus Lusitanis, ad interiora coenobii pro XX. juvenibus extempore illud aedificavit, quibus cibaria vestesque suppeditabat, eosque Christi doctrina imbuebat. *Joan. Fran. de S. Antonio tom. 1. p. 613. Collegium Amacai*

Digitized by Google

XXIII. Joannes de Ley archiepiscopus Trevirensis, edito rescripto, Joannem Hayum commissarium apostolicum visitatorem franciscanorum a Pontifice designatum commendat, eique plenariam auctoritatem in sua ditione confert.

» Joannes Archiepiscopus Trevirensis Sacri Romani imperii
» Princeps Elector etc.

Miraeus tom. 3. pag. 147. » Ad cunctorum cupimus pervenire notitiam, quod venerabilis Pater » devotus nobis dilectus frater Joannes Hayus ordinis S. Francisci de » observantia, nobis obtulit videndum et legendum commissionem SS. » D. N. Gregorii XIII. P. M. qua ipsi ad preces R. P. Ministri Generalis ejusdem ordinis conceduntur et demandantur variae ac quaedam » facultates, ejusdem ordinis personas et monasteria utriusque sexus con» cernentes, prout plenius ex tenore dictae commissionis constat. Nos » igitur ab eo requisiti, Sanctissimi Domini Nostri pium et sanctum » desiderium implere cupientes, nostra quoque auctoritate, in quantum » opus est, illi in hac parte libere et absque omni impedimento, tam in » iis locis, quae de observantia nuncupantur, quam quae conventualium » et gaudentium nomine censentur, cujusmodi sunt duo monasteria, » unum in Merula ad Mosellam, alterum S. Germani Treviris, suae » commissionis plenarie exequendi fecimus potestatem per totum no» stri principatus territorium, totamque archiepiscopatus dioecesim; omni» bus et singulis tam ecclesiasticis, quam saecularibus, sub poenis gra» vissimis ad arbitrium nostrum infligendis, praecipiendo mandamus, ut » praeceptis et jussibus dicti Patris Commissarii Apostolici, secundum » tenorem suae commissionis, promptam et debitam praestent obedien» tiam nostris officiatis, praefectis, scultetis, scabinis, et quibuscumque » ministris et subditis, ne ipsius dispositiones impediant vel quovis modo » impedire faciant, sed potius requisiti nostro nomine omnibus favori» bus prosequantur, juvent, promoveant, et tueantur; eos vero, qui » ordine Divi Francisci relicto, aliis inserviunt ecclesiis, vel extra or» dinem otiosi vivunt, ipsius Patris Commissarii potestati omnino re» linquant, et interpellati nostro nomine manus ipsi auxiliares porrigant; » hoc ipso nostrum se scientes exequi praeceptum.

» Datae in Oppido nostro Montis Thabor sub sigillo nostro die 6. » Mensis Februarii anno 1582. more Treverensi.

Monum. prov. XXIV. Eo igitur auctore rediit ad observantes conventus Trevirensis, et Lympurgensis. In provincia S. Andreae post obsidionem duorum mensium peractam ab. Alexandro duce Parmensi restitutus est fratribus conventus Aldernardensis, positus ad ripam fluminis Schadis anno MDLXVI. (*Ann. min. ad an. 1566. num. 42.*) a sectariis spoliatus, ac ferme dirutus. Incolitur a XII. fratribus, qui corruptam ab haereticis plebem pro viribus ad ecclesiae gremium reducere adnituntur.

XXV. Juspatronatus coenobii dominae nostrae de Gratia in villa de Cornago in provincia Burgensi, quod pro fratribus anno MCCL. a Cisterciensibus coemerant Joannes de Luna, et Maria ejus uxor, non hoc anno, ut scribit Gonzaga, sed anno MDCXXII. patrum illius provinciae voluntate, transiit ad eamdem familiam de Luna. Ob defectum integrae solutionis pactae pecuniae, quam fratres anno MCDLXVI. piorum eleemosynis persolverunt, a jure patronatus exciderat. (*Gonzaga in prov. Burgensi conv. 12. Monum. prov. Burgensis.*)

XXVI. In provincia Principatus initiata est hoc anno fratrum reformatorum custodia, cui omnium primus praesedit Bernardinus a Montecorvino custos. Observantes eis cesserunt coenobium S. Mariae Aviliani prope civitatem Campaniae, S. Mariae de Paradiso prope oppidum Oliveti dioecesis Compsanensis, et S. Mariae de Gratiis Puccinisive Bucini ejusdem dioecesis. Cum autem hujusmodi fratres in Italiae regionibus consistentes a nulla alia ratione vivendi, nisi ab ea, quae a spirituali singulorum fervore ducta erat, regerentur, ideo quaedam hoc anno iterum edidit generalis minister, olim aliquibus provinciis oblata a Francisco de Angelis tunc ordinis supremo administro, ab eis in quolibet coenobio fideliter custodienda. *Monum. prov.*

» Fr. Franciscus Gonzaga ordinis minorum generalis minister et servus, venerandis patribus, guardianis vicariis, praesidentibus, et aliis religiosis praesentibus, et futuris custodiarum, et locorum restrictorum, seu reformatorum provinciarum Italiae salutem.

» Cum primum ordinis minorum Dei benignitate generalis minister creatus essem, quod hujus officii ratio postulabat, statui omnes ministerii mei curas et actiones, ad eorum quibus praeessem utilitatem et salutem referre, regularem disciplinam propagare, mores ac vitam ipsorum fratrum, et maxime eorum qui reformati nuncupantur ad regulae quam profitentur puriorem observantiam divina opitulante gratia dirigere. Verum cum postea Italiae provincias visitaremus, facile intelleximus, quod in plerisque locis vestris, nullae habebantur constitutiones, in quibus ea continerentur, quae perfectionis observantiae fundamenta sunt. Experientia etiam didicimus, quod si hujusmodi constitutiones in illis haberentur, non passim sed raro a via perfectionis deviarent, proinde vobis, qui ad ea quae paupertatem, orationis assiduitatem, et carnis mortificationem concernunt, proprius accedere appetitis, praesentium serie exhibemus modum vivendi, in locis vestris una cum generalibus et provincialibus statutis, praesentibus non contrariantibus observandum, olim a R. P. Martiali Boulier vicario generali Ultramontano insinuatum, et postmodum a R. P. fr. Francisco Angelorum tunc temporis generali ministro, aliquibus provinciis oblatum. Qui quidem modus in tria tantum capita ad honorem SS. Trinitatis distinguitur. »

CAPUT I.

De divino officio, silentio, et oratione.

» In primis licet ritus cantandi divinum officium pius sit, et a SS. Patribus salubriter introductus, tamen ut fratres praefatorum locorum liberius orationi et contemplationi vacent, ac in omnibus ad poenitentiae lamenta salutaria reliquos suo exemplo provocent, observandum erit, ut divinum officium in dictis locis non cantetur, sed devote sine nota ab omnibus dicatur, et sic reverenter, et pie in dicto officio se habeant, ut Deum optimum maximum, quem praesentem et sui obsequii inspectorem habent, oculis corporeis conspicere videantur. Et ita religiose procedant, ut hora secunda vel circiter post mediam noctem officium matutinale finiatur; ut maneat tempus in oratione et devotione expendendum. Et vigilent superiores, quod legenda vel dicenda in choro seu communitate studiose praevideantur. Nullus

» tamen eximatur a choro, seu alia communitate, nisi necessitate ur-
» gente, et hoc de speciali licentia guardiani. Quod si in celebrioribus
» festivitatibus (ut psalendi varietate spiritus ad coelestis patriae desi-
» derium magis excitetur) Te Deum laudamus, missam, vesperas, seu
» completorium decantare voluerint, fieri poterit ad libitum V. P. Cu-
» stodis, et guardiani loci. De officiis autem, et missis defunctorum in
» aliquibus locis decantandis dispositioni et discretioni P. Custodis relin-
» quitur. Quae vero ad orationem ut spiritus devotionis magis increscat,
» cui caetera temporalia inservire debent, et orationi fratres omnes as-
» suescant, quolibet die totius anni duae horae mentalis orationis seu
» contemplationis, modo infrascripto divisae habeantur, videlicet omni
» tempore post completorium una hora hujusmodi orationis habeatur,
» et a festo Exaltationis S. Crucis usque ad Resurrectionem Domini al-
» tera hora post matutinale officium. Sed a Resurrectione usque ad
» praefatum Exaltationis festum, propter noctium brevitatem, haec ora-
» tionis hora, aut post nonam habeatur, etiam in diebus jejuniorum
» aut certe ita distribuatur, ut dimidium istius horae fiat post laudes,
» dimidium vero post nonam. Et quoniam devota lectio orandi materiam
» subministrat, semper ante orationem hujusmodi aliqua lectio devota
» breviter legatur, de stimulo divini amoris, aut elevationis seu itine-
» rarii mentis in Deum, aut artis serviendi Deo, vel alterius libri de-
» voti; aut guardianus loci, si gratiam ad id habuerit, dicat pauca ver-
» ba, quasi suggerens fratribus materiam orandi. Et quoniam ubi spi-
» ritus Domini, ibi libertas, tempore memoratae orationis licebit fratribus
» (causa spiritus hauriendi) stare, genua flectere, more Sanctorum Pa-
» trum brachia in modum Crucis extendere, vel se prosternere, vel quo-
» modo spiritus injecerit, dummodo maneant in ecclesia, vel choro, in-
» simul aut separatim, et non alibi. Vigilent autem praelati diligenter,
» ut omnes fratres tempore deputato, in oratione se occupent; et si quis-
» piam contrarium egerit, diebus octo stet in oratione cum novitiis in
» loco novitiorum. Quoniam autem bonum est praestolari cum silentio
» salutare Dei, et mors et vita sunt in manibus linguae, et silentium
» est clavis animae, cultus justitiae, ac domus religiosae decor et ve-
» nustas, ideo laborent fratres servare silentium, primo in locis debitis,
» videlicet in choro, in dormitorio, in ecclesia, in refectorio, tam in
» prima, quam in secunda mensa, et hoc non solum a residentibus in
» loco, sed etiam forensibus: secundo horis debitis, nempe a signo sa-
» lutationis angelicae in sero, usque ad primae diei sequentis horae pul-
» sationem, exceptis tamen hospitibus de novo venientibus, quibus fra-
» tres debent ministrare, et illos recipere charitative et benigne, eosque
» cum licentia Guardiani associare, et cum eis submissa voce loqui de-
» bent. Similiter hora dormitionis a festo Resurrectionis Domini usque
» ad festum Exaltationis S. Crucis quolibet die transacta hora post pran-
» dium, pulsetur campanella refectorii, et ex tunc sileatur usque ad no-
» nam. In diebus jejuniorum simili modo a pulsata campanella post
» prandium, silentium servetur donec fiat signum ad surgendum a somno.
» Si quis autem silentium fregerit, culpam suam coram fratribus humi-
» liter in communitate explicabit, eique a Guardiano secundum exigen-
» tiam culpae, poena imponatur; non tamen intelliguntur silentium in-

» fringere, quando pro rebus necessariis loquuntur submissa voce, et
» breviter scilicet per spatium unius Ave Maria. In aliis autem locis et
» temporibus fratres in suis locutionibus caveant a strepitu verborum, in
» quibus modestiam et brevitatem, quantum fieri poterit servare studeant,
» quia in multiloquio non deest peccatum. Studeant quoque praedicti fra-
» tres servare silentium evangelicum, devitantes verba otiosa, superflua
» et vana, ac multo magis colloquia prava et iniqua, quae bonos mores
» corrumpunt. Ceterum quoniam ubi omnibus omnia patent, ibi non
» est vera religio, ut divus Bernardus docet, ideo tempore orationis,
» aut silentii, nullus saecularis introducatur in locum, nisi urgens ne-
» cessitas judicio guardiani aliud requireret. Et tunc ne permittant il-
» los per locum discurrere, ne inde religiosorum quies turbari contingat.

CAPUT II.

De observantia paupertatis.

» Quoniam regula nostra dicit, fratres omnes vestimentis vilibus in-
» duantur, et Christus ait, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum
» sunt, ideo istorum locorum fratres taliter induantur, quod omnis cu-
» riositas, et praetiositas longe sit ab eis, et in vestimentorum suorum
» precio et colore semper asperitas, paupertas, et vilitas, judicio prae-
» lati, relnceant, observata tamen quoad colorem uniformitate provin-
» ciae. Et ne in modo vestiendi deformes cum saecularium admiratione
» appareant, sequentur omnes hanc formam: videlicet quod longitudo
» habitus ad superiorem partem pedis perveniat; latitudo autem sit ad
» minus duodecim vel quatuordecim palmorum, aut sexdecim ad sum-
» mum; quod si alicujus corpulentia majorem latitudinem requirat,
» fiat juxta praelati judicium. Manicae habitus habeant in ore latitudi-
» nem palmi ad minus, et in altero extremo duorum ferme palmorum;
» at caputii latitudo non transeat a lateribus eorum juncturae humero-
» rum, sed ad illud perveniat. Longitudo autem illius a parte poste-
» riori cingulum non excedat, sed ad illud fere perveniat. Mantella vero
» excedant genua semipalmo. Nullus praedictorum fratrum habeat nisi
» unum habitum, et tunicam unam; ideo in quolibet conventu in loco
» communi habeantur aliquot habitus et tunicae, quibus, quando volue-
» rint subveniantur, et istorum habituum curam habeat aliquis frater,
» ut nitidi serventur. Missae in istis domibus non recipiantur pretio di-
» cendae, sed omnes dicantur pro intentione, quam Christus habuit in
» Cruce, et generaliter pro vivis et defunctis, ut Deus novit eos obli-
» gari. Quod si aliquando ab aliqua persona benefica multum fuerint
» molestati ad dicendum missas aliquas alicui in particulari applican-
» das, et non possent sine scandalo renuere, tunc dicatur mere chari-
» tative, nullo penitus habito remunerationis pacto vel intuitu. Sed nul-
» lo modo denarios pro ipsis missis recipiant. Ceterum si hujusmodi
» personae aliquid aliud a pecunia eis libere obtulerint, poterunt illud
» humiliter et gratis recipere, sicut et ipsi missam seu missas gratis pro
» illis celebraverint. Caveant tamen fratres ipsi pro posse, ut usus reci-
» piendi peculiares missas, nullo modo in istis domibus introducatur,
» et si introductus fuerit, pedetentim et prudenter tollatur. Quia vero
» dictorum locorum fratres regulam nostram seraphicam perfectiori mo-
» do, ut par est, servare cupiunt, ideo attendant declarationi D. Cle-

» mentis V. *exivi* art. 6. §. *quo circa* etc. et caveant, ne personam ali» quam habeant in domo, vel extra, quae pecunias pro fratribus recl» piat, aut servet: nulloque in loco denarios deponi faciant, nec arcu» lam, vel truncos, aut cyppos habeant in ecclesia vel sacristia, aut » alibi ordinatos ad offerentium seu donantium pecunias reponendas, » sed praelatus necessitates loci praesentes vel imminentes manifestare » poterit benefactori offerenti pecuniam, videlicet exigentiam olei, pi» scium, caeterorumque similium: quod si libere eis largiantur, pote» runt fratres cum benedictione Dei ipsas res recipere, denarios autem » minime. Ipsi etiam praelati, quoad provisionem necessitatum fratrum, » solicitam curam gerant, circa duo attendentes videlicet circa puri» tatem regulae observandam, et fratrum necessitatem providendam. Un» de res necessarias pro Dei amore eis oblatas non respuant, sed beni» gne cum omni benevolentia recipiant, gratias agentes Deo, qui tem» poralia adjicit iis, qui primo regnum Dei quaerunt, et justitiam ejus. » Si autem oblata eis non sufficiunt, recurrant ad mensam Domini pe» tentes eleemosynas confidenter. Discant tamen modicis esse contenti, » et superflua respuere, ut sciant cum D. Paulo abundare, et penuriam » pati, reminiscentes se esse professores paupertatis altissimae, quae di» vitum abundantiam compensat virtutibus, et temporalia commutat » aeternis. Mustum autem nullo modo petant in vindemiis, nec triti» cum tempore messium quaerant, nisi prius, ut ait D. Clemens V. » art. 7. §. *rursus, esset multum credibile ex jam expertis, quod non* » *possent vitae necessaria aliter invenire etc.* Aliae vero eleemosynae » moderate fiant, eo modo et forma, quibus pater custos cum guar» dianis et discretis loci expedire judicaverint. Poterunt tamen tempore » vindemiarum exiguam quamdam vini quantitatem pro missis dicen» dis quaerere, quando idem custos cum guardiano et discretis judica» verint esse necessarium. Sed fratres ipsi in tanta paupertate constituti, » ne despondeant animo, aut nimia solicitudine in Deum projiciant, » quoniam ipse curam eorum habebit. Propterea fratres hujusmodi nul» lo modo quaerant triticum vel ordeum, ut vendantur, et de pretio » pannum vel aliae res necessariae emantur; id enim sine dispensatione » (quam pro locis Italiae qui non sunt de reformatis SS. D. N. Gre» gorius PP. XIII. concessit) fieri nequit; petere namque aliquid ea » intentione ut vendatur, pecunia est. Et quoniam Deus vult adorari » in spiritu et veritate, et secundum quod decens est statui servientium, » ornamenta sacrorum praetiosa vel curiosa, puta de auro, argento, vel » serico deinceps fratres ipsi non recipiant; possint tamen receptis uti: » neque in posterum fieri faciant aut recipiant thuribula vel alia vasa » argentea, exceptis calicibus moderatis, et vasculo (quod decet esse ar» genteum) pro servando Eucharistiae Sacramento, et alio pro habendo » oleo infirmorum; mappas etiam non habebunt ullo tempore in refe» ctorio, sed tantum manutergia, ut intus et foris paupertas reluceat. » Cuperemus praeterea pro sanctae paupertatis zelo, quod libri religio» sorum cujuslibet custodiae reponerentur in bibliothecis communibus » monasteriorum, nisi aliquando videretur custodi esse pro animarum » salute cum aliquo dispensandum. Quodque cujuslibet bibliothecae » curam haberet religiosus unus per guardianum destinatus, qui religio-

» sus intra suum conventum ex bibliotheca sibi credita libros necessa» rios accomodare posset, fratribus schedulam ab ipsis recipiendo, ne » deperderentur; sed de re hujusmodi patres ipsi restricti, seu refor» mati agant in suis custodiis ut Dominus eis inspiraverit. Sciant autem » indecens esse strictiori vitae quam totis praecordiis amplecti debent, » more divitum aut aliorum magnorum conventuum mulos magnos aut » equos, ac servos pro illis ducendis habere denariorum pretio condu» ctos. Ideo ab hujusmodi absurditate omnino abstineant, et jumento uno » humili dumtaxat sint contenti, si sine eo manere non possint, et ju» dicio custodis, guardiani, et discretorum loci sit omnino necessarium.

CAPUT III.

De interiori, et exteriori conversatione.

» Studeant fratres seipsos ad Deum devote colligere, et ei ac pas» sioni dilecti filii sui Domini nostri per lectiones, meditationes, oratio» nes, et contemplationem sic se unire, ut quaerentes legendo, inve» niant meditando, et pulsent orando secreta divina, ut eis pateant con» templando, et sic sincere et devote in omnibus se gerant ut alterius » conversatio sit alteri in exemplum, et dum convenire simul habue» rint, in psalmis, hymnis, seu in devoto silentio persistere curent. Ce» terum de septem psalmis, et aliis publicis orationibus dicendis, in » unaquaque custodia fiet id, quod per superiores decretum fuerit. Quia » vero exterioris hominis castigatio, interioris est vigoratio, ideo ut cor» pus in servitutem spiritus redigatur, et ut passionis Christi memoria » multis modis habeatur, fiat per totum annum disciplina ter in hebdo» mada, videlicet die lunae, mercurii, et veneris. Item ut magis possit » in humilitate et asperitate crucem portare post Christum, si quis eo» rum fratrum voluerit abstinere a carnibus, vel vino, et alias quascum» que austeritates et poenitentias facere, dummodo sint discretionis sale » conditae, a praelatis fieri permittantur, ipsi tamen praelati (qui uti » spirituales debent omnia judicare) possint interdum filiorum suorum » fervorem remittere. Praeterea si dicti fratres nudis pedibus incedere » voluerint, non prohibeantur sub colore uniformitatis; quando tamen » fuerint praetereundo in aliis conventibus, si sibi per praelatum impo» situm fuerit, ferant calepodia. Et quoniam multam malitiam docuit » otiositas, et qui non vult laborare non manducet, ut docet Paulus, » si aliquod exercitium occurrerit pro bono conventus, hora a praela» to deputetur pro illo peragendo, ad quod omnes fratres, ut unius » moris in domo Dei convenire debent. Si autem operi non occurrerit » necessitas, non occupentur in corporali exercitatione, quae ad modi» cum utilis est, nisi juvenes laici et novitii, quibus labor et occupa» tio valde expedire solent, ita tamen quod super omnia attendant prae» lati cultui divino, orationi, contemplationi, et adorationi, quia pietas » ad omnia valet, promissionem habens vitae, quae nunc est, et fu» turae; et ut fratres occasione privationis luminis extrinseci, lumen » invisibile avidius quaerant et ferventius studeant librum vitae, in quo » sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi. Nullus il» lorum habeat in nocte lumen in cella, nisi forte ex causa et cum » utilitate animarum praelati cum aliquo duxerint dispensandum. Quo» niam autem justus in principio sui sermonis accusator est sui, cul-

» pas suas dicent fratres ter in hebdomada, videlicet diebus lunae, mercurii, et veneris; caveant etiam ne sub reformatorum nomine confusibiliter vagentur. Ideo nec pro civitate petenda seu oppido licentiam petant; sed si negotium aliquod habent, spectent, donec a praelatis alia de causa mittantur, ut in omnibus salutaris obedientiae scuto adjuventur. Saecularia ergo negotia cuncta, parentum visitationes, atque amicorum confabulationes, ac discursus et evagationes omnino curent evitare, et ad haec per superiores compellantur. Quia vero absurdum est et ordini nostro injuriosum atque a christiana et fraterna dilectione valde alienum fratres de communi modo vivendi iter agentes, ad loca dictorum restrictorum non accedere, sed alio se recipere, et viceversa fratres hujusmodi strictioris vitae transeuntes per civitatem, oppidum, seu castellum in quo conventus praefatorum fratrum de communi modo vivendi existit ad dictos conventus non ire, sed apud saeculares vel alibi hospitari, ideo a tali absurditate tam illi, quam isti deinceps omnino abstineant. Quod si contrafecerint, severe per superiores puniantur, tamquam fautores divisionis, rixae, atque discordiae. Cavete igitur, o fratres mei dilectissimi, ne verbis, signis, aut quomodolibet aliter fratres alios de communi modo vivendi irrideatis, increpetis, vel vilipendatis, quasi vos soli fastigia perfectionis attigeritis; sed potius memores sitis illius dicti Salvatoris, cum haec omnia feceritis, dicite servi inutiles sumus; et Divi Pauli dicentis, is qui manducat, non manducantem non spernat, et qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit. Tu qui es qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit; stabit autem; potens est enim Deus statuere illum. Nolite ergo ante tempus judicare, sed magis unusquisque vestrum judicet (ut ait regula) et despiciat semetipsum. Si quis ergo ex vobis inventus fuerit, qui verbo vel facto aliorum conventuum fratribus detrahere praesumpserit, condigna poena plectatur a superioribus, tamquam divisor tunicae inconsutilis S. P. N. Francisci. Moneo tandem vos et exhortor (idque solo Dei zelo ductus, ut ipse novit qui corda omnia scrutatur) ut si vestrum pium vivendi modum conservare, et in sanctitate ac justitia coram Deo augere cupitis, caveatis omnino, ne conventus magnos aliorum fratrum vestrorum habere cupiatis, procuretis, aut etiam oblatos recipiatis, quoniam hujusmodi conventus magno transgressionis periculo expositi esse solent, ut experientia rerum magistra manifeste docet, sed ad imitationem seraphici P. N. Francisci, et priscorum patrum vestrorum loca humilia, et a saeculi frequentia ac tumultu distantia semper habere, et inhabitare velitis: scientes tantam perfectionem, quantam vester modus vivendi requirit, non esse multorum sed paucorum, et selectorum. Quaeso igitur ne de vobis dicatur illud Esaiae, multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam. Demum ordinationes istae a cunctis fratribus strictioris vitae praefatae ad unguem illibate impleantur, et saepe in communitate fratrum legantur, ut memoriae magis haereant, et transgressores illarum secundum culpae exigentiam rigide puniantur, licet ex earum transgressione nullum ad peccati vinculum teneri velimus, nisi alias ex divino vel alio praecepto ad id tenerentur. Ut autem ista melius ob-

» serventur, et plures ad sequendum vitam istam arctiorem magis exci-
» tentur, moneo et exhortor provinciarum ministros, et alios superiores,
» ut totis viribus foveant, et opitulentur, ac perhumaniter tractent fra-
» tres ipsos strictioris vitae, nihil molestiae eis inferant vel ab aliis inferri
» patiantur, sed eos in Domino habeant commendatos, ita ut nulli pa-
» cem turbent, aut quietem impediant. Nulli ergo nobis inferiori lice-
» bit hunc vivendi modum turbare, infringere, vel quovis quaesito co-
» lore immutare. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, sciat se con-
» tra voluntatem Dei, et S. P. N. Francisci ac mei facturum. In quorum
» omnium et singulorum fidem praesentes litteras majori sigillo ordinis
» munitas, ac manu nostra subscriptas damus.

» Romae in sacro conventu B. Mariae de Aracoeli die xviii. Martii
» anno Domini mdlxxxii.

» (L. ✠ S.) Fr. Franciscus Gonzaga Minister Generalis. »

XXVII. Patres conventuales sui juris fecerunt in Messanensi custodia provinciae Siciliae conventum Caesaronis, auctore magistro Alexandro Canata. Ecclesia olim constructa tempore pestis, titulum S. Rochi praesefert; in custodia Agrigentina conventum Hieraci, studio magistri Jacobi Pastura de Mazzara, et conventum in oppido Mesulimelis, sive ut ait Pirrus Mesunelli, aedificatum a Damiano de Jula comite Panormitano. Locus est incultus, et xii. fratribus continendis capax. In custodia Panormitana magister Peres Panormitanus accepit pro fratribus tertii ordinis conventualium reformatorum conventum S. Rochi de Briziis, quem Rodulphus adscribit custodiae Drepani. *Angustus est*, inquit Cagliola, *et ecclesia parvula, in cujus ara principe marmoreis ac porphyreticis conduntur Oppidi olim domini, seu potius usu fructerii de nobilissima familia Vuillarant.* In provincia Romana obtinuerunt conventum S. Mariae de Raccomandatis extra oppidum Canismortui Sabinensis dioecesis, favore cardinalis Gravellani episcopi Sabinensis. Antea erat locus pro curandis infirmis deputatus.

Conventus Caesaronis. *Rodulphus pagin.* 280.
Convent. Hieraci. *Idem pag.* 281.
Conventus Mesulimelis. *Idem ibidem.*
Pirrus in notitia. Agrigentinae ecclesiae pag. 758.
Conventus de Briziis. *Rodulphus p.* 280. *Cagliola pag.* 106.
Conventus Canismortui. *Theuli pag* 143.

XXVIII. Conventus oppidi Insulae in custodia Istriae qui an. mdlxxvi. inchoatus fuit a magistro Ulmi Veneto, hoc tempore completus est. Extat de eo inscriptio.

Ex voti sponsione, dum Venetiis peste funesta,
Ut nobis Deus in precibus, et optatis occurreret,
Et Insularum Opid. singulari praesidio tueretur,
Hoc delubrum, coenobiumq.
Propria cum eleemosynis conflata pecunia,
Fr. Firmus Vlmus Venet. theologus minorita,
Haereticae pravitatis Inquisitor,
magnis laboribus fundavit
m. d. lxxxii. Prid. Kal. Novembris.

XXIX. Coenobium observantium oppidi Cittadellae Vicentinae dioecesis in provincia S. Antonii Venetiarum, quod anno mdviii. armorum impetu eversum fuerat, quodque anno mdxx. denuo ejus incolae reaedificarunt facultate impetrata a Leone X. *Exponi nobis fecistis* die x. Decembris, anno mdxlv. fratres, propter alterum S. Crucis, non vero S. Antonii Patavini Liniaci Veronensis dioecesis, ut habet Waddingus et Gonzaga, nimis propinquum, dimiserunt. Ne vero ecclesia, et coe-

Monumentum provinciae pag. 189.
Ann. min. ad an. 1520. *num.* 41.
Gonzaga in prov. S. Antonii conv. 26.

nobium suo destitueretur custode, illic eremitam constituerunt. Ex hoc indignati cives, e coenobio exturbarunt eremitam, locoque ejus saecularem presbyterum posuere. Interim cum oppidani desiderio tenerentur penes se aliquam religiosorum familiam habendi, P. Timotheum Venetum virum senem, probatumque, ejusdemque socium P. Franciscum Zuccarini Veronensem petierunt, et obtinuerunt. Eo loci, frustra querimonias agente Joanne Barbari ministro provinciae, immissae fuerunt duo moniales ordinis S. Benedicti Gratia de Bergomo, et Angela de Padua *cum obligatione*, Petro Rustino notario instrumentum rogante, *de bene tractando et gubernando venerabilem Fr. Timotheum amore Dei positum per ipsam spectabilem communitatem ad custodiam dicti conventus, et ipsum alimentando usque ad extremum vitae suae.* Monialibus vita functis, hoc anno pleno jure idem cessit patribus conventualibus, qui inibi aliqui ex eorumdem coetu moram usque ad annum MDCXXIX. traxerunt.

Conventus Burgi Tascherii. Bordonius in prov. Bononiensi pagin. 763.

XXX. Christophorus Cortesius valde senex parrochus ecclesiae Burgi Tascherii dioecesis Parmensis die XXIX. Septembris, de licentia Ferdinandi Farnesii episcopi, concessit ecclesiam sub invocatione S. Mariae Joanni Ferrando Placentino Vallis Nuriae commissario provinciali fratrum tertii ordinis ea lege, ut sibi darentur fratres pro spirituali animarum cura; quod munus expleverunt usque ad annum MDCXXX. Quo tempore ad alteram domum se contulere emptam a Bartholomaeo Grandino.

XXXI. Hoc anno Gaspar Papiensis guardianus conventus de Urbe in Aquitaniam velut commissarius generalis mittitur a Joanne Maria a Tissa vicario generali capucinorum. Ut vero facilius novam seraphicae prolis illis in regionibus propagationem compleret, socios sibi adsciscit ex provincia Romana Benedictum Romanum, Petrum Bergomensem, Angelum Savonensem concionatores; Emmanuelem Taurinensem, Joannem Baptistam Bergomensem sacerdotes; Antonium Maguntinensem, Joannem Parisiensem, Angelum Burgundum, Alexandrum ab Alexandria clericos, Onufrium Mediolanensem, Illuminatum a civitate Ducali; Silvanum Picenum, Raphaelem Bergomensem, Gabrielem Lemovicensem laicos; et ex provincia Bononiensi Bernardinum Astensem, Michaelem Bononiensem sacerdotes, et Marium Caesenatensem laicum. Iis igitur Tolosam accitis, locum publico aere mille aureorum pretio coemptum in Verdalli collegio, pro mox extruendo coenobio paratum invenere, non exigua ad hujusmodi aedificationem insumpta pecuniarum summa a Stephano Rocchetti metropolitanae ecclesiae praebendato, primus inter Tolosates, qui eorumdem sodalitio nomen dedit. Quare hoc anno provincia Aquitaniae capucinorum suae fundationis exordium sumpsit in Tolosana civitate. Tanta facta est, ipsis eam civitatem advenientibus, penes eos ad pietatem commotio, inquit Boverius, ut tam ex saecularibus, quam ex regularibus viris ad eorumdem sinum confugerint. Duo ex observantium familia ad eos convolasse enumerat, Nicolaum nimirum de Sanctis, et Matthaeum, Angelum postea nuncupatum, Bressonium, viros eximios summosque verbi Dei praecones; quorum alter cum pro viribus, teste Boverio, dilabentem observantiam regularem verbo, exemplo, auctoritateque instaurare frustra molitus esset, capucinorum adventum nactus,

Boverius tom. 2. pag. 26.

Digitized by Google

continuo ad eos se contulit, velut si in Aquitaniae provincia fratres observantes a religiosa disciplina cum salutis dispendio penitus excidissent, cum satis ipsos eo degentes turboleutissimis hisce temporibus catholicam Christi ecclesiam doctrinis vitaeque sanctitate vindicasse, quinimo proprio cruore eam purpurasse compertum sit. Praeter Tolosanum, ipsos hoc anno in eadem provincia ope Angeli Bressoni, et Francisci de Sanctis obtinuisse coenobia Bliteris, Agathae, et Albigae falso scribit Boverius; haec enim excitata fuere insequentibus annis. Ceterum eorumdem fratrum ad capucinos transitus divino consilio evenisse hisce verbis tradit idem Boverius. » Hos vero inter haec primordia divino » consilio ac dispensatione huic provinciae datos nemo dubitat; nam » cum ii, qui ex Italia venerant, gallicum sermonem ignorarent, nemo » erat qui aut plebem instruere, aut Dei verbum publice proponere » valeret: ex quo facile vel rudes, ac rerum divinarum ignari, vel urbi » inutiles judicari potuissent. Hi porro cum primum ad religionem ac» cesserunt, Dei verbum ubique magno spiritus ardore disseminantes, » dum Angelus Tolosam, Bliteras, Agenum, Agatham, aliasque praeci» puas Aquitaniae urbes divina praedicatione complet; Franciscus To» losanum agrum, oppida, pagos, castella, quae ibi copiosa sunt, pera» grans, evangelico semine imbuit ». *Idem ibidem.*

XXXII. Iidem fratres habuerunt hoc anno in provincia Romana conventum Riani dioecesis Portuensis; in provincia Lombardiae conventum Burgi S. Dominici; in provincia Veneta conventum Asylii dioecesis Tarvisinae; in provincia Pedemontana conventum Cherii civitatis Ducalis Taurinensis; in provincia Tusciae conventum Liburni dioecesis Pisanensis; in provincia Neapolitana conventum Puteoli eo in loco, ubi fama est martyrium subiisse una cum sociis S. Januarium Episcopum Beneventanum. Neapolitani, ut sui juris aedem esse significarent, hoc in marmore jam scripserant.

Conventus capucinorum. Ex indice Michaelis a Tugio, et ex Boverio.

Ughellus tom. 6. pag. 268.

DIVO JANUARIO
DIOCLETIANI SCELERE OBTRUNCATO
NE QUOD SACRI CORPORIS SANGUINE
MADUERAT SOLUM SINE HONORE
DIUTIUS REMANERET
NEAPOLITANA CIVITAS P. P.
AERE P. P.
MDLXXX.

XXXIII. In provincia Basilicatae conventum Melphiae, et S. Mennae; in provincia Calabriae conventum Maydae; in provincia Apuliae conventum Vasti; in provincia Barii conventum Servitii; in provincia Hydruntina conventum Casarani; in provincia Messanensi conventus S. Marci, Pychis, et Tissae; in provincia Normandiae conventum Rothomagi; in provincia Burgundiae conventum Salinarum; in provincia Cataloniae conventum S. Caelidonii, Celsonae, et Miorissae Villaefranchae poenitentium.

XXXIV. E civitate Antuerpiensi, a qua irrumpentibus fidei hostibus, fugam ceperunt, die 1. Martii inter omnium ordinum gaudia Ulyssiponam accesserunt cum eorumdem confessario Stephano Foix, socioque ejus Joanne de Bruxellis aliquot virgines clarissae, quorum nomina sunt *Monum. prov. Algarbiorum.*

Clara de Angelis, Aona a S. Gabriele, Maria de Cruce, Geltrudis de Jesu, Joanna de Cruce, Clara de S. Francisco, Elisabeth de Sanctis, et Catharina a Spiritu Sancto. Eas omni humanitatis sensu exceperant moniales clarissae Matris Dei de Zabreros, ioter quas per aliquot menses permanserunt, uno ore, et uno corde Dominum collaudantes. Philippus Rex, qui eo tempore Ulyssiponae versabatur, earumdem miseratione commotus, nt eas paterno complecteretur affectu, ad aulam regiam, et ad paratum pro eis convivium vocat. Interim pientissimus Rex consilio cum Antonio de Aquilar cismontanae familiae commissario generali inito, eas hoc anoo immisit in monasterium Dominae nostrae de Gloria nuper erectum, abbatissae munere decorata Clara ab Angelis, et vicariae officlo insignita Anna a S. Gabriele. Eo ob aeris inclemeotiam aono MDLXXXVI. relicto, ad aliud in suburbio ejus civitatis aedificatum titulo Dominae nostrae de Quietudine communiter nuncupatum sese cootulerunt.

Monaster. Ulyssiponense.

XXXV. Hoc anno, indulgente Pontifice, immissae sunt mooiales Clarissae in domum S. Marthae Ulyssiponensis, qnam olim pro orphanis servorum aulae regiae constituerat Sebastiaous Rex Portugalliae. Hae moniales translatae illuc fuerunt, Georgio de Almeida archiepiscopo, e monasterio S. Clarae Scalabi, quarum nomina sunt Maria a Praesepio abbatissa, Elisabeth a Matre Dei vicaria, Maria ab Incarnatione novitiarum magistra, et Francisca a Spiritu Sancto. Subest regimini archiepiscoporum.

Monast. S. Marthae Ulyssiponense. Hagiologium Lusitan. ad diem 25. Februarii.

XXXVI. Coempta quadam Caroli Antonii archiducis, Maximiliani II. Caesaris fratris aula, Elisabeth sive Isabella Austriaca vidua Caroli IX. Galliarum regis, anoo MDLXXXI. die III. Augusti primordia dedit fundationi monasterii Viennensis ad Reginam nuncupati. Pia fundatrix aedificium claostri firmatura, septem moniales ex monasterio Monacensi in Anger accivit, claustrum hoc in palestram virtutum mutantes, et sanctimonialium oumerum brevi tempore ad L. promoventes. Anno MDLXXXII. die V. Martii in horto a comitissa Khuenin fundatrici oblato, a Joaone Gasparo Neubeck episcopo Vieonensi pro struenda ecclesia primus lapis in terram demissus est. Hojus monasterii prima abbatissa extitit Ursula de Knebach, primus commissarius fr. Michael Alvarez, fundatricis confessarius et moderator conscientiae Clarissarum fr. Bonaventura Deumius. De alimeotis vero LX. sorores pientissima regina ex adjectis certis bonis et praediis, praesertim monasterii Erlensis ordinis S. Benedicti aooo MCXLII. fuodati, MCLI. a Conrado episcopo Passaviensi confirmati, lapsu temporis diruti et derelicti, providit, anouente Pontifice: *Ad apostolicae dignitatis* III. nonas Maii. Fundationis annus ex scriptura io lapide pro ecclesia posito luculenter eruitur.

Monast. Viennae. Greiderer tom. 1. lib. 3. num. 205. pag. 396.

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis, in nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et in honorem incontaminatae semper Virginis Dei Genetricis Mariae, et omnium Angelorum. Anno a nativitate Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, indictione decima, die vero quinta mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri Gregorii decimitertii, anno pontificatus sui duodecimo, regnante, imperanteque serenissimo, potentissimo, invictissimoque principe, et Domino Domino Rodulpho, hujus nominis secundo electo Rom. Im-

peratore semper augusto etc. Archiduce Austriae etc. Anno electionis suae septimo, ex speciali mandato et ordine Serenissimae et Christianissimae Principis, ac Dominae Dominae Elisabethae Reginae Franciae, natae Reginae Hungariae, et Bohemiae etc. Archiducissae Austriae etc. praelibatae Sacrae Caesereae Majestatis sororis germanae, et quondam Serenissimi atque Christianissimi Principis ac Domini Domini Caroli IX. Galliarum Regis relictae Viduae, hoc monasterium monialium ad Beatam Mariam Virginem, et omnium Angelorum nuncupatum ordinis S. Clarae extrui coeptum, et per Reverendissimum Dominum Dominum Joannem Gasparum Neubeck Episcopum Viennensem et Sacrae Caesareae Majestatis consiliarium primus lapis cum sequentibus caeremoniis et solemnitatibus positus est. Et primo quidem jam dictus Reverendissimus Dominus Episcopus Viennensis in eodem loco, ubi altare majus sive principale aedificatum est, indutus pontificalibus, ipsum actum secundum constitutiones pontificias, praesentibus itidem venerabili et religioso Patre, nec non reverendis viris et dominis et Domino Michaele Alvares ordinis S. Francisci observantiae commissario ejusdem ordinis per Austriam, et Bohemiam generali, nec non praelibato Serenissimae Reginae Franciae etc. confessario, una cum conventuale ipsius Martino Parvo, Georgio Glai praedicti Reverendissimi Domini Episcopi Viennensis Capellano, et canonico Viennensi, Jona Hutung. ibidem canonico, Georgio Ursylvano magistro chori ad S. Stephanum, Joanne Salzberger parocho Hospitalis Caesarei Viennae, et reliquis quoque cathedralis ecclesiae Viennensis ad S. Stephanum presbyteris, peragere coepit nimirum praefatus Reverendissimus Episcopus primum et primarium fundamenti lapidem, in quo grandior quaedam, et de nova excusa moneta cum Serenissimae Reginae Franciae inscriptione, et insignis insculpta erat, in eodem Angulo, ubi templum palatio suae regiae majestatis contiguum est adhibitis solitis et consuetis caeremoniis, exorcismis, psalmis, litaniis, et orationibus benedixit, et eumdem (posteaquam una cum supremo hujus monasterii architecto Petro Ferabosco ad fundamentum, quod in profundo quatuor continebat cubitus descendisset) imposuit. Deinde idem Reverendissimus Episcopus omnia designata et effossa jam fundamenta ad quatuor templi latera cum solita processione circumivit, eademque aqua benedicta aspersit et benedixit, finitoque jam hoc actu saepe nominatus Reverendissimus Episcopus officium missae de B. Virgine Maria secundum usum romanum celebravit, benedictionem et absolutionem more consueto ante missae officium adstantibus dedit, atque distribuit: praedictaque omnia cum summa devotione et ordine peracta sunt, praesentibus ibidem praelibata Serenissima Regina Franciae Vidua, nec non illustribus, generosis, ac magnificis Matronis, et Virginibus e comitum et baronum familia oriundis, Domina nimirum Ursula de Wressowiz, nata baronissa de Weitmaul suae majestatis suprema camerae praefecta, Hedwige comitissa de Rosdrasof nata baronissa de Lobkowiz, Albiera baronissa de Bernstain, Elisabetha ab Holgin una cum reliquo suae majestatis ginecaeo, nec non illustribus, generosis, et magnificis dominis Domino Joanne comite in Rosdrashof, Domino

Digitized by Google

in Platna, et Pomstorff etc. suae majestatis regiae supremo curiae praefecto, Domino Joanne Wenceslao Poppel de Lobkowiz in Tuchss, et caeteris astantibus tam ecclesiastici, quam saecularis ordinis nobilibus, et primariis viris; in cujus rei perpetuam memoriam hoc praesens testimonium ad praelibatae serenissimae Reginae Franciae mandatum a duobus, altero quidem sacrae Caesareae, et altero supradictae regiae mejestatis secretariis subscriptum, et sigillum aureum ejusdem formae, et monetae, quae in fundamento posita est impressum et appensum. Actum in civitate Viennae Archiducatus Austriae infra Anasum, anno, indictione, pontificatu, imperio, mense, et die quo supra.

Ad mandatum Serenissimae Reginae Franciae etc. Viduae

Sigilli ✠ loco *S. Weszernacher S. Caesareae majestatis Secretarius.*

XXXIV. Hinc Elisabeth propinquiorem stationem penes sanctimoniales, et liberum ad eas transitum, et quidem per chori januam anhelans, ad immediatas claustri aedes fabricam apposuit, ac in ea pro se suoque aulico nobiliorum virginum famulatu habitationem parandam jussit, quae prae fundatricis humilitate haud ampla fuit; nam praeter proprium conclave, ubi in loco ad modum oratorii instructo B. Virginis Matris admirabilis imago venerabatur, triclinium solum, cubiculaque nonnulla capiebat. Ad preces Elisabeth archiduchissae Austriae Rodulphi II. Caesaris filiae, Clemens VIII. an. MDXCVII. subjecit monasterium immediato regimini ministri generalis: *Cum itaque* die IV. Junii.

XXXV. In collegium sacrarum virginum Matris Dei oppidi de Vinhaes dioecesis Mirandensis in provincia Portugalliae, quod propriis facultatibus construxerant non Franciscus de Sousa, ut scribit Michelesius, sed Odoardus Ferreira de Mozaes, Hieronymus Ferreira de Saa, et Antonius Alvarez, immissae sunt ad illud reformandum duo moniales ejusdem ordinis, auctoritate concessa a Pontifice praesulibus ordinis: *Exponi nobis* die I. Junii. Ann. min. ad an. 1573. num. 42.

XXXVI. Profanationi ac suppressioni subjecit Summus Pontifex monasterium S. Clarae extra muros Vicentiae in provincia S. Antonii, quod partim ob monialium mortem, partim ob translationem ad alias ejusdem ordinis aedes, jam a sexdecim et amplius annis vacuum omnino et expeditum remanserat, data Episcopo Vicentino facultate aliud intra civitatem extruendi, bonaque omnia eidem incorporandi: *Accepimus nuper* die XXX Januarii; Vincentio Episcopo Montisregalis apud Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem Sanctae Sedis nuntio committit, ut bona monasteriorum monialium Cisterciensium de Paglola, et de Cellanova uniat monasterio S. Clarae intra civitatem posito, monialesque, ob aggressionem malorum hominum ibidem parum tutas, eo transferat, s. Clarae suppresso titulo: *Cum sicut nobis* die II. Junii. Ad monasterium oppidi de Bonilla Conchensis dioecesis, propriis in aedibus fundatum opibusque ditatum ab Episcopo Cauriensi, duae pontificia auctoritate adductae sunt ex ejus sorore neptes moniales professae in monasterio oppidi civitatis de Murcia Carthaginensis dioecesis: *Exponi nobis* die IV. Decembris.

Digitized by Google

XXXVII. Datur Michaeli Moura fundatori monasterii monialium B. Mariae de martyribus Ulyssiponensis facultas percipiendi, eleemosynae titulo, quamdam pecuniae vim eidem monasterio olim assignatam a Sebastiano rege Portugalliae ut consuleretur monasterii necessitatibus: *Exponi nobis* die I. Februarii; ministro provinciae Portugalliae transferendi duas moniales e monasterio Matris Dei Ulyssiponensis ad aliud Sacavense, accedente consensu mox laudati fundatoris: *Ex parte tua* die VII. Julii; eidem Michaeli quolibet anno ter ingrediendi septa ejusdem monasterii ad inspiciendas officinas, ad reparandam exornandamque domum, aliquibus tamen sociato provectae aetatis religiosis a ministro provinciae deputandis: *Cum sicut accepimus* die XX. Julii; Archiepiscopo Ulyssiponensi soluta pecunia occupandi domum et praedium adnexum eodem monasterio pro amplianda aedium clausura, invito etiam Francisco de Costa praesbytero Ulyssiponensi domino fundi: *Ex parte dilectarum* die XVIII. Decembris. In monasterio B. Mariae de Spe ejusdem civitatis, revocato Pii IV. mandato, ad XX. ampliatur inservientium numerus: *Ex parte vestra* die I. Februarii; item ut in eodem virginum collegio Maria de Pontas nobilis Ulyssiponensis ad vitam monasticam, praeter numerum adsignatum, profitendam recipiatur: *Pro parte* die V. Junii. Cavit, ne in Portugalliae regno, inconsulta Sancta Sede, monialium de uno ad aliud monasterium translationes fiant, nec moniales monasterii Soasenae Ulyssiponensis dioecesis propter earumdem paupertatem teneantur aliquid praestare aliis monasteriis, ad quae ipsae translatae, vel in futurum erunt transferendae: *Ex parte* die XVIII. Decembris.

XXXVIII. Sorores tertiarias monasterii S. Elisabeth prope urbem Zamorae in provincia S. Jacobi, excitati anno M D. a Beatrice Vasurto, quae voto simplici castitatis adstrictae erant, Franciscus a Burgis provinciae praesul ad solemnem trium votorum professionem compulit, data eis optione, vel ita agendi, vel proprios lares repetendi. Earum aliquae illic permanserunt, aliae vero parentum domos petierunt. Inhabitatur a XII. monialibus. Solemnia vota Deo etiam nuncuparunt sorores tertiariae monasterii S. Mariae de Bethelem ejusdem civitatis ad id coactae ab eodem ministro provinciae, quae per annos XX. simplici castitatis voto ligabantur.

Gonzaga in prov. S. Jacobi monast. 19.

Idem ibid. monaster. 20.

XXXIX. Ecclesiam s. Clarae Montis Brisonis Lugdunensis dioecesis aliquanto humiliorem et obscuriorem, sub hoc tempus, conquisitis eleemosynis, in ampliorem illustrioremque formam Nicolaus Parisotti monialium confessarius adduxit. Hoc anno absolutum fuit templum monialium S. Mariae de Jesu Neapoli, munificentia familiae Montaltae. Testatur inscriptio marmori sculpta in templi fronte. *Templum sacrarum virginum sub D. Clarae instituto militantium, Mariae de Jesu dicatum, sumptibus ac liberalitate nobilissimae familiae Montaltae a fundamentis erectum* AN. MDLXXXII.

XL. Quasdam leges hoc anno tulit minister generalis pro monialibus clarissis tertiariisque sororibus in Italia degentibus, quas edimus.

» Fra Francesco Gonzaga minoritano generale dell' ordine di S. Fran-
» cesco alle reverende madri ministre, e abbadesse dei monasteri di
» tutta l'Italia alla nostra cura commesse, salute e pace nel Signore.
» La divina Maestà del grande Iddio, RR. MM., che come benigno

» Padre non ha con promesse mancato proporre agli uomini le cose
» necessarie alla salute dell'anima, così ancora con minacce alle volte si
» volle dimostrare severo giudice. Perciò in Geremia Profeta disse: ma-
» ledetto quell'uomo che non si ricorderà delle parole e osservazioni
» del mio patto di quanto comandai nel giorno, che gli diedi libertà
» della servitù d'Egitto, dicendoli: ascoltate la mia voce, e quanto vi
» comando, e così sarete il mio popolo, e io il vostro Iddio. Ma se
» di non minore importanza è il patto, e il voto, che con sua Maestà
» faceste nél giorno che si deguò liberarvi dall'Egitto del mondo e
» collocarvi nell'eletta terra della religione santa, è ben ragione se amo-
» revol Padre, non severo giudice il desiate, che osserviate li buoni e
» santi istituti della vostra religione, e delli vostri monasteri, ogni abu-
» so contrario a quegli si tolga, acciò rinaschi quel puro zelo dell'ono-
» re di Dio, e dell'osservanza regolare, qual si conviene a divote re-
» ligiose. Perchè dunque osservando la vostra professione, avanti al vo-
» stro divino sposo con le lampade accese come prudentissime Vergini
» comparir possiate, abbiamo, per l'obbligo della cura, che per divina
» dispensazione di voi tenghiamo, ridotto in somma e dato alla stampa
» queste ordinazioni, acciò possiate con facilità vedere, considerare, e
» osservare quanto in esse si contiene, e con queste, che per mag-
» gior vostro ricordo e osservazione d'esse vi lasciamo in questo nostro
» partire d'Italia per le parti Oltramontane, esortiamo tutte voi reve-
» rende badesse, e ministre nelle viscere di nostro Signore, che con tut-
» to il vostro sapere, e potere diate opera che siano inviolabilmente
» osservate. Abbiamo inoltre aggiunte le penitenze, acciocchè chi non
» si volesse per amore disporre a osservare, almeno per timore si ri-
» tiri dal trasgredire. Ne altro, e alle vostre orazioni del continuo ci
» raccomandiamo.

» Di Firenze li XXVII. Aprile MDLXXXII.

Frate Francesco Gonzaga qui sopra.

CAPO I.

Del divino officio.

» Ordiniamo che tutte le suore intervenghino in coro al divino offi-
» cio, così di giorno come anche di notte fatto il primo segno, e la ba-
» dessa o ministra abbi diligentissima cura, che detto officio si reciti
» adagio, con divozione alle ore e tempi deputati, e ciaschedna sia
» obbligata levarsi e andare al mattutino, e a tutte le altre ore cano-
» niche, se già non fosse inferma, o legittimamente impedita, ovvero
» che fosse di ctà di sessanta anni, e in tal caso ci rimettiamo alla
» coscienza di essa badessa o ministra, che possa con tali dispensare.
» E chi sarà negligente al divino officio, per la prima volta dirà in re-
» fettorio cinque pater noster, e cinque ave maria; per la seconda farà
» la disciplina in communità; per la terza starà senza pietanza, e per
» tutte le altre se sarà consuetudinaria, per ciascheduna volta mangerà
» in terra in refettorio. Non ardirà suora alcuna, mentre si dice il di-
» vino officio, o si ascolta la messa, ragionare, ridere, burlare, o fare
» altre cose inconvenienti: e niuna si partirà dal divino officio o mes-
» sa, se non per urgentissima causa, e con licenza della badessa, o mi-
» nistra essendo presente, e quando non vi fosse, della vicaria, o da

» chi presiedesse in coro. E ciascheduna senza replica farà l'officio in
» coro che gli sarà imposto in particolare, e niuno si ritiri addietro
» con dire, non tocca a me; e chi contrafarà a quanto si è detto, di-
» rà per ogni volta la colpa in pubblico refettorio. Siano sollecite le
» suore e frequenti alla santa orazione, quale ordiniamo che si faccia
» ogni giorno in commune, almeno per spazio di un ora, in quel tem-
» po e ora che sarà solito e consuetudine di ciascheduno monistero.
» Comandiamo ancora per l'avvenire che senza licenza nostra o del
» provinciale, che niun monastero possi usare in coro se non canto
» fermo, e non figurato, imo semplice e uniforme: e crediamo che
» più espediente fosse si legesse e si salmeggiasse con voce quieta e
» chiara, con attenzione di mente, che occuparsi nella musica e canti;
» e chi senza tal licenza usasse detta musica farà la disciplina in pubblico.

CAPO II.

Della confessione e communione.

» Debbono tutte le suore confessarsi almeno una volta il mese, co-
» me vuole il Concilio di Trento, e non lasciando di confessarsi e com-
» municarsi nei giorni, che dice la loro regola. Comandiamo anche che
» in quei giorni, che si farà la communione, niuna delle suore private
» si accosti a parlare con persona secolare a grata o ruota, se non do-
» po il vespero, e questo per urgente causa, sotto pena a quelle che
» andassero in detti giorni a parlare, d'esser prive per un mese d'ac-
» costarsi a grata o ruota; e le ruotaje, che le chiamassero prima di
» loro uffici, e la badessa che lo permettesse, del suo officio sospese.
» Debbano le badesse o ministre tutte le volte che non sarà assegnato
» dal provinciale il confessore straordinario, chiederlo da loro due, o
» tre volte l'anno, secondo l'ordine del concilio di Trento, e tutte le
» suore siano tenute andare da detto confessore straordinario, etiam
» quelle che non si volessero confessare, e le badesse, o ministre, o
» vicarie saran sempre le prime a dar animo a tutte le altre; e in
» quel tempo che detti confessori straordinarj endranno, gli ordinarj
» confessori per modo alcuno si accosteranno a tali monasteri. E se al-
» cuna suora nostra in erticolo di morte domanderà altro confessore,
» ordiniamo che gli sia concesso, purchè quello che chiederà sia stato
» altre volte confessore d'alcun monastero, o almeno frate grave e ma-
» turo, al quale per la presente costituzione gli sia concesso con il con-
» fessore ordinario, o con il compagno entrare a confessarla, e incon-
» tinente che l'avrà confessata in luogo patente e onesto, talmentechè
» possi esser veduto dal compagno, o da due suore vecchie, nè uscirà
» dal monastero.

CAPO III.

Dell'officio e autorità della Badessa o Ministra.

» La creazione ed elezione della badessa si facci ogn'anno secondo l'or-
» dine di Nicolò PP. V. il quale vuole, subito compito e finito l'anno,
» sia tenuta la badessa sotto pena di scomunica papale da incorrersi in
» quell'istante, di renunziare il suo officio, e detta elezione si farà al-
» le grate, come vuole il concilio Tridentino, per scrutinio e voci se-
» crete, e non potrà esser eletta alcuna di minor età di quaranta anni,
» e otto anni professa nella sua regola col timor di Dio: e detta

» badessa dopo fatto il primo anno e rassegnato l' officio, di nuovo » esser rieletta, e così anche dopo il secondo per scrutinio, come di so- » pra, talmentechè non procederà oltre li tre anni; ne potrà di nuovo » esser rieletta, se non dopo di una elezione almeno. E come si è det- » to dell' elezione della badessa, così si dice anche dell' elezione della » ministra, salvo che non vi è la scomunica papale non renunciando » la ministra, com'è, non renunciando la badessa finito l'anno. Potrà » anche essa ministra continuar tre anni nel suo officio, e dopo vaca- » re come si è detto della badessa. Debba ancor lei essere di età di » quaranta anni e otto di professione, nel modo detto di sopra. Non » mancherà la badessa o ministra come madre comune mandare le co- » se uguali, però con religiosa discrezione, considerando le condizioni » delle persone, trattando in quel che concerne l'officio suo, tutte le » suore ad un modo, servando la giustizia e qualità fra di loro, ne » perseguitando più una che un'altra per sue passioni, o particolare » affezione, sotto pena di esser sospesa dal suo officio. Comandiamo che » detta badessa o ministra convenghi continuamente al coro e al re- » fettorio, s'ella non fosse inferma, come vuole la sua professione. Sia » nel comandare benigna, nel riprendere sollecita e zelante, nel peni- » tenziare le sue figliuole giusta e severa, nel provedere a bisogni e » occorrenza del monastero diligente. Rendino tutte le suore la debita » obbedienza alla badessa o ministra, e sia rispettata e riverita come » madre di tutte le altre. Avrà detta badessa o ministra autorità di pe- » nitenziare, e gastigare, e correggere tutte le suore che non osservas- » sero la loro professione, e queste nostre costituzioni.

CAPO IV.

Della Vicaria.

» Perchè suole spesse volte accadere, che la badessa o ministra per » le quotidiane e continue occupazioni che occorrono nel governo, o » per la grave età o vera infermità di non poter convenire ad esser » sollecita, che le suore vivano con quella osservanza che debbono, » ordiniamo che in ogni monastero dopo l'elezione della badessa o mi- » nistra debbasi eleggere nello stesso modo per voti secreti una vi- » caria delle più zelanti e diligenti del monastero, e potrà anche lei » continuare nel suo officio per tre anni, come si è detto della bades- » sa. L'officio della vicaria è d'intervenire e ritrovarsi sempre in coro » e in refettorio con le suore, e fare l'officio proprio della badessa o » ministra, quando però fosse assente o inferma, e vogliamo che sia » riverita e obbedita la prima dopo la badessa, alla quale si è dato » questo ajuto della vicaria, non per fare due capi, ma uno, o che » lei supplisca a tutto quello che la badessa o ministra non potesse, e » questo acciò una di loro almeno supplisca sempre e si trovi presente.

CAPO V.

Delle Discrete.

» Acciò il governo dei monasteri proceda regolarmente e con ordine, » comandiamo che capitularmente si elegghino ogni anno quattro ovve- » ro più suore, secondo la consuetudine di ciaschedun monastero, quali » debbono essere delle più diligenti e prudenti, per scrutinio secreto » come si è detto della vicaria. Queste madri o suore si chiameranno

» discrete, e senza l'interveoto loro la superiora non potrà fare alcu-
» na cosa d'importanza pertinente al monastero, e alla disposizione del
» viver comnne e landabile consuetudine, e non si farà mai contratto
» di compra o vendita di locaziooi o liberazioni, o altro d'importan-
» za, oltre il consiglio delle discrete, senza il consenso e voto di due
» terzi del monastero. E perchè spesse volte dai capi procedono e i
» beni e i mali, acciocchè la badessa o ministra, la vicaria, e le altre
» officiali sian sempre canonicamente elette, comaudiamo che in simile
» elezione niuna suora abbia ardire di far pratiche, ne favorire per ami-
» cizia, o parentela, o commodo particolare più d'un altra, d'usar
» fraude o parzialità nell'eleggere, sotto pena di privazione attiva e pas-
» siva per tre anni.

CAPO VI.

Delle Portinaje o Ruotaje.

» Perchè molti scandali nascono nei monasteri per molti ciarlamenti
» e novelle che per lettere e ambasciate escono o entrano nel monastero,
» e i vani ragionamenti che si fanno son cagione di molti mali, oltre la
» perdita del tempo, ordiniamo che ogni anno si debbono eleggere tre
» ovvero più o meno secondo il costume dei monasteri, quali saranno
» chiamate ruotaje, o portinaje, e a tali si aspetterà rispoodere a chi
» viene per parlare alle snore, e prima a chi vorrà parlare, interrogar-
» lo, con qual suora voglia parlare; e non faccino mai ambasciata a
» suora alcuna, ne gli porteranno lettere, che prima non lo dichino
» alla badessa o ministra; e ottenuta licenza da lei potranno parlare; sot-
» to pena d'esser prive de' loro officj. Si debbono anche eleggere alcu-
» ne suore, il nnmero delle quali sarà secondo la coosuetudine de' mo-
» nasteri; queste tali si chiameranno ascoltatrici; e seoza almeno di una
» di loro non possi suora alcuna ragionare ne a ruote ne a grate, e non
» permetteranno dette ascoltatrici che alcuna suora possi stare alle gra-
» te o altrove a ragionar con uomini per lungo tempo, ancorchè fos-
» sero stretti parenti, sotto pena alle ascoltatrici che assentissero a mol-
» ti lunghi ragionamenti, di privazione attiva e passiva per un anno.
» E le suore che vorranno parlare a grate, o ruote con secolari non
» avranno ardire ne podestà di chiamar seco qualunque ascoltatrice vor-
» rà, ma quella che gli sarà assegnata determinatamente dalla badessa
» o ministra, o dalla loro vicaria; e quella ascoltatrice che non vorrà
» assentire a quanto gli sarà ordinato dalle superiori, per ciaschednna
» volta farà la disciplina in refettorio.

CAPO VII

Dalla vita comune e povertà

» Perchè non è cosa la quale sia più comandata dalle regole, e dalli
» monasteri ben disciplinati quanto l'osservanza della vita comune tra
» le suore, come hanno promesso per solenne voto osservare, coman-
» diamo che tntte debbono vivere in comune d'una medesima men-
» sa, d'uo medesimo pane, vino, e pietanza. Provederà però la ba-
» dessa secondo la facoltà del monastero ben commensurata alli bi-
» sogni delle suore con discreziooe, e carità circa il vitto, e altre co-
» se necessarie, facendo come madre provida di famiglia, antiveden-
» do nel principio dell' anno l' occorrenti necessità del suo monaste-

» ro, e l'entrate colle solite limosine per poter provedere. E sarà di-
» ligente e verso tutte uguale, acciò le suore lasciata la cura di queste
» cose terrene, siano più ferventi nelle cose spirituali; in tanto che
» nessuna sappi alcuna cosa esser sua, non avendo in loro libertà il vo-
» lere, o non volere, ma avranno l'uso di tutte le cose a beneplacito
» della badessa; e altrimenti facendo, saranno proprietarie, e non ser-
» veranno il voto di povertà, ch'è non solo non avere cosa alcuna
» propria, ma ne anche desiderare d'averla. Onde a ciò questa abbia
» effetto, comandiamo che niuna suora in suo nome proprio possi te-
» nere beni mobili o immobili, in qualsivoglia modo acquistati, ne
» anche denari, ma debbino quanto prima notificare quanto hanno alla
» badessa, acciò sia palese e manifesto tutto quello che possederanno per
» loro uso, e guardinsi di non tenere cosa occulta e segreta che nol
» sappi la badessa. Chi contrafarà, come proprietaria, sia incarcerata
» per otto giorni.

CAPO VIII.

Del modo uguale de' vestimenti.

» Tutte le suore si vestiranno di una medesima sorte di panno, e
» siano gli abiti di una medesima fazione, e senza alcuna curiosità, e
» il colore sia di cenere, e per modo alcuno permetterà la badessa o
» ministra, che si usino panni di colore, quale tenda più al rosso che
» al bertino chiaro, secondo la laudabile consuetudine antica della re-
» ligione, sotto pena alla badessa, che ciò permettesse d'esser sospesa
» dal suo officio, e le suore che tali panni disformi usassero, d'esser
» prive senza alcuna remissione di detti panni.

CAPO IX.

Delle spoglie delle suore defonte.

» Ordiniamo che quando occorrerà morisse alcuna suora, niuna di-
» scepola, maestra, sorella, zia, nipote, parente, o qualunque altra suora
» privata possi attribuirsi, ne appropriarsi spoglia alcuna di detta de-
» fonta, ma tutto quello ch'era ad uso di detta morta, si consegni fe-
» delmente alla badessa, e servirà per uso comune e beneficio del mo-
» nastero. Potranno però la badessa, vicaria, discrete se vedranno il
» bisogno, dispensare tali robe alle suore più bisognose, e se alcuna
» suora occultasse, ritenesse, o spendesse a suo gusto segretamente spo-
» glie d'alcuna defonta, non possa essere assoluta, se non da noi, o
» dal provinciale, però fatta prima la restituzione.

CAPO X.

Dell' obbedienza.

» Desiderando che il voto di obbedienza in tutto sii osservato in
» quello che non è contrario alla salute dell'animo, e alla professione
» della vostra regola, per questo ciascheduna obbedirà alla vicaria, e
» a tutte le altre officiali rispettivamente in quel che concerne l'officio
» loro; e quelle che saranno penitenziate, eseguiranno dette penitenze
» senza replica quando le saranno imposte alla colpa, e altrove per le
» trasgressioni della loro regola, e di queste nostre ordinazioni; e la
» badessa o ministra non mancherà secondo la consuetudine de' mona-
» steri ascoltare la colpa una o più volte la settimana, e riprenderà
» tutte le delinquenti secondo la qualità e quantità de' difetti, ove pe-

» rò non saranno determinate le penitenze in queste nostre ordinazioni, » ma dove sono espresse semplicemente sieno eseguite, e per niun mo» do rilassate. E quando si ascolterà la colpa delle professe, non vo» gliamo che sieno presenti le novizie, e niuna presumi rispondere alla » colpa, difendere o scusare alcuna cosa che fosse ripresa, sotto pena » di disciplina in refettorio pubblica; ma quando ragionevolmente ap» parisse, si facesse ingiustizia ad alcuna, a lei sola con ogni modestia » e umiltà separatamente potrà dire il suo parere. E quando la badessa » comanderà cosa alcuna per santa obbedienza, dimostrando voler es» ser obbidita, come per esempio, s'ella comandasse più volte che una » tacesse quando nascesse alterazione fra le suore, ovvero che non » si rivelino cose, delle quali ne potesse nascere scandalo, ovvero odio, » tutte le volte che non si osserverà tale obbedienza, quella tale sarà » tenuta mangiare in terra pane e acqua senza niente in testa. E se » occorresse che alcuna suora non solo rispondesse arditamente alla ba» dessa, ma ancora (che Dio non vogli) con parole ingiuriose d'infa» mia insurgesse, comandiamo che quella come ribella sia incarcerata » in prigione per quindici giorni, e chi dicesse tali ingiurie alle altre » suore, sia incarcerata per tre dì. E niuna ardisca rinfacciare difetto » alcuno passato, e rinnovare le piaghe vecchie corrette e gastigate, e » chi contrafarà mangerà una volta in terra col capo scoperto in refet» torio, e se alcuna infamerà la sua sorella non vogliamo che possi es» sere assoluta se non da noi, o dal provinciale, fatta però la resti» tuzione della fama, e pacificatasi con lei.

CAPO XI.

Della clausura.

» Poichè il S. Concilio di Trento tanto severamente ordina sotto l'at» testazioni del divino giudizio, e minaccie della maledizione eterna a » tutti i superiori l'osservanza della clausura de' monasterj, acciò dun» que questa si osservi inviolabilmente, comandiamo per santa obbe» dienza, che niuna badessa o ministra o qualunque altra suora ardi» schi d'intromettere entro la prima porta del monastero ne uomini, » ne donne di qualsivoglia condizione, e per qualsivoglia causa, se non » vedrà prima in scritto la licenza del superiore, sotto pena della sco» munica papale da incorrersi in quell'istante, e privazione dell'offi» cio che avessero, e inabilità in perpetuo a qualunque potessero ave» re, e oltre la carcere per dieci giorni la prima volta, la seconda per » un mese. Ne presumeranno mai li confessori entrare nella clausura, » se non per cagione di amministrare i SS. Sacramenti alle inferme, » raccomandar l'anima, e per fare l'officio alle defonte. E tutte volte » che entrerà, entri colla cotta e stola, come vuole la regola delle mo» nache velate. Dichiarasi etiam che il confessore non entri mai per ce» lebrar messa in tempo alcuno nella chiesa di dentro di esse suore, » e siano certi che entrandovi fuori di tali necessità, come abbiamo » detto di sopra, incorreranno nella scomunica ipso facto, e privazione » de' loro officj. E tutte le volte per tali necessità entreranno, subito » che da quelli negozj saranno spediti, se ne nsciranno fuori, e sem» pre il compagno sarà con esso loro, entrando, stando, uscendo. Non » permetteranno che mentre loro confessano vadino li compagni per il

» monastero, ma staranno talmente disposti assieme, che uno possi vedere l'altro. Avvertiranno le badesse, che quando sarà necessario, che alcnni entrando dentro la clausura il confessore, il medico, il chirurgo, o altri per portare dentro grano, vinn, olio, legna, farina e simili abbiano sempre la licenza in scriptis de' superiori, ne vadino in altro lnogo, se non dove occorre l'opera loro, e sempre siano accompagnati da quattro suore in ciò deputate, e si dia segno con una campanella, che tutte le suore le quali fossero sparse per il monastero si ritirino per non essser vedute; e nessuna, eccetto le officiali nelle cose appartenenti a'loro offici, ardischi di parlare, sotto pena della privazione di voce attiva e passiva per nn'anno. Comandiamo ancora espressamente che niuna suora possi stare alla porta lasciandosi vedere, o guardando altri, o ragîonando con qualsivoglia persona, sotto pena di un mese di carcere. E niuna intrometterà per la porta, e per la ruota fanciulli e putti maschi o femmine di qualsivoglia piccola età, ne si possino tenere ad imparare dentro giovane, e ivi custodirle, se non in quei monasteri che son soliti a tenerle, e questo non senza il consenso del capitolo delle suore, e con licenza in scriptis dell'ordinario, o nostra, o del provinciale, sotto pena alla badessa della privazione del suo officio irremediabilmente.

CAPO XII.

Del ricevere de' presenti.

» Comandiamo espressamente a tutte le suore, che tntte le voltn che sarà presentato loro alcnna cosa da mangiare, la debbano consegnare alla badessa o ministra, la quale essendo cosa donata in quantità debba farla dispensare in servizio comune delle altre; però a quella che sarà stata donata, se glie ne potrà dare una parte maggiore, ma essendo cosa minima, si potrà concedere a chi l'ha ricevuta di poterla mangiare, e distribnire a suo beneplacito. Non vogliamo che per l'avvenire ninna possi accettare presenti, quantunque minimi da qualsivoglia persona senza licenza espressa della badessa, ministra, o vicaria, ovvero di alcuna altra madre zelante, alla quale ciò fosse, commesso, essendo loro occupate. Questa tale intenderà bene chi li manda, chi li porta, e che interesse ha la suora presentata con quella persona che gli dona; e conoscendo che vengono da parenti, o da persone timnrate di Dio, e nnn sospette, possino dar licenza che si accettino; ma dubitando e sospettando altrimenti debba ricusarli, e ripreudere chi gli porta. Comandiamo ancora che niuna possa mandar fuori presenti a qualsivoglia, ancorchè a parenti stretti, se prima non mostra il tntto alla badessa o ministra, e glie ne chieda licenza, la quale consideri bene chi sia la persona, alla quale si presenta, e che cosa gli manda, e di che importanza, e donde si può muovere a fare simile presente; e cnnoscendo la persona sospetta, o il presente di valuta, o l'occasione scandalosa, non darà licenza in modo alcuno, sotto pena di sospensione dal suo officio; e quella che senza tale licenza presentasse, resti priva di voce attiva e passiva per un'anno. Ne manco sotto pretesto alcuno di servizio, suora alcuna darà pane, vino, o qualsivoglia altra cosa del monastero a donne, o ad altri che non facessero servizi, senza licenza della ba-

» dessa o vicaria, quali esortiamo che debbono essere non meno discrete
» e prudenti, che amorevoli e caritative.

CAPO XIII.

Dello scrivere e ricevere lettere.

» Comandiamo espressamente, che niuna suora presumi scrivere let-
» tere ad uomini, ne a donne se bene fossero padri, madri, se prima
» non le mostrano alla loro badessa, la quale le suggellerà con il su-
» gillo del monastero, quando saranno scritte a persone senza sospetto,
» ma agli altri non lo permettino mai, ne presumeranno le suore ri-
» cevere lettera alcuna, ne aprirle, se non sarà letta dalla badessa, o
» ministra, e la suora che contro ciò farà sia priva per due mesi di
» accostarsi a grata o ruota.

CAPO XIV.

Delle ruote e grate.

» Ordiniamo che le ruote abbiano di dentro le porte serrate, ferra-
» ture e chiavi, e parimenti le grate, e le ruotaje avranno diligente
» cura per tempo la sera chiudere, e la mattina non l'apriranno avan-
» ti il levare del sole, se non fosse per cosa d'importanza, e con li-
» cenza della badessa. Le grate poi sieno dopple, e discoste almeno
» un palmo l'una dall'altra; dove però non sono le piastre o lamini,
» perchè dove fossero, basterebbe una sola grata, e abbino dette grate
» i telai di tela nera dentro, e che si serrino a chiave, e tal chiave
» terrà sempre appresso di se, etiam quella della grata della sacristia,
» e dello sportellino della comunione la badessa o ministra, quali non
» le conceda a suora alcuna per potersi mostrare ad uomini, eccetto
» che fossero parenti molto stretti, e alle donne, purchè sieno parenti,
» se bene non tanto strette, ne si potranno mostrare le suore a detti
» loro parenti più di tre volte l'anno, senza licenza nostra, ovvero del
» provinciale. Comandiamo ancora alle ascoltatrici, che non si discosti-
» no mai dalle suore che ragionano, ne permettino che alcuna ragioni
» di secreto, ovvero di cose inconvenienti. E comandiamo a tutte le
» suore che non tenghino amicizie di preti, frati della nostra, o d'al-
» tra religione, o di secolari che non siano parenti, sotto pena della
» privazione della voce attiva e passiva, e inabilità in perpetuo ad ogni
» officio. Non permetterà che alcuna ragioni con alcun frate di qual
» condizione si sia, se prima non si farà presentare la licenza da noi,
» o dal provinciale in scriptis, e tal licenza la riterrà presso di se sen-
» za mai renderla al frate, perchè detta licenza non valerà per più di
» una volta.

CAPO XV.

Del refettorio.

» Tutte le suore non mancheranno di convenire in refettorio fatto il
» primo segno, e ritrovarsi presente alla benedizione della mensa, ec-
» cettuate le inferme, ed entrino tutte insieme a tavola, e nessuna si
» parti insino che non saranno rese le grazie, se non fosse per cosa di
» importanza, e questo con licenza di quella che precederà in refetto-
» rio. E mentre si mangia, una continuamente legghi, e tutte atten-
» deranno a cibare non solamente il corpo, ma anche l'anima con qual-
» che divota e spirituale lezione, e ciascheduna sederà nel suo luogo

» secondo l'ordine e antichità della religione, e continuamente si os-
» serverà il silenzio, e non sarà lecito ad alcuna parlare se non cose
» d'importanza, e con voce bassa, ne si dispenserà il silenzio dalla
» presidente se non rarissime volte; in tale dispensazione le suore sta-
» ranno con modestia e discrezione siccome conviene alle vere serve di
» Gesù Cristo.

CAPO XVI.

Del ricevere e spendere l'entrate del monastero.

» Per levar via totalmente la proprietà, e per utilità comune ordi-
» niamo che tutti li denari che vengono nel monastero, o sieno d'en-
» trate di possessioni, o d'altre cose spettanti a quelle, come d'affitti,
» dote, legati, limosine certe ed incerte che pervenissero al monastero,
» o fosse lasciato in particolare a qualche suora, si debbano ricevere
» dalla badessa, e si scriveranno tutte in un libro da una suora, quale
» in alcuni monasteri si chiama camerlenga, e si mettino tutti li detti
» denari insieme in una cassa, la quale abbi due chiavi differenti, del-
» le quali una ne terrà la badessa, e l'altra quella suora che avrà cu-
» ra di scriverli. Questa tale spenderà quando sarà il bisogno, però
» con intervento, e licenza della badessa, e subito scriverà partita per
» partita nell'istesso libro tanto la spesa, come l'entrata del monastero.
» E nella stessa cassa terrà ciascheduna suora li denari che le sarà con-
» cessi per suo uso particolare.

CAPO XVII.

Del ricevere delle novizie.

» Non si possi accettare una persona minore di dodici anni compiti,
» come vuole il concilio di Trento, con il consenso di due terzi del
» monastero, e licenza dell'ordinario, o nostra, o del provinciale, e
» non si accetterà a viva voce e pubblica, ma per voti secreti, acciò
» si levino tutti i sospetti che potessero nascere. Avvertiamo però le
» badesse e ministre insieme colle vicarie che avantichè introduchino
» alcuna dentro il monastero per monacarsi se gli racconti tutta la lo-
» ro regola, l'asperità del vivere, del vestire, delle vigilie, dei digiu-
» ni, delle orazioni, ed ogni altra asprezza del loro vivere. Ne permet-
» teranno le superiori, che alcuna suora particolare si pigli e allevi
» alcuna discepola, etiam che gli fosse parente, perchè si fanno poi un
» idolo, e cercano di lasciarla erede dei loro oratori, celle, e delle
» spoglie che non sono loro, ma del monastero, avvezzandole proprie-
» tarie, e sensuali; onde per estirpare questa mala consuetudine, co-
» mandiamo espressamente, che per scrutinio secreto si elegghi una suo-
» ra delle più discrete e zelanti, quale sarà detta maestra delle novizie,
» e avrà cura di loro, e le insegnerà il modo di vivere, e le cerimonie
» della religione, l'officio divino, e l'osservanza della loro regola. E
» niuna sarà ammessa alla professione, se non avrà finito il sestodeci-
» mo anno, con il voto delle suore, licenza dell'ordinario e nostra,
» ovvero del provinciale. Detta maestra avrà cura non solo nell'anno
» del noviziato, ma ancora due anni dopo che sarà professa, e stiano
» seco, ne vadino vagando per il monastero con le suore professe, ma
» sempre accompagnate da lei, o d'alcuna altra da lei deputata, e le
» alleverà nel timor di Dio; e insino che non sarà compito il terzo an-

» no dette giovani professe non avranno voto nell'elezione della ba-
» dessa, o ministra, quantunque fatta la professione possono in tutte
» le altre elezioni aver voto.

CAPO XVIII.

Del numero delle suore.

» Perchè per esperienza vediamo, ch'è molto meglio esser puoche e
» buone, che assai e inutili, acciò non sia maggiore il numero, di quan-
» to sieno bastevoli l'entrate ed elemosine quotidiane, che mancando
» la sostanza corporale, non si perda l'osservanza regolare, secondo
» vuole il S. Concilio di Trento, e secondo la costituzione di N. S.
» Gregorio XIII., il quale vuole, che non possi esser maggior il
» numero delle suore, di quanto comporta l'entrata del monastero; il
» che si osserverà inviolabilmente in quei monasteri dove sarà prefisso
» tal numero; e dove non sarà prefisso, non mancherà il ministro pro-
» vinciale insieme con l'ordinario determinare tal numero, come or-
» dina Sua Santità.

CAPO XIX.

Di non rivelare fuori i difetti del Monastero,
e le imperfezioni delle Suore.

» Considerando il gran scandalo che nasce spesse volte nei monasteri
» per rivelarsi i difetti delle suore fuori del monastero a secolari, a
» quali non si deve, e non senza admirazione di loro, per dare rime-
» dio a tal difetto, comandiamo sotto pena della scommunica e male-
» dizione del nostro serafico Padre S. Francesco, e nostra che indegna-
» mente teniamo sua vece, che niuna riveli i difetti della religione o
» del suo monastero a qualsivoglia persona fuori del monastero, salvo
» che ai superiori e suoi legittimi prelati; e chi contrafacesse a questo,
» che Dio nol vogli, oltre le pene arbitrarie e esigenza del delitto, non
» potrà essere assoluta se non da noi, ovvero dal provinciale.

CAPO XX.

Dei tempi quando questi nostri statuti e ordinazioni
si debbano leggere.

» Acciochè questa nostra fatica non sia frustatoria e vana, e li buo-
» ni ordini che si fanno non venghino in dispregio, vogliamo che tut-
» te le sopradette ordinazioni da tutte le suore tanto superiori, quanto
» suddite siano osservate interamente. E quando le superiori saranno
» negligenti in osservarle, e farle osservare, siano severamente peniten-
» ziate dalli padri provinciali, ovvero visitatori, dalla privazione, ov-
» vero sospensione de loro offici. Ordiniamo ancora che dopo le pre-
» senti ordinazioni stampate, ogni badessa o ministra sia obbligata averle
» nel suo monastero, e almeno ogni due mesi una volta li facci leg-
» gere in refettorio, acciò niuna sia scusata per l'ignoranza; dipoi che
» saranno lette si conserveranno. E li ministri, o commissarj nelle loro
» visitazioni così paternali come giudiziali trovando le suore difettose,
» e non osservanti li detti ordini, le gastigheranno severamente, altri-
» menti aggraviamo le coscienze loro, che nel giorno del giudizio n'ab-
» bino a rendere constrettamente avanti il tribunale di Cristo Signor
» nostro, al quale sia onore e gloria, adesso, e sempre. Amen ».

XLI. Episcopalem dignitatem assequuti sunt die viii. Junii Silvester de Albania, invitus et reluctans promotus ad ecclesias *Stephanensem* in Dalmatia, et *Bendensem* in Albania; die xxvi. Aprilis Cornelius Dubenius, alias Obviberrid ad ecclesias *Dunensem*, et *Cannotensem* in Hibernia sub archiepiscopo Armachano; die viii. Junii Franciscus Bonardus a Monteregali in Pedemontio ad monasterium S. Mariae Gimontis Auxitanae dioecesis, per obitum Petri Filosae ultimi illius episcopi, et commendatarii; anno elapso die vi. Novembris electus fuerat episcopus Conseranensis in Vasconia; die xxvi. Januarii Albertus Pomerius ad ecclesiam *Tripolitanam* in Siria, et ad ecclesiam *Oscensem*, tamquam suffraganeus archiepiscopi Caesaraugustani. Haec ex Rodulpho. Petrus de Alva electum scribit eodem die, anno tamen elapso. Rodulphus et Farlati recensent Bonaventuram Nocterium die xx. Augusti promotum ad ecclesiam Rossensem, alias Rhiziniensem in Scotia, quibus adhaeret et Petrus Antonius de Venetiis.

Rodulphus p. 235. Petrus de Alva in indiculo Bullarii. Rodulphus ibidem. Farlati tom. VI. pag. 417.

XLII. Hoc anno dum Venetiis degeret Ambrosius Capitius archiepiscopus Antibarensis ecclesiam monasterii clarissarum S. Sepulchri consecravit. Hujus consecrationis memoria extat in tabulario illius monasterii sic expressa » Frater Ambrosius Capitius sacrae theologiae professor, » Dei et Apostolice Sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis, Dioclensis, ac totius regni Servie Primas, necnon administrator Bude et » Corone, universis et singulis presentes litteras inspecturis, lecturis, » pariter audituris notum facimus, quod nos anno Domini mdlxxxii. » die vero xiv. Novembris, que fuit festum Dominice, Spiritus Sancti » gratia nobis assistente, secundum ritum et formam Sanctae Romanae » Ecclesiae hactenus in similibus observatam, et cum licentia illustriss. » et reverendiss. Dom. Patriarche Venetiarum consecravimus hanc Ecclesiam in honorem Sancti Sepulchri etc. Datum Venetiis in monasterio S. Sepulchri anno Domini mdlxxxii. die vero xiv. Novembris. » Idem qui supra Frater Ambrosius Capitius ».

XLIII. Annuente archiepiscopo Florentino die xix. Novembris ejusdem anni Massaeus Bardus episcopus Clusinus solemniter benedixit ecclesiam Omnium Sanctorum Florentiae. Ecclesiam S. Francisci capucinorum Cremae die v. Decembris hortatu ordinarii consecravit Hieronymus Ragazonius episcopus Bergomensis. Ibidem apposita est inscriptio. Fuit etiam consecratum die xxvi. Februarii altare S. Hieronymi ecclesiae S. Francisci Corneti a Hieronymo Bentivogli Montis Flasconis episcopo, SS. martyrum Agapiti et Gordiani pignoribus locatis.

XLIV. Memoria dignus censetur Joannes Antonius Braschinus Faventinus conventualis, hoc anno mense Augusto Dortonae apud suos defunctus, hisce verbis commendatus a Rodulpho: *Joannes Antonius Braschinus, qui praeter caetera in sacris concionibus habendis, multum praestitit, et ex eo in praeclaris urbibus Italiae magnam sui nominis gloriam reliquit.* Quasdam meditationes non minus doctas, quam pias scripsit italico idiomate cusas Mediolani anno mdlxxxvi. Ei a Sbaralea tribuitur *sermo de reditu S. Petri* habitus in Synodo Tridentina, licet impressus nomine Joannis Antonii Claverii Florentini, putatque Braschinium fuisse nepotem, vel affinem, vel alumnum Philippi Braschini Faventini ejusdem instituti. Interim adfirmat eo in concilio, plures alias

Rodulphus p. 268.

Sbaralea de scriptoribus lit. J.

habuisse, Pii IV. hortatu, conciones. Eodem tempore florebat Propertius Resta a Tagliacotio ejusdem instituti alumnus provinciae Pennensis, sive S. Bernardini, vocatus a Rodulpho *vir omnium liberalium artium, virtutumque studio ornatus.* Edidit Patavii typis Simonis Galignani *commentaria in XII. libros metaphisicorum Aristotelis*; scripsit etiam dialogum inter Philastrum et Ernestum *de vera via consequendae salutis*, aliaque, quae vidisse testatur Augustinus Superbus auctor coevus. Plurimis muneribus decoratus est. Fuit suae provinciae magister, doctor ordinis, theologus cardinalis Madrutii, procurator generalis, et a Gregorio XIII. in Germaniam missus, consedit cum senatoribus in diaeta habita Augustae Vindelicorum, ut Aquisgranae et Coloniae haereticorum tumultibus occurreretur. Anno MDLXXXI. Neapoli primum, deinde Ingolstadii praelo Wolfangi Ederi Florentius Leydanus Belga regularis observantiae professor vulgavit *Historiam novorum in Germania inferiori martyrum ordinis S. Francisci, et enarrationem martyrii aliorum quorumdam ejus ordinis religiosorum in partibus Galliarum.* Balthassar a Villafranca Hispanus provinciae Conceptionis alumnus, dum hoc anno esset a confessionibus clarissarum regii monasterii oppidi Tordesillae, hispanica lingua composuit *methodum confitendi.* Quo in opere, quod MSS. extat in bibliotheca ejusdem coenobii, exponit *Decalogi, et ecclesiae praecepta, opera misericordiae, sacramenta, virtutes theologales, et morales, dona et fructus Spiritus Sancti, beatitudines,* quibus adjecit tractatum de *Indulgentiis.* Rodulphus p. 277. Franchinus in Bibliographia n. 296.

XLV. Inhibet Summus Pontifex sub excomunicationis latae sententiae, ne ullus quidem etiam ex mendicantium instituto quovis praetextu, licet excipiendi confessiones causa, in exercitu Regis catholici contra Belgas accedat: *Cum sicut accepimus* die XXV. Junii; Claudius tamen a Medulla, olim vicarius generalis ordinis, eo mittitur a Pontifice cum potestate Legati a latere ad reformandos ecclesiasticorum abusus, ac ut esset a consiliis Alexandro Parmensi Belgarum gubernatori: *Cum sicut dilectus* die XXVIII. Junii. Bernardino Parisino Bononiensi conventuali committitur reformatio sodalium existentium in ditione Caroli Archiducis Austriae, ac in dioecesibus Coloniensis, et Moguntiae: *Cupientes* die XXV. Augusti.

XLVI. Quoniam vero in almo Parisiensi coenobio seditiones anno elapso motae adhuc perseverabant, ideo minister generalis iterum Joannem Porthesium ad illud reformandum misit, hisce munitus litteris.

Fr. Franciscus Gonzaga totius instituti minorum generalis minister et servus R. P. Joanni Porthesio ejusdem ordinis provinciae Turoniae Pictaviensis patri integerrimo, diffinitori capituli nostri generalis, theologo eruditissimo, egregioque concionatori salutem.

Cum neminem lateat ex bonarum litterarum, maxime sacrae theologiae studio, conventus nostri celeberrimi S. Francisci chordigerorum Lutetiae Parisiorum profectus haud ullo precio compensandos reipublicae christianae in primis Galliae evenire, ubi viri doctissimi in conventu praefato eruditi, haeresibus variis et haereticis totis viribus cum magno animarum fructu se opponunt, idcirco felici directioni praenominati conventus nostri tanto diligentius prospicere cupimus, quanto uberiores fructus ex eo ecclesiae catholicae provenire dignosci-

mus. Cum ergo nobis incumbat ex officio, aut electioni honorandi guardiani dicti conventus et collegii praesidere, aut commissarium nostrum deputare, qui dictae electioni praesideat, ac praefati conventus negotia dirigat, ob eam causam, et quia immensa negotiorum mole praepediti, electioni hujusmodi de proximo faciendae non valemus personaliter interesse, te o reverende pater, de cujus probitate, catholicae religionis zelo et doctrina, ac in concreditis tibi negotiis et officiis singulari prudentia, plenam in Domino fiduciam habemus, commissarium nostrum ac visitatorem et reformatorem praefati conventus et collegii nostri Parisiensis tenore praesentium facimus et deputamus, dantes tibi vices nostras, ac plenam et liberam facultatem monasterium antedictum, et omnes et singulas personas dicti monasterii curae nostrae concreditas, cujuscumque qualitatis, dignitatis, praeminentiae et gradus existant visitandi, admonendi, carcerandi, a carceribus liberandi, excommunicandi, absolvendi, reformandi, a casibus ministris provincialibus reservatis absolvendi, et hujusmodi absolvi possint, eis committendi, a poenis et censuris ecclesiasticis, in quantum concedere possumus, eos liberandi, causas, lites, et controversias eorum, a nobis non diffinitas, finiendi, determinandi, et sententiandi, electioni faciendae de dicti conventus guardiano nomine nostro praesidendi camque confirmandi, lectoresque dicti conventus instituendi, aut destituendi, prout publicae utilitati magis expedire noveris. De tumultibus in eo conventu a quibusdam filiis Belial imprudenter factis anno praeterito solerter inquires, delinquentes, secundum sanum judicium et depositionem testium punies, caeteraque ages et facies secundum statuta ordinis et nostram ad praemissorum executionem. Praecipimus autem onorandis magistratis, guardiano, lectoribus, ac patribus discretorii Parisiensis, caeterisque patribus et religiosis praenominati conventus in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis a jure statutis, ut benigne te suscipiant, ac in omnibus ad hanc commissionem spectantibus, tibi per omnia patrocinentur, et obediant. Tibi itidem per eamdem obedientiam mandamus, ut absque aliqua directe ac indirecte excusatione hanc commissionem executioni mandes. Vale in Domino, eumdem pro nobis oraturus. Datum in conventu nostro S. Salvatoris apud Luceriam Apuliae die XIX. Januarii MLXXXII.

L✠S. Fr. Franciscus Gonzaga qui supra manu propria.

XLVII. Huic malo occurrit et Summus Pontifex, auctoritate collata Carolo cardinali Borbonio apud Henricum III. apostolico nuntio, qua fratres ad debitam majoribus suis fidem praestandam facilius adigerentur: *Aliis nostris litteris* die XIX. Martii. Tandem res composita fuit anno MDLXXXIII., quo advenit Generalis minister; is enim, eximia, qua exornatus erat prudentia, omni difficultate superata, sublatoque acerbissimo illorum odio, eorumdem impetum fregit, refractoriosque juxta ordinis statuta continuit.

XLVIII. In actis B. Petri Nicolai Factoris reperio hoc anno celebri visione a Deo fuisse donatum. Die sacro Epiphaniae Domini cum de laudibus Immaculatae Virginis in ecclesia Xenodochii Valentiae, hortatu cujusdam devoti, sermonem edidisset, ab eodem hospitio subinde conni-

Joseph de Alapont in vita B. Petri Nicolai pag. 134.

ter excipitur. Inter sacra spiritualis vitae colloquia, cibo tenui recreatus, mox ut in parato sibi cubiculo ingreditur, ita extra se factus est ut singuli adstantium haud facile eum avocare potuerint. Postridie rogatus, ut eo tempore quod ei evenisset, proderet, se velut in agro optimo constitisse, et procul a se matrem Virginem cum puero Jesu ulnis suis complexo, ac S. Joseph vidisse, respondit. Cum autem ardenti desiderio illis se addere comitem teneretur, sed prae humilitate reluctaretur, tunc ei perhumaniter Beata Virgo: *Nicolae, cupis venire nobiscum? Domina,* cum animi demissione respondit, *paratus sum, enixeque id exopto; verum nimis indignus sum.* Hinc a Virgine accitus, sibi visus est una simul progredi ad vesperam usque. Qui cum in nemore virentibus palmis, oleis, citreisque malis referto sub nocte extitissent, puerulum Jesum ei a S. Joseph traditum, sinu suo meruit complecti. Inter haec coelestia gaudia velut absorptus, Deiparae cum retulisset, prope pueri pedes procumbens, totius noctis tempore ineffabile passus est divinae charitatis deliquium. Iis per ordinem enarratis, in haec verba prorupit: o *nox beatissima!* o *cari amplexus!* o *voluptates!* o *gaudium!* o *paradisus!*

XLIX. Eximio prosequebatur devotionis affectu S. Joannem Apostolum et Evangelistam. Dum ejusdem imagines inspiciebat vel de eo familiariter, vel e rostris dicebat, crebro elevabatur. Undique pietatis ac observantiae sensus de S. Joanne redolet ejus, quam hic damus, epistola ad Angelam Figueroa, et caeteras moniales degentes in monasterio de Hierusalem Valentiae missa.

Admodum Reverendae Dominae Angelae Figueroa etc. Hierusalem.

Admodum Reverendae, et dilectae Dominae.

» Valde suspensum, ac ecstatica cogitatione detinuit me antiphona, *In processu Valentino n. 1. p. 62.*
» quam cecinimus hac nocte de *Benedicto*, videns qualiter ecclesia invitat filias Hierusalem ad egrediendum, et videndum martyres coronatos corona gloriae manu Domini in die solemnitatis et laetitiae ac gaudii eorum sponsalium; anima mea una illarum sponsarum esse nitens invitatarum, inter illas se commiscuit, et se reperiendo in quibusdam campis floridis, detegit illa martyrum agmina, et saltationes, qui Christi amore eorum sanguinem effuderant, et uti mihi quamdam relucentem, et aestimatam margaritam, ac adamantem purissimum vidi gloriosum Evangelistam meum Dominum Sanctum Joannem cum una majori corona ac excellentiori illis aliorum lapidibus pretiosis constructa, contexta rosis albis et variofilatis tamquam virginem gloriosum, martyrem triumphantem, et divinum doctorem; et quamvis sanguinem non effuderit, non ideo inter illud coeleste consortium humiliorem locum tenebat, sed gradibus valde excelsioribus omnes excedebat, et adeo venustus, et elatus veniebat, ut filiae Hierusalem ex adeo admiranda visione visum valde acutum, et perspicuum amiserint, et orbatae incederint; et anima mea nisi interposuissem meam debilem, et levem manum ante meos oculos, similiter lucem illorum amisisset, quia iste gloriosus Evangelista in quodam curru deaurato valde eleganti, et rutilanti veniebat, uti illo Eliae, in quo cum quibusdam sculpturis inaestimabilibus ejus trophaea gestabat; habebat suum thronum auro intextum trium partium et suum sacrum Evange-

46*

» lium, quod valde alte de deitate trium personarum divinarum cantat; hujus curri rotae sunt suimet abnegatio, ac renunciatio divitiarum mundi; quatuor equi, qui illum ducunt, quatuor virtutes cardinales; unum titulum habebat a tergo cum aurea scriptura cantantem: *unus est, et secundum non habet:* et thronus habebat alium electi metalli sculpti dicentem: *dilectus meus mihi, et ego illi.* Ibat stans in uno throno eburneo ditiori illo Salomonis, sedens super aquilam, et ante habebat tres sponsas valde pulchras, fidem valde claram, spem valde firmam, charitatem perpetuam et constantem; quid amplius dicam? sol se suosque deauratos radios delitescebat invidia ejus claritatis; luna pudore habebat ecclipsata ex eo affecta; stellae matutinae fugiebant ab illius incomprehensibili lumine, et ego hoc admiratus dixi uni illorum martyrum: quomodo iste cum sanguinem minime effuderit, uti vos alii, in ejus martyrio, quod genus passionis passus fuit, ob quod vos omnes antecedat? respondit mihi unus, credo quod fuit Sanctus Petrus, quia cum meus visus remansisset a tanta luce alteratus, et perculsus, minime bene potui comprehendere quisnam esset, sed vidi in ejus manu quasdam claves, et barbam albam, ut bene intelligeretur, quisnam esset, et dixit mihi: scire debes, quod quemadmodum iste gloriosus Evangelista dono castitatis praecellit omnes sanctos, ita generibus martyriorum praecellit hanc totam militiam, seu consortium, uti vides; et ego accipiens, ac tangens illius fimbriam detinui ac illum rogavi ut mihi declararet quae genera martyriorum erant; et valde libenter mihi dixit: iste dulcis dilectus discipulus, ultra quod passus fuerat multas persecutiones, tria maxima martyria passus fuit; unum illorum fuit, quod, audiendo vehementes persecutiones Apostolorum, quae me confixerunt, Paulo caput amputarunt, ac Bartholomaeum pelle decorticarunt, et omnium confecit unum novum genus, desiderio se offerens mori pro suo amato Jesu cum omnibus illis generibus mortis, et ita fuit una mecum crucifixus, decollatus cum Sancto Paulo, ac pelle decorticatus cum Sancto Bartholomaeo, desiderio patiendi hoc, et plus pro suo dulcissimo Jesu etc. Si hoc bene ponderetur, intuebitur suo animo ac desiderio magis praecellere, quam aliis. Aliud genus martyrii fuit juxta pectus Jesu Christi, quando coenavit cum suis apostolis. Et tertium, quando juxta Crucem Mater Jesu et ipsius fuit detenta in ejus virginalibus et castissimis brachiis. Iste virgo gloriosus est lilium valde album inter spinas martyriorum et passionum Jesu, ac floruit inter illas; et licet Christus liberaverit illum ab aeneo, ab exilio de Patmos, necnon a gladio persecutoris, at illum effecit martyrem gloriosum dolio sui sacri pectoris acerrimo quodam ac novo tormento. Res admiranda fuit glorioso virgini videre quemdam infernalem draconem, ac crudelissimum Judam, quia monitus a columba sine fele Jesu Christo qualiter ille erat illum venditurus, statim incontinenti admiratione cecidit dolore transfossus in sinu, ac pectore Christi. Heu quae mors civilis, an se exulando et fere sua vita orbatus, in Insula de Patmos, non, sed in illa coeli, ubi coelestia secreta vidit, taliter quod ob visionem draconis Judae exulando aquila optima S. Joannes petiit insulam coeli dulcissimo somno contemplationis, et ecstasis etc.

Digitized by Google

» Magnum genus martyrii similiter fuit degustare gladium quem Simeon » prophetizaverat esse perfossurum animam Mariae in morte sui Filii » taliter, quod si transivit per Mariam, pervenit et vulneratum cor Sancti » Joannis. Eja igitur filiae Hierusalem exite visum hunc gloriosum » martyrem corona gloriae coronatum, considerate gloriam hujus dile- » cti discipuli, qui in coenae conclusione quam fecit Christus cum sua » Ecclesia, inservivit Christo pro thereumate valde divite, quae pen- » debat a pectore magni coelestis Regis, et juxta pedem Crucis inser- » vivit in pulvinar pro Virgine sacrata, quae patiebatur cum suo Fi- » lio, ob quod ipsa gloriosa meruit habere magnum martyris cogno- » men; et hunc titulum haereditavit illic similiter dulcis Apostolus San- » ctus Joannes, quoniam in duabus crucibus patiebatur Matris videlicet » et Filii, et moriens cum uno, et altero adeptus fuit similiter hujus- » modi magnum cognomen, ob quod in coelis possidet horum prae- » mium summis gradibus, taliter quod gustans et bibens calicem valde » amarum Matris, et Filii, meruit dexteram partem, ac sedem Filii virgi- » nis, ac verbo et ultima voluntate atque testamento Christi morien- » tis in Cruce illis dicendo: *ecce Filius tuus*, dicens suae Matri, ac » discipulo: *ecce Mater tua* etc. Et quia aurora apparuit atque sol » suis deauratis splendoribus clarum radiabat coelum, signo dato pro » prima decantanda chorum petens, nihil amplius vidi. Quapropter sup- » plico dominationem vestram, ut mihi dicat Evangelistae aliquam fer- » ventem orationem, quia non erit nisi cordialis. Et deosculor manus » meae dominae Abbatissae, et omnium hujusmodi dominarum mearum » filiarum Hierusalem.

» Frater Petrus Nicolaus Factor

» totus effectus Evangelista die ejusdem gloriosi Evangelistae. »

L. Post mortem S. Ludovici Bertrandi iniit consilium vir sanctus capucinorum institutum ingredi. Voti compos a majoribus factus, mense Aprili a Valentino observantium coenobio discedens ad civitatem Barcinonensem accessit. Quaedam ab eo in itinere gesta memoratuque digna notamus. Singulos, ubi hospitabatur, benefactores caeterosque, qui ad eum conveniebant, proprio cujusque nomine, quin nosceret, nuncupabat, cubiculaque ab eo inhabitata, suavissimum odorem spirabant. Dum in cathedrali templo urbis Tortosae, non longe ab Ibero flumine *Idem ibid. p. 231.* positae, concionem haberet, manibus super caput impositis, ut peccatores ad poenitentiam revocaret, proximum civitatis excidium tertio e suggesto praedixit. Iis servi Dei praesagium illudentibus, cum intempesta nocte flumen aquis effluxeret, die XVIII. Maii plurimi absorti fuere, aedes direptae, horti, pomariique vastati. In oppido ejusdem dioecesis *Falcetta* appellato mulierem e mortis faucibus signo crucis eripuit, alioque in loco in ecstasim raptus, coram frequentissimo populo se vidisse testatus est in coelis S. Ludovicum Bertrandum inter SS. Franciscum et Dominicum stantem, immensa gloria donatum.

LI. Igitur capucinorum habitu in Barcinonensi coenobio assumpto, ne asperitatibus supra modum gravaretur, majorum suorum illico auctoritas impulit. Omnium animos virtutibus ac doctrinis, quibus excultus erat, devicit, praecipuoque devotionis affectu ejusdem sanctitatem demirabantur. Magnus fiebat ad eum populi concursus, vel dum in coeno-

bio versabatur, vel verbum Dei praedicabat, quo in peragendo jugiter extra se rapiebatur.

Donatus et socii martyres. Ann. min. ad an. 1470. num. 20. Monum. mss. provinciae. Thaddaeus et socii mart. Brennan tom. 2. pag. 129.

LII. Die xx. Julii irrumpentes fidei hostes in coenobium observantium extructum in parva insula fluminis Sianan dioecesis Ardefertentis in Hibernia, Donatum Hamachain, Philippum O Feai, Mauritium O Schaulain sacerdotes, qui prae senio, et visus orbitate fugere haud valuerant, ante summum altare violenter abstracti, ibidem jugulati sunt. In conventu de Emciscorthy Thaddaeus O Meran loci guardianus, Felix O Hara, et Henricus de Layhode sub regimine Henrici Wallap Hiberniae proregis, a militibus in ipso conventu comprehensi, et per quinque dies varie torti, ibidem pariter jugulati sunt. Dublini Rogerius Donnellan, Carolus Goran, Patritius Keunan, Rogerius O Henlan, Joannes Pilan durissimis ac diuturnis vinculis colligati, carcerum squallore inediaque macerati, tandem die xiii. Februarii e vita excesserunt.

Rogerius Donnellan et soc. mart. Idem ibid.

LIII. In expilatione et eversione coenobii Mausiacensis sive Mansi, ob Christi fidem quam in fidelium corda teterrimis illis temporibus disseminabant, gladio perempti sunt ab haereticis guardianus loci ignoti nominis, Fortes Vivatus, et Gallardus Vivens. Fallitur Gonzaga dum scribit, coenobium hoc excitatum fuisse hoc anno a pia liberalitate Albretensium, Caumontensium, ac Calogensium oppidi dominorum, cum constet ante annum mcccviii. fratres sui juris fecisse hunc locum; uam extant apostolicae litterae *Ex tenore vestrae petitionis* nonis Februarii a Waddingo relatae, quibus ratam habet Pontifex conventionem factam circa quamdam controversiam sedandam. Putarem hoc anno, vel paullo ante solo aequatum fuisse ab haereticis hoc coenobium, ac non multo post a dominis oppidi reparatum.

Fortes Vivatus et socii martyres. Gonzaga in prov. Aquitaniae recentioris conv. 19.

Ann. min. ad an. 1308. num. 86.

LIV. Aloisius sive Ludovicus Villalobos sacerdos, quem aliqui appellant Alphonsum, cum ex sui superioris mandato iter instituisset ex custodia de Zacatecas Guadalfagiariam versus, in ipso itinere ab Indorum infidelium Chichimecarum turmis invasus sagittisque confixus, die xiii. Februarii agonem suum in summa spiritus alacritate consumavit.

Aloisius Villalobos martyr. Hilarion a Costa lib. 2. pag. 366.

LV. Evangelicis laboribus finem imposuit Joannes de Ayora Hispanus, laurea in utroque jure insignitus priusquam observantium instituto nomen daret in provincia Angelorum. Tyrocinio in coenobio S. Mariae de Angelis de Sierra-Morena expleto, post aliquot annos transiit ad provinciam S. Evangelii de Mexico, a qua anno mdlxv. discessit, Chichimecas gentes una cum aliis Franciscanis ad ecclesiae siuum adducturus. Tanta apud Philippum regem valuit gratia, ut eo postulante Pontificem episcopus Mechiocanensis ecclesiae fuerit renunciatus, quam tamen dignitatem humiliter detrectavit. Provinciae SS. Apostolorum Petri et Pauli de Mechocan minister electus, cum anno mdlxxv. fratres ad collustrandas evangelii lumine insulas Philippinas amandari rescivisset, eo muneri nuntium remisit, ut inter socios Petri de Alpharo cooptaretur. Petro de Alpharo cum sodalibus primo Sinensium imperium petente, guardiani coenobii S. Mariae de Angelis, et judicis ecclesiastici officio functus est Maniliae, ubi cum Sinense, Thegalum, et Ilocum idioma perfectae didicisset, ingentem infidelium messem dum praedicationi intenderet, reportabat. Scripsit artem et dictionarium de illarum insularum idiomatibus. Hinc anno mdlxxx. ad provinciam Ilocos missus, Indos per

Joannes de Ayora Ventacur in Menologio Mexicano ad diem 3. Augusti.

Joan. Franciscus de S. Anton. tom. 1. 696.

sylvas et montana latitantes exquirebat, quos, feritate deposita, secum in pagos ducebat, Christique fide imbuebat. Aetate, laboribusque fractus, die III. Augusti Indos ad fidei constantiam cohortatus, vitam, quin aliquis ex sodalibus adesset, explevit, stratus in terra. Ad corpus defuncti valde contristati confluxerunt Indi, qui proprio sacco, ad explendam devotionem frustratim conciso, non absque admiratione contectum corpus cilicio ferreo, quin a carne educi valeret, inspexerunt. Eum velut sanctum, Deoque charum statim illi colere coeperunt, publicisque in calamitatibus pluries ejusdem praestantissimam opem experti. Scripsit juxta auctorem Bibliothecae Hispanico-Americanae *tractatum de SS. Eucharistiae sacramento* lingua Mexicana; *artem et dictionarium* de lingua Tarasca; *artem et dictionarium* de lingua Ilocos, et Insularum Philippinarum. Insuper dicit eum anno MDLXXXI. sancte obiisse.

Beristain lit. A

LVI. Petrus Muñique, sive de Munico professus in provincia Valentiae zelo animarum actus, primum Mexicum, deinde in Insulas Philippinas profectus, nullis laboribus deterritus, quamplurimos infideles simul cum Alphonso de Medina in provinciis de Panay, de Zebu, et Paingasinan Jesu Christo lucrifecit. Omnigenis virtutibus cumulatus fuit, angelica praesertim puritate, monasticae vitae observantia et altissimarum rerum contemplatione, vi cujus frequentes ecstases patiebatur. Mortales exuvias deposuit die II. Julii in pago S. Francisci de Agoo provinciae Paingasinan. Defuncti corpus, licet tumulatum in loco corruptioni exposito, post annos XV. integrum et flexibile repertum, apud eremitanos S. Augustini; frustra illud repetentibus franciscanis, colitur.

Petrus Muñique.
Menologium Mexicanum ad diem 2. Julii.

Joan. Franciscus de S. Anton. ibid. pag. 712.

LVII. In coenobio S. Mariae de Angelis Maniliae Stephanus Ortiz ex provincia Valentiae, ingenio et virtutis laude conspicuus. Amore fragrabat praecipuo erga SS. Eucharistiae sacramentum. Dum Mexici versaretur, per vicos et plateas a se collectos pueros in christiana fide erudiebat, perditissimosque peccatores summa comitate ad salutis tramitem reducebat. Coelesti doctrina et linguarum dono praeditus, mira in Insularum Philippinarum provinciis Balayan, et Mindoro peregit. Decessit mense Septembris, omnibus ecclesiae sacramentis refectus. Antonius de Villanova Tulucae, oppido ad XXX. M. a Mexico occidentalem plagam versus, in nova Hispania nobili genere natus, laboriosum didicit idioma matalzincium, quo populis summo cum fructu concionabatur. Extitit praeses conventus S. Joannis Baptistae Metepecii ad XXIV. M. P. a Mexico, munusque abdicavit, ut ad Insulas Philippinas adiret. Electus primus custos custodiae S. Didaci discalciatorum Mexici, paullo post Maniliam se contulit, ubi infirmorum curae addictus, cum linguam Sinensium didicisset, eo perrexit hoc anno. Captus inde cum sociis, e vinculis ereptus est Matthiae Peñella ope, in cujus aedibus decessit inedia nonis Septembris. Amacaum inde delatum, solemni pompa inter suos humatum fuit.

Stephanus Ortiz.
Menolog. Francisc. ad diem 16. Octobris.

Joan. Franciscus de S. Antonio ibid. pag. 718

Antonius de Villanova.

Menologium Mexican. ad diem 16. Septembris.

Joan. Franc. de S. Antonio ibid. pag. 722.

LVIII. In conventu S. Francisci provinciae de Guatemala die V. Maii aetatis suae LXXVIII. obiit Gonsalvus Mendezius, qui ab anno MDXL. ex provincia S. Jacobi simul cum Alphonso Eras. Didaco Ordoñez, Alphonso Brustillo, Didaco Alvachio, ac Francisco de Valderas post varias itinerum difficultates, Guatemalam profectus erat, ut finitimis illis gentibus Jesu Christi nomen praedicaret. Ita Indorum animos mansuetu-

Gonsalvus Mendezius.
Gonsaga in prov. S. Francisci de Guatemala pag. 1327.

dine, humilitate, vitaeque austeritate devicit, ut quamplurium civitatum incolas sacro regenerationis lavacro purificaverit. Aliquot XLII. annorum spatio pro fratribus domicilia nimirum S. Francisci Almalongae, S. Jacobi Atitlonsensis, et S. Michaelis Totonicassensis construxit. Quare aucto fratrum et coenobiorum numero, cum, annuente Pio IV. Pontifice, circa annum MDLXV. provinciae dignitatem titulo S. Francisci de Guatemala obtinuisset, semel et iterum huic regendae provinciae praefectus fuit. Quo in munere adeo suae professionis suique status zelator extitit, ut numquam vel annis gravatus, vel laboribus attritus, vel inter asperos montes incedens equitare voluerit. Brevem super nudum asserem carpebat somnum, ut lectioni, orationi, Indorumque saluti prospiceret. Senectute ac aegritudine confectus, cum per se neque nocturnis, neque diurnis precibus vacare, nec missam celebrare valeret, ut ad altare et chorum, utrumque ab ipsomet paradisum suum in terris nuncupatum, se transferret, eaque perageret, duorum fratrum ministerio utebatur. Tandem meritis onustus, eodem tempore quo sodali suo Joanni Calero olim praedixerat, vitam cum morte commutavit. Funeri adfuit antistes Vera-Paz cum regali *audientia*, universus clerus, ingensque Hispanorum et Indorum populus, iisque praesentibus episcopus de Guatemala solemni pro ejus anima divinum Deo obtulit sacrificium.

Tournon Histoire generale de l'Amerique tom. 7. p. 325. Paris 1768.

Petrus de Eneca. *Monum. ms. prov. Carthagin. p. 26.*

LIX. Petrus ab oppido Eneca dioecesis Seguntinensis decessit in conventu S. Mariae Gratiarum Caravacae episcopatus Carthaginensis die XVI. Martii. Fuit patriae suae parochus, qua in dignitate, jejuniis et vigiliis vacans, fideles sibi creditos verbo et exemplo informabat. Orta super ludo inter duos suos parochianos contentione, uterque collusor arbitrum, ut sua sententia litem dirimeret, eumdem constituit. Via veritatis ab eo electa, prolatoque adversus alterum aequo judicio, tanta ille rabie illico agitatus est, ut Petri maxillam saeva percusserit alapa. Dei servus dolorem in patientia sustinens, flexis genibus dixit: *cedat in amorem Domini mei Jesu Christi per me depalmati*. Mox clericali habitu exutus, seraphico minorum ordini nomen dedit in conventu S. Francisci de Huete Carthaginensis provinciae, in qua nullus isto Dei servo sanctior eo tempore excelluit. Vitam in summa egestate, humilitate, silentiique perpetui rigore transegit. Peculiares ad Deum preces fundebat pro eo parochiano qui ei irrogaverat injuriam, cunctisque in epistolis quas ad suos mittebat, nominatim illum, quem *dominum amicum* usurpabat, salutatum volebat. Post matutinas laudes hora dumtaxat dimidia sopori super stoream se dabat, cujus lectuli cervical unus summae angelicae codex erat. Miraculorum, discretionisque spirituum gratia a Deo ditatus, facinus, quod in confessione studiose occultaverat, cuidam poenitenti reseravit, eumque a mortis faucibus eripuit, vix ut tria panis a se benedicti in SS. Trinitatis nomine fragmenta comedisset. Ad ejus funus pii fideles undique convenere, elataque voce penes defuncti corpus genibus pervoluti edicebant: *non venimus huc pro te oraturi, Pater Sancte, sed ut pro nobis ores ad Deum*. Quarto post anno e tumulo, quod prope arae maximae gradus positum fuerat, eductum, suavem odorem spiravit.

Marcus de S. Magdalena.

LX. Dies suos complevit in coenobio S. Francisci de Monte prope Cordubam Marcus de S. Magdalena, aemulator eximius asperitatum et

virtutum Joannis de Carcamo, Bartholomaei de Guadalupe, et Michaelis Triquillos, qui in illis eremis degens, per integros menses ad victum solum panem et aquam et aliquot poma adhibebat, imo neque haec aliquando degustabat, sed intacta ad coenobium reportabat.

Alphon. de Torres in chron. provin. Granat. p. 297. Ann. min. ad an. 1397. num. 12.

LXI. In coenobio S. Francisci oppidi Benicarlonis in provincia S. Joannis Baptistae die IV. Junii ad superos evolavit Michael Borras laicus. Is cum angelica puritate niteret, angelorum concentu honorari meruit in morte, ejusque funus solemniter ab illis decantari, addita in fine pro defunctis precandi formula: *requiescat in pace.* Dum tumulo mandaretur, crucifixi imaginem, quam in manibus gerebat, tertio reseratis et clausis oculis contemplare visus est. Valentiae in conventu Dominae nostrae de Jesu die VII. Decembris Guilielmus laicus, ortus Spoleti in provincia S. Francisci. Oratione vocali et mentali plurimum delectabatur, nec post matutinas preces, quibus semper aderat, cellam petebat, sed auroram in ecclesia praestolabatur. In contemplandis Christi Domini cruciatibus tanto cordis sensu afficiebatur, ut in copiosissimas saepe saepius afflueret lacrymas. Hinc cum quadam die illam intense recoleret, extemplo ecclesiae suggestum conscendens, mira coram audientium multitudine de eadem passione disseruit. Mulierem peccatorum laqueis detentam suis adhortationibus solvit, eamque ad suorum scelerum poenitentiam agendam facile adduxit. Haec communis animarum hostis in servo Dei invidens, illusionibus, phantasmatibus, pravisque imaginibus, at frustra, eum retrahere nitebatur. Spiritu prophetico, curationumque gratia excelluit. Mulieri in puerperio periclitanti felicem partum atque sospitatem praedixit, quam etiam signo crucis a gravissimo pectoris dolore instanter iteratoque liberavit.

Michael Borras. *Panes in chron. provinc. S. Joan. Bapt. lib. 1. cap. 28.*

Guilielmus a Spoleto. *Gonzaga in prov. Valentiae conv. 9.*

LXII. In coenobio Oenipontano Constantinus Tyras Lovaniensis in provincia Germaniae inferioris franciscanis adscriptus. Emicuit in cathedra, et in conventuum regimine. A coenobio Ultrajectino cum aliis a Geusiis expulsus, Oenipontum se recepit provinciae Tyrolensi anno MDLXXX. sese adjungens, ubi in ea diffinitoris et guardiani illius conventus officium explevit. Diuturnum morbum patienter sustinuit, qui illum e vivis eripuit die XXIII. Januarii. Magnum sui desiderium reliquit, et in domo capitulari tumulum hac inscriptione donatum, invenit. *Anno Domini MDLXXXII. obiit Rever. P. Fr. Constantinus Tyras Lovaniensis et guardianus loci hujus.* In Audomarensi coenobio sancte quievit David Alexandri Scotus ob catholicae fidei defensionem e Flandria extorris, varias exilii et paupertatis aerumnas terra marique fortiter perpessus.

Constantinus Tyras. *Greiderer tom. 2. lib. 1. n. 291. p. 172.*

David Alexandri. *Monum. prov.*

LXIII. Ex capucinorum familia beate occubuit in Brixiensi coenobio provinciae Bononiensis Hieronymus Novariensis sacerdos, ex illustri Avogadrorum genere natus, qui anno aetatis suae XLIV. ab instituto observantium ad capucinos convolaverat. De eo sic scribit Boverius: *vir aetate provectus, ac moribus gravis erat Hieronymus, cum ad capucinos migravit.* Ejusdem gesta fusiori calamo prosequitur laudatus Annalista. Orationis studium velut tutissimum virtutum praesidium plurimum adamavit, eumque caeteris, novitiisque praesertim quibus aliquando praefuit, verbo et exemplo commendabat. Quare grata et efficax aliquando fuit apud Deum ejus deprecatio; nam anno MDLXXVIII. fu-

Hieronymus Novariensis. *Boverius tom. 2. pag. 28.*

sis ad Deum precibus, congruentem imbrium copiam Cremonensi agro magna siccitate laboranti mox obtinuit, quin prorsus ulla in coelo nubes antea apparuisset. Uberrimis lacrymis Christi passionem recolebat; sacrificium vero missae tanto charitatis ardore peragebat, ut aliquando celebrationi insistens igneus splendor ex illius vultu prodiret. Eodem anno obierunt Michaelangelus Mediolanensis, clara familia Melciorum progenitus, celebris verbi Dei concionator, Augustinus Brixiensis clericus regulae observantissimus, Simon Butriensis sacerdos, et Mathias a S. Agatha, humilitate et innocentia praediti.

Michaelang. Mediolanensis. Augustinus Brixiensis. Simon Butriensis. Mathias a S. Agatha. Idem pag. 50.

LXIV. Labente hoc anno, sicut divina revelatione didicerat, e vivis ereptus est in coenobio Matteoli provinciae Hydruntinae Joannes a Frentano. Praecelinit charitate erga infirmos, quos sola impositione manuum incolumitati reddebat verba illi S. Evangelii proferens: *super aegros manus imponent, et bene habebunt;* Asisii Dionysius a Spoleto alumnus Aprutii provinciae, qui expleto summa cum laude in Galliis commissarii generalis officio in Italiam rediens, coelestem quamdam vitam instituit. Catharinam Perez nobilem mulierem hispanam Pacentii in oppido prope Sulmonam degentem, quae nimis afflictabatur ob nuncium acceptum de duobus filiis apud Belgas interfectis, solatur, praedicens eos adhuc fore superstites, laetamque intra breve tempus incolumes suscepturam; quod et evenit; prima Maii in conventu Manfredoniae provinciae S. Angeli Basilius Syracusanus reliquit nominis sui desiderium. Triennio post effosso ejus corpore, inventum est integrum suavique odore flagrans.

Joannes a Frentano, De Arembergh pag. 196. Marci 16. Dionysius a Spoleto. Idem pag. 73. Basilius Syracusanus. Idem pag. 198.

LXV. Leucodiae in provincia Syracusana septuagesimo vitae suae anno Vitus Ragusaeus laicus decessit. Pluries, ut irrideretur, pro Christo stultus factus est. Una namque die in festo Assumptionis B. Mariae Virginis dum esset Tyraceni, coram frequentissimo populo ante ecclesiae fores deambulare coepit, habitu se exuto soiisque femoralibus relictis. Ut Christi passionem, quam jugiter recolebat, alta mente retineret ipsiusque acerbitatem experiretur, spineam coronam capiti impositam et compressam secreto gestabat. Fuit summae simplicitatis, castimoniae, et obedientiae virtutibus decorus. Crebras ecstases passus est, divinaque luce ut plurimum circumfusus. Aliquot in vita edidit miracula; in provincia S. Nicolai Antonius a Lotito sacerdos, virtute patientiae exornatus in diuturno potissimum podagrae morbo, quem ad septennium patienter tulit.

Vitus Ragusaeus, Idem pag. 534. Antonius a Lotito, Idem pag. 438.

LXVI. In Messanensi provincia obiit Petrus Calaber, in tentationibus daemonum a Deo probatus; in coenobio Politii ejusdem provinciae Elisaeus a Messana sacerdos eximius in puritate, ac in ardenti devotione B. Mariae Virginis. Fratribus, aquis deficientibus, ipsius patrocinio obtinuit, ut ex collis silice scaltro ab ipso percusso aqua efflueret. Post diuturni languoris probationem in conventu Tyracenensi cum sanctimoniae laude ad superos evolavit Athanasius in eodem oppido natus; in oratione flexis genibus perseverabat ad quintam et sextam usque horam. Eum a studio orationis avocare satagebat daemon, quinimo aliquando diris verberibus illum afficiebat; de quo tamen ejusdem orationis praesidio, ac patientia triumphum reportabat.

Petrus Calaber. Idem pag. 805. Elisaeus a Messana. Idem pag. 201. Athanasius Tyracensis. Idem pag. 200.

LXVII. Ex sanctimonialibus obdormierunt in Domino in monasterio S. Clarae Portus in provincia Portugalliae Francisca de Spiritu Sancto, cujus vitam perpetuum jejunium fuisse perhibent, inter aspera flagella et rigores productum ad hunc annum usque, quo obiit; in monasterio de Jesu Mediolani die XI. Februarii Modesta ab oppido Soncini dioecesis Cremonensis, sanctitate vitae omniumque virtutum genere praedita. Expleto qninquagesimo aetatis suae anno Beatrix de Christo ex nobili familia nata, una cum aliquot virginibus, quibus omnia necessaria suppeditavit, ingressa est in monasterium S. Clarae oppidi Cassalensis in provincia Angelorum. Ea inter sorores virtutum charismata auxit, quibus in saeculo mirifice exornabatur. Super nudam terram brevem carpebat somnum, et habitum quo primum induta fuit, toto vitae suae cursu semper gestavit, nec illo unquam exuta. Flagellis membra domabat, cilicioque ita utebatur asperrimo, ut ex ejus corpore haud facile post mortem evelli potuerit. Obiit die XX. Septembris.

Francisca de Spiritu Sancto. *Hagiologium Lusitanum ad diem 31. Martii.* Modesta a Soncino *Ann. min. ad an. 1456. num. 260.* Beatrix de Christo. *De Guadalupe p. 568.*

LXVIII. In monasterio S. Clarae Ubedae eodem anno obierunt Isabella Rodriquez, et Maria de Alchoroche, quarum prima summa humilitate praedita, singulis sextis feriis ad fores refectorii, ut a sororibus calcaretur pede, se prosternebat. Certior a Deo facta fuit de ejus obitu ante vigesimum diem; altera nobilis virgo aetatis suae anno XXX. in eodem monasterio professa, perfectum illico sanctitatis exemplar evasit. Aloisia Coronel et Quiros cum summo devotionis affectu erga SS. Eucharistiae sacramentum flagraret, saepius ante summum altare divinas ecstases patiebatur. Cum de more quolibet anno sacrosanctum Christi corpus publice gestaretur, trium horarum spatio asperrimo flagello se caedebat. Dum sacro muniretur viatico clara voce hymnum *Pange lingua* decantavit, moxque Christi corpore refecta ad coelestem agni coenam evolavit.

Isabella Rodriq. Maria de Alchoroche. *De Tor. in Chron. prov. Granaten. pag. 536.*

Aloisia Coronel. *Idem ibidem p. 615.*

LXIX. Hoc anno monialibus clarissis S. Elisabeth Toleti die VIII. Septembris se addixit Anna a Christo Hispana ex Jetafae oppido prope Matritum, quae postea divinitus afflata una cum Hieronyma ab Assumptione, Maria Magdalena, et altera Maria Magdalena a Christo, Leonora de S. Francisco, et Joanna a S. Antonio ad Philippinas Insulas se transferens, Maniliense monasterium discalceatarum ordinis S. Clarae excitavit, ubi virtutibus florens, omnium fuit prima novitiarum magistra.

Anna a Christo.

LXX. Minister generalis mox Ultramontes profecturus sequentes litteras ad totius Italiae provincias suo regimini subditas scripsit, ut quae ab ipsomet in nupera earumdem provinciarum perlustratione constituta erant, altas in dies radices agerent.

Frater Franciscus Gonzaga totius ordinis minorum generalis minister et servus reverendis et venerandis patribus commissariis, ministris, guardianis, vicariis, praesidentibus, et aliis religiosis provinciarum Italiae ejusdem ordinis regularis observantiae nobis amantissimis salutem.

Quoniam ex onere nobis injuncto super oves curae nostrae concreditas invigilare debemus, et eas salutari doctrina pascere, idcirco ut propriis auribus earum vocibus auditis, impedimenta salutis ab eis removere efficacius valeremus, omnes fere Italiae provincias, non sine ingenti nostro labore visitare curavimus, unumquemqne subdito-

rum nostrorum sincero cordis affectu obsecrando, et monita salutis eis dando, idque solo animarum zelo acti, et ut provinciarum labentium instaurationem promovere utcumque possemus. Cumque ob praesentis temporis infelicitatem, et quorumdam pastorum incuriam, atque ovium multarum ignorantiam sancta et evangelica paupertas quam devovimus, adeo in plerisque locis periclitetur, ut instituti nostri excidium imminere videatur, ideo huic damno occurrere volentes, et fructum de nostro labore percipere exoptantes, ea quae saepe saepius verbo expressimus et statutis in visitatis provinciis pro illarum reparatione ordinare curavimus, etiam nunc ad partes ultramontanas profecturi scripto repetere decrevimus, ut memoriae magis haereant, et ferventiori conatu a vobis ea quae sunt vitanda vitentur, et quae adimplenda sunt, opere compleantur.

§. 1. *Quia juxta declarationem Domini Leonis PP. X. fratres minores de regulari observantia incapaces sunt onerum perpetuorum missarum et divinorum officiorum, ideo non licet vobis hujusmodi onera acceptare. Obstante expressa ejusdem D. Leonis prohibitione, praecipimus ergo vobis, ut ad unguem observetis constitutionem factam in* Legata perpetua prohibentur. *capitulo generali Vallisoletano, quae sic habet*: ceterum capellanias, quas vocant perpetuas, per conventiones praesertim et instrumenta publica recipi in aliquo conventu omnino prohibemus, et si quae hactenus sunt receptae, illas protinus resignare praecipimus, conventionesque, et pacta rescindi, sed liceat fratribus per modum eleemosynae dumtaxat, missarum subsidia quae libere oblata fuerint, recipere.

§. 2. *Quoniam annui redditus intra immobilia censentur a jure, ac hujusmodi redditus obtinere, paupertati et mendicitati professionis nostrae repugnant, ideo non licet vobis tales redditus habere: constat in sacro concilio Tridentino sess. 25. cap. 3. de regularibus, et expresse definitum est a b. m. Clementis V. in Clement.* exivi de paradiso *art.* 7. §. cumque annui redditus. *Ita etiam declaratur a S. Bonaventura, quatuor magistris Joanne de Pechano, Hugone, Bartholomaeo de Pisis, et Antonio Cordubensi viris doctissimis, et in rebus professionis nostrae expertissimis. Innititur autem haec doctrina iis verbis regulae nostrae*: fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. *Unde ejusdem regulae expositio quae SS. Patrum ordinis communiter appellatur, super hunc locum sic habet*: hic praecipitur secundum magistros et S. Bonaventuram, nihil habere fixum, ut redditus.

Legata exigere. §. 3. *Legata vobis facta non potestis exigere tamquam habentes aliquid dominii aut juris in illis; neque petere illa potestis in judicio, vel extra, quasi vobis debita civiliter, quia ex professione vestra incapaces estis juris et actionis cujuscumque civiliter; ratione etenim paupertatis ad quam tenemini, non potestis praetendere jus aliquod civile circa aliquam rem; patet ex ipsa declaratione D. Clementis art.* 6. §. denique etc. *ubi dicit quod fratres recurrentes ad habentes pecunias pro rebus necessariis, in omnibus sic se gerant, quod se cunctis ostendant in dictis pecuniis (sicut nec habent) peni-*

tus nihil habere. Dicit praeterea idem D. Clemens art. 6. quod fratres ipsi nullo modo debent assistere curiis, quando in illis de rebus agitur in ipsorum commodis convertendis, quia ex his quae foris patent, verisimiliter crederent in ipsis rebus fratres assistentes aliquid quaerere tamquam suum. Nullo ergo modo, inquit idem Rom. Pontifex, debent hujusmodi voti et regulae professores se talibus curiis et litigiosis actibus immiscere. Conformiter ad hanc doctrinam in capitulo generali Burgensi celebrato anno MDXXIII. *ita definitum est*: declaratur quod ad petenda legata perpetua non possunt fratres recurrere, nisi per modum eleemosynae absque alicujus debiti allegatione. *Et in capitulo generali celebrato Asisii anno* MDXXVI. *facta fuit haec constitutio*: decernitur, ac praecipitur, quod fratres nullo modo recipiant aliqua legata perpetuo relicta aliquibus personis, vel hospitalibus, vel aliis domibus, ut dent fratribus certam eleemosynam simpliciter, ut ipsi dicant certa officia, vel missas; imo quod guardianus vel praesidens faciat protestationem juridicam et authenticam ei qui implere tenetur testatoris voluntatem, quod nolunt illas eleemosynas ex vi illius legati, nec volunt obligari, nec teneri ad illa officia vel missas, et quod si voluerint legatarii, transferant in alium locum. Si tamen facta ista protestatione, legatarius praefatus voluerit ex sua mera voluntate dare eleemosynas illas, et committere fratribus dicta officia et missas, possint fratres cum bona conscientia recipere. *Haec ibi. In statutis etiam generalibus Salamanticensibus a S. Sede apostolica approbatis sic habetur*: inhibemus etiam per obedientiam, quod nullus frater per se, vel per alium inducat aliquam personam ad faciendum vel ordinandum aliquam eleemosynam perpetuam, vel ad vitam sibi vel alteri, vel etiam ordini, aut conventui exhibendam, et si aliqua talia fuerit ordinata, nullo modo a fratribus vel ab aliquo nomine ipsorum in judicio exigetur, aut exigi procurent. *Haec ibi. Ceterum ad sublevandam indigentiam fratrum legata ipsa, extra judicium humiliter et per modum eleemosynae petere poteritis.*

Protestatio facienda legatariis.

§. 4. *Non licet vobis oblationes pecuniarias in missis novellis, in diebus indulgentiarum, aut aliis solemnitatibus in vestris ecclesiis recipere, vel per plateas seu domos, cum disco, capsula, seu arcula denarios per vos ipsos, aut per alios quaerere pro luminaribus, seu pro fratribus sustentandis, aut infirmis sublevandis, vel alia quacumque ex causa, quia haec omnia sunt quaestus pecuniarii, vobis prohibiti. Unde in antedicta D. Clementis declaratione art.* 6. quocirca quaestus etc. *habetur, quod quaestus omnis pecuniae, ac oblationum pecuniarum receptio in ecclesia sunt fratribus simpliciter interdicta; in statutis generalibus Salamanticensibus cap.* 4. *habetur*: oblationes pecuniarias in missis novellis aut similibus fratres nullo modo recipiant, aut recipi permittant. *Haec ibi.*

Oblationes in missis novis et indulgentiis prohibitae.

§. 5: *Non licet vobis in ecclesiis vestris truncos vel cyppos habere ordinatos ad offerentium seu donantium pecunias reponendas, quia interdictum est vobis in eadem D. Clementis declaratione loco citato. Unde in capitulo generali celebrato Asisii anno* MDXXVI. *sic definitum est*: non permittantur in ecclesiis nostris trunci sub quovis palliato colore, nec pro aedificandis ecclesiis seu claustris, nec pro indul-

Cyppi et capsulae in ecclesiis prohibentur.

gentiis lucrandis, nec pro fratribus sustentandis, nec pro confraternitatum manutenentia. *Haec ibi. Ceterum placet SS. D. N. Greg. XIII. ut juxta veterem hujus nostrae familiae Cismontanae consuetudinem in omnibus locis dictae familiae (illis locis dumtaxat exceptis, in quibus praefatas D. Nicolai III. et Clementis V. declarationes in omnibus servare tenentur) arca una in sacristia haberi possit, in qua eleemosynae pecuniariae reponantur, quae pro fratribus elargiuntur, ita tamen ut dictae arcae clavem habeat apud se procurator saecularis, et non fratres.*

Pecuniae contrectatio omnino interdicitur.

§. 6. *Seraphicus P. N. S. Franciscus cum summe affectaret suae regulae professores totaliter esse obstructos ab affectu et desiderio terrenorum, et specialiter a pecunia et ejus usu inexpertos, eis denariorum receptionem, et contrectationem prohibuit dicens*: praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam. *Unde Nicolaus III. et Clem. V. declarant fratres ipsos non solum a receptione, proprietate, dominio, sive usu ipsius pecuniae, verum etiam a contrectatione qualibet ipsius esse penitus alienos. Cavete ergo ab omni denariorum receptione, seu contrectatione, ne incidatis in poenam constitutionis generalis Salamanticensis, quae sic habet cap.* 4. quicumque fratres supra se portaverit, aut manu propria contrectaverit pecuniam, aut in pera quam portat secum, aut supra jumentum portaverit, vel in cella, aut confessionariis retinuerit poena carceris: per mensem puniatur. *Haec ibi. Ceterum ne simoniae species vel similitudo in administratione sacramenti poenitentiae appareat, aut occasio confessariis detur contrahendi vitium proprietatis, eis inhibemus ne quovis praetextu aut palliato colore scienter permittant, quod in eorum cellis, aut confessonariis, vel in alio quovis loco, poenitentes relinquant denarios. Sed si aliquis ex poenitentibus eleemosynam dare voluerit, vadat ad procurarem, seu syndicum, qui certe denarios reponere poterit in arca sacristiae. Si quis autem confessorum contrarium attentare praesumpserit, praeter praefatam carceris poenam, et vocis activae et passivae ad biennium privationem, privabitur officio audiendarum confessionum, nec restitui poterit nisi in provinciali capitulo. Quia vero nonnulli superiores interdum reperiuntur qui salutem animarum minus curantes, denarios ab ipsis confessoribus exigere non verentur, ideo decernimus ne quispiam illorum directe aut indirecte denarios a dictis confessoribus expostulare praesumat quoquomodo.*

Confessarii a poenitentibus denarios relinquere non permittant.

Vineas ut colligatur vinum, et hortos, ut vendantur fructus habere non licet.

§. 7. *Non licet vobis habere hortos, prata, et hujusmodi ut colantur, et olera seu alia ortalicia vel fructus et foenum praecio distrahantur, neque vineas ad colligendum vinum habere potestis. Unde D. Clemens in praefata declaratione art.* 7. §. licet vero, *ait:* habere tamen hortos aliquos ut colantur, ac olera et alia ortalicia praecio distrahantur, nec non et vineas, repugnat suae regulae et ordinis puritati. *Et D. Nicolaus III. in sua praefata declaratione art.* 3. §. ad haec, *dicit*: quod si testator legaret fratribus vineam vel agrum ad colendum, vel domum ad locandum, a tali legato et ejus receptione per omnem modum fratres abstineant. *Cum etiam praemissa habere, ut praecium fructuum suis temporibus habeant, ad naturam et for-*

riam proventuum appropinquent; merito ergo in capitulo generali Burgensi celebrato an MDXXIII. *decretum fuit, quod omnes vineae, ex quibus fratres colligunt vinum pro sua provisione ad bibendum, tollantur, destruantur, et eradicentur. Itaque vobis praecipimus ne vineas ad colligendum vinum habeatis.*

§. 8. *Non licere vobis, sive per vos, sive per procuratorem hortos, prata, seu partem aliquam domus praecio locare aliis aperte colligitur ex praefatis apostolicis declarationibus, praesertim D. Nicolai III.; hujus rei ratio est, quia talia facere ad naturam et formam proventuum appropinquant. Unde tam in capitulo generali Asisii celebrato anno* MDXXVI., *quam in statutis generalibus Salamanticensibus saepe superius allegatis cap.* 6. *sic definitum est:* Nullus guardianus loci, vicarius, aut alius quomodocumque praesidens etiam per procuratorem audeat vendere ligna, foenum, vel quae nascuntur in hortis, et hujusmodi, neque pascua, domos, aut hortos ipsos quovis modo locare. *Haec ibi. Similiter illicitum est vobis et indecens, in hortis seu pratis vestrorum locorum, boves, aut alia animalia nutrire, ut postmodum vendantur, et praecium ad fratrum utilitatem convertatur; indecens enim hoc est statui vestro.*

Locare prata, hortos vel domos praetio non licet.

Nutrire animalia ut vendantur interdictum.

§. 9. *Ait regula nostra seraphica cap.* 2. fratres omnes vestimentis vilibus induantur, *quae verba juxta praefatam D. Clementis declarationem art.* 2. ut autem etc. *sunt praecepto equipollentia, et tamquam obligatoria a fratribus observanda. Vestimentorum autem vilitas ut docet statutum generale Salamanticense cap.* 2. *attendenda est in praecio pariter et colore, in quibus semper reluceat asperitas, vilitas, et paupertas; sed judicium hujusmodi vilitatis tam vestium exteriorum, quam interiorum, non fratribus ipsis subditis, sed praelatis* commissum est, *ut constat ex saepe dicta Clementis declaratione art.* 4., *et ex declaratione D. Joannis XXII. quae incipit* quorumdam exigit. *Proinde quemadmodum temeritas illorum, qui (volentes plus sapere quam oporteat sapere, et praefatorum Rom. Pontificum declarationes negligentes) habitus curtos, strictos, inusitatos, et squallidos ac novitate plenos assumunt, per praefatam D. Joannis XXII. declarationem, et per statuta generalia praefata Salamanticensia, damnata est, ita vestimentorum praetiositas et curiositas multorum merito profligari debent. Sciant ergo illi, qui de panno praetioso bononiensi, aut mediolanensi, vel alio simili contra communem provinciarum et locorum usum vestiri non verentur, sive sint praelati, sive subditi, se contrarios esse tam paupertati quam professi sunt, et intentioni seraphici P. N. S. Francisci, tum etiam dictis declarationibus apostolicis, in quibus non committitur praelatis ut de vilitate vestium temere, et ex animi sententia arbitrentur et judicent, sed illorum conscientiae onerantur, ut videlicet prudenter et cum timore Domini id judicent, habita ratione altissimae paupertatis nostrae et consuetudinis, vel conditionis patriae. Unde inquit D. Clemens,* hujusmodi vilitatis judicium ministris et custodibus seu guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientias onerantes, ita tamen quod servent in vestibus vilitatem. *Haec ibi. Et praefatus D. Joannes quando committit praelatis arbitrari, et judicare de ve-*

Digitized by Google

stimentorum colore, vilitate, praecio, et paupertate statim subjungit, super quibus eorumdem ministrorum, custodum, et guardianorum conscientias oneramus, praecipit fratribus, quatenus in praedictis et iis similibus, arbitrium, determinationem, sive judicium generalis ministri in toto ordine, et provincialium ministrorum in suis provinciis sequi omnimode illisque parere per omnia teneantur. Obsecro ergo vos per misericordiam Dei, ut omnis praetiositas et curiositas longe sit a vestimentis vestris; quaecumque enim sunt in usum verorum pauperum juxta paupertatis regulam mensuranda sunt; paupertas autem vera, *ut inquit S. Bonaventura,* nihil paetiosum habet, et religiosis pauperibus, cum regula sit pauper, vestis praetiosa et curiosa confusio est. *Unde in antedicta D. Nicolai declaratione dicitur quod semper in nostris fratribus, et eorum actibus paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eorum regula invenitur indicta. Itaque si aliquis vestrum post praesentium publicationem, de panno praetioso bononiensi, mediolanensi, aut alio simili vestem aliquam sibi fieri permiserit, hujusmodi veste privetur, et poena proprietarii puniatur; at si praelatus vel superior fuerit, ultra dictas poenas, suo officio privetur. Nemo igitur vestrum induatur de particulari panno, sed quilibet in suo conventu de eo panno vestiatur, de quo reliqui dicti conventus fratres induuntur; et sit vobis turpe, in veste vili non imitari Christum, Apostolos, et seraphicum P. N. Franciscum, qui in prima sua regula dicebat:* non quaerant fratres caras vestes in saeculo, ut possint habere vestimentum in regnum coelorum.

Praetiositas vestimentorum tollitur.

§. 10. *Quoniam indecens est, quod fratres nostri aromatarii, et infirmarii vendant cinamomum, piper, et caetera hujusmodi, ideo talia fieri, aut arculam ad reponendas donariorum eleemosynas habere in suis officinis, vel de praecio syroporum, seu aliorum medicamentorum convenire, omnino prohibemus; quod si pro farmacis vel alio labore ipsorum aromatariorum eleemosyna aliqua pecuniaria elargita eis fuerit, tradatur procuratori, quemadmodum per Martinum V. et per constitutiones generales Salamanticenses extitit ordinatum.*

§. 11. *Denique quia interdum non sufficit salutis viam religiosis ostendere, sed necesse est poenam transgressoribus infligere, ideo in provinciarum statutis a nobis editis poenas contrafacientibus infligendas taxavimus, et nunc omnibus et singulis provinciarum et locorum Italiae praelatis et superioribus praesentibus et futuris, etiamsi sint commissarii generales sub excomunicationis latae sententiae poena praecipimus, ne contra ea quae continentur in praesenti epistola nostra (quae in communitate monasteriorum suorum legi mandamus) quicquam attentare praesumant, aut fieri scienter permittant. Ad hanc autem gravissimam poenam infligendam impellimur, crassa incuria multorum mandata superiorum servare negligentium. Attendite igitur vobis o patres, et auribus cordis verba mea percipite, ne cum hypocritis, et transgressoribus pars vestra reponatur, et ne vobis videatur gravis haec professionis vestrae paupertas evangelica, quae multis magnisque commodis spiritualis levari solet, quemadmodum non obscure innuit seraphicus P. N. Franciscus in regula dicens:* haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos cha-

Digitized by Google

rissimos fratres meos haeredes et reges regni coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit; haec sit portio vestra quae perducit in terram viventium, cui dilectissimi fratres totaliter inhaerentes, nil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis. *Memineritis ergo per Deum immortalem, ordinem nostrum nil proprium possidere, et in tanta rerum terrenarum abdicatione non infructuose fundatum esse, sed multis de causis. Primo, ut vestigia Christi perfectius imitemur, juxta illud Matthaei* 19. Si vis perfectus es etc.; *et ut laqueos avaritiae liberius declinemus:* qui enim divites fieri volunt, in laqueum incidunt diabuli. *Secundo, ut culpas superfluitatis plenius expiemur, et altioris meriti gloriam per varias virtutes paupertatis consequamur, Matthaei* 5. beati pauperes etc. *Tertio, ut mente liberiores simus ad spiritualia studia orationis, contemplationis, et lectionis, et ut praedicationis studio expeditius intendamus, ac verbum Dei minus intrepide omnibus proponemus. Quarto, ut magis confidere omnes in eum sperantes doceamus, et occasione petendae eleemosynae aliorum aedificationi frequentius operam demus, atque ut ii, qui nobis in temporalibus subveniunt fiducialius spiritualia requirant. Quinto, ut tanto cautiores simus ab omni scandalo, quanto magis timemus in temporalibus deperire; et denique, ut tanto humiliores simus, quanto magis subsidio aliorum indigemus. Doctrina est S. Bonaventurae. Rogate Dominum, ut in omnibus quae ad salutem gregis attinent, nos dirigat, foveat, atque confirmet. Valete.*

Datum Romae in sacro conventu B. Mariae Araceli die XIX. *Martii anno* MDLXXXII.

L.✠S. *Fr. Franciscus Gonzaga minister generalis.*

LXXI. Obiit hoc anno Bonifacius de Stephanis episcopus Stagnensis, natus Ragusii in provincia Dalmatiae ex gente Darcoliza, quam Sebastianus Dolci *Crassam* appellat in fastis suis, minorum observantium ordini cooptatus in juvanili aetate. Parisiis studiorum causa missus, gravioribus disciplinis operam dedit, Felicis Peretti qui postea Sixti V. nomine sibi ascito Sedem Apostolicam conscendit, aequalis et collega fuit. Ex sacrae theologiae generali lectore anno MDLIII. ad Custodis Palestinae, et Montis Syon coenobiarchae munus assumptus est. » Inter caetera, ita laudatus Dolci, praeclara in sacris locis gesta sacratissimum » Domini nostri Jesu Christi sepulchrum marmore interclusit. Particulam Sepulcri ejusdem, nec modicam quidem nostrae reipublicae dono » dedit, et quotannis ad nostram ecclesiam, octava die post pascha, » solemni sacra defertur supplicatione. In ipsomet Sepulcro tria sanctissimae Crucis frustra reperit, quae (ut constat ex ejusdem litteris » archivio Terrae Sanctae commissis) ita ab eo fuere erogata; primum » inter Papam Pium IV., cardinalem Carpium (Rodulphum Pium), et » cardinalem Aracoelitanum (Alexandrum Cribellum) divisit; alterum » Philippo II. Hispaniarum Regi elargitus est; tertium tandem pro se » acceptum Cathedrali Stagnensi Ecclesiae (adhuc pars quaedam ibi » superest) donavit. Ex sacra columna ad quam Servator flagellis caesus est, Paulo IV. Summo Pontifici, Ferdinando Romanorum Imperatori, ac Reipublicae Venetiarum partem dedit. »

Jacobus Colletti in Illiric. Sacr. t. 6. pag. 353. Sebastianus Dolci pag. 13.

Ann. min. ad an. 1561. num. 31. LXXII. Amplam ei facultatem tribuit Pius IV. anno MDLXI. annuntiandi divinum verbum Transylvanis, Hungaris, Russis, Polonisque populis, concionator apostolicus hanc ob causam plenissima cum potestate *Sbaralea in suppl. ad script. lit. B.* constitutus. Sacro concilio Tridentino theologi munere insignitus interfuit, ubi anno MDLXII. die XXIII. Augusti Dominica XIV. post Pentecosten orationem ad Patres habuit. Stagnensis Ecclesiae Episcopus anno MDLXIV. electus a laudato Pontifice, et annos fere septendecim ad gubernacula suae ecclesiae affixus, in christianam institutionem utilitatemque gregis sibi concrediti, cura nulla praetermissa, incubuit. Id quod de Bonifacio traditum est, ab eo jussos fuisse parochos, antequam connubia ritu christiano jungerent, caput primum evangelii S. Matthaei Slavonico sermone recitare, ut, qui nuberent, intelligerent matrimonium institutum fuisse a Deo, neque diaboli inventum esse, quod Manichaei, et, qui ab his orti sunt Patareni per summam inscitiam et imprudentiam ajebant; horum siquidem reliquiae adhuc fortassis in illis locis supererant. Interim librum *de ortu clericorum in ecclesia*, dicatum Chrysostomo Calvino archiepiscopo Ragusino an. MDLXVIII., alterumque *de perenni cultu Terrae Sanctae ejusque fructuosa peregrinatione* Gregorio XIII. nuncupatum an. MDLXXII. typis dedit.

Ann. min. ad an. 1580. num. 96. LXXIII. Eum anno MDLXXX. Gregorius XIII. visitatoris apostolici potestate praeditum lustrare jussit Turcarum regiones, ut Christianis illis barbarica servitute oppressis solatium pariter et auxilium afferret. Eidem *Sacchini lib. 8. part. 1 n. 6.* Pontifex comitem et adjutorem adjunxit Bartholomaeum Sfrondati presbyterum Societatis Jesu. Initium expeditionis evangelicae fecit a Chrobatia et Dalmatia, tum Bosniam, Slavoniam, partem Hungariae, et Transylvaniae peragravit, christianos illos afflictos egentes ac miseros divinis humanisque subsidiis recreavit, coelestium mysteriorum ac praeceptorum ignaros erudivit; hortabatur omnes, ut avitam religionem constantissime servarent; aerumnas et vexationes, quibus assidue conflictabantur, Jesu Christi causa alacriter ferrent; ne ullis detrimentis, ullove poenarum metu ad fidem Deo datam fallendam se adduci paterentur; quacumque iter habuit, ubique eximiae suae charitatis ac beneficentiae vestigia reliquit: Rauni ecclesiam Deiparae natae titulo consecravit. Antequam hanc apostolicam expeditionem susciperet, in ecclesia Deiparae quam franciscani observantes incolunt in insula Media, tumulum sibi paraverat cum hac epigraphe, cujus pars extrema perfracto lapide interiit.

HANC DOMUM OMNIUM CERTIOREM
F. BONIFACIUS EPISCOPUS STAGNI
FIERI FECIT SIBI SUISQUE COGNATIS
DARCOLIZARUM GENERIS.

LXXIV. Sed cum neque sepulturae certus sit suus cuiquam locus, Bonifacius, nondum omnibus traditae sibi provinciae partibus expletis, difficilis ac laboriosae peregrinationis incommodis fractus apud Temesvariam in Hungaria obiit anno MDLXXXII. vel juxta Sebastianum Dolci anno mox elapso. Morienti Daniel Vladmirovich episcopus Bosnensis franciscanus ad extremum usque spiritum assedit, omnia divina praesidia, quaeque illo tempore tribui solent pietatis officia praestitit; idemque Romam profectus, rerum omnium, quas Bonifacius praeclare pieque gesserat, et provinciae ab eo administratae rationem Gregorio XIII. a quo missus fuerat, diligentissime reddidit.

LXXV. Didacus Eborensis suis carminibus apud Valgrisium typographum venetum editis anno MDXCVI. inseruit hoc elogium Bonifacio Episcopo Stagnensi, quod epitaphii loco esse potest. *Didacus Eborensis pag. 219.*

Occidit ille vetus nemorosae cultor Idumeae.
 Quisquis ades, plena lilia sparge manu,
Turaque de flammis, iteraque precantia Divos
 Carmina, et extremum manibus adde vale.
Qua brevis in bimares. . . . se contrahit Isthmus,
 Non male commissum paverat ille gregem.
Nam licet instarent pecori furesque lupique,
 Non pecori fures, non nocuere lupi.
Tutus in irrigua pascebat valle juvencas;
 Tuta domum sera nocte redibat ovis.
Sors inimica tamen dilectis expulit arvis,
 Jussit et externo claudere rure diem.
At nunc ille poli meliore in parte receptus
 Lucet, et antiqui pascua cernit agri.

LXXVI. Matriti decessit Franciscus Gusmanus, Toleti nobili Gusmanorum genere ortus. Adolescens observantium institutum ingressus, doctrina et eloquentia ita praestans evasit, ut non sine animarum foenore concionatoris officio functus sit in praecipuis Hispaniarum urbibus. *Joannes a S. Maria part. 1. lib. 1. cap. 10.* Hinc cum virtutibus prudentiaque summa floreret, primum provinciae S. Michaelis minister, deinde procurator generalis ordinis renunciatur. Eo in munere constitutus, anno MDLXXII. una cum Rodulpho Pio a Sabaudia cardinali protectore, et fr. Christophoro Bravi ita egit, ut S. Petrus Alcantarensis observantium regimini, patribus conventualibus vale dicto, suam familiam subjiceret, constitutionibus indultisque pontificiis eidem familiae concessis in suo robore permanentibus. *Ann. min. ad an. 1562. num. 6.* Imperio ejus opus *de sacrorum hominum continentia* summopere commendatum aggressus est Michael de Medina ejusdem instituti contra quosdam, qui expedire putabant, ut Germanis ex Graecorum more sineretur uxoribus ante sacros ordines acceptis uti et cohabitare, ad concordiam et pacem superinducendam.

LXXVII. In generali comitio Vallisoleti anno MDLXV. habito, omnium suffragio ad totius transmontanae familiae praefecturam assumptus est. Licet variis curis distentus, edidit tamen Toleti anno MDLXVI. praelo Francisci Gusmani *Tractatum*, qui Venetiis anno MDCLXIX. iterum prodiit, *de coelibatu ministrorum sacrorum altaris*, in cujus laudem epigrammate cecinit Franciscus Tuninus

Praemia quanta tibi veniat de celibe vita,
 Quamque sit innumeris illa beata modis,
Vis capere, et gestare sinu manibusque libellum?
 En tibi qui totus gemmeus irradiat.
Hunc divinorum interpres Franciscus et idem
 Stirpis Gusmanae gloria composuit.
Haec redolent carthae nardum, tymiamata; quid non?
 Auctoris vitam testificatur opus.

LXXVIII. Sex annorum spatio prudentissime Ultramontanam familiam administravit. Verum cum in pluribus orbis partibus, in quibus

sive pro vindicandis Indis ab injuriis militum, sive pro fratribus mittendis in novas missiones institutas, sive pro excitandis doctrinalibus domibus, sive demum pro eorumdem fratrum conventuum, provinciarumque felici regimine assequendo, ac pro citius expendendis illarum regionum negotiis, nova commissarii generalis qui in curia regis catholici resideret, electione opus esset, hinc instante Philippo II. anno MDLXXII. primus a Christophoro de Capitefontium generali ministro cum delegationis potestate totius novi orbis commissarius generalis delectus est, suisque itidem litteris anno MDLXXX. confirmatus a Gonzaga. Arduum munus tanta animi contentione prosequutus est, ut sodales suos, quorum labore ingens propemodum multitudo gentium eccclesiae Christi adjuncta est, in Insulas Philippinas, ac Sinarum regnum amandaverit ad catholicam fidem disseminandam. Tandem officium cum vita absolvit, postquam decem annos revixisset, cui in delegationis munere suffectus est hoc anno ab eodem Gonzaga Hieronymus Gusmanus, provinciae Conceptionis alumnus, antea in romana curia commissarius.

Ann. min. ad an. 1572. num. 98.

De Gubernatis t. 1. pag. 287.

Idem ibidem.

LXXIX. In coenobio S. Francisci Ducciae prope Fesulas in provincia Tusciae obiit hoc anno Dionysius Pulinari Florentinus. Anno MDLXXX. vernacule absolvit *chronicon minorum regularis observantiae provinciae Tusciae*, quod MSS. asservatur in conventu Omnium Sanctorum Florentiae. E latino in hetruscum sermonem transtulit *conformitates Bartholomaei Pisani*, *Vitam B. Mariae Virginis* ab ipso conscriptam, et *Landulphum Cartum de vita Christi*, ut ipse scribit in parte II. Chronicae agens de monasterio S. Ursulae Florentinae, vitamque sororis Benedictae de Bettini commendans. Eodem loco postea subjungit: *hos igitur libros ei scripsi aliosque tam multos, ut licet vix sint scriptorum meorum pars centesima, obstupescam ipsemet videns (quod cum omni veritate possum asserere) neque capere potuerim, qua ratione scripserim omnes, quot in servantur armario*. Michael Zarate regularis observantiae professor, qui ex provincia Cantabriae religionis catholicae propugnandae gratia Mexicum accesserat, eadem lingua hoc anno edidit *colloquia mexicana*. Anno MDLXXXIII. eodem idiomate scripsit quaedam *opuscula doctrinalia*, et *mornlia*, et alia ad *historiam politicam et ecclesiasticam mexicanam* pertinentia. Haec MSS. asservantur in collegio S. Bonaventurae Tlatlulco provinciae S. Evangelii.

Acta SS. ad diem 1. Maii in vita Fr. Vivaldi tertiarii.

Beristain lit. Z.

LXXX. In ecclesia monialium Corporis Christi Pisauri conditus est Guidobaldus Roboreus Urbinatensium dux. Eum hoc anno die XXIX. Septembris fatis cessisse falso scribunt Bollandistae, auctoritate sibi mutuata a Francisco Sansovini, cujus verba sic ex italico in idioma latinum reddidere: *mortem obiit Guidobaldus Pisauri 1582. XXIX. Septembris*, cum Franciscus Sansovini asserat eum obiisse anno MDLXXVIII. P. Vincentius Cimarelli, et Raynaldus Riposati ejusdem obitum signant ad annum MDLXXVI. In hac opinionum diversitate putarem adhaerendum fore Francisco Sansovini, utpote coevo scriptori.

Acta SS. ad diem 29. Septembris.

Sansovini delle case illustri d' Italia p. 346. Cimarelli storia d' Urbino l. 2. c. 2. p. 94. Riposati della Zecca d' Urbino t. 1. pag. 179.

LXXXI. Circa mensis Augusti medium in civitate Illiciae Granatensis provinciae, ingens a SS. Francisco Asisinate, et Antonio Patavino patratum fuit miraculum. Cum enim nobiles duo fratres maxima duarum sororum uterinarum ex familiari earum cum saeculari quodam sacerdote consuetudine zelotipia agitarentur, eas in villam ad sextum lapidem

Gonsaga in prov. Granatensi pag. 1175. conv. 21.

a civitate distantem sub carpendae salubrioris aurae praetextu eductas, duabus arboribus alligarunt, flagrisque crudelissime caeciderunt, atque illis ita in nemore relictis, abierunt. Cumque post diem cum dimidio pauperculae illae virgines se ex intimo cordis affectu tum B. Francisco, tum quoque B. Antonio de Padua commendassent, venerabiles duo minoritae aspectu graves, atque aetate provecti celeri passu gradientes, eas primo solutas, propriis palliis contexerunt, et ad portam usque civitatis sub maximo silentio conduxere. Ubi denique omnes ad cujusdam earumdem sororis domum pervenere et cum eorum alter se B. Franciscum, alter vero B. Antonium esse fassus fuisset, extempore evanuerunt, et illae a carissima sorore humanissimo hospitio exceptae sunt. Quod ut Illicianis innotuit, in causa extitit, ut majori affectu atque animi propensione tum in beatos ipsos patres, tum quoque in ejus alumnos in posterum ferrentur. Praefatae vero virgines, altero eorum fratre repentina morte infra triduum e vivis miserrime sublato, altero vero infra annum vita functo, ne tandem illis aliquando pejus esset neve ingratitudinis arguerentur, sacrarum clarissarum monasterium Cordubae non ita post multum temporis ingressae sunt.

LXXXII. Variis in capucinorum provinciis aliquot mirabilia hoc anno evenisse tradit Boverius. Asculi in Piceno cum mulier quaedam Antonia nomine, invito et reluctante socero, lagenam vino fr. Paulo a Sarnano pro eleemosyna erogasset, ipse dolium ex quo illa secreto hauserat vinum, ex semipleno plenum invenit. Fratribus conventus Mutili in provincia Bononiensi ob magnam nivium copiam victus inopia laborantibus, voce e coelo audita, ad coenobium incolae ejusdem oppidi cibaria transmittunt. Apud Salentinos cum arctior esset, propter anni sterilitatem annona ita, ut stipis exactor aliquando absque pane ex mendicatione coenobium, quod a Grottalia nuncupatur, repetiisset, orationis tamen auxilio, recenti pane extemplo a Deo fratres recreantur; eodem loci dimidius panis ad singulorum fratrum satietatem explendam, divina virtute multiplicatur, peracta a guardiano mensae benedictione. Clericus degens in conventu Hispelli patriae suae in provincia S. Francisci ex praesulis mandato pro oppidanorum concordia, inter quos odia et simultates dire grassabantur, Deum exorans, dissentiones extinguit, pacemque inter eos conciliat.

Boverius tom. 2. pag. 50. et seq.

LXXXIII. Jubet Pontifex episcopo Placentino, ut procedat contra moniales monasterii S. Mariae VallisViridis ejusdem civitatis, easque ab observantium regimine eximat: *Non sine animi nostri* die xxv. Julii; moniales monasterii S. Clarae Squillacensis subjicit loci ordinario: *Alias nos* die x. Aprilis; jubet servari calendarii romani correctionem nuper peractam: *Cupientes* die vii. Novembris; taxat fructus cappellaniae erectae in ecclesia observantium S. Francisci Ulyssiponensis a quondam Velasco Annes de Curse regali praefecto domus c. m. Emanuelis Portugalliae et Algarbiorum regis: *Ex parte dilecti filii* xii. Novembris. Accedunt alia diplomata. Pro monasteriis monialium clarissarum Neapolis: *Ex injuncto* idibus Maii; pro monasterio monialium Conceptionis Giennensis degentium sub cura fratrum praedicatorum: *A summo Patre* idibus Augusti. Decreto Jacobi episcopi Tusculani S. R. E. cardina-

lis Sabelli Gregorii XIII. de Urbe vicarii die x. Maii edito cavetur, ne sodales S. Joannis de Deo habitum similem illi capucinorum deferant.

LXXXIV. Indulget, ut fratres conventus Montismadii Feretranae dioecesis in provincia Marchiae quasdam eleemosynas recipiant pro reparanda eorumdem domo, cum onere semel in mense officium defunctorum recitandi, unamque missam singulo quoque die celebrandi: *Piis fidelium votis* die xxiii. Januarii; ut christifideles utriusque sexus ingredi possint in claustrum coenobii observantium B. Mariae prope oppidum Mottae Cenetensis dioecesis ad hauriendas aquas in die Assumptionis Deiparae: *Exponi nobis* die xxviii. Julii; ut Franciscus Gonzaga generalis minister possit absolvere fratres et moniales sibi subjectas in partibus tam cismontanis, quam ultramontanis, praeterquam in Italia et Hispania consistentibus, a quacumque censura, etiam in bulla coenae reservata: *Volentes* die xxv. Martii; similia contulit Laurentio de S. Petro in Galatina ministro provinciae S. Nicolai Barensis pro fidelibus degentibus in comitatu Cimarrae in ditionibus Albaniae: *Cum nos* die xv. Martii, pro quo ad Senatores hortatoriam scribit epistolam, ut eumdem benevole excipiant: *Moti paterna nostra* die xxiv. Martii; ut Joannes Hayus ex Germania transferre possit in Italiam SS. Reliquias: *Pro parte tua* xvii. Januarii; ut Isabella filia Velasci comitis de Castilla professionem emittat in monasterio Conceptionis Villae de Verlonga Seguntinae dioecesis ante annum suae probationis completum: *Exponi nobis* die vii. Julii; ut Joanna de Toledo marchionissa de Vigliene possit ingredi in monasterium monialium Conceptionis de Scalona a suis majoribus fundatum: *Volentes* die xxv. Martii; ut Violantes Farnesia professa in monasterio S. Bernardini Viterbii possit ad aliud monasterium ejusdem ordinis strictioris vitae se transferre: *Exponi nobis* die i. Junii; ut Mariana de Celpedes et Palomoque monialis tertiaria professa in monasterio S. Joannis Toleti propter cancrum in sinistro pectoris latere, et lepram in auribus, possit e monasterio egredi, et consanguineorum domum se transferre: *Dudum* die iv. Decembris; similia indulget Agneti de Ayala, et de los Angeles tertiaria professa in monasterio S. Antonii de Padua ejusdem civitatis, donec convalescat: *Exponi nobis* die xxiii. Julii; ut Vincentia Spinella ducissa Metaborum fundatrix conventus capucinorum ejusdem terrae Casertanae dioecesis, septies in anno, quatuor aliis mulieribus sociata, ingredi possit in nemus eorumdem conventus: *Sincerae devotionis* xv. Novembris; ut Livia de Sangro comitissa de Loreto propter quasdam discordias cum viro suo remanere possit in monasterio S. Clarae Neapolis: *Cum sicut accepimus* x. Decembris.

LXXXV. Altaria privilegiata pro animabus purgatorii. Altare Conceptionis in ecclesia S. Francisci conventualium de Corriliano Rosanen. dioecesis: *Omnium saluti* iii. nonas Decembris; altare S. Francisci in ecclesia ejusdem nominis fratrum minorum de observantia oppidi de Zehegm Carthaginen. dioecesis: *Omnium saluti* xv. calendas Decembris; altare a guardiano eligendum in ecclesia S. Francisci observantium Corduben. *Omnium saluti* xv. calend. Decembris; altare B. Mariae Virginis in ecclesia S. Francisci de observantia de Ornano Adjacen. dioecesis: *Omnium saluti* calendis Novembris; altare Pietatis in ecclesia S.

Digitized by Google

Mariae Gratiarum capucinorum terrae Foggiae Trojan. dioecesis: *Omnium saluti* pridie idus Novembris; altare B. M. V. in ecclesia S. Mariae de Myans fratrum de observentia Gratianopolitan. dioecesis: *Omnium sal.* VIII. idus Decembris; altare Conceptionis in ecclesia S. Francisci minorum observantium de Jniesta Couchen. dioecesis: *Omnium sal.* x. calend. Januarii; altare S. Joannis Bapt. in ecclesia S. Mariae de Monlora Caesaraugustan. dioecesis ordinis fratrum minorum de observantia: *Omnium saluti* cal. Octob.; altare Verae Crucis in ecclesia S. Francisci observantium Gadicen. *Omnium saluti* nonis Martii; altare S. Antonii in ecclesia S. Francisci de observantia de Molina Seguntin. dioecesis: *Omnium saluti* idib. Febr.; altare B. M. V. in ecclesia ejusdem B. M. a S. Romano loci Montopoli minorum observantium Lucan. dioecesis; *Omnium saluti* XIII. calend. Januarii; altare S. Josephi in ecclesia S. Francisci observantium Curiemajoris Placentin. dioecesis: *Omnium saluti* XVI. calend. Januarii; altare conceptionis V. M. in ecclesia S. Francisci de Truxillo observantium civitatis Regum dioecesis: *Omnium saluti* cal. Aprilis; altare SS. Crucifixi, ac SS. Michaelis et Petri in ecclesia S. Francisci minorum conventualium prope burgum castri Longiani Ariminensis dioecesis: *Omnium saluti* nonis Junii; altare S. Antonii in ecclesia S. Francisci de observantia oppidi de Vinero Mindonien. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Junii; altare majus in ecclesia S. Francisci Matris Dei observantium oppidi de Lucena Corduben. dioecesis: *Omnium sal.* v. calend. Junii; altare S. Francisci in ecclesia ejusdem nominis fratrum minorum conventualium Neritonen. *Omnium saluti* nonis Junii; altare SS. Crucifixi in ecclesia S. Francisci observantium terrae Corinaldi Senogallien. dioecesis: *Omnium saluti* III. idus Maii; altare SS. Crucifixi in ecclesia S. Francisci loci de Osier minorum observantium Algarien. seu Bisarchien. dioecesis: *Omnium saluti* xv. calend. Junii; altare imaginis S. Mariae in ecclesia B. Mariae de Oliva observantium Toletan. dioecesis: *Omnium saluti* IV. calend. Julii; altare S. Ludovici in ecclesia S. Francisci conventualium Panormitan. *Omnium saluti* pridie calend. Julii; altare S. Matthaei in ecclesia S. Francisci observantium insignis oppidi de Darocca Caesaraugustan. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Januarii; altare Assumptionis in ecclesia S. Mariae del Soccorso oppidi de Petrache fratrum de observantia Corduben. dioecesis: *Omnium saluti* pridie nonas Februarii; altare B. Mariae Magdalenae in ecclesia S. Francisci Pisan. conventualium: *Omnium saluti* nonis Aprilis; altare SS. Crucifixi in ecclesia Conceptionis B. M. loci Polistouen. observantium Militen. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Aprilis; altare confraternitatis Conceptionis B. Mariae in ecclesia parochiali et matrice insignis oppidi Petre Vulturien. dioecesis provinciae Apuliae: *Omnium saluti* idibus Martii; altare sacelli a Gaspare de S. Cruce erectum in ecclesia S. Francisci oppidi civitatis de Baza observantium Gadicen. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Junii; altare B. Mariae de Loreto, alias de Monteserrato, extructum per quemdam Ludovicum Pirra in ecclesia S. Francisci conventualium Alboren. *Omnium saluti* VI. nonas Maii; in uno ex altaribus sacelli majoris ecclesiae S. Francisci observantium de Ecixa Hispalen. dioecesis; *Omnium saluti* xv. calend. Decembris; altare B. Mariae Virginis de Rosario sub invocatione S. Marthae in ecclesia S. Francisci fratrum de observantia Quiten. *Omnium*

Digitized by Google

saluti xi. calend. Junii; altare S. Crucis in ecclesia S. Francisci observantium in oppido insigni Monachien. Frisigen. dioecesis: *Omnium saluti* calend. Aprilis; altare S. Antonii de Padua in ecclesia S. Francisci de Lugano minorum conventualium dioecesis Comensis: *Omnium saluti* xvi. calend. Aprilis; altare S. Hieronymi in ecclesia D. N. Jesu Christi Illerden. fratrum de observantia: *Omnium saluti* xv. calend. Aprilis; altare S. Sebastiani in ecclesia S. Francisci conventualium Regien. *Omnium saluti* x. calend. Aprilis; altare Conceptionis, et Annuntiationis B. M. V. in ecclesia S. Francisci de Vineis observantium Venetiarum: *Omnium saluti* x. calend. Septembris; altare B. Mariae Gratiarum in ecclesia S. Mariae nominis Jesu terrae Castriregalis observantium Messanen. dioecesis: *Omnium saluti* v. calend. Septembris; altare B. Mariae Pietatis in ecclesia S. Francisci de Exca de los Convalleros observantium dioecesis Caesaraugustan. *Omnium saluti* viii. calendas Augusti; altare Ss. Ursulae et undecim millium virginum in ecclesia monialium Annuntiationis Salamantin. ordinis S. Clarae, in quo corpus b. m. Hieronymi de Fonseca et tunicae pars nobilis mulieris d. Mariae comitissae de Olivares extant: *Omnium saluti* calend. Augusti; altare B. Mariae de Monteserrato, ac Ss. Cosmae et Damiani in ecclesia S. Francisci conventualium Messanen. *Omnium saluti* xv. cal. Sept. altare SS. Crucifixi in ecclesia S. Mariae de Cordilejo oppidi de Ontiveros fratrum observantium excalceatorum Abulen. dioecesis: *Omnium saluti* cal. Septembris.

LXXXVI. Idem Pontifex indulgentiam largitur visitantibus in prima Dominica Adventus sacellum B. Bernardini Bononiae situm in ecclesia monialium titulo S. Bernardini, aedificatum a Joanne Baptista Campeggi: *Cum sicut* die xv. Septembris; confraternitati Conceptionis erectae in ecclesia S. Francisci terrae Gargnani dioecesis Brixiensis: *Cum sicut accepimus* die xxviii. Martii; confraternitati S. Spiritus in ecclesia S. Francisci Perusiae: *Cum sicut accepimus* die xxiv. Martii; confraternitati Conceptionis in parochiali ecclesia oppidi de Deva Pampilonensis dioecesis: *Ut laudes gloriosae* die xxii. Julii; confraternitati S. Antonii de Padua in ecclesia S. Francisci conventualium terrae Flumarii Tricanen. dioecesis: *Salvator noster* die xv. Januarii; confraternitati Conceptionis in ecclesia S. Nicolai Ravennaten. in ejusdem festivitate: *Ad augendam* die xxvii. Octobris; sodalitatibus Immaculatae Conceptionis, ac tertii ordinis simul erectis in ecclesia S. Angeli conventus Hortensis in provincia Romana concedit indulgentias septem annorum totidemque quadragenarum pro qualibet prima mensis Dominica: *De salute gregis* ix. calend. Septembris. Approbat confraternitatem S. Blasii in coenobio Segoviensi: *Salvator noster* nonis Julii; confraternitatem S. Mariae de Gratia terrae Giffonis Salernitanae dioecesis: *De salute* calend. Augusti; confraternitatem B. Mariae de los Remodios in monasterio oppidi de Ilerna: *De salute* ix. cal. Octob.; confraternitatem B. Mariae de Pietate in ecclesia de Lograno dioecesis Calaguritanae: *Gloriosi principis* nonis Julii; confraternitatem S. Antonii de Padua in ecclesia S. Francisci Murani: *Gloriosi principis* calend. Augusti; confraternitatem S. Clarae in civitate Valdivia in Indiis: *Gloriosi principis* idibus Augusti; confraternitatem Conceptionis in ecclesia de Regina Coeli Hispalensis fratrum praedicatorum: *Gloriosi principis* nonis Julii; confraternitatem S. Bonaventurae in ecclesia S. Francisci Hispalensis: *Salvator noster* idibus Martii.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Lue Montorum oppidum depopulante, in charitatis officiis plurimum emicat S. Franciscus Solanus. Partitur provincia Baetica. Minoritae in Cochincinam regionem iter aggrediuntur, et Siami regnum petunt. Intermedia generalis congregatio celebratur, in qua leges conduntur. In Aquitania initiatur custodia Immaculatae Conceptionis. Componitur controversia inter observantes et recollectos. Aedificantur coenobia. B. Petrus Nicolaus Factor a capucinis redit ad observantes, inter quos sancte decedit. Obeunt fratres virtutibus conspicui. Aliquot franciscani obtinent episcopalem dignitatem. Creantur inquisitores. Memorantur Pontificis praecepta et privilegia.

I. Acta S. Francisci Solani verbis prosequimur cl. Papebrocchii » Anno MDLXXXIII. calamitosa pestiferi contagii lue in plures Andalusiae » regiones debacchante, Montorum oppidum flagelli divini rigorem sensit. Hujus misertus vir Dei, nec minus corporali quam spirituali subsidio destitutis compatiens, obtenta licet aegre a guardiano licentia, » cum socio nomine Bonaventura sacerdote eodem spiritu animato, ad » castrum praefatum se contulit; et annuentibus, imo et exultantibus » parocho et aliis incolis, nosocomii peste laborantibus destinati, curam » suscepit. Ibi nullo mortis periculo territus animas infirmorum curabat » et corpora, modo eos verbis dulcissimis ad patientiam, ad humilem » cum divina voluntate conformitatem, et lucrandam jubilaei de coelo » missi (sic enim luem illam vocabat) remissionem hortabatur, modo » ipsis sacramenta administrabat, mox ad supremum agonis certamen » piis colloquiis disponebat. *Acta ss. ad diem 24. Julii tom. 5. pag. 860.*

II. » Nec propterea oblitus subsidii corporalis, lectulos componebat, » cibos et medicinas parabat, et omni ministerio juvabat. Illos vero » qui mortem evaserant, et tabe aegritudinis superata, sanitatis bonum » erant consequuti, in aquis proximi molendini lotos atque mundatos, » et pristinis vestibus exutos, novisque vestitos, crucem prae manibus » gerens, ac fidei nostrae articulos alta voce decantans, ad propria » domicilia reducebat. Inde ad aegrotantium curam revertens, et inter » hos labores alacri facie vultuque semper composito perseverans, miseris illis singularem ingerebat consolationem et gaudium.

III. » Interea carissimo ejus coadjutore Bonaventura morbi contagio » enecato, servus Dei non destitit; sed communem antea duobus, nunc » in se totam refundens solicitudinem, omnium necessitatibus indefessa » vigilantia succurrebat. Ipse autem ut amarum aegritudinis calicem » degustaret, ac ut Deo probaretur in infirmitate fidelis, pestis violentiam non effugit: duplici namque glandula, seu anthrace correptus, » vehementis doloris molestiam sensit, quam mira tranquillitate mentis » ac patientia toleravit. Verum ad majora pro Deo et proximo operanda coelesti providentia reservatus, pristinae redditus est sospitati, sta- » timque primum ministerium reassumpsit; nec ab illo amplius cessa- » vit, donec reposito in vaginam angeli percutientis gladio, saevientis

» pestilentiae ignis extinctus fuit. Tunc enim populo valedicens, ad di-» lectam monasterii solitudinem se recepit.

IV. » Elapso vero non multo tempore, ad conventum recollectionis » S. Ludovici Regalis, a Granatensi civitate unius leucae intervallo di-» stantem, ab obedientia transfertur. Ibi a guardiano et fratribus, ob » spectatas ipsius virtutes summa cum exultatione et singulari reveren-» tia susceptus, inchoatam juvandi proximi viam non dereliquit: illico » namque coenobii aegrotis ministrare coepit, et cum tantae charitati » necessitas domestica non sufficeret, annuente superiore, saepe ad B. » Joannis a Deo xenodochium, aut ad civitatis publicum carcerem pro-» perabat, ubi christianos, aut in ergastulo detentos, verbi ministerio » et sacramentalis poenitentiae refrigerio consolabatur. »

V. In comitio provinciali ad S. Franciscum Beatiae anno MDLXXVI. habito deliberatum fuerat ab Antonio Bellono provinciae Baeticae commissario de partienda hac provincia satis ampla; intra enim 250. milliarium spatium, LVIII. fratrum, et XXXV. sanctimonialium domicilia continebat; quod quidem in causa erat, ut ejus ministri monasticae disciplinae jactura suum munus satisfacere non valerent; sed exorientibus maximis difficultatibus a proposito abstinuit. Hoc tamen anno id peractum est a ministro generali Gonzaga in provinciali capitulo eo loci XI. calendas martii coacto, auctoritate sibi a Pontifice collata, qua eam in duas Baeticam nimirum, et Granatensem provincias divisit, duobus ministris electis. *Non defuerunt tamen*, inquit ipse, *aliqui patres, qui praefato anno MDLXXXIII. in generali congregatione nostra Toleti celebrata, adductis in medium quibusdam rationibus, hujuscemodi divisionem per me factam, tamquam injustam minusque commodam taxarent, infirmandamque curarent. Sed iis adamussim trutinatis examinatisque a patribus ejusdem generalis congregationis diffinitoribus aliisque quorum intererat, decretum est atque statutum praedictae divisioni tamquam consultissimae, omninoque necessariae atque justissimae fore standum.*

Gonzaga in prov. Baetica pag. 893.

VI. Granatensis provincia quae primum ad provinciam Castellae et ab anno MCDXCIX. ad provinciam Baeticam velut custodia spectabat, tria regna Granatense nimirum, Giennense, et Cordubense complectitur; habet sigillum majus duos fratres minores Joannem a Cetina sacerdotem, et Petrum a Dueñas laicum, qui Granatae anno MCCCXCVII. ob Christi fidei confessionem a Mahomad a Bembalva XII. Granatensium rege mauro martyrii palmam consequuti sunt, parvamque crucem eorum capitibus superstantem, atque malum punicum eorumdem pedibus substantem.

CONVENTUS PROVINCIAE GRANATENSIS.

1. S. Francisci Cordubae
2. S. Francisci Ubertae
3. S. Francisci Beatiae
4. S. Francisci de Monte
5. S. Francisci de Arizafa
6. S. Francisci Giennl
7. S. Francisci prope Loxam
8. S. Francisci prope Bazam
9. S. Francisci Accii
10. S. Francisci Abdara
11. S. Francisci Alhambrae
12. S. Francisci vel S. Jacobi prope Veletium
13. S. Francisci Alcaudete

14. S. Ludovici Azubiae
15. S. Francisci Granatae
16. S. Annae Iliturgi
17. S. Stephani Plico
18. S. Laurentii Montiliae
19. S. Francisci Bujalance
20. S. Francisci Alcalaregiae
21. Matris Dei Illiciae
22. S. Fraocisci Vaenae
23. S. Francisci Cazorlae
24. S. Francisci Linares
25. S. Francisci Martos
26. S. Mariae de Jesu de Rute

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Catharinae, 2. S. Agnetis, 3. S. Crucis, 4. S. Elisabeth de Angelis — Cordubae
5. S. Clarae, 6. S. Nicasii — Ubetae
7. S. Elisabeth, 8. S. Mariae de Angelis — Granatae
9. S. Antonii, 10. B. Mariae Virginis — Beatiae
11. S. Clarae Gienni
12. S. Clarae Forojulii
13. S. Clarae Alcaudete
14. S. Elisabeth de Angelis Bazae
15. S. Joannis Baptistae Cazorlae
16. S. Clarae Loxae
17. Conceptionis b. Mariae Velez Malacae
18. S. Clarae Montiliae
19. Assumptionis b. Mariae Aqoilarii
20. Conceptionis b. Mariae Abdarae

PROVINCIAE BAETICAE CONVENTUS.

VII. Post divisionem remanserunt conventus

1. S. Francisci Hispalis
2. S. Mariae de Valle Hispalis
3. S. Mariae de Angelis Alcala de Guadaira
4. S. Francisci de Xerez
5. S. Mariae de Rabida oppidi Palos
6. S. Mariae de Spe Moguer
7. S. Eulaliae, 8. S. Francisci — Marchenae
9. S. Mariae prope Utreram
10. S. Sebastiani Carmonae
11. S. Mariae de Jesu de SanLucar
12. S. Francisci Calpe, hispanice Gibraltar
13. S. Francisci Astigii
14. S. Francisci Rondae
15. S. Francisci, sive S. Ludovici Malacae
16. S. Zoili Antiquerae
17. S. Antonii Arcubus
18. S. Mariae Pulchrae Sepae
19. S. Francisci Portus S. Mariae
20. S. Mariae Lauretanae
21. S. Francisci Ajamontis
22. Matris Dei Ossunae
23. Montis Calvarii prope Osssunam
24. S. Antonii Escazenae
25. Corporis Christi Moroni
26. S. Mariae de Clarinis Bejer
27. S. Francisci Gadibus
28. S. Mariae de Consolatione Algaidarum
29. S. Francisci Nebrissae
30. S. Francisci, sive S. Petri Martyris Tebae
31. S. Pauli de Eremo

MONASTERIA MONIALIUM

1. S. Clarae, 2. S. Agnetis, 3. S. Mariae de Jesu — Hispalis
4. Matris Dei de Xerez
5. S. Clarae Moguer
6. S. Clarae Marchenae
7. S. Mariae de Gratia Utrerae
8. S. Clarae, 9. Conceptionis b. M. — Carmonae
10. Reginae Coeli San Lucar
11. S. Agnetis Astigii
12. S. Elisabeth Rondae
13. Conceptionis b. Mariae, 14. S. Mariae de Pace — Malacae
15. S. Annae Ossunae

Digitized by Google

Baetica haec provincia supra Granatensem antiquiorem locum, dignitatem, et sigillum quod effigiem Christi ad columnam ligati, et hinc inde pendentia flagella, et circumductum cingulum nodosum S. Francisci exhibet, retinuit.

VIII. Die xix. Martii in funere Gonzalvi Ronquillo de Penasola Maniliae pro-regis, igne in ecclesia eremitarum S. Augustini admoto, in cineres redacta est duarum horarum spatio civitas ligneis instructa. Exarsit etiam coenobium Dominae nostrae de Angelis ex tabulis, asseribus, et viminibus contextum. Eo in excidio franciscani se contulerunt in conventum augustinianorum positum extra moenia urbis in loco nuncupato *Tongdo*, a quibus benevola excepti, ad annum inter eos diversati sunt; quo transacto, ad illum, utut expensis Gabrielis de Ribera refectum, rediere. Anno mdcii. ex lapidibus fuit constructus. Iis in regionibus ab anno mdlxxx. usque ad praesentem franciscanorum labore hujusmodi oppida cum administrationibus, sive domibus doctrinalibus instituta fuere.

Joan. Franciscus de S. Antonio t. 1. p. 693. et seq.

CUSTODIAE S. GREGORII INSULARUM PHILIPPINARUM

Domus doctrinales

IN PROVINCIA BULACAN
1. Domus de Meycavayan
2. De Catangalan
3. De Bocavi

IN LACU BAY
1. Domus de Morong
2. De Pilllla
3. Da Caboan
4. De Siniloan
5. De S. Cruce
6. De Paete

IN PROVINCIIS TASAYAS ET DE MONTIBUS
1. Domus Nagcarlang
2. De Manban
3. De Gumaca
4. De Lucban
5. De Saryaya

IN PROVINCIA CAMARINES
1. Domus de Camarines
2. De Iraga
3. De Bùla
4. De Canamam
5. De Indam
6. De Daet

IN PROVINCIA ALBAY
1. Domus de Albay
2. De Donsol
3. De Sorsogon
4. De Tabaco
5. De Malinao
6. De Bulusan

Quibus in locis, ut catholici Regis imperata facerent, gymnasia pro erudiendis pueris erexerunt non sine magno fidei morumque incremento.

IX. Interim multiplicatis per adventum aliorum quatuordecim sodalium, duce Petro-Baptista postmodum Japonensium protomartyre, evangelicis operariis, decreverunt minoritae in Cochincinam regionem vela solvere, quia audierant illius regem christiano more velle sacra templa excitare. Regnum hoc Asiae in Annamitica regione et in intimo recessu Indiae intra Gangem Sinus versus subest, ubi alias Sindi populi degebant, una est ex tribus partibus Annamitici regni; terminatur a septentrione Tunchino regno, ab occasu Kemis populis et desertis Cochincinae, a meridie regno Camboya, ab ortu vero sinu magno Hayano dicto; extenditur a septentrione in meridiem versus oram. Abundat fodinis auri, ferri, marmoris, lignisque praetiosissimis de Aquila et Kalambak, quibus ad aedium ornatum Asiae principes utuntur. Eorumdem religio variis idololatriae doctrinis maculata est, diisque suis magnifica templa passim conspiciuntur instructa. Princeps civitas Hue, sive

Digitized by Google

Insula Regis ob regis moram regisque aedificium, ad fluminis oram aedificata, leucaque una extensa consurgit. Totius insulae longitudo ad ccl., ac latitudo ad xx. leucas protenditur. Delectis igitur a Paulo de Jesu Custode ad evangelii regnum illud collustrandum Didaco de Oropesa, Bartholomaeo Ruiz, Petro Ortiz de Cabezas, et Francisco de Montilia sacerdotibus, nec non Christophoro Gomez, Didaco Ximenez, Francisco Vellorino, et Emmanuele de S. Jacobo laicis, itineri laeti se committunt. At adversa tempestate acti, quamdam ignoti nominis insulam petierunt inviti, quo loco a gubernatore comiter excepti, libere Christi fidem praedicarunt, divinumque missae sacrificium litarunt. Hinc a Cochincinae rege per litteras, ut in ejusdem ditiones contenderent, expetiti, mox ut in navim conscendunt, iterum a valida tempestate agitati, in Haynan Sinensium portum invehuntur. A militibus illico carceribus inclusi, catenisque vincti per totius provinciae civitates velut exploratores deducuntur. Tandem Quancheum, metropolim Quantonensis provinciae delati, denuo carceribus mancipantur, donec a nepte proregis educti, Amacaum regis sumptibus amandantur. Non igitur anno MDLXXXI. juxta Nicolaum Trigaultium, sive melius Matthaeum Ricci Maceratensem auctorem operis *de Christianorum expeditione apud Sinas* eo se franciscani contulerunt. *Lib. 2. pag. 160.* *Bartoli storia della Cina t. 1. pag. 115. Firenze 1832.*

X. Meliori tamen fortuna Hieronymus de Aquilar, et Joannes laicus pauper dictus, Siami regnum peragrassent hoc anno, nisi eo vix acciti, ob contractam infirmitatem compulsi essent Amacaum regredi. Cum autem sodalibus retulissent, incolas natura dociles, hospitalitate benignos, convictuque pacificos, hoc eodem anno, praeside laudato Hieronymo, Franciscus de Montilla sacerdos, et Didacus Ximenez laicus illuc profecti sunt. Regno Pegù ad meridiem finitimum est, cujus longitudo ccc., latitudo clx. milliaria conficit, nomenque accipit a metropoli Siami, et haec ab alluente fluvio Sian, qui et Menan dicitur, appellationem habet. Stato anni tempore, sicut Nilus Aegyptum, regionem illam fluvius iste irrigat, et faecundat. Siami urbs aliquando regis sedes, a Lusitanis mercatoribus frequentabatur. Nunc sedes regia India, seu Odia urbs est, in qua turres, templorumque tecta et fastigia auro refulgent. Iis praesident Talapayan, sive idolorum sacerdotes, quorum major, ut ajunt, ritu prorsus divino colitur, cui genuflexi serviunt in templo inferiores dum sacra peragit, vel legis praecepta populo explanat. Tanta est civium frequentia, ut aliquando lm. armatorum ad eos continendos opus fuerit. Hic ingens est serici, auri, aliarumque rerum copia, quae eo a Sinensibus aliisque mercatoribus importantur. Haec ipsamet regio elephantes nobiles, ac interdum candidos, qui magno in pretio habentur, gignit. Harum bestiarum ipse rex duo millia alere dicitur ad bella instructa.

XI. Ut illuc pervenere, domum Regis placito eis contulerunt Lusitanorum catholici mercatores, in qua cum oratorium, quod paullo post in templum evasit, aptassent, divinum missae sacrificium celebrabant sacraque officia persolvebant, quin praetermitterent, depravatos ob sacerdotum, xxx. annorum spatio, defectum, catholicorum mores reformare, eosque in vera pietate et virtute erudire. Interim eorumdem idiomate divinitus instructi, ea quae de Christo sunt, palam annuntiare coepe-

runt, quamplurimis ad veritatem adductis qui de animarum transmigratione impie sentiebant. Dum haec cum tanto animarum fructu praestarent, exorto inter Siami et Pegu reges bello, ingenti omnium moerore, coacti sunt anno vix expleto Amacaum reverti. Anno MDCLXXX. reddita pace, duo ex Gallia episcopi, vicarii apostolici munere insigniti, una cum Aloisio a Matre Dei, et Angelo franciscanis illuc iterum profecti sunt, ecclesiis, seminariis, hospitalibus, domiciliisque erectis. Dum haec scribimus, ex publicis monumentis aperte novimus, hujus regionis ecclesiam maximis tribulationibus agitari, ac aliquot sacerdotes pro constanti fidei confessione morte mulctatos.

XII. Joannes de Villacomite, et Antonius Petronus cum quatuor *Ann. min. ad an. 1540. n. 1. et seq.* aliis Franciscanis Lusitanis in insulam Ceylami post annum MDXL. *acciti, praeter regem ipsum Joannem nomine, sponsam, aulicos cum viginti quinque subditorum millibus ad Christi fidem conversos, ecclesias etiam intra nonaginta mille passuum ambitum christianis ritibus consacrarunt. Cum autem ob susceptam Christi fidem regno jam expoliatus fuisset, hoc tempore eo missi sunt a Pontifice aliqnot alii insignes ejusdem instituti fratres, ut Regi ipsi eorumdem sodalium praedicatione *Gonzaga p. 1209.* auxilium conferrent. Hoc eodem anno alium quemdam Regem Candy ejusdem insulae haeredem, Manarii oppidum ad xc. lapidem a civitate Columbi privatam vitam, ob occupatum a tyranno regnum, agentem, cum universa ejus familia baptizarunt.

XIII. In congregatione generali intermedia die XXIX. Maii ad S. Fran- *Ex regesto Ultramontano t. 1. p. 251.* cisci Regum Toleti celebrata, Antonius Manriquez provinciae Castellae custos renuntiatus est totius Cismontanae familiae commissarius, procurator ordinis Daniel Meduna provinciae S. Antonii, confirmatus auctoritate Pontificis; Commissarius generalis curiae romanae Franciscus de Tolosa provinciae Cantabriae custos et pater ordinis. Diffinitores generales hoc ordine electi sunt, Antonius de Mendoza provinciae Castellae minister, Dionysius Rollet minister provinciae Franciae Parisiensis, Franciscus Petrarca minister provinciae S. Andreae, Garcias de Ribera custos provinciae Granatensis, Joannes Compoy custos provinciae Carthaginensis. Obiter est hic notandum cum Casimiro de Roma, nullum in *Casimirus de Roma pag. 773.* hoc comitio ministrum provinciae fuisse institutum, quia post annum MDLXXIII. *fuit restituta libertas provinciis cismontanis a Papa Gregorio XIII. eligendi ministros ex propriis provinciis.*

XIV. Quoniam vero acta quae in hujusmodi comitio opportune sancita sunt, in chronologia Michaelis a Neapoli desiderantur, ideo ea publici juris facimus ex regesto MSS. ultramontano deprompta.

LEGES EDITAE PRO FAMILIA CISMONTANA

» 1. Observent fratres statuta Barcinonensia redacta ad normam Sa-
» crosancti Tridentini Concilii.

» 2. Tyrolensis provincia confecta ex aliquibus conventibus provin-
» ciarum Austriae et Argentinae, adnectitur ultramontanae familiae.

» 3. Provincia Sardiniae aggregetur auctoritate ministri generalis et
» omnium patrum consensu familiae cismontanae.

» 4. Custodia S. Thomae in India orientali auctoritate apostolica mi-
» nistro generali concessa, in provinciam erigitur. *At Lusitanis patribus reclamantibus paulo post iterum in custodiam redacta, nonnisi*

anno MDCXII. *in comitiis romanis fuit ad provinciae dignitatem restituta.* Carolus M. Perusinus in chron. l. 4. part. 2. p. LXIII.

» 5. Praecipitur, ut quamprimum provincia Baetica nuper in duas » partiales provincias in Baeticam nempe et Granatensem a generali » ministro divisa, debitum sortiatur effectum.

» 6. SS. Simonis et Judae custodia extinguatur, conventusque applicentur S. Jacobi provinciae; fratres vero lusitani per eorumdem provincias distribuantur, caeteri autem cujusque nationis sint, provinciae » S. Josephi incorporentur.

» 7. Portuensis custodia nomine custodiae careat, illiusque conventus ministri generalis nutu, proximioribus provinciis adscribantur.

» 8. Firmetur concordia inita inter religionem seraphicam, et S. Hieronymi ordinem, qua cavetur, ne aliquis ex ipsis recipiatur, nisi praecedant aliquae conditiones. Praelati oppositum facientes, suo munere » destituantur.

PRO FRATRIBUS RECOLLECTIS

» Statuta pro recollectorum domibus condita, in quibus stricta ducitur vita, exacte custodiantur.

PRO MONIALIBUS HISPANIAE

» 1. Observentur constitutiones italico sermone latae pro monialibus » tertiariis, et beatis in congregatione viventibus.

» 2. Religiosae tertiariae juxta pontificia decreta clausurae legibus » adstrigantur, quae si renuant, tamquam inobedientes post duos menses e claustro expellantur.

» 3. Ad solemnem professionem non admittantur, nisi clausurae perpetuae votum ediderint.

» 4. Bona immobilia, quae olim ad conventuales spectabant, monasteriis monialium magis indigentibus, praelatorum discretorumque » arbitrio statim applicentur.

PRO GALLICIS ET BELGICIS PROVINCIIS

» 1. Licet Barcinonensium statuta a Gallicis et Belgicis provinciis » recepta fuerint, conceditur tamen posse ea moderari juxta generalium » comitiorum, et provinciarum visitatorum praescripta. Si memorata » statuta inveniantur his adversa, ad ea observanda nemo tenebitur. » Verum si casus occurrerit, qui absolvi et definiri non valeat per eorumdem statuta, tenebuntur praedictae Galliae et Belgicae provinciae » ad unguem observare laudata Barcinonensia statuta.

» 2. Nullus recipiatur a provincia in provinciam sine consensu utriusque ministri, nisi interveniat ministri generalis aut commissarii » auctoritas.

» 3. Ne provinciae graventur, statuitur, quod commissarii passim » non mittantur ad Gallias et Belgicas provincias.

» 4. Lectores actu theologiam legentes sint secunda persona conventus demptis ordinis et provinciarum patribus.

» 5. Fratres qui non laborant, nec laborarunt, ministri provincialis » arbitrio, fratribus laborantibus postponantur.

» 6. Ad tollendam ambiguitatem, provincia inferioris Germaniae seu » Brabantiae deinceps vocetur provincia Germaniae inferioris dumtaxat, Brabantiae nomine penitus deleto.

Digitized by Google

» 7. Provincia S. Andreae provinciis Germaniae inferioris numeretur,
» omnibusque gaudeat privilegiis illarum provinciarum.

» 8. In singulis conventibus unus discretus deputetur ad provinciale
» capitulum transmittendus, qui non sit illius conventus guardianus.

» 9. In singulis capitulis provincialibus quatuor diffinitores instituantur.

» 10. In primis eligatur minister provincialis, postea diffinitores, ne
» contingat, ut minister sit unus ex illis.

NUMERUS DEFUNCTORUM FRATRUM

» Mortui sunt a capitulo generali Parisiensi celebrato anno MDLXXIX.
» in nostra familia usque ad praesens capitulum 2052. ex quibus plu-
» res pro confessione fidei ab haereticis interfecti fuere, quorum ani-
» mae requiescant in pace.

SEQUUNTUR SUFFRAGIA

» Quum SS. D. N. Gregorius XIII. immortalia nostrae religioni be-
» neficia quotidie non cesset impendere et exhibere, pro ejus incolu-
» mitate, et Sanctae Sedis Apostolicae felicitate a quolibet sacerdote di-
» cantur tres missae, et a quolibet laico centum *Pater noster* cum to-
» tidem *Ave Maria*.

» Pro conservatione R. M. Regis Philippi nostri ordinis amantissimi,
» cujus quidem beneficia nostrae sacrae religioni exhibita majora sunt,
» quam a nobis dici aut excogitari valeant, proque serenissimo ejus
» filio Philippo Hispaniarum principe, totaque ejus felicissima posteri-
» tate, atque pro serenissimis Isabella et Catharina Hispaniarum in-
» fantibus a quolibet sacerdote tres missae dicantur.

» Pro augustissima Maria Hispaniarum infante Germaniaeque Impe-
» ratrice, cujus obsequia in religionem christianam his calamitosis tem-
» poribus maxime claruere, atque in nostram seraphicam religionem
» per felicissimum suae vitae cursum christiani ac vehementis amoris
» indicia nunquam desiit exhibere, a quolibet sacerdote tres missae di-
» cantur.

» Pro christianissimo Rege Galliarum, qui nos pro sua admiranda
» in religionem nostram benevolentia, cum inter varias nostri temporis
» tempestates quibus potest, fovere non cessat, a quolibet sacerdote tres
» missae dicantur.

» Pro illustrissimo cardinali de Medicaeis protectore nostro, pro to-
» toque Cardinalium Senatu duae missae a quolibet sacerdote dicantur.

» Pro illustrissimo marchione de Villena, proque illustrissima Marchio-
» nissa ejus carissima matre, quorum expensis numerosa patrum mul-
» titudo, qui ex Germania, Gallia, et universa Hispania convenere ad
» nostra comitia generalia admodum splendide recreati sunt, prout eo-
» rum generosos animos decebat, secundum praescriptam formam ab
» illustrissimo marchione de Villena praesentis proavo, cujus felicissima
» memoria sempiterna recordatione censeri debet, duae missae a quo-
» libet sacerdote dicantur.

» Pro munificentissima regiaque civitate Toletana, cujus erga no-
» stram religionem benevolentiam non solum capitulum ejusdem civi-
» tatis metropolitanum, verum etiam illustrissimus Senatus ejusdem urbis
» ardentissimis praecipui amoris indiciis praeclare ostentavit, a quolibet
» sacerdote una missa dicatur.

» Pro omnibus Principibus christianis, ac caeteris benefactoribus nostris a quolibet sacerdote duae missae dicantur ».

XV. Notavimus Hieronymum Gusman praeterito anno cum delegationis auctoritate suffectum fuisse Francisco Gusman super fratrum in Indiis degentium causis in catholica curia vel promovendis, vel definiendis. Hoc tamen anno in laudato comitio, accedente etiam catholici Regis placito, praeter ea quae pertinent ad ejus designationem, limites, et extensionem auctoritatis, decretum est, ut munus illud in ordinarium transiret. *Cum fratres apud Indos consistentes gubernari commode non possint sine continuo recursu ad provincias Hispaniarum, et sine magnis expensis a catholico Rege factis, et experimento deprehensum sit, non posse Indiarum negocia commode expediri, nisi in curia Regis catholici resideat unus probatus religiosus, qui habeat vices generalis ministri, hinc enim necessarium visum fuit, ut unus commissarius generalis Indiarum a Rmo P. Generali, ex assensu et beneplacito ejusdem Regis catholici praeficiendus, in ejus curia resideat. Qui nimirum commissarius Indiarum immediate subditus sit generali ministro in omnibus et per omnia, et nulli alio praelato et superiori erit subditus et subjectus. Habebit vero praedictus commissarius generalis Indiarum plenitudinem potestatis in omnes fratres et sorores in novis provinciis consistentes, et ad illas partes quoquomodo pertinentes, et in universos fratres, qui ex Hispaniarum provinciis sunt ad Indos transmittendi, et in reliquos omnes religiosos tam subditos quam praelatos, qui ausi fuerint impedire fratres ad Indos proficisci volentes, habebit, inquam, plenitudinem potestatis ad praedictos perturbatores puniendos. Praedictus commissarius generalis Indiarum habebit tantum socios necessarios et non superfluos, quos eligere poterit ad arbitrium suum ex quibuscumque provinciis, qui nimirum socii erunt subditi ministro generali, et commissario generali Indiarum.* Ne vero Matritense franciscanorum coenobium nimiis gravaretur oneribus, voluit pientissimus Rex Philippus II. ut praefato commissario caeterisque sibi in ministerio assumptis aerario publico, quadringentis annuis ducatis assignatis, prospiceretur

Torrubia t. 9. p. 239.

De Gubernatis l. 1. pag. 289.

XVI. Initium habuit hoc anno in Aquitania recentiori custodia Immaculatae Conceptionis Recollectorum, opera et studio fr. Martini Boeraei magni nominis theologi, vitaeque sanctitate spectabilis, quo minister generalis usus est anno transacto ad lustrandam Turoniae provinciam. Non in ea tamen sumus opinione, ut putemus cum Rapinaeo, et Gualterio Recollectorum reformationem institutam fuisse in Gallia vel anno MDLXXVII. vel anno MDLXXIX. vel anno MDLXXXII., cum constet antea ibidem extitisse eorumdem coenobia. Promotores et antesignanos praecipuos concorditer adsignant scriptores Franciscum Doziechium, Petrum Chamboretum, Bernardum Virolam, et Stephanum Imberti, quibus laborum consocios fidelissimos Robertum Praevosti, et Franciscus Simonis ex provincia Franciae Parisiensi adjungunt. Igitur Franciscus Doziechius arctioris vitae desiderio incensus ministrum generalem in Galliis haerentem pro stabili fratrum recollectorum reformatione enixe deprecatus est. Votis ejus benevole annuit pius generalis. Quare consensu P. Rocca provinciae ministri coenobium Rapistanense ab anno MDLXI.

Rapinaeus decade 10. Gualterus in tabulis chronol. ad an. 1577.

Ann. min. ad an. 1577. num. 51. Arturus ad diem 20. Julii.

Digitized by Google

haereticorum furore sodalibus ferme vacuum impetravit, ubi cum plurimis ad rigidiorem vitam anhelantibus convivens, omnium recollectorum animos ad sui exemplum composuit. Ut vero multis aliis suae professionis zelatoribus quotidie adventantibus plenius satisfaceret, in capitulo provinciali immediate a patribus habito petivit, ut conventus aliquot recollectioni opportuniores a saecularium tumultu semoti concederentur. Interim Custos a Patribus delectus, domos Tutellensis et Muratensis a P. Colongio in provinciae regimine Patris Rocca successore obtinuit. Mox eorumdem coenobiorum restaurationi quae vix ob haereticorum impetum vestigia remanserant, invicta patientia manus admovens, ad Seraphici Patris mentem refecit. Licet hi ob habitus novitatem vitaeque solitariae asperitatem mundanis oculis forent invisi, re tamen rectius considerata, singulari spiritus devotione et affectu, tum ob exemplorum sanctitatem, tum ob sedulam in rebus spiritualibus servitutem quantocius venerari coeperunt.

De Gubernatis t. 2. p. 469. et seq.

XVII. Elapsis quinque annis, tandem Cataloniae recollecti devenerunt cum observantibus ad mutuae sanctaeque pacis concordiam. Et ut res firma et inviolata consisteret, utriusque partis consilio conditionibus quibusdam propositis cautum est, nemini ullo unquam tempore licere ab illis recedere, vel eas quavis ratione irritas declarare. Concordiae summam peractam inter generalem ministrum, Antoninm Manriquez commissarium generalem, Jacobum Sanchez commissarium recollectorum Valentiae, et Franciscum Johelem custodem recollectorum Cataloniae hic exhibemus.

1. *In qualibet provincia eligi semper debet unus diffinitor ex recollectorum familia; si ejusdem electio facta sit ab observantibus aeque ae recollectis, tunc electus votum consultivum et definitivum habebit in omnibus comitiis ad totam provinciam pertinentibus; si vero eligitur ab ipsis recollectis dumtaxat, ejusdem suffragia spectabunt ad solos recollectos.*

2. *Nullus esse poterit guardianus recollectorum, nisi quatriennio inter eos vixerit.*

3. *Absque totius familiae conventus placito nullus inter eos recipiatur; arbitrio ministri, de custodis ac diffinitoris tamen consensu ad aliud coenobium poterit de familia amandari.*

4. *Nisi accedat consensus majoris patris conventus, nullus egrediatur e domibus recolleetorum, licet provineialis obedientia munitus.*

5. *Ut quis ejiciatur, bis prius corrigi debet.*

6. *Delinquentes puniantur in coenobiis recollectorum.*

7. *Nulla feratur sententia contra recollectum, nisi praevio custodis ac diffinitoris assensu.*

7. *Datur facultas ministro provinciae leges pro recollectis condendi, easque ab eis observandi, dummodo contrariae haud sint eorumdem constitutionibus.*

9. *Recollecti minime compellantur ad solvendas provinciarum expensas.*

10. *Nullus recollectus deputari poterit ad audiendas monialium confessiones, vel ad regimen alicujus conventus, nisi concurrat major pars suffragiorum ejusdem conventus.*

11. *Quoties ministro provinciae expedire videbitur, coenobia recollectorum lustrare, familias instituere, fratresque alio transferre poterit; quod tamen custodibus et diffinitoribus, absque ejusdem ministri assensu, interdicitur.*

12. *Observantes in domibus recollectorum viventes, eorumdem victui se conformari teneantur.*

13. *In qualibet provincia recollectorum conventus non excedant tertiam partem conventuum observantium.*

14. *Recollectus minister provinciae institutus, eadem auctoritate polleat, ac si foret de observantium familia.*

Flagitantibus Philippo rege catholico, cardinali Medicaeo ordinis protectore, ac generali ministro ratam habuit Pontifex hanc capitulorum concordiam: *Romani Pontificis* die x. Septembris.

XVIII. Haereticorum Anglorum manibus corruit conventus Yogholiae dioecesis Clnaniensis in Momonia provinciae Hiberniae, olim fundatus a comite Mauritio Geraldino, qui anno MCCLVII. inter minoritas cooptari voluit. Eo in loco Franciscus Matthaeus illius provinciae minister pro fratribus anno MDCXXVII. residentiam erexit. Ad cornu dexterum Oratorii jacet frater quidam anonymus multis clarus miraculis, et alter hoc anno supplicio ab haereticis affectus. Expulsis catholicae religionis osoribus ab oppido Diestensi a copiis Principis Parmensis, eo hoc anno redierunt fratres, manus ad coenobii aedificationem elemosynis praesertim bonorum militum amoventes. Successu temporis civium liberalitate ecclesia quasi de novo surrexit, et anno MDCVI. perfecte absoluta. *Conventus Yogholiae dirutus.* *Monum. mss. provinciae.* *Conv. Diestensis.* *Monument. prov. Flandriae.*

XIX. Ex Pontificis mandato anno elapso edito, Joannes Jacobus archiepiscopus Salisburgensis, Sanctaeque Sedis legatus immisit minores observantes in monasterium S. Petri positum intra muros ejusdem civitatis, olim inhabitatum a monialibus Benedictinis, ubi erecta erat parochialis ecclesia titulo S. Mariae Virginis. Commorantur XII. fratres qui assidua verbi Dei praedicatione, sacramentorumque administratione multos haeresi labe pollutos quotidie ad sinum catholicae ecclesiae adducunt. Pertinet ad provinciam Argentinam. *Conv. Salisburgensis.* *Gonzaga in prov. Argentina conv. 7.*

XX. Cum anno MDLXXI. abiissent Minimi e coenobio S. Mariae de Pietate eisdem concesso a pia liberalitate civium Forojuliensium, ne locus vacuus remaneret, Romanus illius urbis episcopus et proceres rogarunt ministrum provinciae tunc temporis Joannem Rivumtortum, ut ibidem aliquot religiosos per modum provisionis designaret, donec a Summo Pontifice assensum pro loci receptione assequerentur. Datis igitur hoc anno a Pontifice litteris, benigne suum praebuit assensum, plenariam interim largiens in festo Omnium Sanctorum indulgentiam peccatorum iis, qui ad decennium manus adjutrices porrigerent ad conventus constructionem. *Haec omnia*, inquit Gonzaga, *facta sunt me ad totius nostri ordinis clavum sedente, et R. P. F. Amando Carbonacio provinciali hujus provinciae S. Ludovici. Gaudet iste conventus, prout et caeteri, assuetis immunitatibus ordini concessis; in quo manent x. fratres, itinerantibus ab Italia in Hispaniam commode ad praestandam charitatem.* *Conv. Forojulii.* *Idem in prov. S. Ludovici conv. 12.*

XXI. Alio translatis sororibus tertii ordinis ex monasterio S. Barbarae oppidi Alzirae in provincia Valentiae, locum occuparunt hoc anno *Conv. Alzirae.*

Digitized by Google

Idem in prov. Valentiae conv. 15.

observantes, eis die viii. Aprilis ad incolendum traditum a devoto ejusdem oppidi Senatu. Extructus est ad radices montis, aliquantulum a pago distans. Inhabitatur a xxvii. fratribus.

Conv. de Algaba. *Idem in prov. Angelorum conv. 15. De Guadalupe in chron. prov. Angelorum p. 165.*

XXII. Ad iii. lapidem a civitate Hispalensi in Villa de Algaba, de ordinarii licentia Franciscus Gusmanus loci marchio suis sumptibus a fundamentis excitare curavit ecclesiam et domum pro xii. fratribus continendis. Ratam habuit Pontifex hujusmodi aedificationem sub invocatione S. Salvatoris: *Regnum militantis ecclesiae* calendis Septembris, quam statim incoluerunt prae caeteris fratres qui morabantur in eremo S. Salvatoris prope eamdem villam sito. Obtinuit tamen titulum S. Francisci Angelorum. Coenobium hoc licet provinciae Baeticae claudatur limitibus, voluit tamen Pontifex, ut ad Angelorum provinciam spectaret, perpetuo silentio super hac re utrique parti indicto.

Conv. Toliman. *Gonzaga in prov. SS. Petri et Pauli conv. 21.*

XXIII. Construxerunt hoc anno in oppido Toliman apud Chichimecas ex diversis largitionibus fratres conventum titulo S. Petri ea de ratione, ut Indi, abjuratis idololatriae erroribus, in fidei catholicae professione continerentur, aliisve etiam ut facilius ad eam suscipiendam pateretur accessus. Quatuor tantum ibibem religiosi degunt.

Ann. min. ad an. 1509. num. 43. Idem in prov. Portugalliae conv. 36.

XXIV. Humile coenobium anno mdix. aedificatum sub invocatione S. Francisci apud Trancosi oppidum in extremis Lusitaniae finibus Castellam versus, dimiserunt hoc anno patres provinciae Portugalliae, decreto emanato in provinciali comitio Ullyssiponis habito sub generali ministro; idque duplici ex capite, tum ob loci angustiam, tum ob victus penuriam: sed cum oppidani Instanter efflagitarent, ut fratres denuo redirent, essetque illic domus sororum tertii ordinis provinciae rectoribus subjecta cui providendum erat de confessario, anno insequenti fuit resumptus.

Conv. Hispalensis. *Franciscus a Jesu Maria in chronol. prov. S. Didaci lib. 1. cap. 4. n. 43. p. 15. et seq.*

XXV. Hoc anno postulantibus Roderico de Castro comitis de Lemos filio, archiepiscopo Hispalensi et S. R. E. cardinali, ac civitatis optimatibus, a Josepho a S. Maria ministro provinciae S. Josephi discalceatorum missi sunt in eamdem civitatem xv. fratres ejusdem instituti, ut sedulo invigilarent conventus fundationi sub invocatione S. Didaci, in domo Balthassaris Brun posita in vico Canta-Lobos. Dum constructioni operam dabant, eis traditum fuit hospitium cum ecclesia S. Aegidii juxta portam Macarenam. Verum e loco excesserunt anno nondum expleto jussu Antonii Manriquez generalis commissarii cismontani: locum tamen repetierunt anno mdlxxxix. sub ministro generali Francisco de Tolosa.

Conventus Fiani *Monum. prov. Romanae.*

XXVI. Obtinuerunt hoc tempore reformati conventuales coenobium a Castro Fiani ad d. p. dissitum in dioecesi Nepesina et Sutrina, civium expensis aedificatum prope antiquam olim, ut volunt, parochialem ecclesiam S. Stephani proto-martyris. Hoc incoluerunt usque ad annum mdci. Post hunc annum a Francisco cardinali Sfortia loci domino et a Castri universitate concessum fuit reformatis provinciae Romanae. Inhabitatur a x. fratribus.

Gonzaga p. 119.

XXVII. Mox ut penitus anno mdlxxx. Parisiis exarsit franciscanorum templum, excogitarunt cives de nova hujus templi instauratione. » Igitur » praefecti et decurionum urbis publica constitutione ac expensa, totius » templi solum adeo eruderatum est, ut everri facile posset. Deinde

» sequentis anni media quadragesima, D. Christophoro Thuano sum-
» mo Senatus Parisiensis praeside, omnium maxime negotium procurante,
» primumque fundamentorum jaciente lapidem, instaurata fuit et con-
» stabilita prima lapidea columna: annoque vertente tandem omne usque
» ad triginta, pro qualibet in caemento, lapidibus sectis, et artificum
» opera, solutis centum gallicis aureis. Conquerentibus frequenter apud
» praesidem fratribus, quod nullae pecuniae superessent, magna con-
» stantia respondebat: bono animo estote, Dominus providebit, subest
» illi cum voluerit, posse. Sequenti anno quinque aureorum millia
» in architectos eximia liberalitate conferente christianissimo Rege Hen-
» rico, totius chori et sacellorum utrinque claudentium lignaria fabrica
» dedolata, compacta, et super muros erecta fuit. Anno proximo vide-
» licet 1583. communibus piorum civium largitionibus, et mulctis,
» quae a Senatu quibusdam reis irrogabantur, et ad tam pium opus
» applicabantur, praeleganti tecto ardosio ejusdem chori ambitus et sa-
» cella, quae ad meridiem spectant, universa cooperta et tecta. Insuper
» interna seu concava pars chori lectissimis asserculis incrustata et la-
» queata est. Tam prospere procedente opere summopere delectatus
» christianissimus Rex, distractis rursum pictoribus mille et centum
» aureis, totam ejusdem chori intimam crepidinem voluit coeruleo co-
» lore depingi, sparsis hinc inde innumeris flammis igneis, interjectis-
» que multis liliis aureis, H. denique prima nominis sui littera ful-
» genti diademate redimita. Sequentem usque ad tertiam trabem partem
» Catharina Medices Regum mater, suis quoque coloribus, characteribus,
» et familiaribus tesseris illustrari curavit, solutis in hunc finem trecen-
» tis aureis. Supererant viginti et tres ingentes fenestrae, quibus chorus
» illuminatur, vitro obducendae. Hic quoque operi liberalitatem suam
» impendit christianissimus Rex, quando secunda equitum torquatorum
» ordinis Spiritus Sancti creatione, ex his quos erogat militibus stipen-
» diis, mille et octingentos aureos, summa eorumdem nobilium con-
» sensione et propensione acceptos, in hoc opus insumi curavit. Atque
» ut tantae liberalitatis aliquod insigne honoris, aliquodque monimen-
» tum laudis extaret, depicto in principe fenestra Spiritus Sancti in
» Apostolos adventu, in sequentibus sui ipsius, matris, uxoris, fratris,
» reginae Scotiae, reginae Elisabethae, principum a stemmate regio,
» cardinalium, episcoporum, heroumque icones et insignia gentilitia, in-
» super aetuum Apostolorum tabulas bene pictas collocari in bono lu-
» mine praecipit. Erectam demum majorem aram lectissimus ac piissi-
» mus D. Julianus a S. Germano Caesariensis episcopus, et Parisiensis
» coadjutor, Deo in primis, deinde in B. Mariae Magdalenae, et B.
» Martyris Sebastiani memoriam dedicavit anno Domini 1583. die
» Decembris xxi. incredibili piorum omnium exultatione et laetitia ».
Ita Gonzaga.

XXVIII. Statuta in totius Hispaniae provinciis patrum conventualium reformatione juxta Pii V. mandata: *Maxime cuperemus* die II. Decembris, Didaco cardinali Spinosa usus est Pontifex, ut apostolicae litterae executioni mandarentur. Qui cum e vita excidisset, in munere ei suffectus est hoc anno Gaspar de Quiroga tituli S. Balbinae praesbyter cardinalis: *Alias* die v. Decembris. Plurima conventualium coenobia

occuparunt observantes; praeter caetera conventum de Manresa in districtu oppidi de Sineu in provincia Aragoniae. At cum illum episcopo Majoricensi resignassent, ipseque episcopus patribus praedicatoribus contulisset, hinc ab ipsis rogatus Pontifex ut suum praeberet assensum, eorumdem votis benigne cessit: *Ad uberes fructus* die xviii. Februarii.

XXIX. Diximus minores conventuales ab anno MDLXXVI. usque ad annum MDLXXXI. novem coenobia recepisse in ditione neapolitana, videlicet quatuor in eadem civitate, unum in civitate Cosentiae, itidem quatuor in provincia S. Nicolai. Hujusmodi loca in coenobiorum album inscripta sunt decreto provincialis comitii habiti hoc anno apud Oriam, sive Uriam civitatem provinciae Hydruntinae, cujus acta die III. Junii Romae confirmata fuerunt ab ordinis patribus. Auctoritate collata Aegidio de Quignones conventuali reformato, die XIX. Martii obtinuerunt ab archiepiscopo Nixiae locum in civitate positum pro quatuor vel sex fratribus, ea tamen lege, ut tyrones franciscani instituerentur. In provincia Romana die I. Julii Franciscus de Viterbo obtinuit locum S. Mariae de Lacrymis oppidi Biedae; et die II. ejusdem mensis Innocentius a Roncilione locum S. Francisci Centumcellae; quem tamen incoluere anno MDLXXXIX.; in provincia Bononiensi locum S. Mariae Lauretanae Montis Codrucci dioecesis Caesenatensis, eis addictum a d. marchione Jacobo Malatesta; in eadem provincia Felix Magnanus Placentinus locum SS. Felicis et Tranquillini Basilicae in agro Placentino. Olim duobus stadiis ab oppido Flaviani ad XVIII. M. ab Urbe extabat quaedam domus cum ecclesia sub auspiciis S. Stephani in faecunda ac peramoena collis summitate. Utraque ob sui vetustatem cum ferme diruta esset, oppidanorum expensis hoc anno reaedificari coepit. Quibus restitutis, reformati conventuales incoluere. Anno MDCI. cessit reformatis provinciae Romanae, ubi XII. fratres commode degere poterant.

Ann. min. ad an. 1581. num. 20.

Ex regesto archivi SS. XII. Apost. de Urbe.

Conv. Nixiae. *Ibidem.*

Conv. Biedae. *Ibidem.*

Conv. Centumcellae. *Ibidem.*

Conv. Montis Codrucci. *Ibidem.*

Conv. Placentiae. *Ibidem.*

Conv. Flaviani. *Ex archivo S. Francisci Transtyberim.*

XXX. In provincia Genuensi Mauritius de Balsanis Reghiensis tunc tertii ordinis claustralium commissarius domum recepit pro fratribus intra moenia civitatis Genuensis. Antea enim degebant in domo parochialis ecclesiae S. Mariae extra civitatem in loco de Granirolo nuncupato. Caesar Marullus Messanensis archiepiscopus Panormitanus Michaeli Burgio provinciae Siculae ministro indulsit ut pro suis excitaret conventum una cum ecclesia sub invocatione S. Nicolai in vico S. Joannis de Tartaris intra civitatem Panormitanam, possessionemque caperet quorumdam domorum et praediorum existentium in grancia, pia liberalitate collatorum Vincentii de Galuzzo civis Panormitani pro usu et commoditate fratrum coenobii de Zisa, quorum erat, ut inquit Pirrus, hospitium. Rogata haec fuere hoc anno die XVII. Julii.

Conv. Genuae. *Bordonus in prov. Genuae pag. 325.*

Ann. min. ad an. 1574. num. 71.

Conv. Panormi. *Idem in prov. Sicula pag. 420.*

Pirrus in notitia Panormit. ecclesiae pag. 219.

XXXI. Pro capucinis hoc anno fundantur aedes in provincia Bononiensi in civitate Centi ejusdem dioecesis, ac in oppido Tiberiaco dioecesis Faventinae; in provincia Mediolanensi, juxta Michaelem a Tugio, in oppido Cerri ejusdem dioecesis, et altera, juxta Boverium, in oppido Proletii non longe ab Helvetiis, consilio Caroli Borromaei archiepiscopi Mediolanensis; in Helvetica provincia pro hospitio occuparunt domum S. Annae prope civitatem Lucernae, quam antea incolebant quaedam mulieres habitum cenericium gestantes. Anno MDLXXXIV. pro eis incoeptus fuit alius conventus, ad quem se contulerunt postea, in fundo eis con-

Conventus capucinorum. *Michael a Tugio in indiculo.* *Boverius tom. 2. p. 53.*

Greiderer tom. 2. lib. 4. num. 123. pag. 646.

donato a nobili viro Gaspare Pseiffer. Fabrica anno MDLXXXIX. fuit absolnta. Causa hujus translationis fuit imago B. Mariae Virginis erga devotos beneficentissima, quae primitus in exiguo colebatur sacello, loco cujus ob B. Virginis anno MDXXXI. apparitionem, major erecta, et anno MDLXXXVI consecrata fuit, sedem huic imagini praebens. In provincia Neapolitana obtinuerunt coenobia in loco Amalphis, Ariani, Castrimaris, et Cereti; in provincia Calabriae locum Galatris; in provincia Hydruntina locum Gallipolis; in provincia Aprutina locum Laureti; in provincia Cataloniae locum Blandarum. Hujusmodi fundationes ignotae fuerunt Boverio. Favente Pontifice, datur eis venia transeundi e coenobio S. Andreae terrae Vigneriae Derdonensis dioecesis in provincia Mediolanensi, ob aeris insalubritatem, ad monasterium S. Bibonis ordinis S. Benedicti ejusdem terrae, de consensu Sfortiae Spetiani clerici, loci commendatarii: *Ex incumbente* idibus Septembris.

XXXII. Post lapsum annorum XX. redierunt hoc anno virgines clarissae in collegium Alenconii dioecesis Saciensis in provincia Franciae Parisiensis, a quo iterato expulsae fuerant ab haereticis. De eo agit Gonzaga et Waddingus, quin mentionem faciant de earumdem expulsione, locique recuperatione. Hac tempestate provinciae Portugalliae patres in comitio Ullyssiponis convocato curam dimiserunt monasterii monialium tertii ordinis in oppido Trancosi dioecesis Egitaniensis, et alterius in oppido Campensi dioecesis Conymbricensis; sed anno sequenti ministri generalis jussu, utrumque resumpserunt.

Monast. Alenconii. *Gonsaga in prov. Franc. Parisien. monast. 6.* *Ann. min. ad an. 1497. num. 29.* *Idem in prov. Portugalliae monast. 21. et 22.*

XXXIII. Joannes Franciscus Sarmientes de Mendoca episcopus Baetiae immisit hoc anno moniales S. Clarae in monasterium S. Catharinae ejusdem civitatis, ad annum usque MDLXII. inhabitatum a fratribus SS. Trinitatis. Illuc adduxit moniales e monasterio S. Mariae Magdalenae ejusdem civitatis, nimirum Isabellam de S. Maria quam abbatissam instituit, Leonoram a Cruce, Annam de S. Elisabeth, et Elviram de Incarnatione. Episcopi jurisdictioni subest. Cum sanctitatis opinione illic decesserunt anno MDCXII. Maria Magdalena de Alcazar, anno MDCXVI. Maria de Conceptione et Lucia de Cruce, anno MDCXXIII. Francisca de S. Joanne, anno MDCXXIII. Michaela de S. Jacobo, et anno MDCXXX. Clara de Incarnatione.

Monasterium Baetiae. *Alphonsus de Torres in prov. Granat. p. 896. et seq.*

XXXIV. Civium expensis initium sumpsit die VII. Septembris, auspice Dominico Pinelli episcopo Firmano, monasterium virginum S. Clarae oppidi Civitatis-novae ad oram adriatici maris in provincia Marchiae, translatis ad eum incolendum sororibus ejusdem instituti e monasterio Montis Sancti Martha de Rochi, Elisabeth Baretti, et Julia Tifini, quarum prima ad illius regimen fuit assumpta. Datur facultas episcopo Clusino transferendi duas moniales ad novum monasterium S. Clarae fundatum intra moenia oppidi Sartiani Clusinae dioecesis in provincia Tusciae opibus Benedicti Bartholomaei de Bussis loci incolae constructum: *Exponi nobis* die XXX. Martii. Gonzagae et Waddingo ignota fuit fundationis aetas.

Monaster. Civitatis-novae. *Monum. prov.*

Monast. Sartiani. *Gonsag. in prov. Tusciae mon. 17. Ann. min. ad an. 1517. num. 58.*

XXXV. De virginum collegio Jesus Mariae Pinciarum in provincia Conceptionis haec habet Gonzaga. » Ut primum provincialia hujus » provinciae comitia celebraturus ex generali Toletana congregatione » Pincias, sub anno Domini 1583. me contuli, atque hoc monasterium

Mon. Pinciarum. *Idem in prov. Conceptionis monast. 28.*

Digitized by Google

» Jesus Mariae a perdevoto doctissimoque Licentiato Guevara non longe » a Pincianis moenibus eo fine, ut a conceptionistis sororibus inhabita- » retur, erectum didici, dedi operam ut religiosae optimique nominis » tres sorores ex antiquiori ejusdem conceptionistico conventu cum so- » lemni totius capituli supplicatione, xviii. mensis Septembris praeme- » morati anni educerentur, atque ad praefatum hoc monasterium trans- » ferrentur. Quae sane opera nostra non inanis fuit, cum plures virgi- » nes conceptionisticum habitum in eo induerint, Deoque felicius obse- » quantur. Est praeterea praememoratum hoc monasterium nobilium » virginum seminarium, cui loci abbatissa diligentius incumbit ».

XXXVI. Die xiii. Junii habitu capucinorum post quatuor vel quinque menses deposito, ad observantes rediit B. Petrus Nicolaus Factor. Haud silentio praetereundum est, quod prodigio simile accidit capucino fratri quartana febre affecto, qui illico sospitatem recuperavit, ut pilis barbae ejus, quam totonderat antequam ab eis discederet, se devote signaverit. Igitur Tarraconensem civitatem accedens Beatus, Antonius Agostini urbis episcopus eum ad prandium invitavit eique dixit: an illi placeret audire concentum. Cum id sibi gratum fore respondisset, accitis ab episcopo cathedralis ecclesiae cantoribus, illisque psalmum *Laudate pueri Dominum* concinentibus, ad versiculum *sit nomen Domini benedictum*, tanta divini amoris voluptate captus est, ut extra se factus, immotus ac fulgida luce in facie circumfusus dimidia hora, omnibus demirantibus, apparuerit. Quo spectaculo percitus antistes, pictorem qui aderat, instituit, ut prodigium eo modo quo evenerat, graphice exprimeret, hac addita epigraphe ab eo elucubrata.

Joseph de Alapont in vita B. Petri Nicolai pag. 51.

In processu Valentino num. 3. pag. 186.

Dum gustas, Factor, Domini dulcissima verba,
Raptus es in coelum, perfruerisque Deo.
Inde redis laetus coelesti nectare plenus,
Atque doces coelum scendere, qua liceat.

XXXVII. Joannes Guevalda notarius oppidi de Cabanes Beati hospes ita eum a capucinis discedentem alloquutus est: *Pater mi, quomodo paternitas vestra dimisit observantiam, et postea transivit ad recollectionem, et postea ad magnum ordinem capucinorum, et modo redit ad observantiam?* cui ille: *fratercule mi, omne illud aliud est ostensio in exteriori, et in interiori nihil est. Ego modo redeo ad matrem meam ad moriendum.* Tunc Joannes: *Pater mi*, ait, *est ne tibi adhuc mater? ubi habitat? o Sanctule*, respondit Nicolaus, *ipse loquor de observantia, quae est mater mea, et hoc est quod tibi dico, quod nunc revertor ad matrem meam, quae est observantia, et quum pervenero Valentiam, sum moriturus.* Haec audiens Joannis soror, quae ibi aderat, inquit: *Pater mi, ne dicas hoc; nam vestra reverentia vivet ad servitium Dei*; eademque verba protulit Joannes. Quibus ille submissa voce: *Silete*, ait, *ne dicatis aliquid; nam ego certe sum moriturus Valentiae, et vado valde laetus ad moriendum; illisque benedicens abiit.*

In processu addit. num. 52. p. 226.

XXXVIII. Ceterum Beatus ab observantibus ad capucinos tum ob austeritatum famam, quas ex instituti ratione eos peragere audierat, tum ob humilitatis exercitium, transierat. Hoc alterum plane eum assequutum fuisse constat ex processu pro ejus beatificatione ac canoni-

zatione confecto. Nam post regressum ad observantes in civitate Tarraconensi audiens se dici arundinem vacuam, coepit ridere, et dixit: *laus Deo, quia ego jam obtinui, quod desiderabam, quum sim arundo vacua.* Unde consultus per litteras a Joanne a Matrito an expediret, ut ad majorem perfectionem exiret a discalceatis, et ad capucinos confugeret, sic ei rescripsit » Jesus Maria, dilecte Pater mi in Jesu Christo » Crucifixo gratia, amor, et charitas Spiritus Sancti mansionem faciat » in anima vestrae reverentiae. Visa sua littera, respondeo, quod ego » redii ad observantiam, et ad hanc domum de Jesu a civitate Barcinonensi, et non existens jam capucinus, nescio quid illi dicere, » praeterquam animadvertat illud, quod pro se facit, quoniam istic » habetur quantum desiderare possit, et roget pro hujusmodi abominabili fratre Nicolao Factore ». Alias fr. Lucae Salas discalceato observanti, qui desiderio tenebatur ad capucinos transeundi, dixit: *Bonis avibus veniat frater Lucas, et hic mecum sedeat ad comedendum. Dicat; cur, vult se transferre ad capucinos existens in provincia tam sancta et perfecta, quam ego tantum diligo, illamque defendi ab illis qui illam destruere volebant? Animadvertat, quod si proficiscetur, minime sane est reperturus illic plusquam in sua provincia, et ita est reversurus.* Nihilominus dum ad suos reverteretur, interrogatus a fratribus Carthusianis de Scala Dei, cur id ageret: *egredior*, inquit, *ab hominibus totaliter sanctis, et vado ad homines totaliter sanctos.* Interrogatus interea a fr. Francisco theologo conventus Barcinonensis S. Mariae de Jesu, an propter aliquid sibi displicens capucinos deseruisset: *nullo modo*, ait; *nam religio S. P. N. Francisci est totaliter et vere sancta in omnibus membris suis. Patres capucini sunt sancti. Patres observantes sunt sancti. Sancti sunt conventuales.* Haec suo loco ponimus, ad verbum ferme a Michelesio mutuata, quae ad annum MDLXX. retulit, nullo chronologiae ordine servato.

Ibid. n. 20. p. 24.

Ibid. n. 27. p. 28.

Jacobus de Ridder in speculo apologetico p. 188. et seq.

Ann. min. ad an. 1570. num. 70. et seq.

XXXIX. Valentiam accessit die XIII. Decembris, ingressusque S. Mariae de Jesu coenobium, coram fratribus de suo adventu plaudentibus in haec verba prorupit: *haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo quoniam elegi eam.* Quartana febre affectus, cum ad valetudinarium per scalas ascenderet, obviam gloriosae Virginis Mariae de Angelis imaginem sic affatus est: *Beatissima atque gloriosa Domina, non aufugit ille, qui domum revertitur, quin amplius sit discessurus.* Hinc pleuritide acutissimaque febre correptus, generali confessione praemissa, ut sacro muniretur viatico, summis precibus postulavit. Antequam divino Christi corpore relaxaretur, ab omnibus circumstantibus fratribus, quod eos, communemque matrem, sic enim regularem observantiam appellare consueverat, aliquando deseruisset, quam humiliter in haec verba prorumpens, veniam exoravit: *Reus sum, maximaeque subjicior culpae, quod sacram franciscanorum observantiam ad tempus deseruerim, et ad patrum capucinorum congregationem, quaerens quod minus expediebat, transierim, licet hoc bono zelo ductus, ut Deus mihi testis est, fecerim. Quamobrem vos carissimos patres, ac fratres hortor, ut sorte vestra contenti sitis; nam minoritis observantibus, si communem sectentur vitam, nihil eorum deest, quae ad regulae franciscanae et suae professionis perfectionem, atque nitorem*

In summario additionali n. 20. p. 24

desiderari queunt. Deinde super lectulum, licet viribus pene destitutus, genuflexus, praecipua animi devotione sacram synaxim suscepit. Hausto subinde, medicorum consilio, nauseoso ac amarulento ferculo, a consodalibus expetitus est, an ab eo affectus fuisset molestia; illam jucundam fuisse respondit, cum tunc temporis recordaretur Christi ab inimicis in Cruce felle acetoque potati.

XL. Singulis religiosis, nobilibusque civitatis qui ad eum affluebant, de proxima ejus morte magno cum gaudio loquebatur, illud Apostoli saepe repetens: *cupio dissolvi et esse cum Christo.* Accepto denique die XXII. Decembris extremae unctionis sacramento, cum quidam frater instantem mortem, quam ipse multo ante sancto afflatus spiritu praenoverat, de medicorum mente ei nunciasset, dixit: *rependat tibi Dominus tanti, tamquam boni nuntii vices;* illicoque oculis in coelum conversis subjecit: *laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Postremo rogans p. guardianum, ut suum exanime corpus in sterquilinio sepeliri mandaret, summa animi tranquillitate atque alacritate, illis prolatis *Jesu, Credo* die XXIII. Decembris dilecto suo animam reddidit aetatis anno LXIII. mensibus quinque, diebus XXV. in coenobio S. Mariae de Jesu ad M. P. a Valentiae civitate. Ante et post cujus transitum auditus fuit a diversis religiosis dulcissimus concentus, suavissimaque diversorum istrumentorum melodia. Vulgata obitus sui fama, ad debitos honores sancto ejus corpori deferendos universi ordinum cives mane facto occurrerunt, qui vultus pulchritudinem carnisque tractabilitatem summopere admirantes, ac crines ejus evellentes, habitum quoque tamquam reliquias exscindentes, eum vere sanctum praedicabant. Die vero Sanctis Innocentibus sacro, in S. Francisci Valentiae conventu, regio senatu, optimatibus, populoque innumerabili adstantibus, facta sunt parentalia, in quibus Christophorus Morenus minister provinciae verba fecit ad consertum omnium ordinum auditorium. Octiduo, ut devotioni satis fieret, insepultum remansit, tractabile tamen, integrum, ac olens, quod die XXXI. Decembris arca inclusum, sigilloque munitum, in eadem ecclesia S. Mariae de Jesu fuit humatum. Eo mortuo, statim Deus ejus in coelis gloriam testatam voluit crebris miraculis, quorum historiam contexuit laudatus Christophorus Morenus de visu et auditu testis, typisque vulgavit Compluti anno MDLXXXVIII. In pervigilio Nativitatis Domini fratri Francisco de Stella, qui Beati in extremis confessionem audierat, in cubiculo oranti apparuit frater Hieronymus Esteve, sive Stephani an. MDLXXX. cum sanctitatis fama defunctus, eique beatitudinem qua B. Petrus Nicolaus fruebatur, revelavit. Quidam sacerdos equestris ordinis, dum in die Nativitatis Domini ad sacra peragenda se initiaretur, a somno correptus vidit inter sanctorum agmina Beatum, cui universus populus praecipua venerationis signa exhibebat; deinde experrectus, cum pro ejus anima Deum in memento pro defunctis exoraret, auditum est sibi dici: *quomodo tu vis orare pro uno, qui jam intuitiva Dei visione fruitur?*

In proces. Valent. n. 59. pag. 278.

XLI. Multa eum invocantibus, tumulo nondum conditum, beneficia praestitit. In coenobio ubi Beatus decesserat, valida febre vexatus totoque corpore contractus quidam religiosus franciscanus, exquisitis remediis frustra tentatis, capiti ejus beati caputio imposito, continuo,

Digitized by Google

nullo auxiliante, ecclesiam ad osculandos pedes ejus adiit. Alter in coenobio S. Francisci tredecim annorum spatio in scapula acuto dolore oppressus, invocato Beati nomine, pristinae sanitati restituitur. Catharina Zarata mulier civitatis Valentiae tribus abhinc annis in mamilla infirma, nihilque levaminis in medicorum arte reperiens, ad sacras Beati exuvias oratura se detulit, quae cum mamillae manum ejus supposuisset, sequenti nocte Beati visione recreata, eique his prolatis verbis: *tu sanaberis in nomine Domini*, incolumitati reddita est. Similia post piam et humillimam precationem contulit alterae mulieri molesta hernia laboranti, vix sancto ejus corpore tacto. Maria uxor Christophori Mercader dolore sinistri oculi quatuor mensibus detenta, chirurgorum arte frustra adhibita, extemplo visum recepit, manu Beati oculo reverenter admota.

XLII. Sepulto corpore multa et alia edidit miracula. Michaeli Crespo ab ardentissima febre, ob putidum ac contagiosum ulcus in collo et in facie correpto, apparens Beatus, manibus ambobus locis admotis, e vitae discrimine eripuit. Joannes Guevalda oppidi de Gabanes notarius, et quorumdam armentorum dominus cum integram noctem, ut pastores nancisceretur, inter invios asperosque montes aberraret, minimeque ab eis extricari valeret, se Beato huic patri commendans, ab eodem sibi apparente usque ad proprium oppidum, intra dimidiae horae spatium, licet major interjaceret distantia, quam quis infra octo dies emetiri posset, manuductus est. Christophorus quatuor annorum puer, filius Antonii et Mariae Baptistae Rodrigo ad extremum redactus, modo convaluit, ut ejus mater partem habitus Beati sibi adhiberi cum fiducia curavit, ei missam a marchionissa de Navarres. Eo in integrum restituto, velut e somno evigilans dixit matri: *en ancilla, quae me ad sepulchrum beati patris Nicolai Factoris, qui me morbo convalere praecepit, opportune duxit*; *nam ecce jam bene valeo*. D. Joanna Gomis medicorum cura ac diligentia liberari non poterat ab ardenti febre et vomitu, quibus duorum annorum spatio affligtabatur. A quadam muliere ad confidendum ac serio se commendandum meritis Beati excitata, statim perfectam sanitatem recuperavit, tacto corpore cum Beati habitus reliquia.

XLIII. D. Francisca Fernandez annum agens XV. ex febre ac tumore in auribus pestifero, divinis jam confortata mysteriis, loquelam et sensum amiserat. Sacerdos qui aderat, eam jam vita functam judicans, consuetas in cubiculo ecclesiae preces die XIX. Januarii an. MDLXXXIV. super eam protulit. Parentes ante lectum in genua provoluti, clamoribus et fletibus Beatum pro defuncta filia supplicant, cujus corpori cum admovissent habitus ejus particulam, ea velut e somno expergefacta, editoque gemitu dixit: *meritis et intercessione B. Nicolai de morte ad vitam me Deus revocavit*. Oculorum caecitate graviter afficiebatur mulier civitatis Valentiae. Quadam die a P. Petro Crespo franciscanae familiae theologo visitata, suaque caecitate explorata, admonita est, ut se Beato quinque *Pater et Ave* commendaret, dum allato ejus caputio suo capiti imponebat. Quibus peractis, visum confestim impetravit. D. Catharina Tuani ejusdem civitatis incola ex pestilenti febre graviter aegrotans, mortique proxima, sana extemplo e lecto, obstupescentibus

medicis, surrexit, a suis super caput infirmae applicato eodem caputio. D. Isabella uxor francisci Luigi geminos filios quinto mense suae feturae edidit, sed tanta cum sanguinis jactura, totiusque corporis commotione, ut medicorum judicio sensim periret. Hinc sacramentis ecclesiae munita, illico e praesenti periculo evasit, integreque convaluit, dum ejus capiti Beati caputium fuit impositum.

XLIV. Plura ad charitatem erga Deum fovendam scripsit Beatus. Praeter ea quae notavimus, est ejus epistola ab eo missa ad Comitissam de Almenara quae incipit *Gratia et amor*; item sua duo opuscula, unum cujus titulus *Pastor spiritualis*; alterum super psalmum LXXIV; postremo *monitiones animae* ad abbatissam monasterii SS. Trinitatis Valentiae, ac *meditationes*, quas subjicimus, ad amicum suum Jacobum Ferrerio.

Ibid. pag. 87.
Ibid. pag. 85.

Meditationes quas mihi dedit Pater Petrus
Nicolaus Factor pro omnibus diebus hebdomadae.

Admodum illustris Domine, amore Jesu Christi acceptet has novem regulas et exercitia ad christiane vivendum, ad effectum perveniendi cum perfectione ad ultimum finem qui est Deus, in honorem Sanctissimae Trinitatis, ad novem chororum Angelorum.

1. *Cogitet continuo ad quid illum Deus creavit, et quod est illud quod vult, et a nobis petit, et mandat, et videbit, quam retro existimus ab illo, quod dicit S. Augustinus, creaturam rationalem fuisse a Deo creatam ad hoc, ut cognosceret illum summum bonum, et illo cognito illum amaret, et amando illud possideret, et possidendo illo frueretur; et idem Deus nobis mandat, quod illum toto corde, anima, viribus, et mente amemus, et nostrum proximum ita nosmetipsos, quodque observemus ejus sancta mandata.*

2. *Cogitet, quam longe simus ab hujusmodi proposito, et quo defluat intellectus, et trahatur illius voluntas, et in quem collocat suam memoriam; et si intuetur, quod hujusmodi suae potentiae tractant de rebus mundi, carnis, et aliarum vanitatum, confundatur, quoniam non occupat hujusmodi regia palatia Sanctissima Trinitas cum his potentiis rerum vanarum, et transitoriarum, et turpium, rejiciendo Deum qui dicit, quod venit ad habitandum in animam, et in ejus mansiones, quae sunt potentiae; occupet igitur istas potentias, ac illas Deo impleat amando, et commemorando, cognoscendo, ac amando adeo bonum Dominum, quia noster intellectus est uti terra, quae nisi bonis herbis seminetur, ipsamet repletur spinis, et cardis, ac malis herbis.*

3. *Procuret amans capere Deum actis amoris, ad hoc ut in anima sua ad habitandum veniat, et in illius interiori dicens in suo corde, o bone Jesu, veni morari in animam meam; vestra est; Domine mi amor, bonum ac cordialis dulcedo mea, atque sponse animae meae, refrigeratio meae recreationis, gloria mearum cupiditatum, honor vestrorum amicorum, jucunditas Seraphinorum, claritas immensa, lux animae meae, mel mei gustus, nobilitas Angelorum, aurum et argentum meorum preciosorum suppellectilium, quies meorum laborum, resurrectio meae mortis, suavitas inaestimabilis, triumphus mearum victoriarum, vita mea Christe Jesu; veni Domine, absterge extra*

Digitized by Google

animam meam omne creatum, morare in illa, et illa vobiscum vivat, quia sine vobis omne mors est etc. Et replicet haec et alia verba dilectionis amorosis cum affectibus, quae sunt exclamationes, ad hoc ut veniat amatus.

4. *Cogitet super brevitatem vitae, signanter signum faciens horologium, aeternitatem gloriae, nec non perpetuitatem poenarum inferni, ac privatum existere Dei visione, illum ignem comburentem, illum vermem comedentem; quodque si hac in vita laboramus observare Dei legem ejusque mandata, ibimus ad fruendum illo superno regno; ne amittamus tempus vitae, quod tanti valet; timeat Deum offendere; desideret illam supernam gloriam; sit devotissimus passionis Domini Nostri Jesu Christi.*

5. *Vigilet magna cum vigilantia circa puritatem suae animae, ad hoc ut Deus in illa habitet, procuret quietem suae conscientiae saepe se confitendo, ac frequentet sanctam comunionem, quia est prandium, seu cibus vitae; et notet, quod non adsit alia gloria in hac vita, uti dicit S. Paulus, praeter bonum testimonium nostrae conscientiae, quodque remorsum non habeat alicujus mortalis peccati; quod consequitur ex contritione, ac Sacramentis nostrae sanctae matris ecclesiae, et confundatur: igitur tantam adhibeat diligentiam ad tractandum superflua et ferinum corpus, ut non relinquat ornare dominam, quae est anima.*

6. *Sit capitalis inimicus vitiorum, et peccatorum uti illorum, quae foedant animam, ac illam captivam ducunt ad infernum, et a Deo separant, ac illam alligant poenis infernalibus, efficitur anima Dei inimica, angeli illam detestantur, interficiunt bona opera, et alia infinita mala animae inferunt peccata; et sit valde intrinsecus amicus virtutum, quoniam illae sunt omnis animae consertus, placant Deum, et in illis, uti in floribus, moratur Spiritus Sanctus, amore capiunt Filium, et satisfaciunt Patri, attrahunt angelos, et bonum odorem dant ecclesiae, et ipsae nos ad coelum ducunt.*

7. *Fugiat suspiciones, caveat judicare temerarie aliquem, bene de omnibus cogitet, et nunquam loquatur, neque audiat malum de aliquo contra honorem Dei, cujus imaginem et similitudinem etiam noster proximus habet, et omnes sumus fratres in Jesu Christo, creati a sua Divina manu, ac redempti suo pretiosissimo Sanguine; fugiat ab inhonestis seu impudicis, horrescat vitia, et amet virtuosos, rogando pro istis quod Deus illos custodiat, et pro aliis quod Deus illos convertat; sit amicissimus pauperum, et exerceat opera misericordiae, quoniam istae nos liberabunt a tremendo Dei judicio.*

8. *Optime respiciat seu consideret hujusmodi mensuram suae gubernationis, quia cum illa mensurari debet coram supremo judicio, ac judice vivorum, et mortuorum, quodque ita comparebit ad hoc, ut judicetur, et illa mensuretur, ac in viridi memoria teneat auctoritatis sapientiae; primo judicium durissimum in his, qui praesunt fieri; et similiter recordetur, qualiter conversi fuerunt lapides innocentis Susannae, et ceciderunt super malos senes, et judices auscultent viduam, et orphanum, pupillum, pauperem, et divitem omni*

Digitized by Google

aequitate, quia in generali residentia coram Judice aeterno, bonam rationem reddent sui officii.

9. *Quando ibit cubitum, quam cito, et indubitatum erit projici in sepulchrum, et recordetur, quod est pulvere creatus, et in pulverem reverti debet, ac reminiscatur crudelis cubilis Crucis Domini nostri Jesu Christi, qui nec etiam habebat, ubi posset reclinare suum sanctissimum caput: quando expergiscatur in nocte, aut de mane, cogitet de illa tuba, et voce:* Surgite mortui ad judicium, *et laudet dulcissimum nomen Jesu, ejusque benedictae Matris Mariae cum gratiarum actione, ac laudibus Dei ob ejus valde magna beneficia: quando se vestiet, recordetur, qualiter nudus natus est, et nudus humari debet, et morietur; quodque Deus ab eo petet computum cogitationum, verborum, et operum; et ut illa die non erret, illa omnia Deo offerat magna cum devotione, et reverentia; audiat missam positis in terra genibus, signanter adorando corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et concionem numquam omittat, quoniam verbum Dei audire evidentissime signum est amicum Jesu Christi esse. Quando se ponit ad sedendum mensae, memoriam habeat, quod adhuc solvimus precium bucellae primi hominis, ac lapsus, quem fecimus, et qualiter fuit redemptus cum fame, siti, et felle, et aceto a Domino nostro Jesu, et recordetur illius magni convivii nostri magni imperatoris Assueri Jesu boni nostrae animae, necnon institutionis sanctissimi Sacramenti; leget bonos libros ad hoc, ut illius animam inflamment et voluntatem, praecipue opera christianissimi viri fratris Ludovici de Granata, ac claritatem simplicium apostolici patris fratris Moreno, et alios existentes magnae eruditionis, doctrinae, et spiritus etc. Proponat prius mori, quominus committere aliquod peccatum mortale; tollat occasiones, fugiat passiones, ac in Deo ponat omnes suas affectiones, protestetur mori, et vivere uti fidelis christianus sub alis, et manutentione nostrae sanctae matris ecclesiae catholicae romanae.*

Dicat magna cum devotione has tres orationes pro hora mortis.

Oratio. Rogo vos, Pater aeterne, ob illum ineffabilem amorem, quo vester Filius Dominus noster Jesus Christus devictus, venit in hunc mundum mori pro nobis aliis, miserere animae meae peccatrici in hora meae mortis. Amen. Pater noster. Ave Maria.

Oratio. Rogo vos, Pater aeterne, ob illam magnam agoniam, qua fuit deprehensus vester amatus Filius Dominus noster Jesus Christus in horto, quando ejus sudor emanavit cum guttis sanguinis defluentibus usque ad terram, miserere animae meae peccatrici in agonia meae mortis. Pater noster. Ave Maria.

Oratio. Rogo vos, Pater aeterne, pro omnibus doloribus, poenis et anxietatibus, quos passus fuit vester Filius Dominus noster Jesus Christus in cruce, signanter quando ejus sanctissima anima ex ejus pretiosissimo corpore egressa fuit, miserere animae meae peccatrici in egressu ex hujusmodi miserabili corpore. Amen. Pater noster. Ave Maria.

Acceptet dominatio vestra has novem regulas christianas scriptas claritate, et inserviant pro schala, prout illa per quam ascendit anima per schalam Jacob ad Deum, ad conversationem habendum in

coelis, et dicere possit cum S. Paulo: nostra conversatio in coelis est; *et cum se praesentet coram altissima majestate nostri immensi Dei, recordetur hujus pauperis fratris minoris, qui semper pro dominatione vestra rogat ut dulcissimus Jesus sit illi in divinum adjutorium.*

Ex monasterio Sanctissimae Trinitatis, ac mense Novembri anno MDLXXII. *Submittit se correctioni Sanctae Catholicae Romanae Ecclesia etc. iste pauper peccator.*

Jesus. Frater Petrus Nicolaus Factor confessarius etc.

XLV. Laborum suorum praemium a Domino consequuti sunt hoc anno aliqui Insularum Philippinarum apostoli. Omnium primus occurrit Antonius de S. Gregorio, de quo plura jam egimus. Is cum an. MDLXXXI. e Mexicana civitate ad eas insulas deflexisset, quodam novo salvandarum animarum zelo ductus, ut sibi ad amplissimum Sinarum regnum peragrandum copia daretur, suis enixis precibus postulabat. Verum subortis iterum quibusdam necessitatibus, ut majorum imperata faceret, tertio in Hispaniam ac Italiam iter agressus est. Mexicum appulsus, die VIII. mensis Aprilis non anni MDLXXXI. juxta Arturum, laboribus fractus, animam coelo reddidit in coenobio SS. Cosmae et Damiani custodiae S. Didaci, relicta sui nominis ingenti sanctitatis fama; Manilae Joannes Porras, Martinus Carasco, et Balthassar de los Reyes sacerdotes, quorum primus infideles Indos verbo sanctitatisque exemplo, alter predicatione ac poenitentiae rigore, postremus ea qua pollebat singulari humanitate et charitate, eorumdem animos demulcens, ad Christi fidem suscipiendam alliciebant; in provincia de Zebu Alphonsus, sive Laurentius de S. Maria dictus Valverde, qui licet professione laicus, hac illac discurrens, sodalibus suis necessaria suppeditabat, ac ad eos infideles turmatim adducebat, ut in christiana religione initiarentur. Oratione maxime delectabatur, in qua varias patiebatur ecstases.

Antonius de S. Gregorio. *Joan. Franciscus de S. Antonio t. 1. pag. 776.*

Joannes Porras. Martinus Carasco. Balthassar de los Reyes. *Idem. ibid. p. 721. et seq.*

Alphonsus Valverde. *Idem t. 2. p. 183.*

XLVI. Apud Hispanos in coenobio S. Josephi de Elche dioecesis Oriolanae provinciae S. Joannis Baptistae Valentiae die XIX. Januarii raptus est Aloisius de Arazil. Hic primum inter observantes in provincia Valentiae cooptatus, magno desiderio purioris strictiorisque regulae observantiae flagrabat; at adversa semper valetudine praepeditus, illud adimplere desperabat. Novo interim spiritus fervore excitatus, discalceatorum reformationem, etiam vitae dispendio, amplecti efficaciter animique alacritate statuit. Igitur inter eos adscriptus, tantam mox corporis sospitatem illi contulit Deus, ut apud discalceatos illam inter asperitates invenerit, qua usquam potiri nequiverat inter observantes, licet calceatus, lineis indutus, medicorumve opera adjutus. Ingenui moris, devotae, affabilis consuetudinis, vitaeque exemplaris dono plurimum exornabatur, ita ut caeteri illius consortium summe exoptarent, eumque prosequerentur amore. Coenobii S. Josephi de Elche praeses institutus, incredibile dictu est, quanta charitatis pietatisque christianae officia infirmis impenderit eo tempore, quo oppidum diro grassabatur pestilentiae morbo. Eadem lue correptus, mortisque praescius, poenitentiae ac eucharistiae sacramenta devotissime suscepit. Loquelam vi morbi amissam recuperavit. Inter cruciatus et dolores quibus nimium afflictabatur, Deum suum, quibusdam davidicis oraculis invocabat ac laudabat. Quanti meriti hic vivens apud Deum extiterit, satis liquet ex ejus apparitione fr. Petro

Aloisius de Arazil. *Joannes a S. Maria part. 1. l. 2. c. 39.*

a Sena loci praeside, et B. Andreae Hibernon facta quibus suam gloriam revelavit, et quaedam arcana reseravit.

XLVII. Cum tota domus exinde eodem morbo infecta esset, hinc brevi tempore omnes ferme fratres etiam invasit. Quare die XXII. ejusdem mensis eodem in coenobio sublatus est Didacus a Carriera, natione Gallus, qui sacerdotio jam initiatus in Hispaniam adierat, ut discalceatorum institutum profiteretur. Postquam sancte occubuisset, cuidam condiscipulo studiis incumbenti in sua cellula, sacerdotalibus indutus vestibus, apparuit, quem corripuit ob omissa, pro quolibet fratre defuncto, suffragia ab instituto praescripta. Quibus auditis, veniam ab eo petivit, se citius omissa completurum promittens. Mox ille ab ejus oculis evanuit. Simili contagio excessit die XXIV. ejusdem mensis Franciscus a Valentia laicus, vitae exemplaris, promptae obedientiae, ac non infimae perfectionis. Fidelis et amantissimus socius extitit Francisci Ximenz S. Joannis Baptistae provincialis ministri. Ante ejus obitum graves ei daemon tetenderat insidias, quas omnes singulari Dei praesidio superavit. Dum devote et alta mente Jesu et Mariae nomina ingeminaret, spiritum Deo reddidit. Hic omnino diversus est ab altero ejusdem nominis an. MDLXV. defuncto in conventu S. Francisci Abulae provinciae S. Josephi.

Didacus a Carriera. Idem ibidem.

Franciscus a Valentia. Idem ibidem.

Arturus ad diem 24. Januarii, et ad diem 22. Octobris.

XLVIII. In coenobio S. Michaelis de Victoria Plicensis provinciae S. Josephi die x. Februarii decessit Georgius laicus, natus in oppido Calvatae dioecesis Calatravensis. Parentibus intempestive defunctis, in domo heri sui exceptus, ad gregis custodiam addicitur, septimo aetatis suae anno vix expleto. Ea in aetate ita in virtutum magisterio eruditus erat, ut flexis genibus per totam noctem in ecclesia orationi aliisque spiritualibus exercitiis incumberet. Ut vero se Deo intimius conjungeret, inter fratres discalceatos cooptari voluit; quo in instituto mire effulsit in meditandis Christi Domini cruciatibus, in angelica puritate, in altissima paupertate, maximeque in rigore poenitentiae, totum suum corpus velut indumentum loricis ferreis tegens. Hyemis tempore interdum sese in glacies et nives projiciebat; et cum nudis semper pedibus incederet, saepius ex ipsis sanguis effluebat. Praelati sui mandato prunas nudis manibus accepit, alioque transtulit, quin vel minimum laederetur. Hinc cum tot tantisque cumulatus foret meritis, in daemonis invidiam incidit, a quo licet varie exagitatus, spectrisque horribilibus deterritus, tamen divinae gratiae praesidio ejusdem nocendi artes delusit, audaciamque profligavit. Ejusdem sanctitatem Deus testatam voluit signis et prodigiis tum in vita, tum post mortem, quorum fama excitatus Andreas Daciccus Conchensis ecclesiae episcopus, confecto processu, ejusdem corpus e communi fratrum tumulo educi, ac cavo in loco ad instar oratorii formato, collocari mandavit.

Georgius Laicus. Didacus a Fonsalita in mon. mss. prov.

XLIX. Andreas Cornejo doctoris laurea insignitus in universitate Complutensi, minorum habitum sumpsit in conventu S. Mariae de Jesu ejusdem civitatis, in quo cum carnis macerationi et vigiliis insisteret, saepe a daemonibus vexabatur, quinimo et verberibus caedebatur, quos tamen, invocato Jesu nomine, devincebat. Anno MDLXV. reserato S. Didaci tumulo, cui velut testis aderat Ferdinandus Paez in eadem academia philosophiae professor, cum ejusdem venerabile corpus olens et

Andreas Cornejo. Antonius Roxo in vita s. Didaci lib. 5. cap. 2. p. 384.

Ferdinandus Paez Idem ibidem.

tractabile cerneret, mox abdicato magisterio, inter minoritas convolavit, a Deo interim in oratione particeps factus lacrymarum dono. Reliquit mss. commentaria doctissima super sententiarum magistrum. Sancto item fine cursum vitae complevit Didacus de Colmenar, divinarum rerum contemplationi jugiter intentus. Ante ejus mortem fulgida luce circumdatus ei apparuit Franciscus de Torres, dicens: *ne timeas: cito ex hac vita migraberis, erisque mihi consors in gloria.* Didacus de Colmenar. *Idem ibidem.*

L. Cum sanctitatis laude inter capucinos hoc anno obiit Sebastianus Argyrensis, sive de S. Philippo Siculus, qui vix octavum aetatis annum attingens, corpusculum inedia extenuare, ac ciliciolo contegere consueverat. Matre orbatus, bonis omnibus divenditis, pauperibusque, quae sibi ex matris haereditate obvenerant, distributis, aetatis suae anno xvi. eorumdem habitum sumpsit. Ad concionatoris munus a Deo delectus, verbo et exemplo uberes retulit animarum fructus. Saepe de Christi Domini passione, quam summa pietate prosequebatur, sermonem, non absque audientium fletu, instituebat. Eo auctore, qualibet die veneris sub meridie in urbe Netina decretum est, ut omnium campanarum sonitu signum daretur, ad Christi Domini passionem et mortem recolendam. In Syracusana provincia guardiani, custodis, diffinitoris, et provincialis dignitates obtinuit, quae munia licet invitus, summa tamen prudentia administravit. Martyrii desiderio frustratus, petiit a Domino, ut gravi aliquo morbo, qui martyrii loco cederet, affligeretur. Hinc elephantiae morbo a planta pedis ad summum usque verticem a Domino affectus, ad duodevigesimum usque mensem patientissime tulit, eaque in infirmitate nulla ipsius vox, praeterquam divinae laudis audiebatur. Leprae ipsius squamulae, quibus totum ejus corpus scatebat, inde avulsae, variis languoribus applicatae, febres curarunt, capitis dolores depulerunt, parturientes ad edendum foetum provocarunt, daemonesque ab obsessis corporibus ejecerunt. Medicorum consilio a Placiensi conventu ad nosocomium Argyrensem delatus, die quam ante praedixerat B. Mariae Purificationis sacro mortalis vitae cursum absolvit. Defuncti corpus inter populi frequentiam in coenobium, quod unius et amplius milliaris spatio ab urbe aberat, translatum, statim miraculis claruit. Nam cum fr. Humilis a Noto sacerdos linteolum, quo Sebastianus leprae ulcera sibi vivens extergere solebat, secum ex devotione ferret, accidit, ut tertiariam quamdam sibi consanguineam, Cassandram nomine, visu ex nimio fletu orbatam, inviseret: quae cum ab eo quicquam, quod Sebastiani usui aliquando ministratum esset, exposceret, is linteolum profert; quod illa, invocato Dei, et Sebastiani nomine, cum sibi oculis admovisset, eo ipso tempore oculorum lumen recipit. Paucis inde elapsis diebus, cum Antonia Cassandrae famula gravi stomachi dolore laboraret, Sebastiani linteolum ab hera postulabat, eoque stomachum refovens, mox ab ea molestia liberatur. Sebastianus Argyrensis. *Boverius tom. 2. pag. 56.*

LI. Lucernae apud Helvetios obiit Arsenius Mediolanensis laicus, ex illustri et antiqua Cruciorum stirpe progenitus. Unica tantummodo obsoleta variisque praesegminibus contexta, absque pallio, usus est tunica. Orandi studio, divinisque contemplationibus jugiter intentus, plerumque in illis immobilis ac insensibilis diu permanebat. Quocumque oculos intenderet, Deum sibi praesentem intuebatur. Coelestem angelorum pa- Arsenius Mediolanensis. *Idem ibid pag. 60.*

nem, quo reficiebatur quotidie, religione eximia colebat, sacerdotibusque sacrum peragentibus ingenti devotionis studio ministrabat. Infirmorum cura delectabatur, nimiaque charitate erga pauperes afficiebatur, dum janitoris curam gerebat. In ipsa Assumptionis B. Mariae Virginis nocte ex tabulato hospitii apud Lucernam ruens, confractis dexteri lateris costis, ac intestinis sauciatis, non multo post cum sanctitatis opinione mortali vitae finem imposuit. Tota fere urbs ad ejus funus confluxit. Septennio post ipsius ossa in Covi conventus sepulchrum translata, ejus cerebrum incorruptum, rubicundum, recentique sanguine conversum repertum fuit.

Antonius de Montegranario. *Idem ibid. p. 63.*

LII. In Picena provincia Antonius de Montegranario laicus natus anno MDIII., institutum capucinorum amplexus aetatis suae quadragesimo secundo. Ita vitam ad virtutem composuit, ut humilitate, obedientia, simplicitate, sui ipsius contemptu, vitaeque asperitate nulli unquam fuerit secundus. Erga pauperes amantissimus, cum ob panis penuriam iis ministrare non posset, ne vacuos remitteret, fructus, olera, ac radices horti saepius eis erogabat. Passim infirmos incolumitati reddebat solo crucis signo. Anno aetatis suae octogesimo sanctimonia clarus ad Dominum migravit. In eadem provincia digna virtutum praemia adeptus est in coenobio Novano, vulgo *Civitanova* post sextum religionis annum Mauritius a Monte Montanario clericus, juvenis simplex, et innocens. Quidam devotus frater eumdem conspexit, teste Boverio, *inter angelorum choros coelesti gloria donatum.*

Mauritius a Monte Montanario. *Idem ibidem.*

Franciscus ab Aquisbornuiis. *De Arembergh p. 75.*

LIII. In provincia Mediolanensi Franciscus ortus in oppido Aquarumbornium in extremo angulo Vallis Tellinae. Adolescens a patre primum in Bavariam ad idioma germanicum addiscendum missus est, deinde Mediolanum, ut humanioribus litteris operam daret. In illa florenti aetate capucinorum institutum amplexus, studiorum curriculo absoluto, ad animarum lucra totus se dedit, magnumque sibi nomen in verbi Dei praedicatione comparavit in civitatibus praesertim Mediolani, Venetiarum, Cremonae, Vercellae, ac Vicentiae. Expleto provincialatu, quem sanctissime administravit, cum eo tempore haeretici in Vallis Tellinae ditione catholicam fidem evellere conarentur, omnia sua studia ad avitam patriae suae fidem tutandam contulit. Facta igitur sibi suisque, S. Caroli Borromaei opera, a Pontifice venia, in Rhaetia fidei hostes divini verbi praesidio aggrediendi, tanta argumentorum vi fidem catholicam propugnavit, ut non modo vacillantes confirmaverit, corruptosque ad veram professionem adduxerit, sed quamplures etiam publica in concertatione haeresum disseminatores ad ecclesiae gremium revocaverit. Anno MDLXXVI. scripsit *acta disputationis ab eo habitae in Rhaetia cum quodam ministro haeretico de Rochelf de SS. Eucharistiae sacramento.* Aliqua pro suis iis in regionibus instruxit coenobia, quae suo loco notavimus. Hinc cum in haereticorum odium incidisset, multa ab eis passus est incommoda; semel namque in altam foveam nive et glacie confertam demerserunt, venenumque in poculo ei sociisque praebuerunt ad propinandum, quin tamen ullum paterentur damnum. Tandem ab haeretico Senatu ad necem cum sodalibus quaesitus, ut ab imminenti vitae discrimine se subduceret, Mediolanum rediit.

Joannes Petrus Glussanus in vita S. Caroli colum. 343.

Digitized by Google

LIV. A S. Carolo Borromaeo benevole exceptus, ad reformanda monialium collegia extra urbem posita destinatus, ea ad meliorem vitae formam brevi tempore revocavit. Egregiis virtutibus commendabatur, austeritate potissimum erga seipsum, humilitate, ac charitate erga Deum et proximum. Uraniae decessit eodem temporis momento, quo a suis legebatur evangelium de Christi Domini passione ad verba illa: *Jesus autem exclamans voce magna, emisit spiritum.* Cum nuncium de ejus morte accepisset S. Antistes in haec verba prorupit: *magnus hodie nobis ereptus est vir: magnus Dei servus ecclesiam deserit; cujus morte gravem illa hodie jacturam patitur.*

Boverius ibidem p. 68. n. 58.

LV. In eadem provincia Franciscus Mediolanensis, filius Joannis Arconi Cretensis nobilis jurisconsulti, qui ob illius Insulae tumultus bellicos Mediolanum successerat, habitum capucinorum obtinuit in duodevigesimo aetatis suae anno. Brixiae verbum Dei disseminans, aere publico a fundamentis erigendum curavit pro pauperculis virginibus periclitantibus collegium. Interim cum ibi propter Deiparae Immaculatae conceptionem e suggesto editas laudes a nonnullis religiosis passus fuisset molestias, ut sua dicta vindicaret, volumen, quod citat Pagnotius, scripsit *pro immunitate B. Virginis ab omni peccati originalis macula.* Cremonae tanta facta est ad ejus concionem commotio, ut urbis sacerdotes haud impares forent ad peccatorum sacramentales confessiones excipiendas. Merito igitur novus Italiae apostolus ab omnibus nuncupabatur. Saepe ad suae provinciae gubernium assumptus est. Eo munere a quodam commissario visitatore immerito, ut putabatur, destitutus, nullum sibi praestari, nec ab alio adhiberi voluit patrocinium, sed illatam injuriam aequo animo tulit. In romanis comitiis anno MDLXXXI. celebratis totius ordinis generalis procurator designatur. Ut primum electus est, a quodam provinciae Mediolanensis sodali sacerdote litteras accepit, qua inter alia illi » maxime gratulabatur, inquit Boverius, quod cum po» testatis gradum conscendisset, quo acceptas a nonnullis injurias ulci» sci valeret. Cui Franciscus rescribens haec inter alia in epistola ap» ponit: non fratris, sed satanae plane epistolam legi, cum tuas litteras » perlegi. Quid enim amplius, aut scelestius satan mihi animo sugge» rere potuisset, quam odium, ac vindictam in fratrem exercere? Re» sipisce frater, et satan exue; ne is, quod suum est, a te aliquando » cum usura repetat ». Biennio nondum expleto in procuratoris officio Romae decessit, ad cujus funus multitudo puerorum praeter morem occurrit, ipsius innocentiam velut contestantium. Tertio post anno integrum ejus corpus repertum, sanitatem capitis restituit cuidam fratri a Caesena, vix capiti ipsius imposita fuit manus defuncti; similia contulit altero gravi dexteri humeri dolore affecto.

Franciscus Mediolanensis. *De Arembergh p. 37.*

Pagnotius lib. de Maria triumphante pag. 328.

Boverius ibidem pag. 75. n. 80.

LVI. Neapoli in conventu Immaculatae Conceptionis decessit Paulus laicus a Calavello Lucaniae oppido Hidruntinae provinciae, B. Mariae Virginis devotissimus, cui e coelo tenui nubecula ad ipsum evecta, se tradidit conspiciendam, quam ut aegroto succurreret, deseruit. Obsequio absoluto, ad ecclesiam rediens, sacram virginem eum expectantem reperit, a qua propter suae obedientiae meritum, plurimum extitit commendatus. In coenobio Nicosiae provinciae Messanensis prope octogenarius ad astra migravit Vitalis Herbitensis. In saeculo, ad jurgia pro-

Paulus a Calavello. *Boverius ibidem pag. 76.*

Vitalis Herbitensis. *Idem ibid. pag 78.*

clivis, de repente, audito quodam concionatore, feritate deposita, institutum capucinorum amplexatus est, in quo ad tantam sanctitatem devenit, ut in ipsius satanae invidiam inciderit. Ejusdem tamen infestationes oratione, abstinentia, ac B. Virginis auxilio superavit. Aliorum occulta crimina detegit, varios quorumdam casus praedixit, cordiumque cogitationes aperuit. Adhuc vivens miracula edidit. Caeco oris saliva inuncto, lumen restituit, annonam fratribus auxit, mulierem obsessam liberavit, aliaque quamplurima patravit. Fertur dignatus fuisse Christi Redemptoris visione sub puerili forma, dum a sacerdote sacra hostia in missa elevaretur. Delatum in ecclesiam corpus, triduo insepultum remansit, ut fidelium pietati satisfieret, quo tempore suavis odor ex ejus corpore manabat. Aliqua edita sunt miracula ad sui ipsius cinguli contactum. In eodem coenobio dies suos complevit ea die et loco a se Deiparae postulato Thomas Attriensis sacerdos, in novitiorum regimine diu occupatus, admirabilis in austeritate vitae, in orationis studio, ac monasticae vitae observantia; in provincia Hidruntina Leo Matteolensis laicus, seraphicae paupertatis, et orationis cultor eximius; Uraniae in provincia Helvetiae Sebastianus Uraniensis clericus, simplicitate, et innocentia praeditus; in conventu Saonensi Genuensis provinciae Angelus Brixiensis sacerdos et concionator, qui cum aliquandiu provinciam administrasset, meritorum plenus spiritum Deo reddidit, magno sui ipsius desiderio posteris relicto.

Thomas Altriensis. *Idem pag.* 89.
Leo Matteolensis. *Idem pag.* 90.
Sebastianus Uraniensis. *Idem ibid.*
Angelus Brixiensis. *Idem ibid.*

LVII. Aliquot virgines ad sponsum abierunt. In monasterio Lentzfridi in Algavia die xi. Februarii Ottilia Widmana tertiaria, quae licet ferme toto vitae suae tempore oculorum lumine destituta, meruit tamen frequenti Christi Domini apparitione frui sub specie pulcherrimi infantuli; apud monasterium S. Clarae oppidi Concensis dioecesis Palentinae in provincia Immaculatae Conceptionis Francisca de Guevarra clarissa die xxiii. Februarii. Enituit in infirmarum solicitudine. Cum ad sui monasterii praefecturam invita esset assumpta, assidue Dominum deprecata est, ut si illud regiminis munus animae curandae non impediret, cito ab illo, dispeudio etiam vitae, liberaret. Ante duos menses e vivis erepta, violenter injuncti sibi officii curas dereliquit.

Ottilia Widmana. *Hueber ad diem 11. Februarii.*
Ann. min. ad an. 1568. num. 64.
Francisca de Guevarra. *Ann. min. ad an. 1450. num.* 42.

LVIII. In monasterio S. Clarae oppidi Arevali Abulensis dioecesis ejusdem provinciae die viii. Junii ad sponsum evolavit Beatrix de Guevarra, orationi et contemplationi jugiter intenta. Diem suum extremum in perfecta valetudine praedixit. Olalia Gomesia Hispana dies suos complevit die ix. Maii. Defuncto marito, sororum tertiariarum induta sacco, poenitentiae culmen illico cupiens, communibus aliarum asperitatibus non acquievit, sed alias sui corporis afflictationes adinveniebat. Ecclesiae, instituti sui quadragesimas, Virginisque Matris vigilias sola aqua et pane vescebatur. Ternis vicibus in hebdomada se usque ad sanguinis effusionem asperrimo flagello cruentabat. Prae humilitate se omnium ancillam reputans, viliora monasterii munia hilariter obibat. Semper in summa egestate versabatur. Christi Domini passionem non absque lacrymarum profluvio recolebat. Hydropisi incurabili affecta, anno aetatis suae lxxx. ad miraculum morbum patientissime tulit. Hinc cum opinione sanctitatis decessisset, infirmis admotae ejusdem vestium particulae, multa morborum genera evanuere.

Beatrix de Guevarra. *Ann. min. ad an. 1496. num.* 28.
Olalia Gomesia. *Marianus in chron. obs. reform. lib. 6. c.* 26.

LIX. Cum in suae sanctimoniae testimonium integrum atque incorruptum repertum esset corpus Mariae Emmanuelae e Metymnae Sidoniae ducum familia nobilis feminae, in ecclesia monasterii de Jesu Hispalensis, ubi decesserat, hoc anno in alterum sepulchrum priore nobilius, curantibus loci monialibus, translatum est, ut utriusque fidelium sexus ad devotionem excitarentur. Ejus pretiosa mors evenit anno MDXLIII. die XXXI. Martii.

Ann. min. ad an. 1543. num. 11. Valerianus de Beatis feminis Ordin. min. lib. 4. cap. 33.

LX. Altare marmoreum positum in ecclesia SS. Cosmae et Damiani de Urbe, quod S. Felicis nuncupatur, ac in quo praeter laudati S. Felicis II. Papae corpus, etiam SS. martyrum Marci, Marcellini, et Tranquillini exuviae anno praecedenti inventae asservantur, solemniter pridie calendas Augusti consecravit Alexander Medicaeus archiepiscopus Florentinus. Habetur inscriptio ad levam ejusdem altaris, marmori, decreto S. C. Visitationis Apostolicae calend. Augusti an. MDCLXVII. insculpta, quae olim chartae erat consignata. » Anno Domini MDLXXXIII. pri» die calend. Augusti Dominico die jussu Gregorii XIII. hoc sacellum » restituit Reverendissimus Dominus Alexander Medicaeus Archiepiscopus » Florentinus, qui postmodum Summus Pontifex creatus, Leo XI. di» ctus est; hic S. P. Q. R. adstante solemniter consecravit hoc altare in » honorem Sanctorum Martyrum Felicis PP. II. ac Marci, Marcelliani, » et Tranquillini, quae praecedenti anno VII. calend. Augusti hoc ipso » in loco inventa fuerant, sub eo in sarcophago marmoreo, ubi antea » jacebant, celebri processione recondidit, singulis autem christifidelibus, » qui consecrationi interfuerunt, atque iis, qui singulis annis in futu» rum sacellum hoc, et altare in anniversario dedicationis illius ultima » Dominica Julii, et in natali eorumdem martyrum Marci, et Marcelliani, » et Tranquillini decimo quarto calen. Julii visitaverint, idem Summus » Pontifex plenariam peccatorum indulgentiam, et remissionem perpe» tuo concessit.

LXI. Sanctorum martyrum Abundii et Abundantii corpora idibus Octobris solemni pompa ex eadem Diaconia ad Farnesianum Societatis Jesu templum delata sunt hoc anno, datis ad hoc litteris a Pontifice: *Ut ecclesiam domus* die X. Septembris, ac sub ara maxima recondita. Horum SS. martyrum memoria in aliquot Urbis ecclesiis speciali cultu veneratur. Sibi vindicant eorum corpora et Societatis Jesu patres, et franciscani, quorum primi ad diem XVI. Septembris quotannis missam officiumque ritu duplici legunt, alteri et olim eodem prorsus modo peragebant ex directorii praescriptione hisce verbis *XVI.* (Septembris) *SS. Abundii, et Abundantii mm. dupl. min.* . . (adsunt corpora). . . *In martyrologio primo loco, solemnis commemoratio.* Non eo tamen sensu haec verba usurpanda sunt, quatenus in Aracoelitano templo eorum SS. corpora integra, sed aliqua tantum pars eorumdem inveniatur, ut recte tradit Casimirus de Roma. Exhibens enim ipse sacrarum reliquiarum album sub Martino V. exaratum, prae caeteris recenset: *capita SS. Abundii et Abundantii mm. in duobus vasis.* Quod pertinet ad caput S. Abundii, nemo inficiatur religiose illud asservari argenteo vase tectum in ecclesia Capitolina; siquidem ejusdem s. martyris caput in illa translatione desideratum fuisse aperte scribit Cardurus in historia translationis, anno proxime elapso edita. Haec tota quaestio versatur circa sacrum

Casimiro di Roma Istoria della Chiesa e del Convento di Araceli cap. 8.

S. Abundantii m. caput. Verum cum in eadem translatione S. Abundantii caput reliquis ejusdem ossibus et ipsum fuisset conjunctum, consequitur, vel alterius ejusdem nominis caput vel aliquam S. Abundantii particulam capitis in eadem ecclesia honestari.

Tognoletti part. 1. pag. 108.

LXII. Quaedam Sanctorum ac Sanctarum martyrum reliquiae, quae cultu publico in ecclesia S. Nicolai de Jesu Agrigenti venerantur, hoc anno traditae fuerunt fr. Bernardino de Agrigento ab Antonio Lombardo illius urbis antistite, cujus hoc extat autographum.

» D. Antonius Lombardo, Dei ac S. Sedis Apostolicae gratia Episcopus Agrigentinus, regiusque consiliarius universis et singulis praesentibus et futuris, has nostras inspecturis, lecturis pariter et auditaris notum facimus, quod nos nuper concessimus et munifice dono dedimus R. P. Fr. Bonaventurae Agrigentino ordinis minorum S. Francisci de observantia sub titulo reformatorum, frustum, ex dorso partis inferioris S. Zenonis et sociorum, ex reliquiis nobis per SS. Dominum in Christo Patrem Gregorium XIII. P. M. concessis, ut per ejus signaturam supplicationis ex parte nostra sibi porrectae licentiae eas extrahendi calendis Maii anno primo clarescit, transumptae per Simonem Sanctum publicum notarium archivii Curiae Romanae die XIII. Julii 1573. primae indictionis, cujus quidem S. Zenonis et sociorum festum celebratur nono Junii; necnon frustulum ex capite ex illis capitibus et reliquiis, quae et quas Illustrissimus D.D. Hercules a Branchiisfortibus comes Cameratae nostrae Agrigentinae dioecesis ex dispensatione apostolica, ut nobis constat, extraxit a monasteriis et ecclesiae civitatis Coloniae, et ad dictam ejus terram Cameratae transtulit tamquam capita et reliquias sex virginum et martyrum ex illis undecim mille virginibus et martyribus, quae cum S. Ursula martyrii coronam consecutae fuerunt: quae capita et reliquias nos, dum annis proxime elapsis ad dictam terram eam invisendi causa venissemus, vidimus, et in diversis terrae illius religiosis locis conservandas, et venerandas divisimus, publiceque venerati fuimus, et venerari mandavimus, prout latius est videre in nostra bulla authenticationis capitis S. Victoriae in hujus cathedralis ecclesiae thesauro repositi; item partem reliquiae S. Honofrii, et quaedam alia frustula Sancti ejusdem ex illis reliquiis praedicti Sancti, quae in civitate Suterae in ecclesia S. Paulini et in arca argentea, in qua S. Paulini reliquiae, et aliorum Sanctorum juxta bullas servantur publice, nos eas omnes reliquias manibus propriis bene in capsulis bombace coaptatas, et repositas fuimus in visitatione venerati, ad effectum illas in ecclesiam dicti ordin. sub titulo S. Nicolai extra moenia transferendi. Et quia dictus P. Fr. Bonaventura Agrigentinus nobis supplicavit, ut frustula praelibatarum reliquiarum, tamquam dictorum Sanctorum et Sanctarum reliquias authenticare dignaremur, ut a populo omni devotione venerentur, ideo has nostra subscriptione, et sigillo nostro roboratas, pro earum reliquiarum authenticatione fieri mandavimus, mandantes praeterea, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus in quolibet festo dictorum Sanctorum et Sanctarum in praedicta ecclesia conventus S. Nicolai, reliquiae ipsae a populo omni devotione venerentur, quemadmodum Sanctorum, et Sanctarum reliquiae vene-

» rantur. Omnibus denique utriusque sexus christifidelibus, eas in quo-
» libet die eorum festorum, ac etiam in festo S. Nicolai Episcopi,
» quod celebratur sexto Decembris, ecclesiam praedictam devote visi-
» tantibus, et dictas reliquias venerantibus, quadraginta dies indulgen-
» tiarum, auctoritate nostra ordinaria, harum serie concedentes. Ad
» cujus rei perpetuam memoriam, omniumque et singulorum fidem
» et testimonium praemissorum, has praesentes testimoniales litteras fieri
» jussimus, nostra propria manu subscriptas, et sigillo, quo in talibus
» utimur, in pede munitas et roboratas.

» Datum Agrigenti in episcopali palatio nostrae solitae residentiae
» die XXIX. Decembris MDLXXXIII. indictione secunda.

» Antonius Episcopus Agrigentinus.

» loco ✠ sigilli

» De mandato suae Illustr. et Rev. Dominationis
» Augustinus Galeonus Pro-secretarius.
» Franciscus de Crispo Pro-notarius. »

LXIII. Carolus Montilius Viterbiensis episcopus consecravit ecclesiam conventualium S. Mariae de Plano conventus Barbarani. Extat inscriptio posita prope majus altare: *Carolus Montilius Casalensis Archiepiscopus Melphitensis, Episcopus Viterbiensis Templum hoc Deiparae consecravit MDLXXXIII. x. calendas Februarii. Gregorio XIII. Pont. M.* Infra octavam Corporis Christi Joannes Demetrius Salicovius archiepiscopus Leopoliensis consecravit sacellum lateritium extructum a Sophia tertii ordinis sorore in ecclesia monasterii ejusdem instituti in suburbio civitatis; Maturinus de la Saussaye episcopus Aurelianensis die II. Augusti ecclesiam capucinorum ejusdem civitatis, piorum eleemosynis aedificatam; Joannes Gaspar Nubeck episcopus Viennensis die II. Augusti majus altare una cum ecclesia sanctimonialium clarissarum ad Reginam monasterii Viennensis.

Carolus Saussaye ann. eccles. Aurelian. pag. 667. Greiderer tom. 1. lib. 3 num. 207. pag. 398.

LXIV. In ecclesia S. Petri ad Janiculum in sacello Antonii cardinalis de Monte sepelitur Fulvius Corneus Portuensis episcopus, S. R. E. cardinalis Petramellarius, ubi in pyramide marmorea haec legitur inscriptio.

D. O. M.

FVLVIVS . CORNEVS . EPISCOPVS . PORTVENSIS . CARDINALIS .
PERVSINVS . HOC . AB . ANTONIO . CARD. DE . MONTE . ERECTVM .
ET. A . JVLIO . III . PONT . MAX . AVVNCVLO . SVO . EXORNATVM .
IN . SVI . CORPORIS . SEPVLTVRAM . ELIGENS . ANNVO . PERPETVO .
REDDITV . PRO . ORNAMENTIS . ALTARI . SVBMINISTRANDIS . DVOBVSQ .
ANNIVERSARIIS . PRO SVA . ET . EJVSDEM . ANTONII . DE . MONTE .
ANIMA . CELEBRANDIS . LOCVPLETAVIT . OBIIT . DIE . II . MARTII .
MDLXXXIII . AETATIS . SVAE . ANNO . LXVI .

LXV. Duo litterarum insignes cultores e vivis excesserunt hoc anno ex pp. conventualium coetu. Augustinus Righinus, qui, ut inquit Rodulphus, *vixit ut alter Xenophilus Pytagorichus commoda corporis valetudine.* Gemina de eo vulgata incisaque sunt monumenta in ara maxima ecclesiae S. Francisci Ferrariae, quae subjicimus. Utraque tamen artificum incuria mendis scatet; nam alterum posuere sodales non an. MDLXXIV. quia adhuc superstes erat, sed an. MDLXXXIV; postremum, quia aetatis suae anno LXXXIV. non vero XCIV. vitam evasit.

Rodulphus p. 310.

Digitized by Google

In cornu evangelii

D. O. M.

F. AUGUSTINO RIGHINIO FERRARIENSI

ATRI OPT. ET THEOLOGO PRAESTANT. QUOD ANNOS VIX DECEM NATUS, RELIGIONI DICATUS, EAM ANN. AMPLIUS LXXIIII. CONTINENTI LABORE, VERBO, EXEMPLO, ET OPERE MIRIFICE HONESTARIT QUOD PROPE ANNOS XXXX. VERBUM DEI PER UNIVERSAM ITALIAM MIRABILI ET MEMORABILI FOELICITATE AC FRUCTU DISPENSAVERIT. QUOD PRUDENTIA, DEXTERITATEQ. AGENDI JUVENIS ADMODUM AD REGIMINA ORDINIS EVOCATUS, ET CONVENTUS INSIGNIORES, ET INTEGRAM PROVINCIAM BONONIAE, ET TOTIUS ORDINIS NEGOCIA SAPIENTISS. ADMINISTRAVERIT CONFECERITQ. QUOD IN PATRIAM TANDEM REVERSUS, ANNOS JAM SUPRA XXX. ET SERENISS. PPR. NOSTRIS HERCULI PATRI ET ALPHONSO FILIO PERPETUA FIDE ET CHARITATE INSERVIERIT, UNIVERSAE HUIC CIVITATI PAUPERIBUS PRAESERTIM ET AFFLICTIS SOLATIO INCREDIBILI FUERIT AC ADJUMENTO; DOMUM VERO HANC SERAPHICAM SUPRA MODUM EXTULERIT. QUOD EJUS DUCTU AC VIGILAN. AC PIETA. SACELLUM HOC MAGNUM A FUNDAMENTIS PROPE EXCITATUM SIT NONESTISS. DOTE LOCUPLETATUM, ALTARE CUM SPECIOSISS. ICONE CHRISTO DOMINO ASCENDENTI ERECTUM DICATUMQ. REDILIA UTRINQ DISPOSITA, PRECIOSAE AD SACRA VESTES ADHIBITAE, CHORUS INSUPER ET STRUCTURA LAPIDEA ET SEDIBUS LIGNEIS ADJECT. INSTRUCT. Q. TEMPLUM HOC AUGUSTISS. FORNICIBUS ET ARCUBUS ABSOLUTUM, MACHINA IPSA TOTA TERRAEMOTU QUASSATA, AETERNA QUADAM COMPAGE FIRMATA, ORGANA TANDEM EODEM IMPETU UISSIPATA, IN MELIOREM SUAVIOREMQ. HARMONIAM INSTAURATA SINT. PATRES ET FRATRES HUJUS SODALITII COMMUNI PIETATE ET OBSERVANTIA MONUM. HOC VIRTUTIS ET GRATITUDINIS ERGO PP. ANNO DOMINI M. D. LXX(X)IIII.

In cornu epistolae

HIC ILLE IDEM PATER INTEGERRIMUS RIGHINUS, QUEM EX LAPIDE E REGIONE POSITO TOT ET TANTA IN HUJUS TEMPLI AC COENOBII TOTIUSQUE SODALITII TUTELAM ET UECUS GESSISSE COGNOSCIS: HUJUS ETIAM SACELLI ADITUM MARMOREIS COLUMELLIS OBSEPSIT, ARAE MAJORI ICONES SPECIOSISS. SEPULTURAE RESURECTIONIS DOMINICAE ADJUNXIT, SACRARIUM VESTIARIO ARMARIO PULCHERRIMO INSTRUXIT, HANC IPSAM AEDEM A REVERENDISSIMO HUJUS CIVITATIS EPISCOPO PAULO LEONIO PATAVINO CONSECRANDAM CURAVIT. TANDEM SENIO POTIUS QUAM MORBO CONFECTUS, MENTE TAMEN VEGETA ATQUE ACRI, RELIGIONIS CHRISTIANAE ET FRANCISCANAE PROFESSIONIS NEQUAQUAM OBLITUS, SPIRITUM DEO OPT. MAX. PROMPTISS. REDDIDIT DIE XXV. SEPTEMB. ANNO SALUTIS M. D. LXXXIII. AETATIS VERO SUAE LXXX(X)IIII. MINISTRO SUPREMAE VOLUNTATIS EXECUTORE R. PATRE MRO JO. BAPTISTA LUGARESIO LUGIENSI, SERENISSIMO DUCE ALPHONSO II. IMPERANTE, CUI ETIAM DUM VIXIT CARISS. EXTITIT.

In medio presbyterii

P. M AUGUSTINI RIGHINI
OSSA HIC JACENT
NE PRIMO NIMIUM SCABRO
AMOTO LAPIDE SARCOPHAGI
PERIRET MEMORIA
PP. POSUERE ANNO 1772.

Digitized by Google

LXVI. Plura scripsit. *Sermones de adventu Domini ad feriam Paschatis tertiam, stylo medio inter scholasticos et scripturales* publici juris fecit Venetiis typis Horatii Gobbi. Aloisius Finardus ejusdem instituti addidit tractatum *contra asserentes malos Sacerdotes non posse administrare sacramenta*. Incipit: *contra illos inimicos S. Ecclesiae.* Anno MDLXXIV. ipsemet auctor Patavii per Laurentium Pasquatum vulgavit *sermones quadragesimales*, nuncupavitque Aloisio cardinali Atestino, cui erat a sacris confessionibus. In hujusmodi sermonibus, juxta Franchinum, sibi haec argumenta auditoribus explananda proposuit, nimirum *de indulgentiis, de numero salvandorum, de suffragiis mortuorum, de peccato, de judicio temerario etc.* Octogenarius scripsit tractatum *de Terraemotu* incipientem: *magna est, et admiranda* an. MDLXXI. Mutinae vulgatum in fine libri Jacobi Antonii Boni Medici *de terraemotu Ferrariensi* anni MDLXX., in quo tractatu, sive dialogo unus ex interlocutoribus, Righinus theologi partes expendit. Claruit etiam poesi; nam in sermone feriae VI. in Parasceven de passione Domini extant ejus versus latini. Alexander Sardus in epistola ad Peregrinum Riccardum libro suo praefixa de Christi Domini humanitate eumdem appellat *senem optimum, et omni doctrina et elegantia ornatissimum.*

LXVII. Desiderium sui reliquit etiam hoc anno die XVII. Januarii Clemens Thomasinus Florentinus s. theologiae magister, ac divini verbi eximius praeco. *Benoffi pag. 262.* In concilio Tridentino sermonem ad Patres habuit calendis novembris an. MDXLVI. in aede s. Vigilii. Licet pluribus distentus curis, nimirum publicus lector in gymnasio Florentino, inquisitor contra haereticam pravitatem, et suae provinciae magister scripsit tamen *lucubrationes in totum corpus philosophiae, explicationes in totam theologiam, conciones quadragesimales per auctoritates S. Pauli* lingua hetrusca, *opusculum de vitiis capitalibus, de indulgentiis*, aliaqua doctissima opuscula. *Sbaralea in suppl. lit. C.* Servabantur MSS. apud Bonaventuram Cinellum.

LXVIII. Floruit ex observantium familia Thomas Bouchier Anglus, doctor Sorbonicus. Diu propter catholicae fidei defensionem e patria exulatum abiit, diuque Romae diversatus, poenitentiarius Lateranensis renunciatus est. Parisiis anno MDLXXXII. vulgavit *orationem doctissimam et efficacissimam ad Franciscum Gonzagam totius ordinis ministrum generalem pro pace et disciplina regulari magni conventus Parisiensis instituenda.* Scripsit Parisiis *Tractatum de judicio religiosorum, in quo demonstratur, quod a saecularibus judicari non debeant.* Ingolstadii hoc anno, Parisiis an. MDLXXXVI. prodiit *Historia ecclesiastica de martyrio fratrum ordinis S. Francisci dictorum de observantia, qui partim in Anglia sub Henrico VIII. partim in Belgio sub principe Auriaco, partim in Hibernia tempore Elisabethae regnantis reginae, idque ab anno MDXXXVI. usque ad annum MDLXXXII. passi sunt.* Quod opus anno MDLXXXIV. germanico stylo exhibuit Valentinus Triccius ejusdem instituti. Faustinus Tassus Venetus, alias *Aeneas Jason*, quo forsan nomine in saeculo vocabatur, sub quo, teste Waddingo, *Wadding. de scriptor. lit. Æ.* scripsit *commentaria in novum Testamentum*. Ab ineunte aetate vividi sui ingenii praebuit indicia, carminibus amatoriis, quibus plurimum delectabatur, materno idiomate editis. Observantium institutum ingressus, ea damnans, alium peperit omni pietate refertum libellum

carminum spiritualium ab eo an. MDLXXI. Taurini vulgatum; italico metro explicuit *orationem Jeremiae Prophetae*. Genuae et Taurini summa cum laude divinas litteras interpretatus est. Sibi eum aliquando in concionatorem elegit Philibertus Sabaudiae Dux. *Sermones de B. Maria Virgine* habiti Venetiis, hoc anno ibidem vulgavit duobus tomis Joannis Baptistae Somaschi praelo; *Sermones xx. familiares de adventu Missiae et de SS. Trinitate* an. MDLXXV. Neapoli habiti, prodierunt Venetiis an. MDLXXXV. typis Joannis Antonii Rampezzetti; *Historiam rerum inter catholicos et haereticos gestarum* ab an. MDLXVI. usque ad an. MDLXX. perductam vulgavit hoc anno Venetiis Guerrae praelis. Iisdem typis cum eruditissima *expositione orationis dominicae, tractatum de oratione mentali, et vocali, de eleemosyna, de peccatorum conversione, de veritate Purgatorii* italico sermone edidit an. MDLXXVIII. Summam laudem assequutus est in funebri oratione prolata Pragae in Boemia *in Ferdinandi Imperatoris obitu*, ac in altera Novariae *in morte Marchionis Montis Gribelli*.

Apostolo Zeno memorie istoriche della famiglia Davila p. XII. n. r. Venezia 1733.

LXIX. Minorum observantium instituto adscriptus est hoc anno Ferdinandus Davila, Francisci assumpto nomine, filius Antonii Magni comestabilis in regno Cypri, germanus celeberrimi inter Italos historicos Henrici Catharini Davila. Patavii operam dedit jurisprudentiae, ubi anno MDLXXX. ea in facultate syndici munus obivit. Fuit egregius ecclesiasticus, pleraque volumina edidit. A Clemente VIII. primum episcopus Rethimensis in Creta renunciatus, biennio post ab eodem Pontifice translatus fuit ad Asculanam ecclesiam in Apulia, quam spatio annorum xxv. prudentissime rexit.

Greiderer tom. 1. lib. 2. n. 451. p. 238.

Daniel Farlati Illiricum Sacr. tom. 4. p. 136.

LXX. Potitus est episcopalem dignitatem hoc, non anno insequenti juxta Greiderer, die XVI. Julii ecclesiae *Segniensis* in provincia Spalatensi Michael Piperkovich Dalmata, patria Cetensis, per obitum Georgii ultimi illius urbis episcopi, ad nominationem Rodulphi Imperatoris, et Hungariae Regis. Ea in dignitate constitutus, cum S. Viti urbanam ecclesiam visitaret, et aliquot subsella mulieribus ac viris antiquitus assignata, per suos clericos efferri, et alio asportari jussisset, cives reclamantes et nolentes, inter solemne missae sacrificium anathemate et interdicto eos perculit. Ex hoc indignati Segnienses ad Rodulphum Imperatorem supplicem epistolam querelarum plenam dederunt, quatenus et subsella suo loco restituerentur, ac anathema contra jus et fas inflictum revocare dignaretur. Quid hac in re egerit Rodulphus penitus se ignorare fatetur et Daniel Farlati, a quo facti memoriam exscripsimus.

Idem ibid. p. 28.

LXXI. Die VIII. Augusti Andreas Cernota patria Arbensis praefectus est episcopus ecclesiae *Scardonensis* in eadem Dalmatiae provincia, vir religione et virtute clarissimus, doctrina et praedicatione famosus, cui sub eadem die collata ei etiam fuit coadjutoria ecclesiae Arbensis cum annua pensione tercentum ducatorum eidem assignata ab Arbensibus ipsis: *Personam tuam* VI. idus Augusti. Sunt litterae optimatum Arbensium comiti Julio Savorgnano Gregorii XIII. P. camerario scriptae, quibus ab anno MDLXXIX. ipse expetebatur in coadjutorem Blasii episcopi illius civitatis, senectute confecti.

Noi Gabriele Cernotta Giudice, e Martino Nimira Dottore di leggi Sindaco, agenti della magnifica comunità di Arbe col tenore delle

Digitized by Google

presenti nostre facciamo ampia fede e publico testimonio, qualmente ritrovandosi al presente il Rmo Monsig. Biasio Sidineo Vescovo di questa città per la sua senile etade, e per la continoa indisposizione ch' Egli patisce, inhabile et impotente affatto al governo di queste vescovato, et alla cura di queste anime, come da tuttociò l'Illmo Monsig. Ves. di Verona, già Visitatore apostolico ne è benissimo informato. Considerando Noi, che non provedendo la Santità di N. S. presto di un coadjutore et governatore a detta Chiesa, quale con santa vita, esemplar, et ottimo governo abbi a pascere questo povero gregge, il culto divino in detta città nostra ogn' hora più si andrà scemando, però unanimi, et conformi per il carico dell'officio publico che tenimo, habbiamo dato autorità, et così col tenore delle presenti damo et concedemo al magnif. et illustre Sig. Conte Giulio Savorgnano Camerier secreto de Sua Santità, acciò a nome di noi rappresentanti tutta la comunità nostra habbi a supplicare alli santissimi piedi di Sua Beatitudine che a onor del sommo Iddio, et a consolazione di questa devotissima Città si degni provedere di uno coadjutore al detto Vescovato, qual se bene è di rendita solamente di cento ducati di camera desideramo per nostra universal sodisfatione si degni Sua Santità elegger il Reverendo Padre frate Andrea di Arbe del ordine di osservanti nostro compatriote, religioso di dottrina et vita esemplare, qual da ventiquatro anni et più così nelle parti di questa provincia di Dalmazia, come anco nelle principal città d'Italia si è affaticato a predicare il verbo di Dio, essendo noi sicuri, che sotto la cura et governo di così buon pastore tutto questo devotissimo popolo s'incaminerà di bene in meglio nella via della salute a honor et gloria di sua divina maestà, la qual pregamo et pregaremo continoamente per il felice state della S. Chiesa, vita lunga e salute di S. Beatitudine, et in fede della verità habbiamo fatto per le presenti per il Cancell. nostro, sottoscritto di nostra mano et sigillate col solito sigillo di S. Marco.

Di Arbe alli 25. Novembre 1579.

Gabriel Cernotta Giudice con man propria

Martino Nimira Dottor Sindaco

Hieronymus. Nimireus Cancellarius magnificae Communitatis Arbi m. scrips. ac sigillavit.

LXXII. Adlectum fuisse die xi. Maii ob eximiam sui eruditionem in episcopum ecclesiae Agathensis in Gallia Narbonensi post Aimerici mortem Bernardum de Puy, sive de Podio tradunt Samarthani in Gallia Christiana. Idipsum scribit et Rodulphus. Ex collectione conciliorum cl. Harduini novimus ipsum acta Narbonensis Synodi subscripsisse anno MDCIX. P. Petrus Antonius de Venetia in catalogo episcoporum recenset Joannem de Gaudiis de observantium familia Angrensis ecclesiae antistitem. Generalis inquisitor pro tota provincia Dalmatiae die vii. institutus est magister Joannes Dorisaeus a Sebenico; eademque die pro Spalatensi ditione magister Valencas de Pirano; pro Sinensi districtu Antonius Guerreschi de Proceno. Magister Gabriel Castagna deputatur a Pontifice pro visitatione domorum conventualium in Galliarum regno: *Exposuit* die xv. Junii.

Gallia Christiana t. 6. column. 699. Rodulphus p. 235. a tergo.

Ex archiv. ss. xii. Apost. de Urbe L. mss. hujus anni.

53*

Digitized by Google

Ann. min. ad an. 1574. num. 62.

LXXIII. Cum ab anno MDLXXIV. inter *frabricerios* et fratres coenobii S. Mariae Gratiarum oppidi Varalli dioecesis Vercelleusis circa oblationum multitudinem a fidelibus sacro loco, ubi simulacra passionis Jesu Christi ad vivum repraesentantur largitam, aliquot dissidia orta essent, contendentibus fratribus sibi deberi liberam omnium administrationem, fabricaeque ornatum, ut iis jurgiis finis imponeretur, totius rei judicium hoc, non vero anno MDLXXX. ut scribit Balthassar Oltrocchi, commisit Pontifex S. Carolo Borromaeo Mediolanensi archiepiscopo: *Intelleximus* die XXVII. Octobris. Quibus acceptis jussit ad se mitti quamprimum controversiae capita, ut eam dirimeret. Verum eo e vivis anno insequenti erepto, controversia absoluta non fuit, nisi ad annum MDLXXXVII. Sixto V. Pontifice sedente in apostolico throno.

Oltrocchi in nota subjecta colum. 376. vitae S. Caroli.

Flaminius de Parma monum. hist. prov. Bononiensis tom. 2. in conv. Meldulae.

LXXIV. Hyppolita de Rubeis ex comitibus de Rossi S. Secundi, vidua Leonelli Pii, qui pro excitando fratrum observantium coenobio in provincia Bononiensi in oppido Meldulae titulo S. Rochi, praeter paramenta aurea, alba, calices ex testamento reliquit mille julios bononienses numeratae pecuniae, aliosque exigendos ex venditione frumenti, et ex haeredibus Joannis Algardi Carpensis, plurimum liberalem se praestitit erga eamdem ecclesiam. Nam ut in ea alia duo oratoria erigerentur, praedium fratribus contulit eidem ecclesiae contiguum, et sacellum, et altare SS. Conceptionis suis expensis eleganter instruxit, hisce appositis verbis: *Hippolita Rubea Pia* 1583. *Kal. Maii.*

Gonzaga pag. 611.

LXXV. Ingens miraculum a S. Didaco hoc anno patratum verbis exponimus Francisci Gonzaga. » Cum post generalis, inquit, Toletanae » congregationis celebrationem aliqua verba cum catholico Philippo Hispaniarum Rege Madriti de hujus Sancti canonizatione fecissem, illismet diebus, nempe 2. Augusti anno a Christo Servatore nato 1583. » mulier quaedam nomine Maria Perez, ex morte Joannis de Berruguilia vidua relicta, oppidique Daganzo Toletanae dioecesis incola, » quae dimidiam corporis partem emortuam omnino, gravique paralysi » oppressam habebat, et vix, contracta ex eodem morbo ejus lingua, loqui » poterat, sancti fratris sepulchrum per continuos novem dies, maxima » cum fiducia, orationisque perseverantia frequentavit: ac tandem die » ejusdem mensis Augusti 10. quae S. Laurentio sacra est, post gravem » somnum, quo ibidem correpta fuit, integram sospitatem, atque valetudinem consequuta est. Quod quidem singulari, atque maximo miraculo ab omnibus tributum extitit: quod scilicet Deus O. M. cum » multis retro diebus a patraudis merito hujus sancti mirabilibus cessasset, eo temporis, quo de ejus canonizatione agebatur, quasi vellet manifestissime ostendere, eam sibi fore gratissimam, tam insigne, » tamque celebre opus operari dignatus sit. Quod ut omni prorsus » suspitione careat, sufficientissime ac omni exceptione majoribus examinatis ea de re testibus, a generali vicario Complutensi mirabilibus » ejusdem beati fratris operibus adjunctum fuit ».

Ann. min. ad an. 1570. num. 36. Michael a Tugio in bullar. capuc. t. 3. pag. 16.

LXXVI. Corpus Hieronymi Pistoriensis, pontificiae expeditionis contra Turcas in spiritualibus Commissarii generalis hoc anno ex Insula Cretae, ubi decesserat, translatum fuit auctoritate pontificia in domum capucinorum Casertae. Translationis acta contexuit Anselmus de Petra Molaria ejus in munere successor, ipsiusque corporis conductor.

Digitized by Google

In Nomine Domini Jesu Christi. Amen.

« Anno MDLXX. ex quo verbum (caro) factum est, Rev. quondam P. « F. Hieronymus de Pistoja ordinis minorum venerandae congregatio- « nis fratrum capucinorum divini verbi praeco clarissimus, beatae vitae « felicisque memoriae Sanctissimi Domini nostri divina miseratione Pii « Papae V. vicem gerens in spiritualibus generalem in exercitu, tunc « contra Turcas sanctissimae fidei hostes expedito, post multas ac varias « calamitates plurimisque pro Christo exantlatis laboribus, tum in divini « verbi continua praedicatione, tum et in militibus tunc temporis pe- « ste laborantibus propria opera subveniendis, in manibus suorum so- « ciorum Sanctae Romanae Ecclesiae sacramentis omnibus prius devote « susceptis, fratres suos omnesque alios adstantes ad christianam fidem « fideliter servandam fortiterque tuendam christiano ac paterno monens « affectu, in Insula Cretae felicem accepit dormitionem. Cujus quidem « Rev. Patris praeclara magnaque merita, et dum viveret et post ejus « obitum aperte propriaque experientia cognoscens Illmus et Rmus Do- « minus Julius Antonius Santorius de civitate Casertae oriundus, divi- « na clementia Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis tit. S. « Bartholomaei in Insula, et ejusdem venerandae congregationis Prote- « ctor et Gubernator praeclarissimus atque dignissimus, ex sua mera « piaque benignitate erga praedictum Beatum Patrem ex praedicta In- « sula, ubi jam prius dormierat, in Italiam et proprie in praedictam « civitatem Casertae ejus benedicta ossa sive reliquias transportari cu- « ravit auctoritate apostolica anno Domini MDLXXXIII. per Reverendum « P. Fr. Anselmum de Petra Molaria prope Theanum ejusdem ordinis « ad hoc ab Ipso Illmo et Rmo Domino Cardinale commissarium de- « putatum et delegatum, motu quidem ad hoc pium opus tum ex sua « benignitate et devotione erga praedictum beatum Hieronymum, tum « et ne tanti Rev. Beatique Patris non pauca merita ibi nullo sciente, « celarentur, ac ut, sicut ipse Illmus et Rmus Cardinalis ejus viva « praesentia familiarique obsequio potitus ac laetatus fuit, ita civitas « Casertae ejus patria potiretur ac laetaretur reliquiis, meritis ac pa- « trocinio illius. Die igitur xx. mensis Martii ejusdem anni praedicta « veneranda ossa et veneranda Ecclesia Annuntiationis fratrum Carme- « litarum ejusdem civitatis Casertae, ad quam quidem ecclesiam prius « de Neapoli perducta fuerant per praedictum R. P. F. Anselmum, so- « lemni totius cleri omniumque religionum ac saecularium societatum « processione, virorum ac mulierum et vicinarum terrarum magna co- « mitante caterva, candelas accensas ferentibus omnibus, sumptibus « ipsius Illmi ac Rmi Cardinalis, per eumdem P. Anselmum commis- « sarium, necnon per alios plures et fere quinquaginta fratres capuci- « nos, eorumque aliquorum humeris loculo devote, et humiliter sub- « missis, psalmos continuo cantantes, ad locum S. Francisci ipsorum « capucinorum solemniter fuerunt translata, in hac plumbi capsula ex « mandato ipsius Illmi ac Rmi Domini Cardinalis post trium dierum « continuarum vigiliarum, et missarum solemnia celebrata, honorifice « recondita fuerunt ad futuram rei memoriam, praesentibus ipso R. P. « Anselmo commissario, ac duobus fratribus sociis ejus: qui quidem « ex Candia reliquias ipsas transportarunt per mare paribus et maris

« et Turcarum periculis miraculose evasis, ut ipse P. F. Anselmus et « socii testati sunt, per intercessionem ipsius B. P. Hieronymi. In quo- « rum praedictorum fidem etc.

« Datum in loco S. Francisci de Caserta die et anno praedictis.

Fr. Anselmus Commissarius ut supra.

LXXVII. Guilielmo cardinali Sirleto exorante, hoc anno concessit Pontifex, ut quotannis pridie idus Junii a Cortonensi clero celebraretur B. Guidonis confessoris translatio, quae olim die I. Maii ob capitis inventionem recolebatur, propriis secundi nocturni lectionibus assignatis. Concessionis autographum ponimus.

Acta SS. tom. 2. Junii pag. 601. *Nos Guilielmus Sirletus tituli S. Laurentii in Panisperna S. R. E. Presbyter Cardinalis fidem facimus et attestamur, S. D. N. Dominum Gregorium XIII. vivae vocis oraculo nobis facto concessisse et licentiam dedisse Episcopo et capitulo Cortonensi dicendi in choro et extra suprascriptum officium S. Guidonis Confessoris (lectiones nempe proprias secundi nocturni) ad formam Romani Breviarii redactum et reformatum, in festo ejusdem B. Guidonis tam in praedicta ecclesia, quam per totam dioecesim Cortonensem.*

Datum Romae in Palatio Apostolico loco nostrae residentiae IV. Kalendas Junii MDLXXXIII.

LXXVIII. Summus Pontifex definit controversias circa praecedentiam inter regulares mendicantes, et confraternitates laicorum saecularium: *Exposcit* die XXV. Julii; revocat indultum vivae vocis oraculo concessum fratribus coenobii S. Mariae Angelorum Asisii retinendi capsulam eleemosynarum a fidelibus oblatarum, jubetque servari suorum praedecessorum RR. Pontificum constitutiones super hac re editas: *Licet alias* die VIII. Novembris; jubet ut perpetuis futuris temporibus die XXVI. Julii cujuslibet anni celebretur festum S. Annae Matris Virginis Mariae: *Sancta Mater* IV. calendas Maii; ut adplicentur duo pia legata ad perficiendam fabricam monasterii monialium capucinarum Mediolanensium, relicta a quondam Perocardo de Persicis, ac Francisco Bernardini vulgo Franceschioi pro excitando pauperum virginum collegio, addita conditione, ut ibi reciperentur absque dote virgines, quae illic vitam regularem ducere cuperent: *Exponi nobis* die XV. Februarii; ut abbatissae ac priorissae monasteriorum monialium in Italia degentes ad triennium dumtaxat eligantur: *Exposcit debitum* die I. Januarii.

LXXIX. Indulget, ut Patres collegii Societatis Jesu Malacitensis in regno Granatensi possint satisfacere onus unius missae semel in anno pro defunctis familiae de Puebla eis, ab observantibus ad quos spectabat, tributum: *De pastoralis officii debito* die XV. Julii; ut diebus festivis captari possint pisces, redditusque ex venditione provenientes elargiantur pro instauratione ecclesiae et conventus S. Francisci Cajetae: *Cum sicut accepimus* die VIII. Martii; ut moniales S. Silvestri in Capite Urbis possit creare censum pro reparatione clausurae: *Exponi nobis* die XXVII. Februarii; ut Isabella de Cardona, quoad vixerit, abbatissae munere fungatur in monasterio S. Clarae de Petris Albis civitatis Barcinonensis: *Exponi nobis* die V. Augusti; ut ad aliud triennium eligi valeat Catharina Enriquez in abbatissam monasterii S. Mariae de Jesu civitatis Abulensis ab ipsamet fundati: *Cum sicut accepimus* die XXVII.

Septembris; ut in regnis Hispaniarum denis monialibus una ancilla deputetur, quae clausurae legibus adstricta sit: *Significasti nobis* die xxxi. Decembris; ut Catharina Enriquez professa in monasterio de Calavasanis ob valetudinem recuperandam transire possit ad monasterium S. Clarae civitatis Salamanticae patriae suae: *Exponi nobis* die vii. Septembris; ut Isabella Manrrique primogenita comitis del Condè, et comitissa de Paredes quater in anno ingredi possit monasterium monialium S. Clarae Calabazanos a suis fundatum: *Tua eximia fides* die xviii. Februarii; ut Victoria Farnesia de Ruere ducissa Urbini vidua quando et quoties sibi placuerit ingredi possit quodcumque coenobium capucinorum in statu Urbini consistens: *Tuae singularis fidei* die xv. Februarii; ut confratres confraternitatis Gonfalonis de Urbe possint in die festo Assumptionis B. Mariae Virginis alterum e vinculis eximere: *Cum alias* die xxvi. Julii.

LXXX. Pro animabus Purgatorii privilegiatum declaravit hoc anno Pontifex altare B. Mariae Angelorum in ecclesia S. Francisci minorum conventualium Syracusan. *Omnium saluti* iv. idus Junii; altare S. Jacobi in ecclesia S. Francisci de Fontechio confratrum minorum conventualium Aquilan. dioecesis: *Omnium saluti* x. calendas Junii; altare SS. Crucifixi in ecclesia S. Mariae de Consolatione oppidi de Utrera minorum observantium Hispalen. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Junii; altare Conceptionis in ecclesia parochiali terrae Albani Tricaricen. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Junii; altare B. Mariae Pietatis in ecclesia S. Francisci de observantia Tirasonen. *Omnium saluti* vi. cal. Junii; altare B. M. V. de pietate in ecclesia S. Francisci Tarraconen. *Omnium saluti* pridie idus Junii; altare S. Jacobi sito in sacello Antonii del Castillo ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi Villanovae de los Infantes Toletan. dioecesis: *Omnium saluti* v. calen. Junii; altare Conceptionis B. Mariae in ecclesia S. Mariae Gratiarum Nicoteren. fratrum minorum observantium: *Omnium saluti* pridie idus Junii; altare SS. Crucifixi in ecclesia S. Francisci observantium oppidi del Goinar Calaguritan. dioecesis: *Omnium saluti* v. idus Julii; altare S. Antonii de Padua in ecclesia Sancti Francisci de observantia Vercellen. *Omnium saluti* xv. cal. Augusti; altare B. Mariae de Monte Virginis in ecclesia Annuntiationis B. M. terrae Torelle conventualium Sancti Angeli Lombardor. dioecesis; *Omnium saluti* xv. cal. Augusti; altare S. Simonis in ecclesia S. Francisci conventualium terrae civitatis nuncupatae Licate Agrigentin. dioecesis: *Omnium saluti* iii. idus Novembris; altare Nativitatis B. Mariae in ecclesia S. Francisci conventualium terrae Agnonis Tridentin. dioecesis: *Omnium saluti* pridie nonas Novembris; altare S. Joannis Baptistae in ecclesia S. Mariae Angelorum fratrum tertiariorum Vicentin. *Omnium saluti* pridie cal. Novembris; altare S. Mariae de Guadalupe Hispanorum nuncupatae in ecclesia S. Mariae Angelorum observantium Panormitan. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Novembris; altare S. Mariae in ecclesia S. Francisci de observantia Gienan. *Omnium saluti* pridie calend. Novembris; altare S. Francisci in ecclesia S. Stephani de Portu minorum observantium dioecesis Gienen. *Omnium saluti* pridie nonas Novembris; in ecclesia S. Marise de Guadalupe minorum observantium Toletan. dioecesis: *Omnium sa-*

luti calend. Februarii; altare S. Honofrii in ecclesia S. Francisci conventualium Sanctae Agathae Gothorum: *Omnium saluti* XIII. calendas Martii; altare B. Mariae de Arançaçu fratrum minorum de observantia Calaguritan. dioecesis: *Omnium saluti* III. nonas Februarii; altare S. Francisci in ecclesia S. Mariae de infirmis capucinorum terrae Militelli Syracusan. dioecesis: *Omnium saluti* XI. calendas Januarii; altare Conceptionis in ecclesia S. Francisci observantium Placentin. provinciae Compostellan. *Omnium saluti* idibus Decembris; altare Conceptionis in ecclesia parochiali S. Petri oppidi de Prada terrae Confluentis Elnen. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Decembris; altare B. Mariae Gratiarum in ecclesia S. Francisci conventualium Bisacien. *Omnium saluti* III. calend. Decembris; altare SS. Crucifixi in ecclesia B. Mariae Angelorum loci de Elda minorum observantium dioecesis Oriolen. *Omnium saluti*, idibus Decembris; altare B. M. Gratiarum in ecclesia S. Francisci de observantia Petrae Sanctae Lucan. dioecesis: *Omnium saluti* V. calend. Decembris; altare Conceptionis in ecclesia S. Francisci conventualium Comen. *Omnium saluti* idibus Februarii; altare sacelli majoris in ecclesia S. Francisci observantium Civitatis Angelorum: *Omnium saluti* X. calend. Septembris; altare Assumptionis B. M. in ecclesia parochiali fratrum minorum observantium oppidi civitatis de Haxcala dioecesis civitatis Angelorum: *Omnium saluti* X. calend. Septembris; altare a guardiano domus minorum conventualium eligendum in ecclesia S. Francisci de Piscina Marsican. dioecesis: *Omnium saluti* XII. calendas Aprilis; altare S. Stephani in ecclesia S. Francisci conventualium terrae Loreti Pennen. dioecesis: *Omnium saluti* XII. calend. Aprilis; altare B. Mariae in ecclesia S. Francisci observantium oppidi Vici dioecesis Sagonen. *Omnium saluti* pridie idus Martii; altare Annuntiationis B. M. in ecclesia de Monte Sancti Pauli observantium Bononien. *Omnium saluti* idibus Martii; altare B. Mariae in ecclesia S. Bernardini minorum observantium oppidi de Herrera Burgen. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Martii; altare S. Francisci in parochiali ecclesia B. Mariae oppidi Salvaterrae provinciae de Alaba Calaguritan. dioecesis: *Omnium saluti* calend. Martii; altare Pietatis in ecclesia S. Francisci de observantia castri de Ordiales Burgen. dioecesis: *Omnium saluti* calendis Martii; altare S. Antonii de Padua in ecclesia S. Francisci observantium Oscen. *Omnium saluti* calendis Martii; altare S. Antonii de Padua in ecclesia S. Francisci oppidi seu loci de Bilbao minorum observantium dioecesis Calaguritan. *Omnium saluti* IV. cal. Martii; altare S. Crucis in ecclesia S. Francisci conventualium terrae Fabriani: *Omnium saluti* X. calend. Martii; altare SS. Crucifixi in ecclesia S. Mariae de Pace observantium Gennen. *Omnium saluti* VI. cal. Martii; altare Visitationis in ecclesia S. Mariae de Jesu ordinis minorum observantium Caven. *Omnium saluti* nonis Martii; altare SS. Crucifixi in ecclesia B. Mariae de Pinu observantium oppidi de Oliva Valentin. dioecesis *Omnium saluti* IX. calendas Martii; altare S. Francisci in ecclesia parochiali S. Petri oppidi de Tranga Illerden. dioecesis: *Omnium saluti* XII. calend. Februarii; altare oppidi de las Puentes de Heunue dioecesis Compostellan. *Omnium saluti* pridie idus Decembris; altare S. Michaelis Archangeli in ecclesia S. Mariae de Gratia observantium oppidi civitatis de Taverna Cata-

Digitized by Google

cen. dioecesis: *Omnium saluti* pridie nonas Decembris; altare S. Antonii de Padua in ecclesia tertiariorum conventualium SS. Cosmae et Damiani Regien. *Omnium saluti* pridie nonas Aprilis; altare S. Juliani in ecclesia S. Francisci observantium Majoricen. *Omnium saluti* x. calend. Maii; altare S. Francisci in ecclesia ejusdem nominis de observantia Barcinonen. *Omnium saluti* pridie calend. Maii; altare Conceptionis in ecclesia S. Francisci minorum observantium Biteten. *Omnium saluti* iv. nonas Maii; altare sacelli confraternitatis Conceptionis in ecclesia S. Francisci conventualium terrae S. Genesii Camerinen. dioecesis: *Omnium saluti* iii. idus Maii; altare B. Mariae in ecclesia ejusdem nominis loci Gradarae fratrum capucinorum Pisauren. dioecesis, precibus Victoriae Urbini ducissae: *Omnium saluti* iv. idus Maii; altare Conceptionis in ecclesia S. Bernardini observantium terrae Clarae dioecesis Brixien *Omnium saluti* pridie nonas Maii; altare S. Joannis Baptistae in ecclesia S. Francisci de observantia loci de Betensos Compostellan. dioecesis: *Omnium saluti* vii. idus Maii; altare S. Ubaldi in ecclesia S. Francisci observantium Eugubin. *Omnium saluti* calendis Maii; altare B. Mariae de Succursu in ecclesia S. Francisci de observantia Castellimaris: *Omnium saluti* x. calend. Junii; altare S. Catharinae in ecclesia S. Francisci ordinis minorum de observantia Civitatis Regum: *Omnium saluti* iii. nonas Junii; altare S. Mariae ad piscinam, et S. Jacobi Apostoli in ecclesia S. Francisci observantium Calaguritan. *Omnium saluti* idibus Junii; altare Conceptionis in parochiali ecclesia S. Antonii de Borgio Agrigentin. dioecesis: *Omnium saluti* iii. idus Octobris; altare a guardiano eligendum in ecclesia S. Mariae de Villaluin fratrum minorum excalceatorum Palentin. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Octobris: altare undecim millium Virginum in ecclesia S. Francisci de observantia oppidi de Alcala de Guadaira Hispalen. dioecesis: *Omnium saluti* x. calendas Septembris; altare familiae S. Felicis in ecclesia Corporis Christi S. Clarae nuncupatae Neapolitan. observantium: *Omnium saluti* iii. idus Augusti; altare Assumptionis in ecclesia S. Francisci fratrum minorum de observantia Soran. *Omnium saluti* iii. nonas Augusti; altare S. Antonii de Padua in ecclesia S. Francisci minorum conventualium Taurinen. *Omnium saluti* xiv. calend. Maii; altare SS. Crucifixi in ecclesia S. Mariae de Paradiso observantium Viterbien. *Omnium saluti* vii. calend. Aprilis; altare Visitationis in ecclesia S. Francisci terrae Orioli tertii ordinis Aglonen. dioecesis: *Omnium saluti* pridie calendas Aprilis; altare B. Mariae Gratiarum in ecclesia S. Mariae de Jesu observantium terrae Civitatis nuncupatae Syracusan. dioecesis: *Omnium saluti* iii. nonas Aprilis; altare S. Ursulae in ecclesia S. Francisci loci Campli conventualium dioecesis Aprutin. *Omnium saluti* idibus Aprilis.

LXXXI. Indulgentiarum munere ditat et hoc anno quaedam sacra Montis Alverniae loca, precibus Gabrielis cardinalis Paelotti metropolitanae Bononiensis ecclesiae antistitis: *Sacra Montis Alverniae* die xxii. Januarii; supprimit in ecclesia S. Francisci de Tagliacotio confraternitatem SS. Rosarii, et erigit ejus loco alteram titulo Immaculatae Conceptionis Deiparae, sodalibusque indulgentias Conceptionis largitur: *Pastoralis officii* v. calendas Februarii; erigit confraternitatem Conceptionis in minori ecclesia S. Annae conventus Posnauiensis. Alia diplomata ac- *Monument. prov. pag. 16.*

cedunt; pro fraternitate de quinque plagis Christi de **Guimaraeas**: ***Gloriosi principis*** nonis Julii; pro Camilla abbatissa **clarissarum Taurinen.** ***Inter solicitudines*** die x. Julii; pro monasterio **clarissarum S. Geminiani Narniensis**: ***Ex injuncto nobis*** idibus Augusti; **pro infirmaria B. Mariae de la Nova Neapolitan.** ***His quae pro*** v. **calendas Maii**; beneficium **pro monialibus** S. Clarae Tarvisin. ***Dignum*** v. **calend. Maii; pro venditione cujusdam praedii** conventus Montanarii **Capuae**: ***His, quae pro*** **v. calend. Aprilis**; pro sacello Conceptionis Cussoenani **civitatis Castellanae**: ***Ex commisso nobis*** calendis Januarii; pro capellania **Conceptionis** in claustris novis ecclesiae Vicentinae: *Vitae et morum* v. **calendas Maii**; pro altare et sacello Conceptionis **in ecclesia S. Joannis Lucan.** ***Apostolicae Sedis*** pridie nonas Martii.

ARGUMENTUM

Catholici Regis placito mittuntur minoritae in Brasiliam. Erigitur custodia S. Francisci de Malaca, et custodia Portuensis conventualium in Portugalliae regno extinguitur. Martinus Ignatius de Loyola facultatem obtinet a Pontifice praedicandi evangelium in ditionibus regni Sinensium, Cochincinae, et Camboyae. Bartholomaeus Ruizius mira operatur in civitate Siami. Fundantur coenobia. Instituuntur episcopi, et inquisitores. Conventuales et capucini habent generale capitulum. Decedit Franciscus Horantius episcopus Ovetensis, et Carolus Borromaeus cardinalis archiepiscopus Mediolanensis antea ordinis patronus. Notantur martyres. Abeunt ad Dominum religiosi ac virgines. Plura jubet, et indulget Pontifex. Moritur Gregorius XIII.

I. Jactatis, fr. Henrici Conymbricensis labore, religionis christianae seminibus in Brasilia, ubi anno MD. omnium primus, Petro Alvaro Caprali classium praefecto, cum aliis franciscanis septem se contulerat, vexillum crucis erexerat, sanctissimumque Missae sacrificium celebraverat, consilium subinde ceperunt alii minoritae observantes gentem illam idolorum superstitioni addictam, catholicae fidei mysteriis imbuendi. Licet id forti magis animo, quam prospero eventu tentassent, quamplurimos tamen ad ecclesiae gremium adduxere, Christique religionem effuso sanguine confirmaverunt. Hinc cum hi christifideles franciscanorum auxilio essent destituti, crebro postularunt, ut aliquot ex eis mitterentur. Verum ingruentibus quibusdam difficultatibus, res dilata est usque ad praesens. Nam instante apud Philippum regem Georgio Alburquerquio Phernambuci praefecto, eo destinati sunt a generali ministro sex sanctitate et doctrina praestantes, eorumdem ac novae custodiae titulo S. Antonii praeside constituto Melchiore a S. Catharina, apud Lusitanos provinciae S. Antonii diffinitore, dissertissimoque ecclesiastico, his datis patentalibus litteris.

Ann. min. ad an. 1500. num. 10.

Ann. min. ad an. 1580. num. 50.

Fr. Franciscus Gonzaga generalis seraphicae religionis franciscanae minister praedilecto in Christo ac venerando patri fr. Melchiori a S. Catharina ejusdem ordinis, et provinciae S. Antonii de Portugallia, confessori et praedicatori salutem in Domino.

Cum ex charitatis vinculo omnibus praecipue vero iis, quorum salus periclitatur, astricti noscamur, teque virum virtute insiguem, experientia maturum, atque salvandarum animarum zelo praeditum noverimus, consultum fore duximus, si te ad Brasilem patriam ab idololatris majori ex parte inhabitatam destinaremus. Accedit et his divini cultus propagatio, qui nobis a teneris unguiculis commendatissimus est, et urgens serenissimi catholicique Philippi ejus nominis II. Hispaniarum Regis mandatum, et instantissima christifidelium Phernambucum, Brasilis provinciam inhabitantium, atque eorum praefecti, strenui videlicet militis Georgii Alburquerquii petitio. Quamobrem tenore praesentium, te in custodem atque legitimum nostrum commis-

Gonzaga p. 1360.

sarium cum potestatis plenitudine in utroque foro instituimus, quatenus illis in partibus, in quibus tibi necessum fore videbitur, et conventus erigere, et novitios bonae expectationis fratres ad ordinem recipere possis. Praeterea venerandum patrem fr. Franciscum a S. Bonaventura praefatae S. Antonii provinciae alumnum tibi in socium assignamus, damusque, ut alios quatuor fratres religione probatos, quatenus omnes simul senarium numerum perficiatis, tecum assumere possis: insuper et concedimus, ut alios sex, ex aliis tamen provinciis assumendos, illis adjungere valeas. Quibus denique omnibus in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis majoris latae sententiae poena, aliisque poenis nostro arbitrio inferendis praecipimus, ut tibi in omnibus his, quae nec eorum saluti, nec communi regulae adversa fuerint, humiliter pareant, obediantque: volentes nihilominus, ut si forte fortuna te ex hac vita migrare contigerit, tibi praefatus pater fr. Franciscus a S. Bonaventura in hujusmodi custodiatus atque commissariatus munere succedat: insuper et statuentes, ut hujusmodi custodia de novo a me erecta nomine S. Antonii de Brasile in posterum appelletur, subjectaque sit provinciae S. Antonii de qua supra. Praeterea ut omnia ordinate fiant, omnibusque difficultatibus in tempore occurratur, volumus et statuimus ut is minister, qui ad praefatae S. Antonii provinciae clavum impraesentiarum sedet, vel in posterum sederit, sedulam diligentemque neophitae hujus custodiae curam habeat, illique pro viribus faveat, ac tandem provincialibus in comitiis idoneo de custode opportune provideat, inhibentes interim, ne praefatus minister, neve alius quicumque ille fuerit, dummodo nobis subjaceat, idque sub excommunicationis majoris poena ipso facto incurrenda his nostris patentibus litteris directe vel indirecte contraire, vel eas alio modo, quam sonant, interpretari, vel exponere praesumat. Iisdem omnino poenis subjaceat, quicumque earumdem litterarum executionem impedire attentaverit. Ceterum, ut quod a nobis consulto cautum est, id effectum sortiatur, utque mercede non careat, tibi ad salutaris obedientiae meritum, atque in Spiritus Sancti virtute praecipimus, quatenus his nostris litteris ex tempore obedias, easque juxta regulae nostrae vitorem et exigentiam executioni mandare satagas. Poteris tamen quoscumque fratres nostros ad te divertentes, ex quacumque provincia illi fuerint, dummodo tibi usui esse possint, recipere eosque retinere, atque per loca distribuere.

Datis Ulyssiponensi in nostro S. Francisci conventu XIII. mensis Martii anno Domini MDLXXXIV.

L.✠S. Fr. Franciscus Gonzaga generalis minister.

II. Insuper datum fuit etiam a Philippo rege ad Georgium Alburquerquium Phernambuci praefectum regium diploma ut fratribus omne auxilium conferret, eisque in tanto religionis negotio opportune provideret, cujus tenor est.

Notum facio ego Rex vobis praefecto Brasilis, caeterisque ejusdem regionis judicibus, officialibus atque quibusvis aliis, praesertim vero Pernambucanae provinciae personis, ad quos ex munere spectat, quatenus meae voluntatis sit, omninoque desiderem, insuper et praeci-

piam, ut franciscanis fratribus (de quibus in supplicatione Georgii Alburquerquii Coecho Pernambucanae provinciae praefecti nobis facta mentio fit latior) omne auxilium, omnem favorem, ac omne denique patrocinium opportune, et ulla absque tergiversatione praestetis: ut tandem mandatum, cujus tenor ab harum tergo habetur (tenebant siquidem litterae generalis ministri posteriorem folii partem, anteriorem vero regium diploma) *sibi a suo generali ministro datum, executioni, quantocitius fieri possit, mandare valeant. Nam et divinus honos quem prae oculis semper habemus, et obsequium nobis debitum id exigunt. Praeterea volumus, ut hae litterae eamdem vim, ac si per nos ipsos factae, propriaque manu exaratae essent, prorsus obtineant, non obstante ordinatione secunda lib.* 20. *qua contrarium cavetur.*

Franciscus Numnesius de Paiua haec scripsit Ulyssiponis XXIX. *Maii* MDLXXXIV. *Praefatae patentes patris ministri generalis litterae ab istarum tergo scriptae sunt per Franciscum Numnesium de Paiua nostrae camerae Notarium: quibus adjectum est, quatenus nostro jussu, nostroque nomine praesentes litteras subsignaverit.*

Ii igitur navigio conscenso, Phernambuci sive Ollindae civitatem totius provinciae metropolim post tredecim mensium spatium, die XII. Aprilis anni MDLXXXV. feliciter applicuere. Inter communia gaudia illis exceptis, aliquandiu in Xenodochio eidem civitati contiguo hospitati sunt. Quae inibi peregerunt, Deo probante, suo loco ostendemus. Topographicam Brasilis descriptionem complexus est postremus annalium continuator. *Ann. min. ad an. 1568. num. 45.*

III. Initium accepit hoc eodem anno custodia S. Francisci de Malaca, cujus unicum coenobium titulo Matris Dei a sui fundatione subjectum extiterat custodiae S. Gregorii Insularum Philippinarum. Custodis munere Ulyssiponis die XIII. Martii insignitus est ab ipsomet generali ministro Didacus a Conceptione provinciae Arrabidorum alumnus. Hic simul cum XIII. fratribus Lusitanis assumptus est, Hispanis, Philippo II. jubente, ad illam custodiam inhabitandam exclusis; siquidem Malacana haec civitas non ad occidentales, sed ad orientales Indias Portugalliae regno subdita spectat. Statutum est interim, ut custodia haec, sicuti et caetera de novo per gyrum excitando coenobia, a S. Thomae custodia dependeret, legibusque provinciae ministri, commissariique Indiarum generalis moderaretur. Cautum est etiam, ut fratres Malacae degentes omni postposita mora propriam provinciam repeterent, Amacanaque custodia ab Hispanis fratribus perpetuo incoleretur. *Joan. Franc. de s. Antonio chron. prov. s. Gregorii. tom. 2. pag. 61.*

IV. Transactis temporibus cum ex Regum Portugalliae voluntate magnum S. Francisci conventualium Ulyssiponensis coenobium traditum fuisset observantibus, coacti sunt patres conventuales in civitate Portuensi novae provinciae, quam Portuensem appellarunt, primariam sedem constituere, brevi tamen tempore duraturam. Nam cum anno MDLXVIII. S. Pius V. edita constitutione: *Licet alias* die IV. Julii Henrico cardinali infanti apostolico legato demandasset, ut tum fratrum, tum clarissarum, tum de tertio ordine monialium ad conventualitatis privilegium viventium coenobia pleno jure ad purioris regulae observantiam redigeret, hinc, iis domibus reformatis, Portuensis etiam patrum conventualium provincia *Chronicon mss. prov. Portugalliae lib. 4. cap. 5.* *Ann. min. ad an. 1568. num. 39.*

penitus evanuit anno MDLXXVIII. sub Christophoro Portuensi ultimo ejusdem provinciae magistro. Quare ipsi per Portugalliae, et Algarbiae provinciarum conventus una cum observantibus sine nlla distinctione commixti, durissimam mutationem commodiori sub privilegiis vita, ad arctiorem tolerare cogebantur. Cum vero ulterius per Henrici cardinalis nimium studium, omnibus officiis, activa passivaque voce destituti fuissent, dissensiones, quotidianaeque querelae graves adeo in coenobiis multiplicabantur in dies, ut novem conventus in Portuensi districtu iterum eis assignari fuerit necesse. Unde denuo, non provincia, sed Portuensis custodia revixit. Minister generalis Gonzaga hoc anno eo veniens, praehabitu cum Philippo rege consilio, novae custodiae conventus, ac fratres in laudatis provinciis voluit iterum esse partitos, ea tamen lege, ut in qualibet illarum provinciarum, unum de suis antiquis conventualibus diffinitorem, aliosque guardianos, quandiu superessent, habere deberent; qua dulciori methodo sensim omne dissidium fuit plane compositum. Eorumdem coenobia, nimirum Ulyssiponense, Santainense, vulgo *Sancta Rena*, Cavellamense, Lamacense, vulgo *Lamego*, Eborense, Bojense, Extrmocense, Tamense, Portolatrense, ac insuper duo monialium loca, in provinciali comitio Ulyssipone habito, praeside eodem generali ministro, adjuncta sunt observantium provinciae Portugalliae, accessione quorum antiquam mox dignitatem obtinuit.

Emmanuel de Spe tom. 1. p. 412.

Gonzaga in prov. Portugalliae pag. 794.

Rodulphus p. 283.

V. Redierat hoc tempore ex urbe Roma, ad quam pro explendis apud Sanctam Sedem custodiae Insularum Philippinarum negotiis anno mox transacto accesserat una cum Mar Simeone episcopo Insulae Piperis Martinus Ignatius consanguineus S. Ignatii de Loyola Ulyssiponem, plnribus auctus facultatibus ac privilegiis a Pontifice illoque potissimum praedicandi evangelinm in Sinensium, quo jam adierat, Cochincinae, Camboyae regnis. Pontificium favorem Martino Ignatio Loyolensi concessum, hisce verbis expositum habemus.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecto filio Martino Ignatio ordinis fratrum minorum de observantia custodiae S. Gregorii Regno Chinae in Indiis professori.

Ex reg. secret. Brevium pag. 221.

Exposuisti nobis, quod cuperes in Regnum Chinae, a quo recedens ad Romanam Curiam te contulisti, cum nostra benedictione reverti, ibique verbum Dei, sicut alias fecisti, praedicare, et alia sacerdotis munera ad animarum salutem exequi. Quare nos ut pium hoc tuum propositum gratia tibi assistente divina valeas liberius adimplere, de apostolica benedictione prosequentes tibi, ac aliquot ejusdem ordinis religiosis, quos tibi socios asciveris, accedente tamen carissimi in Christo filii Philippi Hispaniarum Regis catholici consensu, ad praedictum Regnum Chinae redeundi, et ibidem S. Evangelium praedicandi, ac sacramenta ecclesiastica ministrandi, aliaque circa haec necessaria ad conversionem infidelium, et animarum salutem pertinentia faciendi et exercendi auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus. Praeterea tibi dictisque sociis tuis vere poenitentibus et confessis, ac SS. Eucharistiae sacramento die ingressus in praedictum regnum, nec non in cujuslibet vestrum mor-

iis articulo plenariam omnium peccatorum vestrorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino elargimur. Contrariis quibuscumque etc.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII. Decembris anno XIII.

Caesar Glorierius.

VI. Hinc labente mense Martio anni MDLXXXV. nacta Ulyssipone opportunitate, Malacam primum, deinde in Sinarum regnum cum sociis vel mense Septembri, vel Octobri pervenit; at non meliori, quam aliorum suorum sodalium exitu; peragravit tamen longe magis interiora regni, unice in Jesu Christi virtute. Illic post plurimos labores ac aerumnas cum sociis exantlatas, ad suos eodem anno regressus est. Nec tamen putandum, incassum istum indefessum filiorum S. Francisci cursum pro fide catholica ad Sinas deportanda, zelo ardentium seraphico, omnique fructu expertem fuisse. Nam ubi per occasionem licuit, etiam inter vincula carcerumve obscuritates Jesum Christum praedicarunt; nec inutilis fuit eorumdem vitae integritas, ac prae caeteris extrema paupertas, unde tandem post reseratum sacris praeconibus ingressum, etiam franciscani expetiti fuerunt. Interim vero ex crebris difficultatibus expectandam fore decreverunt manum Domini, qui seras ferreas obstinatorum Sinensium dissolveret, et ostium evangelii praedicationi aperiret.

VII. Praeterito anno notavimus, octo ex sodalibus franciscanis ad Cochincinae regnum vela solvisse, ac a Sinensium classe in Insula Aynan comprehensos, Amacaum deinde illatos. Exordiente hoc anno eo iterum rediit Bartholomaeus Ruiz una cum altero franciscano laico, ignoti nominis. Cum illuc perhumaniter exceptus fuisset a rege, senatu ac populo, indultum est ei Christi fidem disseminare, et in principe civitate Siami aedem et ecclesiam excitare; quod tam citissime peractum est, sumptibus mercatorum lusitanorum ibidem degentium. Miraculorum virtute, quibus Deus illum cumulatum voluit, quamplures infideles ad Christi fidem suscipiendam attraxit, prae caeteris vero sanitatum gratia; nam ad ipsum delati infirmi, sospitatem recuperabant, vix sacramentum Baptismatis ab eis enixe petitum, conferebat. Congruentem pluviam, aerisque serenitatem fusis ad Deum precibus crebro obtinuit; quo spectaculo exciti infideles, turmatim ad ipsum confluebant recipiendi gratia sacrum regenerationis lavacrum.

Joan. Franciscus de S. Antonio ibid. pag. 31.

VIII. Aliquot minoritae in Helvetia pro salute proximi insudabant hac tempestate. Inter observantes emicuere franciscus Paterna, qui operam suam pro acatholicis ex Sondrisio vulgo *Sondrio*, Vallis Tellinae civitate, extirpandis impendit. Franciscus Panigarola eidem labori in bonum ejusdem Vallis incubuit. Eisdem successerunt Constans Traona, Carolus Seraphinus de Grossupto, aliique. Inter capucinos S. Fidelis a Sigmaringa, et Illuminatus Rosengarth.

IX. In comitio Aurelianis die VIII. Julii celebrato sub ministro ac commissario Pictaviensis provinciae P. Haylaret, noviter institutus est Joannes Maigret praeses coenobii Oleronis, quinque plus minusve leucis dissiti a Rupella, quod haereticorum furore, praeter parietes, omnino fuerat eversum. Ea in insula omni ex parte ab Oceano cincta illud extruxerat nobilis vir dominus Pontensius. An vero firmam ibi statuerint sedem fratres, monumentorum defectu ignoramus. In haereticorum col-

Conventus Oleronis.

Ann. min. ad an. 1396. num. 5.

Digitized by Google

legium conversum est coenobium Rupellae; monasterium vero clarissarum S. Margaritae, catholicorum exercitiis relictum est.

X. In provincia S. Fidei an. MDLXV. initiata in comitiis Vallisoletanis, cujus coenobia absque ullo fundationis anno exhibet Michelesius, duo hoc tempore invenio sub septimo ejusdem provinciae ministro Francisco Guaviria, nimirum alterum titulo S. Francisci intra civitatem Occaniae dioecesis S. Marthae, ex diversis piorum civium eleemosynis erectum pro VI. fratribus; hoc sub se nullam doctrinalem domum habet; alterum sub eadem invocatione aedificatum in civitate Mariquitae, item liberalibus civium sumptibus. Incolitur ab VIII. fratribus, *quorum terni,* ut inquit Gonzaga, *Panchicos, vulgo Panches, indos in fide instructuri, christianamque doctrinam edocturi, totidem ecclesias apud eos erectas statis diebus petunt, inibique ea omnia, quae ad Parochos ex munere spectant, auctoritate Sedis Apostolicae exercent.* Hujusmodi parochiales ecclesiae, sive domus doctrinales sunt

Ann. min. ad an. 1569. num. 57.

Conventus Occaniae.

Conventus Mariquitae.

Gonzaga in prov. S. Fidei conv. 12.

1. Domus de Rioseco
2. De Sazaimas
3. De Nerbiti
4. S. Joseph de Ataco
5. De Purnio
6. De las Estancias
7. S. Joannis de Obo
8. S. Francisci de Iquira, et Nataga.

XI. In oppidulo S. Irenis supra Tagum ad orientem duabus leucis ab Ulyssipone, magna populi frequentia colebatur quaedam vetus aedicula sub invocatione Immaculatae Conceptionis Deiparae inter confertissima oliveta posita. Cum autem inibi eodem titulo erecta esset pia fidelium societas, excogitarunt confratres ejusdem virginis aediculam fratribus excalceatis provinciae Arrabidorum tradere, ibique pro eis coenobium erigere, ut religiosis precibus et exercitiis B. Virgo jugiter laudaretur. Die XIII. mensis Julii inter eos firmata concordia, mox unus de confratribus D. Antonius Castellobranco, vir patricius, regiis a consiliis, devotusque fratribus se obtulit ad aedis structuram suis expensis faciendam, sibi reservato patronatus jure. At morte praeventus, Petrus ejus filius opus perfecte consummavit pro incolatu XV. fratrum. Anno MDCLXXII. ex fidelium eleemosynis de novo fuit pene constructum, cura Dominici a Resurrectione illius provinciae ministri.

Convent. S. Irenis. *Monumen. provinciae.*

XII. Studio Joannis Baptistae Palma episcopi Lubrensis in provincia Neapolitanae, immissi sunt fratres observantes in ecclesiam B. Mariae de Lobra, olim episcopalem sedem. Civium expensis additum fuit coenobium, et ecclesia ferme collapsa in integrum restituta.

Convent. Lubrensis. *Ughellus t. 6. colum. 648.*

XIII. In suburbio Perae prope Constantinopolim hoc anno accessit fratribus observantibus domum cum ecclesia titulo S. Mariae de Drappe eis donatam a nobili matrona loci Clara Bariola, uxore quondam Nicolai de Draperii. Hoc eodem anno X. fratres misit Paulus Olivoli de Pisa commissarius Terrae Sanctae, ut christifidelibus, aliisve carceribus detentis solatio forent et adjumento. Voluit tamen haec mulier, ut fratres semel in anno in die Purificationis B. Mariae Virginis ei, et successoribus suis unam candelam cerae benedictae in perpetuum conferrent, et unum generale officium pro animabus defunctorum suorum peragerent. Summus Pontifex hanc donationem ratam habuit: *Cum sicut* die VIII. Martii. Tum Callipolis in freto Hellespontico, tum Palormi, sive Panormi christifidelium animabus curam et ipsi gerunt, teste Botero.

Conventus Perae. *Joannes Calorra in hist. provinciae Syriae, et Terrae Sanctae pag. 449. Gonzaga part. 1. pag. 3.*

Boterus part. 3. lib. 1. pag. 49.

XIV. Colleginm S. Bonaventnrae de Fera intra moenia civitatis Conymbricensis a Joanne III. Lusitaniae rege fundatum cum ad haec nsque tempora franciscanis tyronibus provinciarum Algarbiorum et Lusitaniae inserviret, generalis ministri decreto cautum fuit, ut eo mitterentur juvenes ex sola Algarbiorum provincia. Ne vero Lusitana suo destitueretur collegio, jussit idem generalis minister, ut alterum de novo erigeretur in eadem provincia. Hinc illud eodem anno posuerunt in coenobio S. Bonaventurae de Sophia intra muros ejusdem civitatis. Litteris in utroque incumbunt xxv. fratres. Alterum paullo post translatum fuit ad speciosam eminentemque aream prae foribus accademiae Conymbricensis.

Collegia Conymbricensia. Gonzaga in prov. Portugal. conv. 2. Monum. prov. Algarbiorum.

Ann. min. ad an. 1530. num. 27.

XV. Instituto altero fratrum collegio in oppido de Montibus dioecesis Cochinensis in custodia S. Thomae Indiae Orientalis magni imperii Mogholis, delectoque a Pontifice in rectoris munere Francisco a S. Maria, jubet custodi ac Hieronymo Gusman commissario generali Indiarum, ne inconsulto generali ordinis ministro eum ab officio removeat: *Justis, et gravibus causis* die xxix. Decembris.

Collegium de Montibus.

XVI. Licet fabrica conventus Dominae nostrae Carpenctoractis Pii V. Pontificis favore, atque eleemosynis episcopi Senonensis piorumque fidelium plurimum aucta esset, attamen ad perfectionis culmen nondum his temporibus perducta erat. Quare Gregorius XIII. ab eodem episcopo rogatus, ut bona relicta a quondam Claudio Brasson pro eadem aedificatione, a camera apostolica, ob ejusdem facinora, dein fisco addicta, loci guardiano traderet; petitis benigne annuit Pontifex data constitutione: *Exponi nobis* die v. Octobris. Hoc anno coenobium Dominae nostrae de Angelis Cellameae relictum ab excalceatis fratribus, occuparunt observantes provinciae S. Michaelis. Primus illuc advenit cum quatuor franciscanis Didacus a S. Petro insignis praedicator; at paullo post dejecta priori fabrica, nobilem incoepit perfecitque xxv. annorum spatio P. Joseph a S. Maria, juxta lapidem inscriptum idiomate hispanico in claustro incisum: *Inchoavit hoc coenobium P. F. Joseph a S. Maria an. 1591. absolvit anno 1616. totumque opus consumatum est fidelium eleemosynis.* Praecipuus tamen extitit fabricae benefactor Garcias de Rebles Salazarins Alcantarensis militiae thesaurarius, cni concessum fuit ad latus evangelii pnlchrum sacellnm, sibi suisque posteris tumulandis. Catharinae de Mon-Ruy, ac Constantiae de Morales filiae, relictae Joannis Rnetii de Contratas, adjudicatum est sacellum maximum ecclesiae, cujus opibus extrui illud curavit, et ali in coenobio perpetuos philosophiae ac theologiae institutores.

Ann. min. ad an. 1571. num. 19.

Ann. minorum ad ann. 1576. n. 7. Monum. prov.

XVII. Extra muros oppidi Villaefrancae dioecesis Agrigentinao in Sicilia, extructnm est hoc anno pro reformatis fratribus coenobium sub invocatione S. Mariae de Jesu, jussu Beatricis comitissae Sclafani, sumptibns Joannis de Luna comitis Calatabillottae et Bavomae ejns filii. Claruit ibidem sanctitatis opinione Franciscus a Camarata laicus, dictus a Bivana. Anno mdclxiv. juxta ea quae scribit Didacus de le Qnile, incolebatur ab observantibus. In provincia Principatus cessit patribus reformatis coenobium S. Mariae de Gratiis dioecesis Caputaquensis.

Conventus Villaefrancae. Pirrus in notitia Agrigentinae ecclesiae t. 1. p. 748. Didacus de la Quile hierarchia Franciscana t. 1. pag. 456.

Ex archivo S. Francisci Transtyberim.

XVIII. Conventus S. Antonii de Ficu in provincia Portugalliae positus prope locum, qno Mandezii flnvius in Oceanum exoneratnr, ab anno mdxxvii. ab observantibus inhabitatus, fratribus recollectis hoc anno

Ann. min. ad an. 1527. num. 20.

deserviit, decreto capituli provincialis Ulyssipone celebrati sub laudato Gonzaga. Item eis tributum est in provincia Majoricarum coenobium Alcodiae sub invocatione Nominis Jesu.

Ann. min. ad an. 1565. num. 124.

XIX. Templum S. Thomae apostoli Augustae Taurinorum in Pedemontio, quod una cum paroecia an. MDLXXV. observantibus tradidit Summus Pontifex dato diplomate, de novo hoc anno inchoatum est, primum lapidem, suppositis aureis numismatibus, ejusdem effigie insignitis, ponente Carolo Emmanuele I. Duce, sacraque peragente Hieronymo de Ruere archiepiscopo Taurinensi. Facti memoriam exhibet lapis in ecclesia positus.

Ann. min. ad an. 1575. num. 98.

SANCTISSIMAE TRINITATI, ET IN HONOREM MARIAE ANGELORUM, DIVORUMQUE THOMAE APOSTOLI, ET SERAPHICI PATRIS NOSTRI FRANCISCI CAROLUS EMMANUEL DUX SABAUDIAE HUNC PRIMUM LAPIDEM POSUIT ANNO SUAE AETATIS VIGESIMO SECUNDO MENSIBUS SEX, SACRA PERAGENTE REVERENDISSIMO DD. HIERONYMO RUERE ARCHIEPISCOPO TAURINENSI ANNO DOMINI MILLESIMO QUINGENTESIMO OCTOGESIMO QUARTO DIE DECIMA NONA MENSIS IUNII.

Ut hoc quamcitius absolveretur, omnium ordinum liberalitate certatum est. Pretiosis supellectilibus ad divinum cultum prosequendum locupletavit Augustus Manfredus Scallia Verucae comes, organum musicum, aramque maximam e marmore porphido cum sui nominis inscriptione posuit.

DD. LOCI PRAESIDIBUS
THOMAE APOSTOLO A CAROLO
IUGI LITATIONE PROPITIANDIS
AUGUSTUS MANFREDUS SCALLIA COMES VERUCAE
MARCHIO CALVISII
D. D. D.
ANNO DOMINI MDCXXIX.

XX. Tertii ordinis fratres ab episcopo Dominico Pinelli domum recipiunt in provincia Marchiae die 1. Decembris extra Firmum cum ecclesia titulo S. Mariae de Saleto, Blasio Carfagnano de S. Ginesio provinciae visitatore; paullo post dimissa fuit a p. Sebastiano Michaelangelo de S. Georgio. Evaserunt ipsi hoc anno e coenobio S. Joannis prope moenia civitatis Gandavensis, annuentibus Philippo II. Hispaniarum rege, ac Pontifice, ut a patribus Cartusianis incoleretur: *Piis christifidelium votis* idibus Augusti. Ratam etiam habet Summus Pontifex cessionem coenobii S. Francisci Vicensis, olim conventualium, ab episcopo factam patribus praedicatoribus: *Post reductionem* die XIII. Februarii.

Conventus Firmi.

Bordonius in provin. Marchiae p. 371.

XXI. Conventus Novesii, sive Nussiani ad Renum in provincia Coloniae fundatus anno MCCXXXIV., quem an. MDII. Raymundus Guriensis S. R. E. presbyter cardinalis titulo S. Mariae Novae Sedis Apostolicae per Hermaniam, Daciam, aliasque terras a latere legatus, observantibus dari jusserat, suo caruit effectu, eo quia haeretici ea in regione cuncta catholicorum devastabant. Anno MDLXXIII. patres conventuales ibidem degebant, licet pro tertia parte combustus. Paullo post coenobium evanuit; ipsis tamen hucusque remansit in hoc oppido regimen monasterii monialium clarissarum. Hoc anno a militibus ducis Parmensis oppidum igne absumptum est. Recipiunt iidem patres conventuales in custodia conventum S. Petri Morici ad duo M. P. ab oppido Belmontis dioece-

Conventus Novesii.

Ann. min. ad an. 1502. num. 38.

Sbaralea in suppl. annal. min. ad an. 1234. n. 35.

Conventus S. Petri Morici.

sis Firmanae, una cum ecclesia sub invocatione B. Mariae de Misericordia. Post annum MDCXLVII. aedem ampliarunt. Modo in ea degit saecularis sacerdos.

Benoffi in chron. mss. provin. Marchiae pag. 56.

XXII. Aedem sibi acquirunt capucini in provincia Romana in oppido Vetrallae dioecesis Viterbiensis; in provincia Mediolanensi conventum in oppido Abbiati ejusdem dioecesis, conventum in oppido Picelci dioecesis Cremonensis; in provincia Basilicata conventum Giffoni, et Montis Corvini; in provincia Cosentiae conventum Ruggiani; in provincia Barensi conventum Medunei; in provincia Hydruntina conventum Massafrae; in provincia Panormitana conventum Mazariae; in provincia Messanensi conventum Gispei, et Lipari. Adsunt Pontificis litterae an. MDLXXXIV. apud Petrum de Alva pro constructione coenobii Syracusani: *Sacro Apostolatûs* nonis Novembris; in custodia Tridentina conventum S. Crucis Tridenti; in provincia Parisiensi conventum Carnuti; in provincia S. Ludovici conventum Arelatae; in provincia Lotharingiae conventum Linciensis, quem, juxta Boverium, anno elapso suis expensis inchoaverat Margarita a Sabandia, olim principis Luxemburgensis conjux; in provincia Tolosana conventum Agathae, et Biterrarum; in provincia Cataloniae conventum Figueriae, et Granulari. Haec proferimus ex provinciarum tabulis Michaelis a Tugio. In provincia Helvetica conventum B. Mariae Virginis Assumptae fundatum in oppido Stanzensis, alias Stansensis in tractu inferiore Cantonis Subsylvani dioecesis Constantiensis. Capucini ad instantiam D. Melchioris Lussi tribuni militaris, ac Cantonis subsylvani primatis recepti, primitus in monte Burgebergo, vulgo ad S. Jodicum, exin Enetonos ad S. Jacobum, deinde in amoeno prato, Murg dicto, ubi domus topiaria, igne devastata, steterat, locati sunt, parvo monasterio ligneo, praefati tribuni expensis, probabiliter hoc anno aedificato. Fundator huic adjecit oratorium S. Francisci sacrum, et sepulchrum SS. Salvatoris ad normam Hierosolymitani formatum. Coenobii ac templi nimia angustia causa fuit, ut intra annum MDCLXXXIV. et sequentem, utrumque majorem in molem ex diversorum fidelium eleemosynis surrexerit.

Conventus capucinorum. *Ex indiculo Michaelis a Jugio, et ex Boverio.*

Boverius tom. 2. pag. 55.

Greiderer tom. 2. lib. 2. n. 122. p. 646.

XXIII. Iidem capucini anno MDLIII. apud Netinos sibi sedem elegerunt prope Mariae Pietate templum; sed coacti gravitate, et subjacentis amnis vaporibus exturbati, mutatis domiciliis eo loci sunt hoc anno recepti, ubi Manfredi Algonae castrum jam vacuum squallebat. In superliminari hoc carmen est incisum.

Hactenus extiterat castrum, mox antra malorum
  Coenobium fratrum nunc domus ara Dei.
Ille comes Motycae sceptri gravitate retenta
  Hoc statuit superis, urbs tamen auxit opus.

XXIV. Insignis ecclesia S. Jacobi titulo, cum adnexo sibi hospitali pro curandis hispanis infirmis ex regio aerario fundato, redditibusque locupletato a Petro de Toleto Villaefrancae marchione, atque regni Siciliae citra Pharum pro-rege, curantibus Petro Gironio Ossunae duce atque ejusdem regni nunc pro-rege, nec non loci administris, transit hoc anno, Annibale de Capua urbis archiepiscopo, in monasterium virginum Conceptionistarum: *Alias vobis* die XIII. Novembris. Habitu et scapulari induunt albo, mantello ceruleo vel nigro, ac imaginem virgi-

Monast. Neapolis. *Napoli Sacra di Cesare d' Engenis* pag. 547.

nis scutulo inclusam gerunt. Sacri ritus caeremoniam peregit minister generalis ordinis, quam hisce verbis exposuit. *Ut primum ex Hispania reversus Neapolim anno Domini 1584 accessi, aliquot virgines praefato conceptionistico habitu prius publice in ecclesia Divi Jacobi a me indutas, in praememoratum Conceptionis conventum ex Gregorii XIII. Pont. Max. mandato, ipso die Purificationis Virginis intuli, atque immaculatae Conceptionis Virginis regulam, qua ejusdem ordinis sorores in Hispania utuntur, servandam tradidi... Ab his autem Conceptionistis monialibus nullae penitus aliae in Italia inveniuntur. Commorantur interim hoc in conventu xx. sorores.*

Gonzaga in provin. Terrae Laboris monast. 9.

Monast. Mediolanense.

XXV. Annibal Vestarinus opulentissimus mercator, et Joanna ejus uxor cum prole carnissent, omnia sua contulerunt collegio virginum S. Clarae capucinarum Mediolanensium S. Praxedis titulo, pro quo excitando plura S. Carolo Borromaeo commisit anno mox transacto Summus Pontifex. Mulier illa, amore pietatis super viginti filiolas virgines Mediolani exquisitas, in familiam ceu pientissima mater suscepit, aluit, bonisque imbuit moribus. Crescente vero puellarum aetate, conspirantibus votis, ad S. Clarae capucinarum regulam et constitutiones illarum vitam composuit.

Monaster. Abbatiscellense.

Greiderer. tom. 2. lib. 4. n. 154. p. 66.

XXVI. Non hoc anno juxta catalogum quem exhibet dioecesis Constantiensis, sed multo antea excitatum fuisse monasterium titulo S. Mariae Angelorum in oppido Abbatiscellense in Helvetia, scribit Vigilius Greiderer; idque duplici ex capite, tum quia monumenta ipsa referunt indeterminatam ejusdem fundationem, tum quia jam extabat ante annum MDLXXII., ut ipsemet collegit ex actis synodi provincialis Constantiensis hoc eodem anno coactis. Hoc monasterium XXVIII. sorores inhabitant. Capucini ex delegata potestate illud visitant, eique ut conscientiae moderatores ordinarii et extraordinarii inserviunt; subest tamen Lucernensi Nuntiaturae. Probabilius olim illud fuit insertum tertio ordini S. Francisci.

Monast. Burgi S. Angeli.

XXVII. Cum a nobili matrona Clara de Modognanis vidua coëmpta fuissent aedificia suppressi monasterii S. Margaritae ordinis S. Benedicti in oppido Burgi S. Angeli dioecesis Laudensis, eaque vellet cedere pro inibi introducendis monialibus capucinis, exoravit Pontificem ut suae voluntati satisfaceret; annuit Pontifex: *Debitum pastoralis* III. calendas Maii. Legatum, quod ex edito testamento capucinis reliquit Franciscus Bajettus incola Urbis, quodque ob instituti leges capucini dimiserunt, adjudicat Summus Pontifex Archiconfraternitati SS. Crucifixi de Urbe, addita lege, ut ipsi consulant necessitatibus monasterii monialium capucinarum laudatae civitatis, quorum gubernium, aediumque manutentionem gerunt: *Paterna nostra* die I. Junii. Eximit a regimine conventualium moniales S. Clarae Coloniensis, directionique archiepiscopi illius civitatis subjicit, ut ipsi fratres sacrarum litterarum paginis commodius et liberius vacarent: *Cum sicut accepimus* die XXV. Februarii.

Monast. Villaelongae.

Gonzaga in prov. Portugalliae monast. 17.

XXVIII. Moniales tertii ordinis Dominae Nostrae de potestatibus oppidi Villaelongae dioecesis Ulyssiponensis, quae anno MDXVI. nigrum velum susceperunt, et ministro provinciae, et Henrici cardinalis mandato, obedientiam praestarunt, hoc anno ab ipsomet generali ministro ad solemnem votorum professionem admissae sunt. Eodem generali ministro

jubente, huic provinciae duo adjuncta sunt tertiariarum collegia, nimirum Traconsi, et aliud erectum apud Campensem oppidum, anno praecedenti a patribus provinciae derelictum. Utrumque olim spectabat ad custodiam Guardianensem. *Idem ibid. monaster. 21. et 22.*

XXIX. Tres moniales ex monasterio S. Clarae Reatis translatae sunt hoc anno ad monasterium tertii ordinis oppidi Arcis Antiquae dioecesis Sabinensis noviter instructum tum expensis familiae Ferracuti, tum oppidanorum eleemosynis, ut eas in bonis moribus, monasticisque disciplinis instituerent. Subest episcopi regimini. *Monasterium Arcis Antiquae. Monum. prov. Romanae.*

XXX. Margarita ab Austria Maximiliani II. Caesaris, et Mariae uxoris filia, Viennae anno MDLXVII. die, non XXIV. juxta Mazzara, sed XXV. Januarii nata, in tenella aetate aliquot futurae sanctitatis signa edidit; variis quippe afflictationibus corpusculum macerabat, largas egenis stipes erogabat, divinisque rebus devotissime praesto aderat. Erga castitatem tanto aestuabat amore, tantopere mundanarum rerum exagitabatur taedio, ut nihil aliud cordi haberet quam mundo nuncium remittere, ac cum Christo vitam ducere absconditam. Eximia patientia in adversis exornabatur, hilaremque obedientiam majoribus praestabat. Parente anno MDLXXVI. defuncto, una simul cum Matre anno MDLXXX. Hispaniam petiit, Cataloniamque perveniens, B. Mariam Virginem in Monte Serrato invisit, eam ignivomis affectibus exorans, ut ipsam dignaretur filio suo tamquam sponsam offerre, et reddere acceptam. Cessit votis ejus virgo, caput Margaritam versus inclinans, et tanto charitatis incendio cor ejus inflammans, ut denudatum pectus scriptorio cultello vulneraverit, ac hausto sanguine sequens chirographum exaraverit: *hoc sanguine cordis mei me trado, et offero Jesu Christo Salvatori ac Redemptori meo in sponsam ut ut indignam, ejus matrem amabilem rogitans, ut hoc in puncto mea mediatrix, et advocata esse dignetur. In testimonio hujus me mea manu subscribo, Margarita.* Matriti appulsa gravissimis ratione sui consilii obnoxia fuit aggressionibus; Philippus enim II. Hispaniarum rex, sua viduatus uxore, adhortationibus per aulicos Margaritam ad nuptias secum ineundas trahere satagebat; at irrito prorsus conatu, Margarita fidem coelesti sponso oppignoratam opponente, ac vilem clarissarum tunicam omnibus regiis coronis praeferente. *Mazzara legend. francescano tom. 7. pag. 44.*

XXXI. Rex de ejus proposito certior redditus, lubens sua vota suppressit, et die XXV. Januarii ejusdem anni pro actu solemni vestis induendae designavit. Illucescente die, Margarita veste, auro, gemmis pretiosissimis ac elegantissima florum textura superbiente ornabatur. Inter gemmarum congeries nobilissimam formam praeferebat aquila, ex adamantibus contexta, a Carolo V. ejus genitore olim dono data; super auream ejus caesariem, per humeros amoena figura defluentem, crux ad modum coronae congesta, pretiosis gemmis ac floribus instructa surgebat. Sponsam Christi ad claustrum regii Matritensis clarissarum excalceatarum collegii pedes moventem, comitabantur rex Philippus, imperatrix ejus mater, Philippus filius regis, Isabella et Catharina infantissae, una cum aliis sanguine, et officio clarissimis. Ut ad caeremonias ventum est, Margarita a S. Cruce nomen adepta, maxima cum alacritate vestes et ornamenta regia deponebat, et tanta cum devotione indumenta

seraphica arripiebat, ut adstantes in uberrimas lacrymas effunderent. Tirocinio inter strenuos humilitatis, obedientiae, ac aliarum virtutum actus expleto, vota solemnia emisit, renuens dispensationem a Summo Pontifice circa quosdam instituti rigores sibi oblatam: *Significasti nobis* die xiii. Novembris. Sacro professionis vinculo coelesti sponso juncta, novo fervore cor suum eidem ita dicavit, ut virtutibus meritisque totius vitae suae cursu plurimum inclaruerit. Caetera ad annum mdcxxx. quo ad astra migravit.

XXXII. Reperio in mss. monasterii S. Cosimati Urbis sequens monumentum de duobus altaribus solemniter benedictis ab episcopo Montis Feltri.

ANNO DOMINI MDLXXXIV. DIE VERO XV. MENSIS NOVEMBRIS, SEDENTE GREGORIO XIII. PONTIFICATUS SUI ANNO XIII, REVERENDISSIMUS DOMINUS IOANFRANCISCUS ORMANUS MEDIOLANENSIS, EPISCOPUS MONTIS FELTRI, DE LICENTIA ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI IACOBI CARDINALIS SABELLI EPISCOPI PORTUENSIS VICARII URBIS CONSECRAVIT IN HAC VENERABILI ECCLESIA SS. COSMAE ET DAMIANI DUO ALTARIA VIDELICET ALTARE MAIUS IN HONOREM SS. MARTYRUM COSMAE ET DAMIANI, ET ALIUD S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Ex actibus consistorial. ad hunc an. fol. 336.

Ibidem fol. 220.

Giardino serafico pag. 530.

Ughellus tom. 8. colum. 211.

Ex archivo Montis S. Petri Angelorum.

Sbaralea in suppl. ad script. litt. B.

XXXIII. Die ix. Aprilis Antonius Fera Planensis magister generalis conventualium electus est antistes ecclesiae *Marsicanae* ob mortem Angeli Martii de Medicis; eadem die Constantinus Bargellinus conventualis ex episcopo Reatino, ad *Fulginatensem* sedem transalatus est, in locum Troili Boncompagno Fulginatensis. Per apostolicum indultum retinuit pensionem super mensam Reatinam. Hoc eodem anno promotum fuisse ad ecclesiam Allifae in Principatu Henricum Gyrium Syracusanum ejusdem instituti falso scribit Petrus Antonius de Venetiis; nam ad eam ecclesiam regendam institutus fuit anno mdlxxxvi. die viii. Januarii juxta Ughellum. E Senarum ad Pisaurensem provinciam hoc anno translatus est magister Annibal Santucci de Urbino, ut illic inquisitoris generalis ufficium obiret; Canetae in Marchia Trevigiana magister Bonaventura de Gabiano. Primum expleverat idem munus in ditione Aquilejae.

Michael a Tugio Bull. capuc. tom. 2. pag. 258.

XXXIV. Variis pontificiis facultatibus communitus, ab archiconfraternitate Gonfalonis de Urbe tum Algerium sive Juliam Caesariam, tum ad alias Affricae partes mittitur Petrus a Placentia capucinus ad fidelium redemptionem captivorum: *Cum Algerium* die v. Decembris. Ut id facilius assequeretur, socios sibi adsciscit Philippum de Rocca, contrata Picentem ejusdem instituti, ac duos viros saeculares, Joannem Sanna nimirum, et Ludovicum Grumium. Hinc cum aliquot a diro servitutis jugo Algerii solvissent, Romam cum gaudio hi duo viri adduxere, Petro interim in reliquorum levamen illic moram trahente. Episcopo Volaterrano concedit Pontifex facultatem reformandi monasterium monialium S. Clarae Castriflorentini, monialesque ejusdem sodalitatis quatuor spectatae vitae, ex monasteriis vel S. Clarae Florentiae, vel S. Lini Volaterrae, ad illud transferrendi: *Dudum* die xv. Septembris; revocat Gabrielem Castagna conventualem a visitatione Apostolica monasteriorum et locorum sui ordinis in provinciis Galliarum existentium, anno elapso institutum: *Alias per nostras litteras* die vii. Decembris. Auctoritate cardinalibus protectoribus ordinis a S. Pio V. *Licet alias* die iv. Julii anni mdlxviii. collata, Ferdinandus Medicaeus ordinis patronus Peregrinum

Saviolum Vicentinum tertii ordinis professorem praeficit in commissarium generalem super omnes fratres totius Italiae, de poenitentia nuncupatos.

Ferdinandus miseratione divina S. Mariae in Domnica diaconus cardinalis de Medicis nuncupatus, religionis fratrum minorum de observantia ac tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati Protector, Corrector, et Gubernator, dilecto nobis in Christo Peregrino Saviolo de Vicentia ejusdem tertii ordinis et theologiae professori salutem in Domino.

Cum primum officium protectoris, correctoris, et gubernatoris religionis et fratrum praedictorum ab Apostolica Sede nobis commissum suscepimus, statim omnem curam et cogitationem nostram intendimus in eorumdem fratrum gubernio et salute. Et ita eosdem fratres, Deo propitio, dirigere statuimus, ut ipsi in eorum regularis vitae norma et salutaribus institutis, quantum fieri potest, retineantur. Quapropter considerantes generalem, ac provinciales ministros dicti ordinis de observantia non posse aliis sui ordinis praepeditos negotiis, in eodem tertio ordine dirigendo, cujus cura illis per litteras fel. rec. Pii Papae V. est demandata, ut convenit, continuam diligentiam adhibere exagerantes, quod tu, de cujus idoneitate, prudentia, et integritate plurimum in Domino confidimus, eidem tertio ordini esse poteris multum utilis et etiam fructuosus. Idcirco auctoritate qua fungimur in hac parte, te commissarium nostrum in tota Italia tertii ordinis praedicti, illiusque provinciis, domibus, et fratribus per praesentes constituimus et deputamus, dantes et concedentes tibi auctoritatem, facultatem, et potestatem, totiesque quoties opus fuerit, per teipsum visitandi, plenumque jus et jurisdictionem super domus omnes et loca praefata, et fratres exercendi, capitulis provincialibus praesidendi, ab illicitis retrahendi, licita vero praecipiendi, seminaria et scholas instituendi, personas tam in capite, quam in membris corrigendi, carcerandi, castigandi, puniendi, officia et administrationes suo loco et tempore conferendi, privandi, mutandi, transferendi, de consilio tamen illius visitatoris, in cujus provincia mutari fratres et transferri contigerit; deponendi, suspendendi, excommunicandi, absolvendi, interdicendi, restituendi, regulas et constitutiones antiquas renovandi, novas non tamen antiquas et sacris canonibus ac litteris praefatis fel. mem. Pii PP. V. contrariis condendi, statuendi, mutandi, et exercendi, caeteraque omnia faciendi, dicendi, et exercendi, quae in praemissis necessaria fuerunt, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus privilegiis et exemptionibus quibuscumque, quae per nobis inferiorem fuerint aliquibus quomodolibet hucusque concessa, vel imposterum concedenda. Praecipientes per has nostras litteras patentes omnibus ejusdem tertii ordinis Italiae visitatoribus, provincialibus, prioribus, vicariis caeterisque fratribus omnibus et quibuscumque, ut tibi debitam praestent obedientiam et obsequium, sub indignationis nostrae aliisque salutaribus et temporabus poenis tibi benevisis, ac necessaria subministrent, superfluis omnino resecatis. Tibi idcirco mandantes, ut in visitatione unius fratris societate ad tui libitum contentus sis. Volumus autem has easdem nostras litteras nullo pacto ultra triennium tibi suffragari; pro tran-

Ex archivo bull. privileg. instrum. etc. Bordoni pag. 881.

sacto de omnibus per te factis et administratis nobis vel cui per nos commissum fuerit, rationem reddere tenearis.

Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae die XIX. *Junii anni Domini* MDLXXXIV. *Pontificatus SS. D. N. Gregorii PP. XIII. anno* XIII.

Ferdinandus Card. de Medicis Protector.

XXXV. De Summi Pontificis nutu indictum est Bononiae comitium generale patrum conventualium pro eligendo novo supremo ejusdem instituti magistro. Praesidem habuit Clementem Bentadosium de Montefalco, datis ad ipsum a Pontifice litteris: *Cum generale capitulum* die III. Maii. Eidem indulget, ut in eodem capitulo quadraginta ex fratribus sui ordinis idoneos repertos, ad magisterii gradus promoveat: *Ut virtuti debitus* die III. Maii. Hortatur electores, ut rectorem eligant innocentia vitae, morum integritate, prudentia ac doctrina praeditum: *Etsi pro officii nostri* die IV. Maii. Hinc cum omnium patrum voto electus esset laudatus Clemens Bentadosius, hujus electionem ratam habuit Summus Pontifex: *Cum sicut accepimus* die I. Junii. Praeclara tanti viri Rodulphus p. 199. munia sic aperit Rodulphus. *Erat liberalium artium, et sacrae theologiae professor, vir, juxta nomen suum, clemens et mitis. Nemo enim ad eum accessit, qui non bona affectus cogitatione recesserit; suscipiebat enim eum adeuntes benigne atque discrete. Primo fuit in praeclaris civitatibus Italiae regens, et concionator insignis; deinde provincialis provinciae S. Francisci, in qua perhumaniter et egregie se* Idem pag. 245. *habuit.* Idem scribit propositum fuisse in eodem comitio: *an provincialis S. Francisci debeat praecedere reliquos provinciales. Requisitus ego* (Rodulphus) *veni in hanc sententiam, quod secundum legem debet praecedere propter excellentiam Patris nostri Francisci, sed ex quadam congruentia solet provincialis illius provinciae praecedere, in qua celebratur capitulum.*

Boverius tom. 2. pag. 93. XXXVI. Joanni Mariae de Tissa Siculo vicario generali capucinorum ante exordium capituli vita functo, successit hoc anno Jacobus de Foro Sarsino in Aemilia, initiatus in comitio Romano, praeside Julio Antonio Santorio cardinali protectore. Procuratoris generalis munus adeptus est Hieronymus Politianus Siculus. Ad novum ordinis rectorem inscriptae sunt a plerisque Macedoniae, Dalmatiae, Pannoniae, ac totius ferme Illyrici episcopis epistolae, quibus de capucinis fratribus iis in regionibus transmittendis enixe efflagitebatur. Hinc cum ad eos regiones destinatus esset p. Apolinaris Brixiensis, et rei experimento didicisset, neque feraci solo, nec aere salubri eas frui, oleo, vino, tritico ut plurimum destitui, nivibusque undique montes oppleri, generalem caeterosque patres ab ea propagatione deterruit. Eo insuper imperante in subsidium fratrum degentium in ditione Tolosana missi sunt ex provincia Romana Gregorius Lebadensis concionator, Anselmus Covensis, Cherubinus a Campaniano, Fortunatus Tudertinus, Chrysostomus Mediolanensis sacerdotes; sacris initiati Bernardinus et Petrus Gallobelgae, plerique alii inter laicos enumerati. Postremo decrevit, ut Lugdunensis provincia, quae hactenus administrata fuit a commissario generali, provinciali vicario potiretur.

XXXVII. Desideratus est hoc anno Franciscus Horantius, sive Orantes, mdxvi. natus in oppido Cuellarae regni Castellae, novem leucis ad meridiem Vallisoleto, parentibus Joanne Orantes, et Maria Velez, sanguine praeclaris, affluentibusque divitiis. Die xiii. Augusti mdxxxv. decimonono aetatis suae anno seraphico observantium ordini nomen dedit in principe coenobio S. Francisci Vallisoletano, sive Pinciano, Conceptionis provinciae, ubi Deo suo vota etiam nuncupavit. Magistrum habuit aliquando Alphonsum de Castro, ut ipsemet fatetur: *Divini juris,* inquit, *esse sacramentalem confessionem, idque longe ante tempora Innocentii III. fuisse a tota ecclesia traditum, legitime probat Alphonsus de Castro, magister quondam meus, vir omnium opinione antiquis patribus paulo inferior.* Confecto studiorum philosophiae ac theologiae curriculo, ad Complutensem accademiam missus, totum litteris, doctrinaeque omnigenae imbuendum ita se tradidit, ut Vallisoletum reversus, in regali illius urbis coenobio franciscanos tirones summa cum laude erudierit. A Philippo II. Hispaniarum rege magni habitus, anno mdlxi. ineunte, aetatis suae xlv. electus est S. Tridentinae Synodi theologus, illucque amandatus, ut vices gereret Christophori Fernandez Palentiae episcopi. In illo lectissimorum totius ecclesiae patrum ac theologorum coetu, anno mdlxii. elegantissimam die festo Omnium Sanctorum concionem protulit. Sacra Synodo perdurante, contra errores Joannis Calvini, quos in libro christianarum institutionum impie congesserat, scripsit *septem locorum theologicorum libros*, primum ab eo Venetiis anno mdlxiv. apud Jordanum Zilettum cum epistola Carolo Hispaniarum principi inscripta, tum ab aliis iterum Parisiis anno mdlxvi. praelo Jacobi Macaei excusos. Opus hoc mire a celebrioribus scriptoribus comendatum, Flaminius Maria Annibali de Latera ejusdem instituti vir doctissimus, notis illustravit, feliciorique methodo concinnavit ac Romae anno mdccxcv. et anno mdccxcvi. sumptibus Aloisii Perego Salvioni vulgavit. Dum ille Venetiis opus typis mandabat, cum ad vi. libri editionem pervenisset, gravi correptus infirmitate, multa quae addenda habebat, aut immutanda, addere et mutare nequivit, unde statimac per valetudinem licuit, Venetiis discessit.

Locorum catholicorum tom. 2. l. 7. cap. 8. pag. 425. Romae 1796.

XXXVIII. In Hispaniam reversus praefecturam conventus S. Francisci Pinciarum ex obedientia suscepit, eoque dum munere fungeretur, de speciali mandato Philippi II., et qualificator in regnis Hispaniarum, et visitator, et reformator S. Inquisitionis Murciensis institutus est. Anno mdlxxiii. in comitio Palentiae habito, suae provinciae minister electus, dum Pincis intermediam congregationem celebraret, ab eodem rege, annuente Pontifice, litteris praemonitus est, ut continuo se in Belgium conferret una cum Joanne Austriaco ejus fratre illarum provinciarum gubernatore, ac pro-rege, eique, ut a sacris confessionibus, consiliarius privatus, et generalis illic existentium copiarum adesset vicarius. Sua igitur in fratres auctoritate Francisco Morales interim collata, in Belgium proficiscitur, ubi tanta in explendis demandatis sibi negotiis prudentia et integritate excelluit, ut a Philippo rege, Joanne principe, ac universis coetibus summis cumularetur laudibus. Eo immorans, cum idem Rex in Elisabetham Angliae reginam copiosam navium et militum classem parasset, universae regiae expeditioni, Pontificis venia,

Horantium velut praefectum constituere cupiebat; at cum in Flandria aliquot controversiis excitatis inter Philippum Marnixium Sanct-Aldegondi abbatem, et Michaelem Bajum circa ecclesiae auctoritatem, ejus expectatum fuisset judicium, illuc adeundi ei vetitum est. Re ab eo mature perpensa, anno MDLXXX. die VIII. Januarii Trajecti ad Mosam diffusam epistolam, sive mediocrem tractatum, quem ad calcem tom. II. *locorum catholicorum* denuo typis mandavit Flaminius a Latera, vulgavit, abbatem et Bajum de quibusdam non adeo catholice prolatis, inurens.

XXXIX. Immatura morte prope Namurcum, cui ultima praestitit ipse charitatis officia, sublato Joanne Austriaco an. MDLXXVIII. in Hispaniam ejusdem ossa transtulit, ut in majorum suorum tumulo, prout jusserat, conderentur. Ovetensis ecclesiae suo viduata pastore, Orantes noster an. MDLXXXI. in illius regimen assumptus, dieque XX. Februarii in sua cathedrali consecratus est, quam cum verbo et exemplo trium annorum spatio rexisset, V. idus Octobris LXVIII. aetatis anno dilecto suo efflavit animam. Defuncti corpus, vel inter suos *juxta infimum summi altaris gradum in conventu Pinciano*, ut scribit Gonzaga, vel in cathedrali ecclesia tumulo donatus est, prout asserit Aegidius Gonzalez Davila in theatro Ovetensis ecclesiae.

Gonzaga in prov. Conceptionis conv. 1.

XL. Praeter ea quae mox recensuimus, licet nunquam publicam lucem viderint, scripsit etiam duos tractatus *de SS. Eucharistiae Sacramento*, et *de sacris indulgentiis*. Id aperte ab ipsomet hisce verbis novimus: *Sed quia super his omnibus, post Concilii Tridentini singularem explanationem, et multorum virorum illustrium tractatus, summa diligentia, et immensis vigiliis congestos, nos etiam eorum laboribus locupletibus ejus rei breve habemus compendium, quod paullo post in lucem, Domino nostro approbante, simul cum indulgentiarum tractatu daturi sumus.* Item scripsit commentaria doctissima in librum Job, teste Daza, et in Danielem prophetam, de quo sic habet Mauritius Hylaretus franciscanus: *Horantius vir profecto de litteris divinis optime meritus, cujus etiam docta scripta in Danielem Prophetam nondum in lucem missa vidi: ex quibus, cum essem cum eo Mechlimiae, aliquas paginas, ipso legente, magna animi voluptate his auribus attentissime audivi.* Arbitratur postremo Waddingus, Possevinus, Thomas Hurtado, Gonzaga, aliique, Horantium librum *de justificatione* scripsisse; at dubitant alii. Joannes a S. Antonio non immerito putat, librum de justificatione esse aliquam locorum catholicorum portionem, ut revera est pars libri primi, numquam tamen seorsim edita.

Ibidem cap. 6. p. 419.

Antonius Daza hist.ord.min. c.12. Maurit. Hylaretus concione Sabbati post Dominicam I. quadrag.

Wadding. de scriptor. Possev. in apparatu sacro, Hurtado in resolutionibus Orthodoxo-moralibus, Gonzaga pag. 63.

XLI. Sublatus est etiam hoc anno Joannes Porthesius Pictaviensis, custos provinciae Turoniae ac diffinitor generalis Parisiis electus, cujus egregia facinora Joannes le Malse Andegavensis conscripsit. Fuit apprime versatus graecis, hebraicis, latinisque litteris. Summa praeditus dicendi vi, publice cum Calvinistis Antuerpiae tunc exorientibus congressus, eos non semel confodit. Post aliquot annos in Gallias reversus edidit suo idiomate *demonstrationes catholicas* Parisiis an. MDLXVII., et an. MDLXXXVI. Antuerpiae praelo datum est opus *De verbis Domini, hoc facite in meam commemorationem, pro oecumenica Synodo Tri-*

Digitized by Google

dentina adversus Mathaei Flacci Illyrici nebulas. Celebratur a Dupino xv. ecclesiae saeculo. Augustinus Castellus Neapolitanus edidit *brevem triumphum minorum regularis observantiae pro fide occisorum in Gallia et Belgio* Neapoli apud Horatium Sulmanum, et Caesarem de Caesaris. Mense Novembris die vii. funebrem laudationem, quam penes me habeo, italico idiomate pro morte Caroli Borromaei archiepiscopi cardinalis, ac olim totius minorum ordinis patroni, post sacrorum solemnia habuit Franciscus Panigarola eidem addictissimus; luculentissima est illa sane, et quae numquam legentis desiderium expleat. Edita est hoc anno primum Mediolani, postea Bononiae, ac tandem Romae. Habuit et alteram in ejus funere a Waddingo, ab Argelato, et a Sbaralea laudatam.

Wadd. et Sbaralea de Script. Argelati in Bibliot. Mediolanen. t. 2. col. 1030.

XLII. Claudius Medulla Mediolanensis super militum copias et regium exercitum apud Alexandrum Farnesium Belgii gubernatorem commissarius apostolicus *epistolam insignem* vulgavit Duaci, excusam a Bogardo, qua singulos sibi commissos ad recte et pie vivendum, fortiterque agendum hortatur. Martinus Ignatius de Loyola scripsit *itinerarium suum novi orbis*, idest itineris descriptionem jussu Philippi II. anno mdlxxxi. cum pluribus aliis sodalibus arrepti in occidentales, ut vocant, Indias, sive Americam, orientalesque plagas, et Sinas causa verbi Dei disseminandi. Opus in compendium redegit Joannes Gonzalez de Mendoza ordinis eremitarum S. Augustini, vulgavitque Romae anno mdlxxxvi. apud Bartholomaeum Grassi.

XLIII. Vulgati sunt hoc anno Venetiis italice, quos in latinum convertit typisque commisit anno mdxciv. Joannes Tonsi patritius Mediolanensis, octodecim sermones Waddingo et Sbaralea ignoti, fratris Thomae Illyrici ex observatium familia ab eo habiti coram serenissimo Carolo III. Sabaudiae duce. In iis egregie haereticorum apud Valles Lucernae mores et errores reserat, fallacias detegit et aperte confutat, penitusque infectas novitatis radices evellit. Id novimus ex mss. nuper nobis transmisso a fratribus minoribus strictioris observantiae conventus S. Mariae Angelorum Taurinensis, in quo historia contexitur novarum missionum in diversas mundi regiones ad medietatem usque saeculi xviii. franciscalium labore adductarum. Opus hoc, ut typis mandetur consulto cuperem, tum quia absolutissimum, tum etiam quia ubi Dominicus de Gubernatis in suo, quem habet de veteribus fratrum minorum missionibus libro, finem imponit, eodem ordine ac eruditione historicam eorumdem fratrum missionem exorditur prosequiturque.

Lib. 2. cap. 2. §. 1.

XLIV. De laudato Thoma plurima vulgata sunt scripta, quarum seriem notavit Waddingus, at accuratius Sbaralea. Obiter est hic observandum immerito Waddingum Thomam hunc Illyricum eumdem esse ac Thomam Elysium putasse, cum de facto ad sacrum ordinem Praedicatorum iste spectaverit, qui librum *Clypeum Piorum*, ex decreto S. I. C. inter proscriptos relatum, composuit, et alterum *de donatione Constantini facta S. Silvestro Papae*, quorum auctorem facit Thomam Illyricum. Noster vero Thomas Illyricus sequentia tantum conscripsit, videlicet *quadragesimales conciones et adventus, et tractatum de conceptione Virginis;* haec adhuc inedita sunt. Anno mdxx. Tolosae typis Joannis Fabri editum fuit ejus *testamentum* anno mdxix. scriptum; ibidem praelo Joannis de

Wadding. de Scriptor. lit. T. et Sbaralea in suppl.

Echard de Script. ord. praed. tom. 2. pag. 212.

Digitized by Google

Guerlinis anno MDXXI. *sermonum duo volumina* vulgata fuere; *epistola ad omnes christifideles contra hypocritas* data Lemovicis anno MDXX. die XXVIII. Aprilis ea in civitate impressa fuit. Taurini apud Antonium Ranotum anno MDXXIV. vulgatus fuit *Clypeus catholicae ecclesiae in duas partes divisus contra doctrinam Lutheri.*

XLV. Postremo eadem in civitate anno MDXXIII. prodiit *clypeus status papalis*, qui continet 1. *Epistolas quatuor, ad Adrianum VI., ad Ducem Sabaudiae, ad Lugdunenses, et ad Episcopum Valentiae, et Abbatem S. Michaelis Archangeli* in Pedemonte; 2. *Tractatum de Ecclesiae clavibus ac Pontificum potestate*: sermo popularis contra quosdam Vicarium Christi calumniantes; 3. *Specialem tractatum de potestate Summi Pontificis contra Martinum Lutherum; 4. Conclusiones quasdam circa electionem Summi Pontificis*; 5. *Casus septem, in quibus Summus Pontifex est auferibilis de Papatu*; 6. *Modum se habendi tempore schismatus; 7. Confutationes quarumdam conclusionum Lutheri:* suntque sex; 8. *Conditiones veri pastoris animarum una cum probatione reformandae christianitatis, ac invectivas contra malos christianos.* In fine habetur hoc epigramma.

Ignotus latuit Thomas non vile Minorum
  Mancipium, cujus nunc sua fama micat.
Excudit varium sermonibus arte diserta
  Hic opus: impressit docta Tholosa prius.
Nunc aliud Papae clarum, quo summa potestas
  Pingitur, excudit Dalmata noster opus;
Arguit et mores hominum, ritusque nefandos,
  Crimina, quae mundo nunc manifesta vigent.
Pro quo debentur laudes, et gratia summa
  Illyrico Patri, qui dedit istud opus.

Joannes O Daleigh Mart. — *Arturus ad diem 4. Augusti.*

XLVI. Martyrum coronam promeritus est in Hibernia Joannes O Daleigh Adfertensis sacerdos, qui ab adventantibus anglis equitibus in via comprehensus, proprio cingulo manibus vinctis, et in carcerem deducendus ephippio ejusdem equitis ligatus, jussusque cum illis currere, cum id pro senectute, et equorum celeritate non posset, in terram concidens, per partem itineris tractus, ac demum reliqua turma superveniente, equorum pedibus conculcatus, totoque corpore, et ossibus contritus, occubuit. Die XXI. mensis Novembris Albertus a Leyda, quam civitatem Lugdunum Batavorum etiam nuncupant, sacerdos et concionator eximius, spectatissimae vitae religiosus, cum aliquando Coloniae Agrippinae ex Hollandia profligatus exulasset, iter Antuerpiam faciens per Ducis-Silvam, a Gensiis tormenti bellici globulo trajectus fuit. Ejus corpus a catholicis sublatum, in vicino pago Maldert sepulturae mandarunt.

Albertus a Leyda. — *Sedulius de martyribus a Geusiis interfectis corol. 8.* — *Raissa ad diem 21. Novembris.*

XLVII. Dum PP. Societatis Jesu, Sacchini teste, Elianus, et Saxius hoc anno ad Cophtorum gentes amandarentur, ut concordiam et unitatem cum ecclesia catholica, quam primates ardenter cupiebant; navim in Nilo die XXI. Septembris conscenderent « subito, inquit, Turcarum manus, praeeunte quodam personato, fulgentibus gladiis irrumpit: irruunt in Dei famulos magno cum fremitu, ac tumultu; raptant, vexantque, et male verberibus acceptos sacerdotem utrum-

Sacchini lib. 4. p. 175.

» que, et laicum Franciscum Bonum, ac simul franciscanos duos, qui » ad ipsos forte diverterant, comprehendunt: tum clauso, obsignatoque » in quo habitabant conclavi, et scrinio, in quo pontificis, generalisque praepositi, et alias id genus graviores habebant litteras, ablato, manibus post terga vinctis, impositos asinis, ad praesidem Turcarum asportant. Plane quid ageretur servos Dei latebat, nec poterant » suspicari unde subita vexatio, eo praesertim rerum articulo extitisset: et quamquam nonnihil commovebatur naturae infirmitas, tamen » conscientia nixi, et ope divina jucunde secum agitabant: quando » Cophtorum causa non successerat, fortasse Deo cordi non esse, ut » ex tam longa procuratione adeo pusillum fructum referrent. Quod » si etiam martyrii palma dignarentur, tum vero peregrinationem, moram, curas, aerumnas suas optime positas, tum se supra vota felices. » Has inter cogitationes, et interdum sermones, (nam via longula erat » trium fere passuum millium) ad praesidem perducuntur. Interrogati » qui essent, quid rerum eo loci haberent, quandiu in Aegypto fuissent; respondent se Italos esse, loca sancta Palaestinae invisisse: ad » quae cum nemini christianorum injussu romani Antistitis fas sit accedere, ab eodem sibi mandatum, ut ex itinere Aegyptios christianos nomine ipsius salutarent, deque religionis rebus humaniter, atque » fraterne cum iis agerent. Videbatur haud sine assensu praefectus audire, cum ex interceptis litteris epistola promitur ea, quam dixi ab » natione Cophtorum ad Pontificem exaratam. In ea ubi legit: cupere » Cophtos idem sentire, idemque esse cum sanctissima romana ecclesia, constitit, vultuque mutato, nubila fronte indignabundus ad astantes: nonne ita est, inquit, ut indicatum est? Nempe advenisse eos » significabat, ut Cophtos, totumque inde Aegypti regnum a Turcarum dominatione eriperent. Tum mahometanarum superstitionum antistes, cui Mophtes nomen, gravi supercilio, exurendos pronuntiat. » Deportantur inde in arcem, cui nomen Arcana: inque teterrimum » carcerem penitus intra quinque claustra repositum, abducuntur. Accusationis iniquissimae auctor numquam est plane compertus . . . . . . » Patres in teterrimo carcere, tametsi nuda humo cubandum ingratissimus odor exhauriendus, rerum omnia inopia, et aliae tolerandae » erant aerumnae: tamen solatium habebant ex communi convictu. Itaque confessione generali praeparati, in sanctis colloquiis orationibusque » perseverabant expectantes si forte digni haberentur, qui in sanctae » obedientiae religionisque catholicae causa vitam profunderent. Illa graviter angebat eos solicitudo, ne praeses Turca, quod semel, iterumque jactaverat, in omnem Cophtorum nationem crudelitatem et avaritiam verteret. Inde patres, quemadmodum visum est Christianissimi » Regis Venetorumque consulibus, qui causam studiosissime suscepere » de redemptione, passi sunt transigi: ii partim numerata pecunia, partim gemmis, summam aureorum quater millium pro quinque religiosorum totiusque nationis Cophtae libertate dederunt, quam pecuniam pro sua benignitate Gregorius Pontifex rependit . . . . Quarto » ex vigesimo die omnes nostri franciscanique liberati custodia: et mox » quamquam non sine mercede, scrinium quoque recuperatum cum » litteris ».

Joannes de Campo. Salinas in chron. prov. ss. xii. Apost. lib. 2. cap. 5. et lib. 6. cap. 4.

XLVIII. Coelesti potitus est gloria die xvi. Januarii in coenobio SS. Nominis Jesu Limae in regno Peruano provinciae SS. XII. Apostolorum Joannes de Campo. Is ex provincia Castellae eo adierat, ut apud eas gentes verbum Dei disseminaret. Prae suae sanctitatis et doctrinae praestantia ad tantam nominis sui celebritatem devenit, ut eum velut oraculum in difficilioribus negotiis consulerent. Ob regularis disciplinae observantiam, iteratis vicibus coenobiis, ipsaeque praefuit provinciae, verbo simul et exemplo pascens gregem sibi commissum. In provinciis Americae meridionalis commissarii generalis munus inculpate obivit, et prae humilitate, ut diximus, oblatum sibi archiepiscopatum constantissime recusavit. Licet puritate summa niteret, priusquam missae sacrificium celebraret, suam sacerdoti aperiebat conscientiam. Stranguria excruciatus peneque sensibus destitutus, vel patiendi desiderio, vel timore divini judicii, vel demissione animi actus in haec verba prorupit: *Purgatorium, Domine, antequam coelum.* Ad ejus tumulum accurrerunt cives, sacrum ejus corpus deosculaturi.

Ann. min. ad an. 1577. num. 90.

Alphonsus Rodriquez.

Joannes Ximenez part. 4. l. 8. c. 66.

XLIX. In provincia S. Joannis Baptistae die xxii. Februarii in coenobio S. Annae Villenae dioecesis Carthaginensis obiit Alphonsus Rodriquez ex Castella oriundus. Prius inter observantes, postea inter discalceatos adscriptus, utrobique tamen apud omnes sanctitatis fama refulsit. Oratione plurimum delectabatur, paupertatisque amantissimus, ad preces S. Paschalis Baylon ex italico in castellanum idioma *tractatum fr. Joannis a Fano de paupertate fratrum minorum* transtulit. Magni habitus est ab eodem Sancto maxime dum guardiani munus gerebat in conventu S. Annae Villenae et Jumillae, eique erat singulari necessitudine addictus. Apud coenobium S. Francisci Benicarlonis ejusdem provinciae quidam anonymus die xvii. Aprilis, in cujus sanctitatis beatitudinisque aeternae testimonium sequenti nocte auditi sunt angelici concentus. In coenobio S. Joannis Baptistae Zamorae provinciae S. Josephi ereptus est die xii. Julii Bartholomaeus de Aranda Dorii dioecesis Oxomensis, vir sincerae mentis, hilaris obedientiae, et humilitatis eximiae. Ejus sepulchrum, ob patentia signa, magno populi concursu honoratur.

Bartholomaeus de Aranda. Joannes a S. Maria in Chron. prov. lib. 2. cap. 38.

Martinus a Villanova. Alphonsus de Torres prov. Granat. pag. 299. Antonius a Cruce. Idem ibidem p. 362. et seq.

L. Ubedae in coenobio S. Francisci Martinus a Villanova sacerdos, in cujus morte auditi item sunt angelici concentus, et prae sanctitatis opinione ad ejus funus adstantes cives pro sua devotione habitus particulas, velut reliquias assumebant. Antonius a Cruce Montiliae natus ac inter franciscanos laudatae provinciae laicos cooptatus in conventu S. Laurentii ejusdem civitatis, tantum mox edidit perfectionis specimen, ut consumatus in sanctitate videretur. Cum haec in servo Dei humani generis hostis invideret, eum blanditiis pravisque adhortationibus a concepto fervore avocare satagebat. At ille arrepto in manibus S. Crucis ligno, ita daemonem insectabatur: *maledicte daemon, hoc Jesu Christi vexillum est; sicut ipse per illud te vicit, ita et sectatores ejus de te triumphum reportabunt. Hoc baculum peregrinationis meae erit, signumque quod super humeros deferam, ut vestigia Jesu Christi prosequar.* Quare daemon rubore suffusus non amplius ei insidias tetendit.

LI. Licet variis abjectisque monasterii muniis et laboribus detineretur, attamen perpetuum sibi ipsi pane et aqua indixit jejunium. Ut vero Christi Domini sitim in Cruce passi imitaretur, ab omni potu

toto quadragesimali tempore se abstinuit; at quibusdam transactis diebus, viribus pene destitutus, ad Jesu Christi Crucifixi pedes procumbens: *Domine et Deus meus*, inquiebat, *qui sitiens in Cruce, non aliud nisi felle et acetum tibi ad potandum, ut magis excruciares, oblatum est, miserere mei, mihique auxilium praesta, ut hanc sitim patiar; haec enim in tui memoriam ago, nec bibam, nisi te gloriose redivivum videam.* Quae Deus acceptans, totiusque quadragesimali tempore haud siti affectus est. Hinc sacro Paschatis die apparens ei Christus, jussit, ut potu et cibo reficeretur. Similia egit quadraginta dierum spatio ante Assumptionis Deiparae festum, quam summo prosequebatur devotionis affectu. A gravi infirmitate iterum correptus fuit; at recreatus B. Virginis praesentia sibi dicentis: *confide fili, cito sanaberis*, mox convalescere coepit. Infirmorum, leprosumque pedes lavabat, ulcera lambebat, et facto super eos Crucis signo, sanitati reddebat. Hinc ejus sanctitatis et prodigiorum fama longe lateque divulgata, ad eum variis infirmitatibus detenti, ut sospitatem assequerentur, confluebant. Verum ne id in aperto fieret, a loci praeside prohibitus, multa in occulto mirabilia peragebat. Praecipua notamus. Petro del Hoyo lethali morbo quatuor abhinc annis in oculo affecto, ejusdem oculum lingens, visum restituit. Ab eodem morbo sanavit quemdam incolam oppidi de Montalban, fistula in pedis planta laborantem. Nobilem Montiliae equitem desperato morbo patientem, ore ad ejus corpus admoto, et alterum Baenae virum incurabili vulnere sauciatum, Crucis signo e mortis limine eripuit.

LII. Dum autem obedientiae merito in saecularium domibus versabatur, quae ad mensam apposita erant, convivantium hortatu edebat, sed postea solitaria loca, aut coenobium petens, asperis cruentibusque flagellis membra caedebat. Angelica puritate ita exornatus erat, ut ex ejus corpore suavis odor continuo prodiret. In obediendo singularis evasit. Ob apoplexiae morbum quin posset moveri, graviter decubans, vix praesulis vocem qui velut ex joco ei dixit, ut ea mane sacerdotibus in sacrificio missae ministraret, audivit, protinus ex lectulo surgens, mirantibus fratribus, in sacrarium se transtulit. Prophetiae, ac scrutationis cordium dono illustris, futura praedixit, et hominum arcana aperuit. Miras itidem ecstases, fulgida luce ut plurimum circumfusus, in oratione, ac in rerum coelestium contemplatione patiebatur. Ante ejus obitum perfrui meruit visione et colloquio Seraphici Patris Francisci, et S. Antonii Patavini, cui novissimam sui mortis horam revelarunt. Enim die IX. Septembris aetatis suae anno XL. ingenti omnium moerore rapuit Deus Montiliae in coenobio S. Laurentii. Anno MDLXXXIX. reserato ejus tumulo, suavem odorem spirasse tradunt. Duobus a sua morte annis patri animam agenti in visu adfuit.

LIII. In conventu S. Francisci de Leiria provinciae Portugalliae Antonius Alemannus sacerdos, qui postquam cum magna effusione lacrymarum missam celebrasset, et sacra unctione munitus esset, ipso eodem die in senectute bona ad Dominum migravit. Confessarii munus diu exercuit in monasterio S. Clarae Ulyssiponensis. Joanni III. Portugalliae regi carus fuit. *Antonius Alemannus. Emmanuel a Spe t. 1. pag. 376.*

LIV. Die I. Martii in conventu S. Francisci Mexici Alphonsus, natus in oppido de Scalona Toletanae dioecesis an. MCDXCVI. Parente orbatus, *Alphonsus de Scalona.*

Gonzaga in prov. S. Evangelii pag. 1240. Huelamus in hierarchia prov. Carthag. part. 1. cap. 7. §. 9.

anno aetatis suae XVIII. habitum franciscanorum suscepit in provincia Carthaginensi. Philosophicis vacans institutionibus, cum e superiori claustro domus in medio atrio paxillis ludentes quosdam homines, eosque iterantes, quae agere in eo ludo homines solent, vidisset, taedio perculsus, a suis obtinuit, ut ad aliud coenobium mitteretur. Hinc misericordia animarum a daemonum fraude deceptarum motus, in novam Hispaniam anno MDXXXI. adiit, tribusque annis Tlaxcallae in provincia S. Evangelii commoratus, linguae Mexicanae addiscendae incubuit, desiderioque quo eam consequendi, ardebat, ita brevi tempore assequutus est, ut conciones utilissimas primus ediderit, in Guatemalicum postmodum idioma versas. Ferme DC. pueros in eadem civitate Taxcallae primis elementis grammaticalibusque rudimentis, insimul christianis fidei initiis imbuit. Nonnullis elapsis annis, cum ejus probitatem sodales plane noscerent, pleraque munia ei contulerunt, quae sedulo administravit. Saepius Mexici tironibus praefuit, guardiani ac diffinitoris iterum ufficio functus.

LV. Cum anno MDLIV. Guatemalam evangelici cultores mittendi essent Alphonsus ad hujusmodi profectionem sponte se obtulit. Hinc designatus novem religiosorum praeses, tercenta P. M. nudis pedibus confecit. Eo accitus cum egregiam fidei praedicationi operam navaret, ad ejus provinciae quae Insulana nuncupabatur, erectionem, quam ipse et observantes alii, de generalis ministri Andreae Insulani assensu, ad perfectionis regulae consuetudinem instituere cupiebant, in S. Evangelii provinciam revocatus est. Novae illius provinciae minister electus est, licet ob ingruentes difficultates illam ad optatum finem perducere non potuerit. Igitur cum Guatemalae provincia nondum esset in ordinem redacta, Francisco de Bustamente, novae tunc Hispaniae generali commissario agente, cum duobus patribus eo misit Alphonsum. Itineri se denuo an. MDLXII. commisit, Guatemalaeque commorans, aetatis suae an. LXXII. illius regionis idioma didicit, fideliumque Indorum confessiones excipiens. Post multos in fidei propagatione sex annorum spatio impensos labores, quia civitatis episcopus caverat ne infidelium conversio a religiosis tractaretur, iterum S. Evangelii provinciam repetiit. In itinere cum ad locum perdifficilem ac saxosum advenisset, conspicatus eum, admiratusque paupertatem, ac constantiam senex quidam hispanus, *nunc*, inquit *perspicio, quod cogitatione vix possem assequi, ut tam difficile et tam fragrosum iter senex unus sine galero aut baculo conficiat.*

LVI. Ingressus igitur anno MDLXVIII. Mexicum, minister provincialis eligitur. Provinciam nudis pedibus lustrabat, paupertatemque tam in victu, quam in vestitu mirifice colebat. Vino perraro, eoque usus est parcissime, idque magnis sociorum precibus adductus. Semel in die cibum sumebat, coenaeque tempore cella inclusus, verberibus se crudeliter caedebat. Unica tantum eaque obsoleta contentus erat tunica. Cum quadam hyeme provinciam visitaret, et per vallem de Tolna algidam incederet, eum intuitus hispanus: *Abraham,* dixit, *tempore ob decem pios homines pepercisset Deus Sodomae et Gomorrae; sed hodie (ut credo) propter sanctum hunc religiosum orbi parcet universo.* Pro Christo contemni maxime cupiebat. Dum Indorum saluti prospiceret, feria quinta majoris hebdomadae nudatis humeris suggestum conscen-

dens, seipsum acriter verberavit. Licet ex itinere defatigatus, et extra coenobium degens, media nocte matutinas preces recitabat. Somnum ad lectus angulum acclivis, lacera et vili culcitra super tabulas strata, suoque se palliolo cooeperiens, carpebat.

LVII. Cordium arcana aliquando ipsi patuerunt. Coenobium Civitatis Angelorum eo inhabitante, quidam aderat religiosus adolescens valido moerore concussus, qui cum in choro sanctum hunc senem conspexisset, ita intra se cogitabat: *si vir hic sanctus*, ut ajunt, *est, qui fieri potest, ut moerorem et afflictionem meam non cognoscat, meque vocet, et consoletur, quemadmodum S. P. N. Franciscus, S. Antonius, atque alii quamplures sancti viri faciebant, qui abditas et occultas fratrum cogitationes cognoscebant, eosque ad se vocatos consolabantur.* His vix expletis, eum sanctus senex in cellam vocavit, dicens: *frater quid habes? quis te moeror occupat? perspice quaeso non futurum, ut eventus aliquis justum contristet*; et solatus est adolescentem, qui liberatus est a moerore. Deus semel et iterum esurientem servum suum iter facientem per inaccessas Zacatlani montis rupes, atque per asperum de Tlalmanalio, aut voraginis, ut vocant, montem, Angelorum ministerio satiavit. Tot igitur laboribus attritus, pretiosam mortem oppetiit anno aetatis suae LXXXVIII. expletis LXX. in franciscano instituto. Demortui corpus, quod pulchrius quam viventis fuit, ad templum super humeros detulerunt pp. dominicanorum, atque augustinianorum priores, illorumque ordinum magistri. Ejusdem corpus integrum, suavissimoque odore perfusum inventum fuit variis post annis a novo Indiarum commissario, ministro provinciae S. Evangelii, guardianoque Mexicani coenobii. Scripsit *conciones evangelicas* lingua mexicana, quae postea conversae fuerunt in idioma guatemalicum; item eodem idiomate mexicano *commentarium in Decalogum*.

LVIII. In eodem coenobio die XVIII. Martii desideratus est Alphonsus Ordonetius ortus Numantiae in Castella Veteri, qui habitu seraphico indutus in conventu S. Francisci de Monte dioecesis Cordubensis in provincia Baetica, postea an. MDXXXVIII. profectus est in S. Evangelii provinciam. Mexicana et Otomica lingua, quibus concionabatur, optime calluit. Abstinentia et austeritate praestans fuit. Eximia charitate, benevolentia, et affabilitate caeteros complectebatur, spiritualique laetitia perfusus, in coelis jugiter conversari videbatur, Deoque suo unice defixus. Daemonis insidias, orationum ac poenitentiae vi, detegit ac delusit. Saepe guardiani munus laudabiliter exegit. Indam Otomicam ei adductam in oppido Nextlalpa juxta Tullam a diabulo vexatam, sua benedictione, crucisque signo ab illa super se facto, ab infestatione liberavit. Gravi correptus infirmitate, ex Tullensi coenobio Mexicum deductus, die qua praedixerat, meritorum plenus migravit ad Dominum.

Alphonsus Ordonetius. *Marianus ab Orcelar pag.* 247.

LIX. In Tetzcucano S. Antonii de Padua coenobio in provincia Nominis Jesu de Guatemala fr. Michael de Garrovillas, vir sane omni pietate praecellens. Hic cum ex oppido Garrovillas oriundus, franciscanae religionis habitum in provincia Pietatis apud Lusitanos sub praestantissimo patre fr. Joanne da Guadalupe suscepisset, postmodumque strictioris vitae ducendae causa in S. Gabrielis discalceatorum provinciam sub anno Domini MDXVI. se contulisset, animarum zelo ductus, in regio-

Michael de Garrovillas. *Marianus p.* 224.

nes Guatemalae cum laudato fratre Alphonso de Scalona, sub anno Domini MDXXXI. trajecit, caeterorumque hujus provinciae Patrum catalogo ascribi voluit. Qui licet indicum idioma ignoraret, nihilominus in infidelium conversione supra modum profecit. Nam ea fuit ejus paupertas, humilitas, patientia, humanitas, ac ea denique religio cum charitate conjuncta, ut hujus regionis indigenas in sui admirationem traxerit, atque ad bene christianeque vivendum incitarit. Nudis praeterea pedibus ad decrepitam usque aetatem incedens, aliquantuloque jusculo, et insipidis contentus herbis, centesimum cum in hoc vitae instituto annum attigisset, nec aliquid aliud in amictum praeter simplicem, pauperrimumque habitum admisisset, ecclesiasticis sacramentis de christiano more munitus, in Domino feliciter obdormivit.

Franciscus a Cruce. *Daza l. 2. c. 31. Ann. min. ad an. 1574. num. 89.*

LX. Franciscus a Cruce die VIII. Junii ad superos evolavit in conventu Transfigurationis Autlani in provincia SS. Apostolorum Petri et Pauli, in cujus funere campanae coenobii, nullo impellente, sonum edidere. In Vasconia natus, Parisiis per aliquot annos humanis divinisque litteris instructus fuit. Hispaniam, ubi contracta amicitia cum B. Nicolao Factore, petens, ex Baetica provincia ad occiduas Indiae regiones se transtulit. Indicum idioma feliciter assequutus, tantam infidelium messem collegit, ut vix sibi parem in eorumdem conversione habuerit. Nihil eo abstinentius, nihil continentius, humaniusque nihil fuit. Perpetuam virginitatem cum profundissima humilitate, miraque abstinentia conjunxit.

Joannes a Cruce. *Arturus ad diem 6. Julii. Gonzaga in prov. SS. Ap. Petri et Pauli pag. 1298. Ann. min. ad an. 1560. num. 4.*

LXI. Feliciter ad Dominum migravit die VI. Julii apud Tuchpanicum Xaliscorum oppidum in coenobio S. Joannis Baptistae Joannes a Cruce provinciae Aquitaniae antiquioris alumnus, professione laicus. Extitit quondam comes Joannis a Padilla martyris, qui simul apud Cibolam miros retulerunt animarum fructus. Dum moram trahebant in oppido Tignesio, ab omnibus supra modum comiter humaniterque habebantur. Joanne a Padilla cum socio alibi evangelizandi causa efferatas gentes Haziales vulgo nuncupatas profecto, Joannes a Cruce apud Tignesianos, ut in accepta fide magismagisque confirmarentur, remanere voluit. Hinc divino sibi assistente praesidio, licet litteris plane rudis, tanta dicendi facultate pollebat, ut ipsi ad fidem nuper conversi in benevolentiae ac devotionis signum, eum in ulnis saepius gestaverint, aliaque illi exultationis signa exhibuerint. Prae sua patientia, humilitate, abstinentia, benignitate, et charitate ad tantam apud Hispanos milites devenit existimationem, ut Franciscus Vasquez Coronado regis catholici exercitus praefectus, publico edicto caverit, quatenus Joannis de Cruce audito nomine, sese in peculiaris cujusdam honoris signum, vel inclinarent, vel caput detegerent. Is creditur, teste Gonzaga, in Cibolae missione affectus fuisse glorioso martyrio.

Ruffinus a Speranza, et Didacus Bernal. *Joan. Franciscus de S. Antonio t. 2. p. 199. et seq.*

LXII. Oborta maris procella in Maniliae sinu, praemium laborum suorum sumpserunt die V. Octobris Ruffinus a Speranza sacerdos, et Didacus Bernal laicus, dum pro negotiis custodiae S. Gregorii Romam adirent. E provincia Castellae ille oriundus ad Insulas Philippinas se contulerat, ut verbum Dei dissemineret. Tanta spiritus contentione salutem animarum exquirebat, ut facile esset animadvertere a Domino illic fuisse ablegatum ad illam vineam solicite excolendam. Saepe solitaria loca quaerebat, ut quietius et liberius soli Deo vacaret. Omnibus tamen

praesto aderat. Hinc cum quadam die in montanis asperis, soli Deo notus, versaretur, a quadam puella quaesitus, ut matrem elephantiae morbo detentam visitaret, domum ejusdem puellae adivit, baptismatis lavacro matrem et filiam regeneravit ac a matre elephantiae morbum statim depulit.

LXIII. Circa annum MDXXXIV. ad Indias occidentales profectus est Simon a Bruxella, qui licet professione laicus, non exiguos tamen ibidem retulit animarum fructus. De eo sic habet Arturus: *In Amachara Xaliscorum oppido B. Simonis a Bruxella confessoris, qui jugiter Indorum felici conversioni insudavit, et meritis virtutibusque ac veneranda canitie emicuit. Provinciae Germaniae inferioris fuit alumnus ac laicus professus.* Cum autem per annos quinquaginta et amplius ibidem sacerdotibus in vinea Domini laborantibus sedulo famulatus esset, tandem octogenarius huic saeculo valedixit, meritis ac virtutibus praeclarus; sepultus est in conventu S. Francisci ejusdem oppidi.

Simon a Bruxella. *Monum. prov. Germaniae inferioris. Arturus ad diem 30. Maii.*

LXIV. Joannes Fernalich Clissensis minister provinciae Bosniae Croatiae, qui cum die VIII. Septembris e coenobio S. Mariae Tersactensis ad civitatem Fluminensem ire cuperet, ad praeterfluentem amnem, vulgo *Fiumara*, se contulit; hic cum nullo esset ponte instructus, remigio et cymba erat transeundus. Premebant solicitum familiae patrem conventus negotia necessario expedienda; conscensa proinde navi, cum pluribus forensibus vadum pertransire tentavit. Sorte tamen infelici; nam rapidissima aquarum vehementia in propinquum mare delatus, atque a furentibus ejus procellis inversa navicula, omnes, unico excepto fr. Georgio Chirinich clerico ejus socio qui enatando mortem evaserat, fatali exitio submerguntur. Altera die, pacatis fluctibus, dum nautae submersorum corpora sacrato in loco tumulanda conquirere adlaborabant, ecce, res sane miranda! guardiani memorati corpus inventum fuit in maris profundo, duodecim circiter passibus a littore distans, genibus flexis, manibus in modum precantis elevatis, ac facie erga ecclesiam Tersactensem mirabiliter versa et protensa. Ejusdem corpus ex aquis extractum, honorifice communi fratrum tumulo intulerunt; post aliquot autem lustra incorruptum repertum, exinde speciali incluso loculo, in pariete juxta cathedram quietem invenit. Ita Valvasor apud Vigilium Greiderer.

Joan. Fernalich. *Greiderer tom. 1. l. 2. n. 414. p. 225.*

LXV. In coenobio S. Antonii Patavini Monachii provinciae Bavariae diem clausit extremum Wolfgangus Schmilckofer, magnus athleta contra Lutheranos, concionator aulicus, et minister ejusdem provinciae. Zelum suum pro fide catholica in Bavaria conservanda, pictura jam expressa in veteri aula Monachensi notum reddidit, scenam quam relaturi sumus, repraesentans. Dux Bavariae cum Saxonico ludum inire decreverat, vi cujus, si sit victor Saxonicus cum suis subditis catholicam fidem, si vero victus, Lutheri doctrinae una cum suis subditis amplecti teneatur. Resolutio a duce Boico, Saxoniam cum suo capite ex unguibus Lutheri ad sinum ecclesiae reducere intendente, bona quidem voluntas, sed sanae theologiae haud consona, hac via in bonam partem versa fuit. Serenissima uxor Bavarici ducis, Saxone jam aliquot alearum jactibus super istum victore, et brevi de religione catholica triumphaturo, illico ad P. Wolfgangum, ejus in tribunali moderatorem, ad portam superiorem, qua ad aulam patet aditus, quanta potuit festinatione currit,

Wolfgangus Schmilckofer. *Idem tom. 2. lib. 2, n. 214. pag. 371.*

ipsumqne advolantem instantis periculi admonet. Is in cubiculum colludentium principum mox ingressus, mensam una cum tabula lusoria evertit, lusumque duci Saxonio jam faventem interrumpit, hac objurgatione adhibita: *Quaenam haec, catholice princeps, periculi et temeritatis plena agendi ratio? Siccine veram et unice salvificam fidem romano-catholicam, a progenitoribus tuis tot saeculis jam cultam, solicite semper custoditam, armis etiam, et impendio bonorum tuorum defensatam, alearum jactui, ceu pulverem vento committis? absit hoc ingenitae tuae fortitudini leoninae tam indecens factum! absit haec lusui sanctam fidem exponens inconcessa audacia! dexteram tuam prius ferro armatam in hoc pectus meum stringas, quam his propudiosis aleis committas.* Hisce actis, periculum cui se dederat dux Bavariae expendens, condignis laudibus sanctum virum mox affecit. Obiit die XXII. Februarii, humatus in choro fratrum hac inscriptione: *A. Domini MDLXXXV. VIII. cal. Mart. Q. A. R. P. Fr. Wolfgangus Schmilckofer PP. et per XXX. an. Guard. Conc. Aul.*

LXVI. Ut anno MDXXXIV. decessit Martinus de Valentia novi orbis apostolus, populus oppidi Amaquemecam provinciae Tlalmanalci tanta eum veneratione prosequutus est, ut in sacro antro, ubi per multos haerebat dies, vel alibi, sive vestes sacerdotales, sive corporis indumenta studiose asservaverit. « Hinc anno, ita Waddingus, 1584. dum Joannes » Paez ord. praedicatorum, suorum fratrum in illo tractu Mexicano jam » pridem vicarius provincialis, et tunc Amaquemecanii coenobii itidem » vicarius, Martini famae, et virtutis amore illectus, cuperet et quae» reret aliquas ejusdem reliquias, serioque de hac re cum oppidanis » sermonem haberet, postero die ex illis unus secreto accessit, et ubi » aliquot Martini exuviae, crassa scilicet rudisque viri Dei tunica, » casulae duae lintei indici, et cilicium abscondebantur, revelavit. Dili» genti facta inquisitione, quem cupiebat, absconditum thesaurum inve» nit, et asportavit. Hujus inventionis monitus provincialis, jussit omnia » ad conventum Mexicanum S. Dominici transferri. Paruit vicarius, » accepta prius cautione de restituendis omnibus coenobio Amaqueme» cano. In magna illa urbe ad Martini vocem et pignora omnes avide » concurrerunt, et reliquias coluerunt adstante semper, et solicite res » suas custodiente vicario. Reductus in suum coenobium reposuit in » sacrario: sed dum cilicium et tunicam ne discinderentur in particulas, » custodire non posset, transferenda duxit in specum, quem ad sacelli » modum ornate composuit, appensa in medio lampade argentea, erecto » ex uno latere altari, ex altero Christi sepulchro, in quo ad Christi » jacentis pedes, quod ex cilicio, et tunica superfuit, per ferream crati» culam licet intueri. Prope vero altare appensae planetae ex opposito » conspiciuntur. Ea feruntur Indi pietate, et veneratione erga antrum » istud (quod usitato vocabulo appellant speluncam sancti fratris Martini) » ut tametsi foribus obseretur, nihilominus in alia proxima spelunca, » custodia semper advigilet Indorum. Die veneris semper illic fit sacrum » dominicae passionis, erga quam adeo tenere Martinus afficiebatur, » concurrente magna hominum multitudine tum illorum, qui sancti » viri affectu tenentur, tum aliorum illac Mexicum transeuntium. Reli» quiae autem cum in conspectum extrahuntur, conveniunt in antrum

Ann. min. ad an. 1534. num. 27. et 28.

Digitized by Google

» religiosi, accensisque cereis, vicarius sacris indutus, reliquias thure » adolet, atque reverenter expandit, offertque osculandas, canentibus » interim religiosis. Fiunt haec tam devoto ritu, ut antri religio, pia » modulatio, asperitas vestis et cilicii, ac memoria rigidae poenitentiae » a viro Dei illis peractae, durissima quaequa corda compungant, et » emolliant ».

LXVII. In ecclesia S. Mariae de Paradiso Viterbii in provincia Romana plures religiosos sanctitate insignes tumulo contectos fuisse, scribit his verbis Gonzaga: *quorum alter, licet a pluribus annis vita functus, integer adhuc omnino atque incorruptus in quadam chori sepultura perseverat; alius vero superiori anno, scilicet* 1584., *dum casu effossa terra sepulchrum aperiretur, eodem modo, suaviterque fragrans ex insperato apparuit.* Hinc non immerito putat Casimirus de Roma, alterum die XII. Augusti anni MDCXLV. de licentia Francisci Mariae cardinalis Brancacci urbis episcopi, ob novam in ecclesia aedificationem alio in loco dalatum fuisse, cujus intercedentibus meritis anno MDLXXXV. sospitatem assequutus fuerat filius Joannis Malanca. Aliud vero extitisse Joannis Francisci de Placentia corpus, qui S. Hyacinthae de Marescottis aetate in monasterio monialium S. Bernardini confessarii munus obibat, opinatur idem Casimirus. Verum cum S. Hyacintha vitales auras anno MDLXXXV. hauserit, jure inficiatur Flaminius de Parma illud esse Joannis Francisci de Placentia corpus.

Gonz. in prov. Romana conv. 4.

Casimirus de Roma pag. 463.

Idem ibidem.

Flaminius de Parma monum, histor. prov. Bononien. §. 3. pag. 256.

LXVIII. In conventu SS. XII. Apostolorum de Urbe decesserunt die XXV. Januarii magister Salvator Santucci Florentinus, at die VII. Julii Thaddaeus ab Auximo laicus, magno in pretio prae vitae sanctitate apud omnes habiti. Ea tempestate florebat inter eos Virgilius Pacifici de Monterubbiano oppido dioecesis Firmanae, S. Seraphini de Montegranario capucini familiaris, virtutumque ejus amulator eximius. In conventu S. Catharinae prope Scalabim tertii ordinis claustralium in provincia Portugalliae Andreas de Vaiga sacerdos, meritis cumulatus coelum conscendit die prima Aprilis. Fuit vir litteris satis notus; virtutibus autem miraculisque notissimus.

Salvator Santucci, et Thaddaeus ab Auximo.
Benoffi pag. 276.

Andreas de Veiga.
Hagiologium Lusitan. ad diem 1. *Aprilis.*

LXIX. Capucinorum instituto honorem auxit hoc anno justorum exitu Joannes Maria da Tissa Siculus XVIII. vicarius generalis, cujus praeconium intexuit hisce verbis Rodulphus: *vir .... vitae exemplo praestans, jejuniis deditus, solo pane et aqua contentus .... Rexit annos tres: obiit Romae, ob cujus mortem omnes ingemuere, qui eum familiariter noverant.* Moriens SS. Franciscus et Antonius sibi adstantes videre meruit, eum in eorum societatem vocantes. Jacobus Mediolanensis e nobili Jussanorum familia natus, ob integerrimam vitae probitatem, morum gravitatem, ac prudentiae amplitudinem a S. Carolo Borromaeo saepe saepius ad ecclesiae suae bonum adhibitus. Hinc a S. Antistite ad reformandum monasterium S. Agnetis, in quo regularis observantia penitus aruerat, missus, post multos labores moniales ad rectam disciplinae formam revocavit. S. Carolus eumdem in partem laboris assumpsit in illa gravissima lue, quae anno MDLXXVI. Mediolanensem agrum occupaverat. Tandem aegritudine correptus in lustratione suae provinciae, quam iterum ex obedientia administravit, die IV. Augusti e vivis eripitur. Eum aegrotantem invisit S. Carolus, qui ut nuncium

Joannes Maria a Tissa.
Rodulphus p. 201.
De Arembergh p. 10.

Jacobus Mediolanensis.
Idem pag. 111.

ejus mortis audivit, de eo dixisse ferunt: *doleo magnopere, quandoquidem magnus Dei servus nobis eripitur, et fidelissimum in onere mihi commisso cooperatorem amitto.* Reliquit a se scriptam *chronologiam fundationis provinciae Mediolanensis, et rerum mirabilium capucinorum usque ad annum* MDLXXX.

Hieronymus Mediolanensis. *Idem pag. 79.*

Hieronymus item Mediolanensis, socius Pacifici a S. Gervasio commissarii generalis apud Gallos, a quo missus Lugdunum, ipsius opera Lugdunensis S. Ludovici provincia initium accepit. Quamplures haereticos argumentorum vi concionumque suavitate ad ecclesiae gremium reddidit. Oratione, poenitentia, prophetiaque maxime inclaruit. Crucis signo varios aegrotos sanavit. Henricus III. Galliarum rex, apud quem valuit gratia, tanti viri obitum luxit. Decimoquarto post ejus mortem anno reserato tumulo, ejus corpus integrum apparuit; at anno MDCIX. cum ipsius ossa ad novam S. Francisci Lugdunensis ecclesiam transferenda forent, caeteris partibus in arenae modum resolutis, caput tamen ejus sanum ac cerebrum recens repertum est. Scripsit *tractatum de paupertate fratrum minorum.*

Hieronymus a Monteflorum. *Idem pag. 15.*

Arturus ad diem 23. Januarii.

LXX. Hieronymus de Monteflorum, Pratellus ab oppido supra Ariminum posito etiam dictus, meritorum plenus evolavit in coelum die XXIII. Januarii in coenobio Novanae dioecesis Firmanae. Ex minorum conventualium inter quos magisterii lauream acceperat, non vero ex observantium instituto, ut scribit Arturus, ad capucinos emigravit. Doctrina, ac vitae sanctitate cumulatus, provincialis, diffinitoris, procuratoris, ac demum vicarii generalis munus exegit, cujus studio in sua religione admodum floruit regularis perfectio, majorumque instituta. In vita et post mortem signis claruit. Italice scripsit *Historiam de origine et successione capucinorum usque ad annum MDLXXXIII.*

Benedictus a Colleamato. *De Arambergh p. 557.*

Benedictus ex gente Antonini a Colleamato oppido Camerinensis dioecesis laicus, socius peregrinationis Hieronymi de Monteflorum, cui anno aetatis suae LXVI. dum Novanae esset, obitus sui diem praedixit eo loci eventurum in die Parasceve, quod revera accidit. Commendabatur virtute patientiae, mansuetudinis, et orationis.

Anselmus de Petra Molaria. *Idem pag. 66.*

Ann. min. ad an. 1570. num. 67.

LXXI. Anselmus de Petra Molaria, a Theano etiam dictus, in saeculo inter celeres equites adscriptus, mox in melius commutatus, primum clericali habitu induitur, deinde inter capucinos cooptatus est. Hoc in instituto cum illustre sibi nomen comparasset, bello maritimo adversus Turcas anno MDLXX. in Creta instructo, datus est prae aliis socius Hieronymo Pistoriensi insigni viro, ac totius pontificiae classis in spiritualibus praefecto. Qui cum decessisset, ejus locum iniit, jubente Pontifice Pio V. *Quum dilectus filius* die X. Martii an. MDLXXI., Anselmus, ut capucinis praesset ad christianam classem mittendis. Silentio hic praetereundum non est praeclarum ipsius facinus, qui cum christiani nominis hostes in puppim suam irrumperent, Crucifixi imagine deposita, erreptoque gladio, septem eorum occidit, caeteros vero in fugam convertit. Anno MDLXXII. iterum profectus cum exercitu ducis Austriaci ad oppugnandum Abarinum, quae est arx Pelopponnesi in ore Messeniae apud Coriphatinm promontorium, a Turcis occupatum, rupe conscensa, inter sagittarum jacula ac ballistam incendiariam inimicorum illaesus evadens, a mane usque ad vesperas christianos milites ad pugnam hortabatur, aeneam Crucifixi imaginem manu gestans. Picenam provinciam repetens,

an. mdlxxviii. a Hieronymo de Monteflorum Lutetiam Parisiorum commissarius generalis instituitur, quod munus cum exacte explevisset, Camerinum appulsus, pronuntiatisque Prophetae verbis: *haec requies mea in saeculum saeculi*, uno vel altero die elapso sanctam efflavit animam. In conventu S. Genesii ejusdem provinciae decessit Fulgentius ab Asculo, unus ex triginta illis fratribus, qui sub Anselmo de Petra Molaria ad bellum navale contra Turcas gestum, processerunt. Is divina virtute servatus fuit a gemina ballista incendiaria, licet medius inter duos socios ab eodem ictu interemptos, constitisset. Sacerdotio initiatus est post ejus reditum in Picenam provinciam. S. Michaelem Archangelum ad aegrotantem advolantem vidit; caeco lumen restituit, quamdamque lacunam ob nimiam imbrium copiam refertam pedibus transmeare nequiverat, trium virorum sibi adparentium, equisque insidentium ministerio, qui repente ab ejus oculis evanere, cum aliis duobus sodalibus feliciter transiit. Pacificus a Sestino item Picenus, diu a suis occupatus in regimine novitiorum, quos verbo et exemplo sedulo informabat. Dum in cubiculo inclusus oraret, praefulgens quaedam stella ex eo erumpere visa est ab Andrea Beneventano sacerdote ejusdem instituti, moram eum eo trahente in coenobio Tipherni apud Metaurum. Cinguli ad coelestia migravit; Mathilicae Fabritius Camerinensis sacerdos, qui guardiano loci apparens coelesti gloria a Domino fuisse donatum narrat.

Fulgentius ab Asculo. *Idem. pag.* 439.

Pacificus a Sestino. *Idem pag.* 202.

Fabritius Camerinensis. *Idem pag.* 342.

LXXII. Romae obiit Mansuetus a Novellara laicus, austeritate vitae famosus; item Cyprianus a Montecorvino oppido Lucaniae in provincia Neapolitana sacerdos, humilis, innocens, pauper, omnium denique virtutum ornamento decorus, quem Deus inter homines quamplurimis miraculis illustrem reddidit, prophetiae spiritu exornavit; Aletini Ludovicus de Aletio novitius; in provincia Hetruriae Onuphrius Pistoriensis laicus, Barcinonae in conventu montis calvariae Paulus Barcinonensis clericus, quorum memoria ob praeclara virtutum merita adhuc in benedictione sunt. In eodem coenobio decessit Joseph Barcinonensis Petro Rocaberto ex baronum ordine, Caprariae dynasta apud Hispanos Tarraconenses illustri progenitus, observantium institutum ingressus, dum summa solertia theologicis studiis vacabat in Complutensi accademia. Sacerdotio initiatus, magno cum animarum lucro predicationis munus peregit. E coenobio Reusii ubi theologicam disciplinam plerisque auditoribus tradebat, Barcinonam fama excitus capucinorum, qui ea in urbe mox convenerant, se recepit. Eorumdem vivendi ratione allectus, anno aetatis suae l. inter eos cooptatus est. Patientia, corporis castigatione, charitate erga Deum et proximum plurimum exornabatur, humilitate praesertim, itant neminem unquam sive sacerdotem sive laicum, nisi genuflexus, aut alloqueretur, aut sibi alloquentem audiret. Saeculari sciscitanti, quot in seraphica religione annos exegisset, respondit: *ne amice quaeras, quot mihi in religione annos enumerem: quaeres potius quot mihi in religione virtutes comparaverim: ac tunc respondebo, nullas; neque enim annorum, sed virtutum ac bonorum operum numerus religiosum virum exornat: diuturnum quippe tempus in religione absque virtute transactum, ignominiam potius ac verecundiam, quam gloriam religioso homini comparat.* Expletis in eodem sodalitio sex annis, obiit cum sanctitatis fama, quam Deus testatam voluit plu-

Mansuetus a Novellara. Cyprianus a Montecorvino. *Idem p.* 161. *et* 208.

Ludovicus de Aletio. Onuphrius Pistoriensis. Paulus Barcinonensis. *Idem pag.* 510. 513. *et* 559. Joseph Barcinonensis. *Idem pag.* 377.

Boverius t. 2. *p.* 158.

ribus ad ejus tumulum patratis miraculis. Primus omnium in Hispania *orationem quadraginta horarum sermonibus* celebravit. Scripsit etiam *Sermones de tempore*.

Sbaralea lit. I.

LXXIII. In provincia Hetruriae obiit Liberius a Cortona sacerdos, et Joannes Pisanus laicus; in provincia Neapolitana Franciscus a Concha sacerdos, ac fervidus Dei praeco. Hic Panormum adnavigans, a Turcarum piratis captus, ac Algerium ductus, mira patientia inter asperos servitutis labores, Dei magnalia barbaris reserans, migravit ad Dominum. Ea in captivitate unam scripsit *epistolam ad vicarium provinciae Neapolitanae*, in qua captivitatem suam referens, spiritus sui fervorem in tribulationibus et aerumnis illi aperit; in Barensi provincia Franciscus a Nucibus laicus, in domibus fratrum aedificandis, quoad vixit, summa humilitate occupatus; in Lucana demum provincia Philippus a Marsico Veteri laicus, orationi studiosissimus. Horum illustrium virorum acta fusa oratione prosequitur Boverius.

Liberius a Cortona. Joannes Pisanus. Franciscus a Concha. *De Arembergh p.* 391. 440. *et* 560. Franciscus a Nucibus. *Idem pag.* 560. Philippus a Marsico Veteri. *Idem pag.* 561.

LXXIV. Virgines etiam coelestem gloriae coronam acceperunt; apud monasterium Conceptionis Ulmeti dioecesis Abulensis die xi. Januarii Gratia Botella, in orationis fervore saepe mentis excessum experta, quae ante mortem ex valetudinario in sacellum monasterii suis pedibus descendit, Christi corpus pro viatico sumptura, eoque accepto in cellam regressa, paullopost expiravit, vultu dum viveret deformi, post mortem specioso; in monasterio de Jesu Mediolani die x. Februarii soror Scholastica Mediolanensis orationi, meditationi, sensuumque mortificationi jugiter intenta; perfectioni sic erat addicta, ut brevi tempore singularium charismatum exemplar effulserit. Ob crebra miracula, ex communi sororum sarcophago ejus corpus eductum, peculiare sortita est sepulchrum in laterali ecclesiae pariete; die xxii. Augusti in monasterio Allaritio provinciae S. Jacobi Theresia Garcia in oppido Montis Rosae nobili genere nata, multis virtutibus, humilitate tamen nobilior. Saepe omnium sororum voto abbatissa fuit expetita, et delatum sibi munus semper recusavit; ne vero videretur laborem, sodaliumque subterfugere obsequium, vicariae officium admisit, in quo charitatis exercendae nullam occasionem praetermisit. Revelationibus divinis affecta, mortem eadem hora, qua decessit annuntiavit uni ex sororibus in regno Portugalliae degenti, eique albis induta vestibus, palmam in dextera gestans ac ad coelos ascendens apparuit. Post ejus obitum Leonora Selgada ipsius neptis, longo molestoque laborans morbo, instituto orationum novenario, rogabat impense fr. Garsiam Blandesium an. MCCCXXXII. defunctum, ut mederetur. Hic apparens dixit, exauditam propter amitae in coelis pro illa rogantis merita, et ex illa hora perfecte convaluit.

Gratia Botella. *Monum. mss. prov. Conceptionis.* Scholastica Mediolanensis. *Valerianus lib.* 4. *de BB. Feminis ord. min. cap.* 46. Theresia Garcia. *Monum. mss. prov. S. Jacobi.* *Ann. min. ed. an.* 1332. *num.* 3.

LXXV. In monasterio S. Clarae Forojulii provinciae Granatensis rapta est Maria a S. Francisco, quae per monasterii scalas delapsa, patientissime septem annorum spatio tibiae suae fracturam tulit; in monasterio S. Clarae Ubedae Isabella de Segura, spiritu prophetico illustris; in monasterio S. Clarae Cordubae Anna de Villavencio, assiduis flagellis corpus ad sanguinis usque effusionem domans; in monasterio S. Antonii Baetiae Joanna a Bustamante humanis litteris instructa, lacrymarumque dono in fundendis precibus a Deo ditata.

Maria a S. Francisco. *De Torres in prov. Granat. pag.* 509. Isabella de Segura. *Idem ibid. p.* 537. Anna de Villavencio. *Idem ibid. p.* 551. Joanna a Bustamante. *Idem ibid. p.* 581.

Anno Christi	Gregorii XIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1584.	an. 12. et 13.	anno 8.	an. 377.

LXXVI. Bartholomaeus Fusorius vicarius Neosandecensis hoc anno, ut matris suae gravi morbo laborantis incolumitati consuleret, Cracoviam pro medicamentis festinanter in equo perrexit; quo ex itinere icteria infectus, valde debilitatus mansit; accessit postea febris continua, quae ipsum veluti morti proximum reddidit. Interim mater ejus convaluit, et de filio solicita, curavit ipsum deferri ad sepulchrum B. Cunegundis; cui dum esset vicinus, ad puteum beatae hujus virginis properari mandavit, ex quo hausta aqua statim vires recepit, in crastino icteria liberatus; et postea eadem die ad vesperam reliquit eumdem febris, ita ut tertia die suis viribus ad ecclesiam et locum B. Cunegundis venerit.

Acta SS. ad diem 24. Julii tom. 5. pag. 756.

LXXVII. Petrus Secundez minister provinciae S. Jacobi hoc anno ossa Roderici Martinez de Lara ex Monte Vallis de Rago, ubi asperrimam vitam duxerat, ac sancte decesserat, ad ecclesiam S. Francisci observantium Zamorae, totius urbis laetitia transtulit, reposuitque in sepulchro lapideo ad summi altaris dexteram. Etiam in sacello S. Catharinae ecclesiae S. Francisci observantium Salmanticae pyramis conspicitur, quae partem ejusdem b. Patris ossium continet. Minus recte scribit Arturus Rodericum Martinez de Lara eumdem esse ac Rodericum Robicinum, de quo plura Waddingus. Nam ille ad S. Jacobi, iste vero ad provinciam Portugalliae pertinet, interimque diversa aetate floruere.

Gonzaga in prov. S. Jacobi conv. 7. Ann. min. ad an. 1260. num. 59.

Idem. ibid. conv. 8.

Arturus ad diem 13. Junii. Ann. min. ad an. 1381. num. 2.

LXXVIII. Revocat Summus Pontifex indulta ingrediendi monasteria monialium, praeterquam concessa fundatricibus, dotatricibus, altricibus, et conjugibus, earumque filiabus marchionum, comitum, ducum, etc. *Quae sanctimonialium* die viii. Septembris; confirmat concordiam initam inter fratres conventuales, et Josephum de Albertis Terrae Monagnae dioecesis Spoletanae: *Exponi nobis* die ultima Aprilis; approbat alienationem fundi pro satisfactione cujusdam debiti, quod an. mdlxxii. Sebastianus de Gerardinis guardianus domus S. Francisci conventualium oppidi Valentiae dioecesis Papiensis contraxerat pro celebratione capituli provincialis: *Exponi nobis* v. calendas Maii; commutat voluntatem testatoris pro reficiendis domibus fratrum conventualium et observantium Isernien. *Exponi nobis* die i. Januarii; indulget ut Maria et Birgitta moniales S. Clarae Montisl::cis Perusiae, ex defectu lineae masculinae capere et vendere possint omnia bona quondam Urbani Pantani, eorumque redditus eidem monasterio applicare: *Exponi nobis* die i. Julii; ut pro monialibus capucinis de Monte Quirinali Urbis annuatim nonnulla vini dolia sine gabella, aut alio onere advehi possint per mare: *Volentes* die xx. Decembris; ut moniales monasterii S. Clarae extra muros Burgensis persolvant divinum officium et missam ab ecclesia praescriptum in honorem SS. Ursulae et sociarum martyrum: *Ut piae devotioni* die xxii. Decembris; ut praeter numerum monialium praefinitum admittatur in monasterio de Spe extra muros Ulyssiponensi Maria de Sylva: *Permittimus* die xv. Septembris; ut Maria de Orelana vidua Gometii Soarez de Figueroa oppidi de Castra Pacensis dioecesis, et Maria ejus filia ingredi possint in monasterium monialium S. Clarae dicti oppidi a suis fundatum, et dotatum: *Precibus pro parte vestra* die v. Junii; ut Francisca de Figueroa comitissa de Puela de Montalban Toletanae dioecesis quater in anno ingredi possit monasterium monialium Con-

ceptionis ejusdem oppidi a majoribus suis aedificatum: *Precibus pro parte tua* die xxiv. Julii; similia indulsit Joannae Pacecho filiae ejusdem comitis; ut Mensia de Aquilar juvenis nobilis quondam Petri de Fonseca filia permanere possit in monasterio S. Annae Pacensis a suis erectum, donec componatur controversia inter se et fratres suos super bonorum haereditatem: *Exponi nobis* die iv. Februarii; ut Eleonora Mascharena Philippi II. Hispaniarum regis, et Caroli ejus filii nutrix ingredi possit in monasterium Matritense S. Mariae Angelorum ab ipsamet an. MDLXIV. fundatum, redditibusque ditatum, ac cum monialibus vesci, ibique pro lubitu pernoctare: *Exponi nobis* die x. Augusti; ut ad valetudinem recuperandam Agnes Henriquez monialis monasterii ordinis Cisterciensis de las Huelgas transire possit ad monasterium Conceptionis terrae S. Agathae Burgensis dioecesis, suorum tamen consanguineorum expensis: *Exponi nobis* die xiv. Martii; ut Isabella Henriquez mulier nobilis Ulyssiponensis simul cum ancilla possit degere usque ad mortem in habitu saeculari in monasterio S. Clarae ejusdem civitatis, cui omnia sua bona eidem monasterio erogaverat: *Permittimus vobis* die xxx. Januarii; ut Isabella Manrique de Paredes ingredi possit in monasterium S. Mariae de consolatione in loco de Calabazanos Palentinensis dioecesis a suis excitatum, opibusque auctum: *Precibus pro parte* die xxx. Maii; ut Maria de Parca mulier oppidi de Alanguer Ulyssiponensis dioecesis in veste saeculari una cum sua ancilla quoad vixerit diversare possit inter moniales monasterii ejusdem oppidi, quod ad mille cruciatorum summam auxit: *Permittimus vobis* die xix. Martii; ut Joanna Baptista de Hugnetto mulier nobilis villae de Mozon una cum duabus honestis ancillis bis in anno ingredi possit in monasterium monialium S. Luciae civitatis Barbastrensis, interesse divinis officiis, refectionem sumere, dummodo ibidem non pernoctet: *Precibus pro parte* die ultima Augusti; ut Paula marchionissa uxor Ferrantes marchionis terrae Castillioni Brixiensis dioecesis possit ingredi per unum ex duobus viridariis domus S. Mariae observantium dictae terrae: *Exponi nobis* die x. Septembris; ut Antonietta ducissa de Montmoransi semel in anno ingredi valeat coenobia capucinorum Biterren. nimirum, et Agaten. a suo viro fundata: *Pro parte tua* die xix. Novembris; ut Laurentius a S. Maria in Ponte possit absque conscientiae scrupulo una cum socio ubilibet emendicare pro locis Terrae Sanctae: *Cum sicut nobis* die i. Martii.

LXXIX. Altaria privilegiata pro animabus Purgatorii. Altare S. Antonii de Padua parochialis ecclesiae S. Nicolai terrae Casteluciae dioecesis Caputaquen. *Omnium saluti* idibus Julii; altare S. Francisci ecclesiae B. Mariae Jesu terrae Licodiae ordinis minorum conventualium Syracusan. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Julii; altare S. Agathae ecclesiae S. Mariae Gratiarum observantium Prati Albuini Brixien. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Julii; altare S. Catharinae ecclesiae S. Mariae Succursus capucinorum Parisien. *Omnium saluti* iv. idus Julii; altare SS. Crucifixi ecclesiae S. Francisci Ecclesien. minorum conventualium: *Omnium saluti* idibus Maii; altare Assumptionis ecclesiae S. Mariae de Gratia conventualium Strongulen. *Omnium saluti* calendis Maii; altare S. Annae ecclesiae S. Andreae Leopolien. fratrum de observantia: *Omnium saluti* calend. Junii; altare Assumptionis ecclesiae S. Francisci

observantium oppidi de Cifuentes Seguntin. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Octobris; altare S. Annae ecclesiae S. Francisci minorum observantium oppidi de Xerez de Frontera dioecesis Hispalen. *Omnium saluti* III. idus Octobris; altare quinque Protomartyrum ordinis ecclesiae S. Francisci conventualium oppidi Estensis Paduan. dioecesis: *Omnium saluti* VI. idus Octobris; altare B. Mariae de Pietate, et S. Crucis ecclesiae S. Francisci minorum conventualium Augustan. provinciae Tharantasien. *Omnium saluti* III. idus Junii; altare S. Antonii de Padua ecclesiae S. Francisci Vercellen. conventualium: *Omnium saluti* idibus Aprilis; altare a guardiano eligendum ecclesiae S. Joannis Evangelistae observantium loci de Cambo Quiten. dioecesis: *Omnium saluti* v. idus Aprilis; altare S. Francisci ecclesiae Conceptionis B. Mariae minorum observantium de la Tagunga Quiten. dioecesis: *Omnium saluti* v. idus Aprilis; altare Conceptionis ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi civitatis de Laxa Quiten. dioecesis: *Omnium saluti* v. idus Aprilis; altare Conceptionis ecclesiae S. Francisci oppidi civitatis de Cuenga fratrum de observantia Quiten. dioecesis: *Omnium saluti* v. idus Aprilis; altare a guardiano designandum ecclesiae S. Francisci observantium de Otabalo Quiten. dioecesis: *Omnium saluti* v. idus Aprilis; altare Conceptionis ecclesiae S. Francisci de observantia Pompayan. *Omnium saluti* v. idus Aprilis; altare a guardiano eligendum ecclesiae S. Antonii de Padua observantium loci S. Joannis de Passu Quiten. dioecesis: *Omnium saluti* v. idus Aprilis; altare Annuntiationis ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi de Victoria Calagurritan. dioecesis: *Omnium saluti* III. nonas Aprilis; altare S. Francisci ecclesiae saecularis B. Mariae insignis oppidi Tolosae dioecesis Pampilonen. *Omnium saluti* III. nonas Aprilis; altare Conceptionis ecclesiae S. Antonii de Tito observantium Potentin. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Aprilis; altare S. Ludovici ecclesiae S. Crucis minorum observantium extra muros Comen. *Omnium saluti* III. nonas Aprilis; altare a guardiano eligendum ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi de Elgoybar Calagurritan. dioecesis: *Omnium saluti* III. nonas Aprilis; altare B. Mariae Angelorum ecclesiae S. Francisci observantium oppidi civitatis de Balaguer Urgellen. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Aprilis; altare S. Ildefonsi ecclesiae S. Francisci de observantia insignis oppidi de Alcazar nullius dioecesis provinciae Toletanae: *Omnium saluti* VI. idus Aprilis; altare Conceptionis parochialis ecclesiae S. M. de Conceptione terrae Flumanae de Muro Regien. dioecesis: *Omnium saluti* v. calendas Aprilis; altare a guardiano designandum ecclesiae S. Francisci observantium insignis oppidi Avessiaci Gebenen. dioecesis: *Omnium saluti* VI. calend. Aprilis; altare SS. Crucifixi ecclesiae S. Francisci de observantia de Medina de Pomar dioecesis Burgen. *Omnium saluti* III. nonas Julii; altare S. Bernardini ecclesiae S. Mariae de Gaudino observantium Bergomen. *Omnium saluti* idibus Julii; altare a guardiano eligendum ecclesiae S. Francisci minorum observantium Castri Aneti Carnoten. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Augusti; altare Epiphaniae Domini ecclesiae S. Bernardini insignis oppidi de Herrera de Rivos Passuerga fratrum de observantia Palentin. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Augusti; altare SS. Crucifixi ecclesiae S. Francisci observantium de Hajara Calagurritan. dioecesis: *Omnium saluti* III. nonas

Augusti; altare S. Mariae Chori ecclesiae S. Francisci Melphien. minorum conventualium: *Omnium saluti* III. nonas Augusti; altare S. Andreae ecclesiae S. Francisci observantium oppidi civitatis de Soria dioecesis Oxomen. *Omnium saluti* pridie nonas Augusti; altare S. Mariae Constantinopolitan. ecclesiae S. Francisci de observantia Petrepertosae Materanen. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Julii; altare D. N. Jesu Christi ecclesiae S. Francisci conventualium Mazarien. *Omnium saluti* idibus Augusti; altare Spiritus Sancti ecclesiae S. Mariae ad Nives observantium oppidi Laorensanae Acherontin. dioecesis: *Omnium saluti* calend. Augusti; altare a guardiano designandum ecclesiae S. Sebastiani de Havo observantium Burgen. dioecesis: *Omnium saluti* III. calend. Septembris; altare Pietatis ecclesiae Spiritus Sancti fratrum capucinorum Capuan. *Omnium saluti* idibus Augusti; altare SS. Crucifixi ecclesiae S. Francisci de Charitate Bononien. fratrum tertiariorum: *Omnium saluti* pridie calendas . . . . altare S. Annae ecclesiae S. Francisci observantium de Torrijos Toletan. dioecesis: *Omnium saluti* nonis Septembris; altare B. Mariae de Loreto ecclesiae S. Francisci de observantia oppidi de Sarinvena Oscen. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Septembris; altare Conceptionis parochialis ecclesiae Lacus Liberi Policastren. dioecesis: *Omnium saluti* XIV. calend. Octobris; altare S. Joannis Baptistae ecclesiae S. Francisci observantium oppidi de Benavente Legionen. dioecesis: *Omnium saluti* III. calend. Septembris; altare S. Annae ecclesiae S. Joannis Evangelistae minorum observantium oppidi de Torre Toletan. dioecesis: *Omnium saluti* pridie idus Septembris; altare S. Antonii de Padua ecclesiae ejusdem nominis de Montesancto observantium Firmanae dioecesis: *Omnium saluti* calendis Octobris; altare B. Mariae ecclesiae S. Salvatoris Cremonen. tertii ordinis fratrum minorum: *Omnium saluti* calendis Septembris; altare S. Mariae Magdalenae ecclesiae S. Jacobi observantium extra muros Cinguli Auximan. dioecesis: *Omnium saluti* VI. calend. Octobris; altare S. Bernardini ecclesiae S. Francisci de observantia terrae de Villalon. Legionen. dioecesis: *Omnium saluti* idibus Septembris; altare S. Joannis Baptistae ecclesiae S. Francisci fratrum de observantia Legionen. *Omnium saluti* pridie idus Septembris.

LXXX. Largitur indulgentiam stationum Urbis monialibus capucinis monasterii de Hierusalem Neapolis visitantibus quinque altaria intra claustra ejusdem monasterii: *Ad augendam* die XXIX. Septembris; idem largitur Pontifex Carolo a Lotharingia duci Humaliae, familiaribus et domesticis visitantibus septem altaria ecclesiae S. Francisci castri Anneti Carnotensis dioecesis, ipsius castri domino: *Cupientes* die VIII. Augusti; item ejus precibus pro annis XX. cunctis fidelibus plenariam concedit indulgentiam eamdem ecclesiam visitantibus in festivitatibus Assumptionis, Conceptionis B. Mariae Virginis, Pentecostes, et S. Francisci: *Ad augendam* die VIII. Augusti; indulgentiam pro confraternitate S. Bernardini in ecclesia S. Francisci conventualium terrae Francavillae Brundusinae dioecesis in die festi B. Bernardi, Purificationis B. Mariae Virginis, Pentecostes, Nativitatis, et Resurrectionis D. N. Jesu Christi: *De salute gregis* calendis Augusti; confirmat statuta confraternitatis Purificationis B. Mariae Virginis erectae in ecclesia observantium Luci Vicennarum, exorante Pontificem Henrico III. Galliarum rege: *Post con-*

Digitized by Google

firmationem die xv. Decembris. Hoc eodem anno die xxx. Septembris Forolivii in ecclesia S. Hieronymi erecta est sodalitas Conceptionis in altare ejusdem B. Mariae Virginis. Hoc loci ponimus breve ejusdem Pontificis, quo voluntatem cujusdam testatoris commutat: *Exponi nobis* die I. Januarii.

Flaminius a Parma tom. pag. 555.

LXXXI. Caetera Pontificis diplomata inscripta sunt a Petro de Alva. Pro sacello Conceptionis in ecclesia Caesenaten. *Apostolicae Sedis* nonis Augusti; pro coenobio conventualium Lictan. *Ex commisso* nonis Augusti; pro monasterio Conceptionis de Beja Elboren. *Provisionis nostrae* IX. calendas Septembris; pro monasterio S. Raphaelis Florentiae: *Ex injuncto nobis* calendis Januarii; pro cappellania Conceptionis in ecclesia B. Mariae Majoris terrae Riouae: *Dignam* idibus Julii; pro monasterio clarissarum S. Andreae Lucan. *Ex solita apostolicae* idibus Septembris; pro cappellania Conceptionis in ecclesia S. Michaelis de Bendotio Faventin. *Pastoris aeterni* calendis Januarii; pro archiconfraternitate Gonfalonis: *Redemptoris nostri* die xx. Februarii; pro congregationibus Societatis Jesu indulgentia Conceptionis: *Omnipotentis Dei* nonis Decembris.

Petrus de Alva in indiculo Bullarii.

LXXXII. Die x. Aprilis anni MDLXXXV. vitae cursum, cui adstitit et cardinalis Felix Peretti, sanctissime complevit Summus Pontifex Gregorius XIII. expleto pontificatus sui anno XII. mensibus X. ac diebus XXVIII. Multa seraphico minorum ordini contulit beneficia, ut legenti patet summam rerum cujuslibet anni. Plurium scriptorum testimonio comprobatur, eo momento quo ipse animam agebat, quemdam integerrimum religiosum franciscanum in Aracoelitano coenobio decumbentem, mortique proximum, loquela ac sentiendi vi penitus destitutum, veluti e gravi somno expergefactum, vultu manibusque in coelum elatis, laetitia gestientem haec coram adstantibus protulisse: *Aspicite, aspicite, Gregorii animam Angelorum ministerio ad beatorum sedes evolantem. O felicem animam!* Mox ille obmutescens, hilari vultu innocentem efflavit animam. Facti memoriam scriptis tradiderunt non infimae notae scriptores, Vittorelli apud Ciaconium, Celsus Falconi, Franciscus Tuzi Jesuita, aliique quamplures.

Tempesti lib. 3. n. 21.

Ciaconius tom. 4. colum. 12. Falconi memorie storiche della Città di Bologna p. 620. Tuzi memorie storiche della Città di Soria pag. 164.

REGESTUM
PONTIFICIUM

GREGORII XIII.

ANNO CHRISTI 1575. PONTIFICATUS AN. 3. ET 4.

I.

Confirmat divisionem provinciae Terrae Laboris. Ex regest. Secretariae Brevium lib. 1. fol. 570.

Ad futuram rei memoriam

REgimini universalis ecclesiae, dante Domino, praesidentes, ea quae per superiores Ordinum ad religionis commodum, et publicam illius quietem bona mente statuta fuisse dicuntur, ut firma, et perpetuo illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, aliaque desuper disponimus, prout rerum et temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi sane nobis nuper fecit dil. filius Christophorus a Capitefontium totius ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. minister generalis, quod cum in provincia Terrae Laboris, quae valde lata, et ampla existit, quamplures domus dicti ordinis essent, quarum multae in locis asperis, et fere inaccessibilibus sitae sunt, et propter nimiam ipsius provinciae latitudinem, et dictarum domorum de uno ad aliud extremum distantiam, quae est plus quam cc. mill., minister provincialis dicti ordinis pro tempore existens easdem domus diligenter, quoties opus esset, visitare nequibat; unde dil. filii guardiani et fratres in eorum officio, et obedientia, ac institutis regularibus haud facile continebantur, ac multis in locis regularis observantiae disciplina relaxabatur, et quod deterius erat, si aliquando contigisset, quod aliquis minister, seu guardianus dicti ordinis esset de Terra Laboris, et aliquem fratrem de Principatu, talem ministrum, seu guardianum suspectum esse allegabat, et ab eo male contra ipsum affecto non quod ita mereretur, puniri praetendebat; idemque esset de guardianis, quando erant de Principatu, vel Terra Laboris; adeo quod loco pacis, sine qua nullum bonum inter fratres esse potest, quamplures zizaniae, contentiones, et differentiae inter eos quotidie suscitabantur, in animarum suarum perniciem, Di-

Digitized by Google

vini Numinis offensam, et fidelium, bonorumque omnium scandalum; et propterea praefatus Christophorus minister generalis, ut boni pastoris officio convenit, scandalis, et periculosis exemplis hujusmodi occurrere, et ut ipsius ordinis superiorum auctoritas conservaretur, quantum in se erat, salubriter providere volens, habitoque super hoc cum prudentioribus, et senioribus fratribus dictae provinciae maturo consilio, provinciam Terrae Laboris praedictam in duas provincias, quarum una provincia Terrae Laboris, et altera provincia Principatus nuncuparentur, sub nostro et apostolico beneplacito divisit, et separavit; ita quod de cetero tamquam duae provinciae invicem separatae cognoscerentur, illaeque a duobus ministris provincialibus regerentur, et unaquaeque ex eis suum capitulum provinciale quemadmodum aliae provinciae dicti ordinis haberet; quodque sigillum provinciae Terrae Laboris penes illius ministrum remaneret, ac aliud novum sigillum pro dicta provincia Principatus, quo illius minister, ejusque officiales uterentur, fieri deberet, prout in litteris ipsius Christophori ministri generalis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ipsius religionis intersit divisionem, et separationem praedictam per Christophorum ministrum generalem, ut praefertur, factam, tamquam ad ejusdem ordinis propagationem, decus, et utilitatem tendentem auctoritate apostolica approbari; ideo praefatus Christophorus minister generalis suo, et totius ordinis hujusmodi nomine nobis humiliter supplicari fecit, ut illis apostolicae confirmationis robur adjicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ne quod pro religionis bono statutum est, in illius detrimentum redundet, providere volentes, nec non verios litterarum praedictarum, et inde sequutorum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, divisionem, et separationem praedictas apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque perpetuo firmitatis robur adjicimus, nec non omnes et singulos juris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in iisdem supplemus. Et nihilominus potiori pro cautela provinciam Terrae Laboris praedictam in duas provincias, unam videlicet Terrae Laboris, et alteram Principatus hujusmodi per duos ministros provinciales dicti ordinis regendas, his prorsus modo, et forma, quibus per dictum Christophorum ministrum generalem divisa, separata, eisdemque auctoritate et tenore perpetuo de novo dividimus, separamus, nec non divisionem, separationem praedictam validam et efficacem fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et inviolabiliter observari, et sic per quoscumque judices etc. Quocirca ven. fratri episcopo Salernitano, et dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae, ac nostro, et apostolicae sedis in regno Neapolis Nuncio nunc et pro tempore existenti per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium, sive alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro eorum, quos illa concernunt, parte fuerint requisiti solemniter publicantes, sibique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac personas, quas illa concernunt, confirmatione, approbatione, adjectione, suppletione nostris divisione, separatione, statuto, ordina-

tione, et decreto, aliisque praedictis pacifice frui, et gaudere, non permittentes eos per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet et rebelles censuris et poenis ecclesiasticis, aliisque juris remediis auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, illos censuras et poenas hujusmodi incurrisse declarandi, illas etiam iteratis vicibus aggravandi, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, et concilii generalis de duabus dietis, et dummodo quis auctoritate praesentium ultra tres dietas non extrahatur, necnon Julii III. et cujusvis alterius praedecessoris nostri hujusmodi divisionem prohibent., et aliis apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, necnon dicti ordinis etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII. Septembris anno IV.

II.

Ut recipiant ecclesiam S. Mariae in Paradiso oppidi Pizzuli. Ex archivo Aracoelitano.

Dilectis filiis guardiano, et fratribus domus S. Bernardini Aquilan. ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat.

Piis fidelium votis, quae religionis propagationem, divinique cultus augmentum respiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Expositum siquidem nobis tam vestro quam dil. filiorum Ferdinandi de Torres militis militiae S. Jacobi de Spatha ordinis S. Augustini domini in temporalibus oppidi Pizzuli, ac universitatis et hominum dicti oppidi Aquilan. dioecesis provinciae ulterioris Aprutii nuper fuit, quod cum dictum oppidum insigne sit, et in eo sexcenta focularia, et amplius existant, nec aliquod monasterium erectum, et institutum esse reperiatur, iidem Ferdinandus, et universitas, et homines praedicti, ob singularem, quem erga dictum ordinem gerunt devotionis affectum, ac pro eorum spirituali consolatione, ecclesiam S. Mariae in Paradiso nuncupatam dicti oppidi, cum illi adjacentibus aedificiis, ac horto, et aliis ejus pertinentiis, vobis pro vestris usu, et habitatione concedendi, vosque illam pro uso et habitatione hujusmodi recipiendi facultatem impertiri vehementer desideratis. Idcirco pro parte vestra, et Ferdinandi, universitatis, et hominum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis dictam ecclesiam una cum aedificiis, horto, et pertinentiis praedictis recipiendi, ac in eis unam domum sub invocatione B. Mariae Virginis, cum claustro, refectorio, dormitorio, et aliis officinis necessariis pro usu et habitatione hujusmodi construendi, et aedificandi licentiam concedere, et aliis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur etc. vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, vobis dictam ecclesiam una cum aedificiis, horto, et pertinentiis praedictis recipiendi, et cum eis unam domum sub invocatione ejusdem B. Mariae Virginis, cum claustro etc. construendi, et aedificandi licentiam et facultatem, apost. auct. ten. praes., concedimus, ac domui, et vobis, ac in ea pro tempore

existentibus fratribus dicti ordinis, quod omnibus, et singulis privilegiis, exemptionibus etc. gaudere possitis indulgere. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Januarii anno iii.

III.

Donat observantibus monasterium monialium S. Clarae Catharen. Ex regest. Secretariae Brevium lib. ii. fol. 59.

Ven. fratri Episcopo Catharen.

Cum alias tibi tunc apud nos existenti ut monasterium monialium S. Clarae conventualium cum per earumdem monialium obitum vacaret, dil. filiis fratribus S. Bernardini ordinis S. Francisci de observantia etiam Catharen., quorum monasterium propter ingruentia bella fuit dirutum, et solo aequatum, pro ipsorum fratrum monasterio, et habitatione dare et assignare posses, vivae vocis oraculo concesserimus; tuque, sicut nobis nuper per tuas litteras significasti, concessionis hujusmodi vigore assignationem praedictam feceris; nos, ut ea, quae de voluntate nostra gesta sunt, firma, et illibata persistant, donationem, et assignationem monasterii monialium praedictis fratribus S. Bernardini hujusmodi per te, ut praefertur, factam, et inde sequuta quaecumque licita et honesta auct. apost. ten. praes. confirmamus, et approbamus etc. et quatenus opus sit pro majori cautela idem monasterium monialium praedictis fratribus S. Bernardini pro ipsorum domo, et habitatione de novo perpetuo donamus, concedimus, et assignamus; nec ullo umquam tempore, quovis praetextu, aut quaesito colore eosdem fratres inde amoveri posse, vel debere decernimus. Non obstantibus. etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxii. Februarii anno iii.

IV.

Attribuit Templum et perpetuum regimen paroeciae fratribus Taurinen. Ex arch. coenobii S. Thomae Taurinen.

Ad perpetuam rei memoriam.

In supremae dignitatis solio, meritis licet imparibus, divina dispositione collocati ad ea quae fidelium quorumlibet praesertim sub suavi religionis jugo in claustris Altissimo famulantium status, perturbationibus quibuscumque semotis, cum divini cultus incremento prosperis dirigatur successibus, hactenus aciem attentae considerationis extendimus, ac in his officii nostri partes interponimus, fidelium eorumdem necessitatibus consulendo, et opportunitatibus providendo. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia, et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia S. Thomae Taurinen. per liberam resignationem dil. filii Guilielmi Novarotti nuper ipsius ecclesiae rectoris de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte

factam, et per nos admissam apud Sedem praefatam vacaverit, et vacet ad praesens, nullusque de illa praeter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et conventus domus B. Mariae de Angelis Taurinen. ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. petitio continebat, domus hujusmodi, quae olim prope et extra muros civitatis Taurin. existebat, quaeque propter bellorum tumultus diruta, et dicta ecclesia cum pertinentiis suis sub certis modo et forma tunc expressis, ipsi conventui pro eorum usu apostolica auctoritate concessa fuit, prout in litteris fel. rec. Pauli Papae III. predecessoris nostri desuper confectis plenius continetur, dictae ecclesiae contigua existat et adhaereat, ac guardianus et conventus praefati in dicta civitate propter illius angustiam, commodiorem locum, ubi commorentur non habeant, nec eis tutum situm extra muros ejusdem civitatis habitare propter pericula, in quae ipsi uti olim incidere possint, si dicta ecclesia ipsi domui concederetur, et assignaretur, ex hoc profecto dilect. filiorum dictae ecclesiae parochianorum animarum cura diligentius exerceretur, divinusque cultus in eadem ecclesia cum parochianorum eorumdem spirituali consolatione magnum susciperet incrementum, necnon eorumdem guardiani et conventus, qui cum eorum vita exemplari, tum doctrina singulari dictae civitati plurimum profuerunt, et prosunt, de praesenti subventione consuleretur, illique divinis beneplacitis liberius vacare, et vota sua Domino commodius persolvere possent, ac litibus et discordiis, quae inter eosdem guardianum et conventum ac pro tempore existentem rectorem dictae ecclesiae super usu ecclesiae hujus saepe numero oriri solent, obviaretur. Quare pro parte guardiani et conventus hujusmodi asserentium dictum Guilielmum zelo religionis accensum in militia Sanctorum Mauritii et Lazari sub regula S. Augustini una cum dilectis filiis illius magistro magno et conventu virtutum Domino famulari, ac habitum per fratres cappellanos dictae militiae gestari solitum suscipere, et professionem per eosdem emitti solitam emittere regulares intendere, ac praeter menstruam provisionem trium vel quatuor scutorum per conventum militiae hujusmodi sibi assignandam aliunde habere, unde commode vivere potest, fructusque, redditus, et proventus dictae ecclesiae, et illi forsan annexorum quadraginta ducatorum auri de camera secundum communem existimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ecclesiam hujusmodi eidem domui perpetuo concedere, et assignare necnon illius bona, proprietates, ac fructus, redditus et proventus sacristiae ejusdem domus applicare, et appropriare, aliisque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, et beneficium, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset, guardianum et conventum domus hujusmodi, ac singulares ipsius personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon fructuum, redditmum, et proventuum dictae sacristiae verum annuum valorem, praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ecclesiam praefatam sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per similem resignationem dicti Guilielmi, vel cujusvis

alterius de illa in romana curia, vel extra eam et coram notario publico, et testibus sponte facta, aut constitutionem piae mem. Joannis Papae XXII., et praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacet, et si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem eamdem legitime devoluta ipsaque ecclesia dispositioni apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliqnos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad nos hac vice pertineat, cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, et pertinentiis suis eidem domui, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus et assignamus, ac bona, proprietates, necnon fructus, redditus et proventus ecclesiae hujusmodi sacristiae praefatae etiam perpetuo applicamus et appropriamus; ita quod liceat guardiano et conventui domus hujusmodi per se vel alium, seu alios corporalem possessionem ecclesiae et annexorum, juriumque et pertinentiarum praefatarum propria auctoritate libere apprehendere, et similiter perpetuo retinere, necnon illius et annexorum eorumdem fructus, redditus et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque percipere, exigere, et levare, ac in ejusdem domus usus et utilitatem covertere, necnon eidem ecclesiae per unum ex fratribus praefatis ab ordinario loci approbandum in divinis deserviri, et curam praefatam exerceri, ac alia eidem ecclesiae incumbentia onera supportari facere, praesentesque litteras nullo unquam tempore, ad quorumvis instantiam, et ex quacumque etiam juridica, et rationabili causa, etiam sub praetextu, quod in forma juris factae non fuerint, revocari, alterari, limitari, aut ad terminos juris reduci, aut de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari posse, sicque in praemissis per quoscumque judices et commissarios quavis auctoritate et potestate fungentes, et causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et interpretari debere, necnon prout est, si secus super his a quocumque qoavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari, irritum et inane decernimus, non obstantibus priori voluntate nostra praefata, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati etc.; proviso quod propter concessionem, assignationem, applicationem et appropriationem praedictis, ecclesiae hujusmodi debitis non fraudetur obsequiis, et dicta animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum idibus Decembris anno iv.

Digitized by Google

V.

Indulget constructionem coenobii in aedibus parochialibus S. Angeli Anagniae. Ex regest. Bullarii Secretariae Brevium lib. 1. fol. 161.

Ad perpetuam rei memoriam.

REgimini universalis ecclesiae etc. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia, et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his etc. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia S. Angeli Anagnin. per liberam resignationem dil. filii Pompilii de Jaconcellis nuper ipsius ecclesiae rectoris de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam apud sedem eamdem vacaverit, et vacet ad praesens, nullusque de illa, praeter nos, hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilect. filiorum guardiani et fratrum domus dirutae ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. etiam Anagnin. petitio continebat, alias dicta domus, et illius ecclesia propter bella, et civitatis Anagnin. munitionem dirutae fuerint, et exinde ipsi guardianus et fratres ob imminentem tunc necessitatem sese in oratorio, seu ecclesia B. Mariae de Palatio nuncupatae similiter Anagnin. quod, seu quae ad dilectos filios confratres confraternitatis saecularis sub invocatione ejusdem B. Mariae inibi rite institutae pertinere dignoscitur, pro reddendis laudibus optimo Deo, et illius in divinis servitio receperint, ac inibi ob loci angustiam, et situs qualitatem defectumque domus, et habitationis cum maximo eorum incommodo, et divini cultus populique devotionis diminutione per plures annos permanserint, si dicta parochialis ecclesia in domum ejusdem ordinis pro guardiani et fratrum praedictorum commoditatibus non modicum consuleretur, et in ipsa parochiali ecclesia cultus divinus maximum susciperet incrementum. Quare pro parte guardiani et praedictorum fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut parochialem ecclesiam praedictam in domum dicti ordinis pro eorumdem guardiano et fratrum habitatione erigere et instituere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religionem, et cultum hujusmodi, nostris potissime temporibus augere, et incrementum suscipere intentis desideriis affectamus, quique etiam hodie a parochiali ecclesia praedicta omnes et singulos illius fructus, redditus, et proventus, necnon decimas ad eam tunc spectantes, et pertinentes, apostolica auctoritate separavimus et divisimus, seu separari et dividi concessimus, guardianum et fratres praedictos, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, parochialem ecclesiam praedictam sive praemisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per similem resignationem dicti Pompilii, vel cujusvis alterius de illa in romana curia, vel extra eam etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut constitutionem fel. rec. Joannis Papae XXII. praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate

collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. statuta concilii ad sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque parochialis ecclesia dispositioni apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad nos hac vice pertineat, cum domo, et habitatione, ac territorio, et ambitu illi annexis, et adjacentibus, ac ad ipsam parochialem ecclesiam spectantibus, omnibusque et singulis illius aedificiis, et melioramentis inibi existentibus in domum ejusdem ordinis pro guardiani et fratrum praedictorum habitatione sine alicujus praejudicio, dicta auctoritate perpetuo erigimus, et instituimus. Ita ut liceat guardiano et fratribus praedictis per se, vel alium, seu alios eorum nomine parochialis ecclesiae et aliorum praedictorum, corporalem, realem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, ac ad usus suos regulares reformare, curamque animarum dilect. filiorum parochianorum ejusdem ecclesiae per aliquem ejusdem domus sic erectae, fratrem idoneum per dictos guardianum et fratres ad hoc deputandum, et ab ordinario loci approbandum, ac ad nutum eorumdem guardiani et fratrum amovibilem exerceri facere. Decernentes praesentes litteras etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum nonis Martii anno III.

VI.

Ratam habet concessionem factam Jesuitis coenobii fratrum conventualium in civitate Trevirensi. Ex regest. Secretariae Brevium lib. 1. fol. 364.

Ad apostolicam dignitatem divina voluntate evecti respicientes utiles fructus, quos dil. filii presbyteri regulares Societatis Jesu in agro Domini, ipso auctore, et adjutore, proferunt, in his, per quae illorum commoditati consulitur, cum a nobis petitur, nostram auctoritatem libenter interponimus, aliaque desuper disponimus prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt iidem presbysteri, et religiosi praedicti, quod postquam dil. filii magisrer provincialis provinciè Colonien., ac Commissarius generalis ordinis minorum S. Francisci conventualium nuncupat., necnon guardianus, aliique fratres domus Treviren. dicti ordinis ven. fratri Jacobo archiepiscopo Treviren. domum, quam in civitate Treviren. habebant, sub quibusdam conditionibus concesserunt, ac vacuam, et expeditam dimiserunt, prout in publico instrumento constat, cujus tenor est hujusmodi, videlicet: Nos fr. Henricus Ondendalius etc. Idemque Jacobus Archiepiscopus in vim concessionis hujusmodi sibi per dictos fratres factae, domum praedictam Collegio presbyterorum, seu religiosorum societatis Jesu Treviren. applicavit et assignavit, prout in patentibus litteris ejusdem Jacobi Archiepiscopi explicatur, quarum series hujusmodi est, quae sequitur, videlicet: Jacobus etc. *(vide pag. 247. tomi antecedentis annalium)*: et in ejusdem instrumenti, ac litterarum praedictarum, cum iidem fratres loci collegii S. Germani, presbyteri autem, et religiosi hujusmodi domus praedictae corporalem, realem, et actualem possessionem adepti fuerint; nunc presbyteri et religiosi praedicti cupiunt super eisdem omnibus, et

Digitized by Google

singulis, ne de illorum juribus dubitari contingat, auctoritatem nostram interponi; propterea nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis in praemissis annuere dignaremur. Nos etc. inclinati, instrumentum, et patentes litteras hujusmodi, necnon omnia in eisdem contenta, ac inde sequuta, et sequenda quaecumque apost. auct. ten. praes. approbamus et confirmamus etc. ac in domo fratrum praedictorum statum et essentiam regulares supprimimus, et extinguimus, eosdemque statum, et essentiam regulares in loco dicti collegii S. Germani introducimus, necnon fratres domus ejusdem una cum universis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, ac peccatorum remissionibus eidem domui, vel illius ecclesiae concessis, et universa sacra supellectile transferimus, ac eisdem fratribus, ut se ad dictum locum collegii S. Germani transferre valeant, licentiam, quatenus opus sit, de novo impertimur, eamdemque domum, in qua regularis status suppressus est, dictae societatis presbyteris et religiosis; locum vero collegii S. Germani eisdem fratribus de novo, una cum illorum juribus, et pertinentiis universis respective concedimus, et assignamus, ita ut licuerit in vim instrumenti, ac patentium litterarum praedictarum fratribus loci collegii S. Germani, et societati praedictis domus hujusmodi, illorumque bonorum; necnon quorumcumque jurium, pertinentiarum, eisdem modo et forma, quibus concessa sunt, corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendisse, et perpetuo continuare, et in posterum liceat eamdem retinere, ac illorum fructus, et emolumenta quaecumque in suos usus, et utilitatem recipere respective et convertere; districtius inhibentes quibusvis in virtute s. obedientiae, et sub excommunicationis etc. poenis, ne religiosos ac fratres hujusmodi in praemissis molestare praesumant. Sicque per quoscumque judices etc. Quocirca ven. fratribus Archiepiscopo Treviren. et episcopo Amerin. et dil. filio causarum curiae apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus, quatenus etc. omnia et singula praedicta observari faciant etc. Non obstantibus etc. Proviso quod propter praemissa, ecclesia et domus praedictis presbyteris et religiosis concessa debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura, si qua illi imminet, nullatenus negligatur; sed ejus congrue supportentur onera consueta.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Junii anno iv.

VII.

Ut non extrahantur a monasterio S. Clarae de Faron ornamenta donata a Regina Portugalliae. Ex reg. Secret. Brev. lib. ii. fol. 384.

Charis. in Christo filiae nostrae Catarinae Portugalliae et Algarbiorum reginae illustri.

PRaeclara tuae majestatis diversarum virtutum radiis exornata merita, quibus Altissimo, et apostolicae sedi gratam te multipliciter exhibes, et acceptam, digne nos excitant, et inducunt, ut votis tuis quae ex devotionis ardore prodire, ac ad divini cultus decorem, et ornatum, praesertim in monasteriis, et aliis regularibus locis ex pia tua munificentia constructis tendere dignoscuntur, favorabiliter annuamus. Sane exponi nobis fecisti, quod cum tu ob singularem, quem ad monasterium monialium

Assumptionis B. M. V. sub prima regula S. Clarae ordinis S. Francisci civitatis de Faron, Silven. dioecesis, tunc construi coeptum gerebas, et geris devotionis affectum, illud in suis fabrica, et opere perfici, debitaque clausura muniri, ac compluribus SS. reliquiis, vasisque argenteis, ac pretiosis suppellectilibus, necnon paramentis, et ornamentis ecclesiasticis, aliisque rebus cultui divino necessariis fulgeri curaveris, et in his magnam pecuniarum summam erogaveris, dubitesque, ne successu temporis reliquias, vasa, paramenta, et ornamenta extrahi, et aliunde a dicto monasterio circumferri, et transportari, vel detrahi contingat. Nos hanc animi tui solicitudinem per provisionis nostrae ministerium submovere cupientes etc. tenore praes. perpetuo statuimus et ordinamus, reliquias, vasa etc. per te eidem monasterio erogata, et pro tempore eroganda, nullo umquam tempore, quovis colore, praetextu, causa vel occasione, etiam in casu evidentis necessitatis, ab ipso monasterio, etiam de consensu et permissione, seu licentia ipsius abbatissae, seu priorissae, et monialium, vel etiam ipsius ordinis generalis, aut aliorum superiorum, ministrorum provincialium, diffinitorum, praelatorum, guardianorum, custodum, et personarum quarumcumque extrahi, vel aliunde, etiam ad alia ejusdem, seu alterius ordinis monasteria, domos, et regularia loca, etiam pro tempore quantumcumque modico, transferri, vel transportari, seu distrahi, aut aliis, etiam mutui, seu permutationis, vel aliquo alio titulo concedi nullatenus posse, sed illa perpetuo ipsius monasterii, et illius ecclesiae et sacristiae, non autem aliorum usui addicta fore, et esse, ac remanere debere; districte interdicentes, ac praecipientes abbatissae, seu priorissae, et monialibus, necnon generali, et aliis ministris, ac diffinitoribus, provincialibus, guardianis, custodibus, et personis praedictis in virtute s. obedientiae, ac sub privationis officiorum, et inhabilitatis ad illa, aliaquo in posterum obtinenda, ac demum sub excommunicationis, et suspensionis a divinis ipso facto, sine alia declaratione incurrendis sententiis, et poenis, ne reliquias, vasa, supellectilia, et alia praedicta a monasterio extrahere etc. vel extrahi facere, aut permittere audeant, vel praesumant. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die 1. Novembris anno IV.

VIII.

Ut tradat monialibus S. Clarae monasterium de Tanilla Cisterciensium. Ibidem fol. 353.

Dilecto filio nostro Henrico tit. SS. Quatuor Coronatorum presbytero Cardinali Infanti Portugalliae Nostro et Apostolicae Sedis de latere Legato.

Exponi nobis nuper fecit charis. in Christo filius noster Sebastianus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris tam suo, quam ven. fratris Hieronymi episcopi Silicen. nominibus, quod postquam cl. mem. Emmanuel eorumdem regnorum rex pia devotione ductus unam domum pro introducendis mulieribus, quae juxta ordinem S. Clarae profiteri vellent, in oppido de Tanilla, Silicen. dioecesis, fundare inceperat, quam superveniente obitu, aut alias perficere non potuerat, b. m. tunc Ferdinandus episcopus Silicen. illam perficiendi, et sub invocatione B. Ma-

riae de Pietate Deo dicandi, et ibi moniales ordinis Cistercien. introducendi a Martino a Portugallia tunc in partibus illis Apostolicae Sedis nuntio, licentiam et facultatem obtinuit, statuens, quod Abbatissa pro tempore ipsius monasterii, sive in illo, sive in alio ejusdem ordinis monasteriis reperiretur ex familia, aut nomine de Sylva esse deberet, statumque hujusmodi ab eodem Nuntio confirmari curavit; ex quo, necnon ex eo, quod ipsum monasterium ab aliis ejusdem ordinis Cistercien. remotum existit, et propterea visitatores ordinis absque magno incommodo, et difficultate ad illud visitandum nequeant accedere, effectum est, quod in illo nec regula, nec caerimoniae religionis Cistercien., ut decet, observantur. Et sicut eadem expositio subjungebat, si dictum monasterium superioribus ordinis S. Francisci pro introducendis inibi monialibus praedicti ordinis S. Clarae concederetur, ita quod liceret monialibus praedicti ordinis Cistercien. quae in illo ad praesens reperiuntur, ad ordinem S. Clarae hujusmodi transire, et illius habitum suscipere, et juxta illum profiteri, et quae ex eis ad ipsum ordinem se transferre nollent, ad alium ejusdem ordinis Cistercien. dicti regni transferrentur, ex eo regularis observantiae in dicto monasterio conservationi et augmento non modicum consuleretur, et scandalis obviaretur. Quare idem rex nobis humiliter supplicari fecit quatenus etc. providere dignaremur. Nos cupientes regularem observantiam in quibuslibet, praesertim monialium monasteriis vigere incorruptam, circumspectioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus, si per informationem repereris praedicta nobis exposita vera esse, in dicto monasterio B. Mariae de Pietate ordinem Cistercien. statumque et dependentiam regulares secundum regulam Cistercien. ad hoc, ut deinceps in eo moniales, quae juxta regulam Cistercien. profiteri debeant, recipi, vel admitti nequeant, supprimere, et extinguere, dictumque monasterium cum omnibus et singulis illius aedificiis, ecclesia, necnon fructibus, redditibus, et proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis ordini S. Francisci, illiusque superioribus, ad effectum inibi introducendi moniales ordinis S. Clarae, easque inibi manutenendi, regendi, et gubernandi, ita tamen quod monialibus, quae in illo ad praesens existunt ex ordine Cistercien. ad ordinem S. Clarae hujusmodi se transferre volentibus libere transeundi, habitumque per moniales ordinis S. Clarae gestari solitum suscipiendi, et professionem emittendi licentiam et facultatem, auctoritate nostra concedas. Illas vero quae in dicto monasterio et ordine S. Clarae manere noluerint, ad alia ipsius ordinis Cistercien. monasteria, assignata illarum cuilibet, donec vixerint, portione annua triginta cruciatorum, ex fructibus ipsius monasterii B. Mariae de Pietate, transferre, concedere, et assignare, dictumque statum penitus revocare, cassare, et annullare, omniaque alia, et singula in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere, et exequi, dicta auctoritate nostra cures. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxviii. Februarii anno iii.

IX.

Franc. Sporenus instituitur commiss. in provinciis Germaniae. Ib. f. 676.

Dilecto filio Francisco Sporeno ordinis S. Francisci de observantia, et sacrae theologiae professori salutem etc.

CUpientes monasteria religiosorum ordinis mendicantium in infrascriptis civitatibus, et dioecesibus consistentibus debite reformari, tibi, de cujus prudentia integritate, et religionis catholicae zelo plurimum in Domino confidimus, omnia et singula fratrum ordinum mendicantium Basilien. Constantien. Argentin. Bisuntin. Sedunen. Curien. necnon aliarum provinciae Germaniae civitatum et dioecesum, ad quae te tamquam commissarium nostrum declinare contigerit, pro visitatione episcoporum, et cathedralium ecclesiarum, monasteria etiam quomodolibet exempta, quae reformatione indigere cognosceris tam in capite, quam in membris auctoritate nostra visitandi, et eorum guardianos, vicarios, rectores, et alios quocumque nomine nuncupatos officiales, fratres, et personas reformandi, et ad eorum regularem observantiam debitamque vivendi normam reducendi, et delinquentes repertos juxta eorum excessuum qualitatem et exigentiam, ac ordinis regularia instituta, necnon canonicas sanctiones, prout juris fuerit, puniendi, corrigendi, et castigandi, ac contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita compescendi auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi, caeteraque in praemissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, mandandi, et exequendi plenam et liberam per praesentes facultatem concedimus, et potestatem. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die II. Decembris anno IV.

X.

Causam provisionis ecclesiae Tolosanae committit. Ibidem fol. 155.

Dilecto filio. . . . . , de Roca ordinis S. Francisci professori in civitate Tolosan. commoranti.

MIttimus tibi foli· n articulorum, quod praesentibus includi fecimus, tibique de cuj integritate, et prudentia plurimum in Domino confidimus, per praese tes mandamus, ut diligentia per te adhibita ad eorum omnium executionem juxta illorum continentiam procedas. Ac quidquid repereris, in scriptis redigas, processumque desuper formes, et ipsum authenticum manu tua subscriptum, tuoque sigillo clausum, et obsignatum ad nos quamprimum fideliter transmitti cures; super quibus tibi plenam, et liberam harum serie concedimus facultatem. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Cupimus autem pro tua erga nos et sedem apostolicam reverentiam huic negotio ita studiose incumbere, ut a Deo Omnipotenti coelestem retributionem, et a nobis condignam gratiarum actionem promerearis.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII. Martii anno III.

Articuli super quibus interrogandi sunt testes per inquisitionem pro provisione ecclesiae metropolitanae Tolosan. Illmi D. Pauli Foxii.

Interrogetur quilibet testis, an cognoscat D. Paulum Foxium, ubi, et quae fuerit causa cognitionis, et a quanto tempore citra.

An ipse D. Paulus sit de legitimo matrimonio, honestis et catholicis parentibus procreatus, et cujus sit aetatis.

An sciat, dictum D. Paulum fuisse et esse fidelem, catholicum timoratae conscientiae, Dei honoris, et salutis proximi zelatorem, ac consuevisse frequentare sacramenta, et modo frequentet.

An sciat dictum D. Paulum esse vita honesta, et moribus bonis praeditum, gravem, consilio maturum, civium exemplarem, et magnae aedificationis.

An sciat, vel dici audiverit, eumdem fuisse in aliquo tempore imputatum, sive accusatum in judicio, vel extra, in foro ecclesiastico, seu saeculari de re tangente vitam, mores, et fidem, et exprimat rem, locum, et tempus.

An sciat, eumdem aliqua infamia, vel nota in vita, moribus, et doctrina laborasse, vel offendisse, seu scandalizasse aliquem verbis, vel facto.

An fuerit, et modo sit consiliarius regis in curia parlamenti Parisiis; et an aliquando fuerit ei interdictus ingressus in curiam, propter quam causam, et per quantum tempus, et a quibus.

Item interrogentur testes, an sciant eumdem Foxium penes se libros prohibitos habuisse et quales.

Item interrogentur, qualem vitam post accusationem, et quali in existimatione apud bonos, et catholicos habeatur, et praesertim apud Tolosanos.

Item an semper habuerit familiam catholicam, et qualiter se gesserit existens in Anglia, et an ibi catholicam familiam habuerit.

Item an amicitiam, et familiaritatem habuerit cum haereticis, et an per resignationem episcopi haeretici consequutus fuerit aliquod beneficium ecclesiasticum.

Item an sciant dictum Paulum fuisse aliqua censura ecclesiastica innodatum, vel aliqua irregularitate, aut aliquo canonico impedimento teneri, ut ad hujusmodi ecclesiae regimen promoveri non possit.

An sciat dictum Paulum esse in sacris ordinibus constitutum, et a quanto tempore, et ubi, et quando, et a quo antistite eos susceperit.

An sciat, illum in aliqua universitate, seu studio generali studuisse, et in eo doctorem sive licentiatum in sacra theologia, vel in jure canonico renuntiatum fuisse.

Postremo interrogentur, an sciant, eumdem habere qualitates a sacris canonibus, et concilio Tridentino in promovendo ad ecclesiam cathedralem requisitas.

Praeterea interrogentur de qualitatibus ecclesiae Tolosanae, sub cujus invocatione sit, quae et quot dignitates, canonicatus, et beneficia in ea existant, an in ea sint paramenta, et alia ad divinum cultum necessaria, quot suffraganeos habeat, de situ, statu, et qualitate civitatis et dioecesis, de fructibus, redditibus, proventibus ipsius ecclesiae, et in quibus consistant.

Alia poterit diligens commissarius perquirere, et in processum redigere, prout judicaverit opportunum in promotionem ad ecclesiam tam insignem.

XI.

Prohibet recursus ad tribunalia saecularia, et alia statuit. Ibidem fol. 334.

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea, quae ausu temerario ab ecclesiasticis praesertim personis regularibus plerumque attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus, et removeamus. Idcirco cum non sine animi nostri molestia nuper intellexerimus, referente dil. filio fratre Christophoro de Capitefontium fratrum minorum S. Francisci de Observantia ordinis ministro generali nonnumquam quosdam religiosos, et religiosas ordinis sui hujusmodi, Dei timore postposito, et suae professionis immemores, ut in eorum malefactis, et inobedientia se diutius confoveant, ab iis, quae per praelatos ejusdem ordinis, et guardianos, sive provinciales, vel commissarios ab ipso generali ministro pro tempore deputatos acta sunt, et decreta, ad tribunalia saecularia appellare, et ad ea temere confugere, auct. apost. ten. praes. praecipimus et inhibemus sub excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a nobis, seu Rom. Pont. pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo absolvi possint; necnon privationis perpetuae officiorum per eos obtentorum, et inhabilitatis ad illa, et alia quaecumque dicti ordinis officia exercenda, et vocis tam activae, quam passivae, eo ipso incurrendis poenis, ne quis provincialis, aut alius cujuscumque dignitatis, status, gradus, et conditionis ordinis hujusmodi religiosus, aut religiosa ad ipsa tribunalia saecularia, quovis praetextu, aut quaesito colore, ut praefertur, appellare, vel ad illa propterea quoquomodo adire audeant, vel praesumant; sed si a praelatis suis gravari praetendent, ad generalem ministrum ipsius ordinis, seu illius protectorem, aut viceprotectorem in romana curia, vel ad nos, sive Rom. Pont. successorem nostrum, supremum in ecclesia Dei judicem, sicut antiquitus semper consuetum fuit, recursum habeant, unde illis brevi manu justitia ministrabitur; declarantes nihilominus non modo religiosos et religiosas contradicentes in easdem poenas incidere, verum etiam quomodolibet directe, vel indirecte illorum fautores, et consultores illas incurrere. Praeterea sub poenis praedictis prohibemus, ne quis provincialis, aut guardianus, aut cujuscumque alterius gradus religiosus, aut religiosa ejusdem ordinis ab ipso ministro generali missis pro visitandis provinciis, commissariis resistere, nec eis se opponere, aut contradicere, seu se rebellem exhibere, ipsos quacumque de causa, vel quaesito colore non recipiendo, audeat, neque debeat, volentes, eumdem ministrum generalem, quotiescumque sibi expedire videbitur, quos voluerit commissarios ad quoscumque sui ordinis utrinsque familiae provincias, quibusvis consuetudinibus, vel statutis per quaslibet personas in contrarium factis non obstantibus, libere mittere posse. Insuper quia, ut etiam accepimus, aliquando nonnulli ministri ex visitatis provinciis per commissarios ad hoc ab ipso generali deputatos, quae a dictis commissariis recte et salubriter ordinata, et gesta fuerunt, rescindere, mutare, aut contemnere solent; sub omnibus et singulis poenis supradictis expresse prohibemus, ne quisquam ab eisdem

commissariis facta et ordinata mutare, alterare, aut pervertere, sine expressa licentia, et permissione ipsius ministri generalis, qui solus ea mutare valeat, ullo modo praesumant; decernentes irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII. Aprilis anno III.

XII.

Declarat auctoritatem Nuntii apostolici in Hispania. Ibidem fol. 562.

Ad futuram rei memoriam.

EManarunt a nobis nuper litterae tenoris subsequentis videlicet: ad futuram rei memoriam. Quoniam nostro etc. (N. XI.) Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Aprilis MDLXXV. anno III. Cum autem nonnullos, qui scrupulos semper injicere satagunt, quin etiam asserere acceperimus facultatibus Nuntii in Hispaniis nostri circa dicti ordinis minorum professores concessis, per litteras praedictas derogatum fuisse, quum praesertim idem Nuntius inter judices eorum ordinarios expresse nominatus fuerit. Nos dubium hujusmodi de medio tollere, mentemque super hoc nostram declarare volentes, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus, mentis, et intentionis, ac voluntatis nostrae fuisse, fore, esse, quod inter judices ordinarios ejusdem ordinis in dictis litteris nominatos, videlicet generalem, protectorem, viceprotectorem, et Rom. Pontificem, Nuntius etiam ipse noster, qui illic personam nostram repraesentat, comprehendatur, et comprehendi debeat in omnibus, et per omnia, perinde ac si in eisdem litteris de dicto Nuntio specialis, et expressa mentio facta fuisset. Quodque per litteras hujusmodi facultatibus ipsius Nuntii super personis regularibus, et fratribus dicti ordinis emanatis minime derogatum esse censeatur, neque censeri debeat, nec ipsis aliquod ullo modo praejudicium generatum fuisse, sed dictum Nuntium eis libere, et absque aliquo prorsus impedimento prout antea juxta earum tenorem uti, et eis exercere posse, sicque per quoscumque judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, et ordinis praedicti superiores, ministros, et professores, judicari et interpretari etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum de XIII. Septembris IV.

XIII.

Confirmat privilegia ordinis. Ex regest. Secret. Brevium lib. II. fol. 302.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX benigna sedis apostolicae provisione provenire dignum est, ut personae Deo devotae sub regulari castimonia Domino militantes pia devotione proficiant; unde Rom. Pontifex quandoque pro religionis conservatione, et augmento, ac personarum earumdem quiete, et commodo concedit, et approbat, et innovat, ac per praedecessores suos concessa et approbata innovat, et apostolica auctoritate communit. Sane pro parte

dilecti filii Christophori de Capitefontium moderni generalis ministri ordinis fratrum minorum de observantia nobis nuper exponi fecit quod cum inter operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth Dei gratia laborant, ordo ipse fratrum minorum magnos probitatis, et doctrinae, ac animarum salutis fructus semper olim retulerit, et quotidie afferre conetur, ac exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salutis animarum ab Apostolica Sede, cujus continue pacem et dignitatem ordo ipse fortiter tutatus est, et tam spiritualia, quam temporalia subsidia, ornamentaque acceperit, et accipiat, quibus et sua sancta officia ad vitam suam regularem facilius et magis expedite transigere possint, et caeterae religiosae personae, ordinesque alii exemplo ipsorum promptiores, alacrioresque ad sua officia persolvenda reddantur. Cumque etiam ex ipsius sedis provisione, et benigna dignatione provenire dignoscatur, ut Rom. Pontifex quandoque praedecessorum suorum rom. pontificum gesta innovet, ac apost. auct. innovata, et restaurata muniat, et fulciat, et in pristinum statum reponat, ac reducat; necnon propterea nonnulli Rom. Pontif. praedecessores nostri nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia et singula privilegia, et indulta tam spiritualia, quam temporalia, etiam per solam signaturam, aut per oracula vivae vocis tam pro foro conscientiae, quam foro fori, tam praedicto fratrum minorum, quam S. Clarae, ac Tertio de poenitentia nuncupato ordinibus, illorumque superioribus, fratribus, monialibus, et sororibus, ac utriusque sexus personis, et monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis quibuscumque dictorum ordinum nunc et pro tempore existentibus in genere, vel in specie, etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum inter se, ac etiam cum aliis quibuscumque ordinibus mendicantibus, et non mendicantibus concesserunt, aut jam concessa confirmarunt, et approbarunt, prout in singulis concessionibus, et litteris eorumdem praedecessorum desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, illa, quae saepius apostolica auctoritate praefata munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem, dictusque Christophorus minister generalis cupiat, privilegia, facultates, concessiones, indulta, dispensationes, et singulas gratias etiam per nos approbari, innovari, et confirmari, pro parte ejusdem Christophori nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, et indultis, pro illorum observantia nostrae approbationis robur adjicere, aliisque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui omnium votis praesertim illis, quibus sub suavi religionis jugo, divinis laudibus, et christianae religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati, et commoditatibus consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, praemissa, ac omnia, et singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, et indulta spiritualia, et temporalia, etiam per modum communicationis, et extensionis inter se, et cum aliis ordinibus mendicantibus, et non mendicantibus, eisdem fratrum

minorum regularis observantiae, et S. Clarae, et de poenitentia Tertio ordinibus, etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione, et eorumdem superiorum ordinis minorum regularis observantiae hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum fratribus, monialibus, sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, necnon monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis quibuscumque in genere, vel in specie, etiam per solam signaturam, et vivae vocis oraculo, ut praefertur, ac alias tam per praefatos, ac quoscumque alios Rom. Pont. pradecessores nostros, ac nos, et sedem praedictam, quam imperatores, reges, et alios principes, sub quacumque forma, et expressione verborum concessa, et etiam iteratis vicibus approbata, necnon cum omnibus et singulis in eis contentis, clausulis, decretis, et declarationibus singulas desuper confectas litteras, et in eis contenta, et inde sequuta quaecumque, illorum omnium tenores, et formas, effectus, et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum inserentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta auct. apost. tenore praesentium ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quatenus sint in usu, et sacris canonibus, et decretis sacri Concilii Tridentini non adversentur, approbamus, confirmamus, innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et firmiter observari; necnon ordinibus fratrum minorum regularis observantiae, et S. Clarae, ac Tertio de poenitentia nuncupato etiam in congregatione sub obedientia fratrum minorum de observantia hujusmodi degentibus, superioribus, fratribus, monialibus, etiam tertiariis nuncupatis sororibus, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis praefatis, etiam per modum communicationis, et extensionis hujusmodi, suffragari, illis frui, uti, et gaudere, quando et quoties opus fuerit, posse, et debere in judicio, et extra, ac etiam in foro conscientiae, in omnibus, per omnia, perinde ac si specialiter, et expresse eisdem fratrum minorum, ac S. Clarae, et Tertio de poenitentia ordinibus concessa fuissent, decernimus, supplentes omnes, et singulos juris, et facti, ac solemnitatum, etiam de juris necessitate, ac alias quomodolibet requisitarum forsan omissarum, ac alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Quocirca ven. fratribus Corduben. et Leodien. episcopis, ac dil. filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus, et mandamus, quatenus etc. contradictores quoslibet etc. compescendo etc. invocato etiam ad hoc; si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis, et constitutionibus super cathedra Bonifacii etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI. Maii Anno III.

XIV.

Indulget fratribus minoribus provinciae Bosniae ut retineant possessiones in Regno Hungariae. Ibidem fol. 396.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii professores ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. quod ipsi clypeo fidei semper armati, ita zelo charitatis erga S. Romanam Ecclesiam flagrarunt, ut nullos subterfugientes labores, nullasque difficultates, palam quocumque, et audaciter prodierunt, ac suo exemplo, suaque vitae probitate im-

manissimum turcarum regem eo deducerent, ut ipse quodammodo sui oblitus aliquid catholicae religioni impenderet, et ab ipso sibi solis in quibusdam partibus regni Hungariae ab eo occupatis, et specialiter in loco de Velica Bosnen. dioecesis domum alias sub invocatione S. Augustini, insimul cum omnibus suis pertinentiis, annexis, et connexis dictis fratribus restitui, et liberam dimitti obtinuerint. Quare idem fratres, ac etiam pro eis Christophorus de Capitefontium minister generalis, necnon Antonius custos, et commissarius dicti ordinis in dicto loco regni Hungariae dil. filii nobis humiliter supplicari fecerunt, ut dictorum fratrum statui in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, ut iidem fratres olim seductos facilius erudire, et praedicare, et juventutem informare; alios vero in vitio natos ad gremium S. R. Ecclesiae allicere, et ipsi fratres commodius se sustentare valeant, praedictis fratribus, ut quasdam possessiones in vineis consistentes, ac propterea ipsis turcis inutiles, cum illi ex eorum vana superstitione vino non utantur, olim praedictae domui, apost. auct. annexas, ad eorumdem fratrum, et eo concurrentium multorum pauperum majus commodum retinere libere, et licite valeant, apost. auct. ten. praesent. concedimus, et indulgemus. Decernentes, fratres praedictos, qui alia etiam quamplura privilegia olim obtinuerunt pro possessionibus habendis, et tenendis desuper quomodolibet molestari, vel alias inquietari non posse, nec valere. Non obstantibus praemissis etc. et statutis, in quibus continetur, quod professores dicti ordinis possessiones habere non possint, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis etc. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv. Junii Anno iv.

XV.

Sinit, ut manere possit in aula Regis Catholici. Ibidem fol. 9.

Ven. fratri Bernardo episcopo Corduben.

EXponi nobis nuper fecisti, quod charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ut ei pro rebus publicis assistas, tua opera uti desideret, idque libenter facere paratus existis. Verum quia a tua ecclesia sine nostra, et sedis apostolicae speciali licentia discedere non potes, nobis humiliter supplicari curasti, ut tibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur honestis tum ipsius regis, tum tuis votis in hac parte paterne annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut ab ecclesia tua ad curiam dicti regis te conferre, ibique quamdiu eidem regi videbitur, manere libere, et licite, et sine aliquarum poenarum, et censurarum ecclesiasticarum in episcopos non residentes per sacras constitutiones latarum incursu valeas, dummodo providere cures, ut dicta tua ecclesia aliquod in spiritualibus, aut temporalibus propter absentiam tuam detrimentum non patiatur; et in festo Paschatis Resurrectionis Dominicae apud eam resideas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus pariter, et indulgemus. Non obstantibus. etc.

Datum Romae apud S. Petrum die. v. Januarii Anno iii.

XVI.

Dat facultatem mittendi fratres ad Indiarum partes. Ex regest. Secretariae Brevium lib. I. fol. 102.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cupientes Indiarum maris Oceani amplas regiones, in quibus ingens fidelium numerus ad verae lucis, quae est Christus Dominus, cognitionem, divina Spiritus Sancti gratia cooperante, jam pervenerunt, et in posterum, eadem divina operante bonitate, pervenient, catholicis et religionis zelo insignibus viris, ac scientiae, et virtute praeditis, in quibus timor Domini sanctus permaneat, esse referctas ac pro messis magnitudine operarios desiderari, precibus quoque dilecti filii nostri Petri Antonii Camilli de Nuceria ordinis fratrum minorum conventualium generalis magistri inclinati, ut quoscumque fratres dicti ordinis, ad illustrandum in illis partibus Christi Domini, et Redemptoris nostri nomen, destinare possit, qui eisdem in regionibus, de licentia tamen ordinariorum locorum, iis in partibus, in quibus magis pro Dei gloria, et divini cultus augmento, opportunum duxerint, quascumque ecclesias, ac prope illas, sive alibi domos, conventus et monasteria utriusque sexus tam virorum, quam mulierum religiosorum dicti ordinis, in quibus ejusdem ordinis fratres, et alii, qui religionem amplecti voluerint, se recipere, ac in spiritu humilitatis queant Altissimo famulari, ad instar aliarum ejusdem ordinis ecclesiarum, domorum, conventuum, et monasteriorum cum campanili, campanis, dormitorio, claustro, hortis, et aliis necessariis officinis; ita quod omnibus, et singulis privilegiis, exemptionibus, indultis, facultatibus, tam per mare magnum, seu bullam auream, seu alias nuncupata rescripta sedis apostolicae, quam alia quavis auctoritate, concessis, quibus aliae dicti ordinis ecclesiae, domus, conventus, et monasteria utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri, et gaudere possint; sine tamen parochialium ecclesiarum, ac illarum rectorum, intra quarum limites ecclesiae, domus, conventus, et monasteria hujusmodi erigentur, aut alicujus alterius praejudicio, erigere, et instituere, et in eisdem domibus, conventibus, et monasteriis statum et essentiam regulares dicti ordinis introducere; eidem Petro Antonio Camillo, et pro tempore generali ejusdem ordinis, ut illis in provinciis, et locis dicti ordinis professsorem, quem ad infrascriptum munus magis idoneum existimaverint, ab eisdem Petro Antonio pro tempore generali magistro, juxta ejusdem ordinis statutorum, ac constitutionum, sive per litteras apostolicas praescriptam formam, in magistrum provincialem dictarum provinciarum, et locorum constituere, et deputare valeant, ad hoc, ut fratres in dictis regionibus degentes, sub ejus obedientia degant, eisdemque facultatibus, quibus alii ejusdem ordinis provinciales, fungantur, ac supremam auctoritatem, et jurisdictionem in fratres in dictis Indiarum partibus degentes habeant, prout alii provinciales dicti ordinis aliis in provinciis, et locis habere consueverunt, apostolica auctoritate ten. praes. facultatem concedimus, et impertimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die I. Maii anno IV.

XVII.

Commendat Bonaventuram a Nixia in Graeciam proficiscentem. Ibidem fol. 380.

Universis Archiepiscopis, Episcopis, eorumque ministris, vicariis, caeterisque praelatis ecclesiasticis, necnon quorumcumque Regum, Principum, et Dominorum magistratibus, et officialibus ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint salutem.

MAndavimus dil. filio Bonaventurae de Nixia ordinis S. Francisci de observantia professori, provinciae Candiae lectori theologo, et verbi Dei concionatori, catholicae religionis zelo, vita exemplari, aliisque virtutibus praedito, ut se in partes Graeciae conferat, et ibi christianas oves a tramite verae salutis aberrantes ad evangelicae veritatis cognitionem tum praedicationibus, tum lectionibus, ac bonis institutis, et exemplis revocare satagat, et pro animarum illius regionis salute illos omni conatu in vera et stabili fide confirmare, sanamque et orthodoxam doctrinam seminare, et plantare diligenter studeat. Quare cupientes, ad tam pium et laudabile opus perficiendum ipsum fratrem Bonaventuram ab omnibus, quos eum adire contigerit, benigne et hospitaliter pro christiana charitate recipi, atque tractari, vos omnes et singulos plurimum hortamur in Domino atque etiam requirimus, ut eumdem fratrem Bonaventuram nostro intuitu, et hujus pii, ac salutaris operis gratia in cunctis, quae ei opus fuerint, et ipse vos duxerit requirendos, prompte, propensoque animo favere, juvare, atque tueri velitis. In quo rem procul dubio Deo omnipotenti acceptam, et nobis quoque maxime gratam efficietis, parem vel eam ampliorem gratiam redditurí, quandocumque vobis gratificandi nobis sese dederit occasio.

Datum Romae apud S. Petrum die xii. Octobris anno v.

XVIII.

Ut convertat pium legatum in fabricam domus. Ibid. lib. i. fol. 488.

Ad futuram rei memoriam.

UT viri religiosi paupertatem professi contra eorum regulam non committant, et nihilominus iidem pias defunctorum voluntates exsequantur, decet nos auctoritate nostra providere. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt guardianus et fratres domus S. Crucis Papien. ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat., quod nuper quondam Lopez nobilis Hispanus, dum in humanis ageret, ac civitate Papien. commoraretur, in quo postmodum vita functus fuit, pia intentione ductus domui ejusdem S. Crucis summam nongentarum viginti librarum imperialium legavit in emptionem proprietatum, sive bonorum stabilium convertendam, ex quibus redditus ad rationem quinque pro centenario percipi posset, imponens eisdem guardiano ac fratribus, ut singulis diebus unam missam pro ipsius anima celebrari facerent. Cum autem eosdem guardianum et fratres proprium quid habere eorum regulae, cujus

beatus Christi confessor Franciscus fundamentum potissimum esse voluit, paupertatem et concilii Tridentini decretis adversetur, piae dicti Lopez voluntati iidem guardianus, et fratres satisfacere omnino intendant; unde si dicta summa pecuniarum legata in fabricam domus praefatae, seu illius ecclesiae converteretur, remanente in perpetuum onere eisdem guardiano et fratribus eamdem missam celebrandi, ex hoc profecto eisdem fratribus, et fabricae praedictae opportune consuleretur, nec pia testatoris voluntas in aliquo defraudaretur. Quare nobis praedicti guardianus et fratres humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem guardiano et fratribus, ut summam 920. librarum praedictarum in dictae domus, seu ecclesiae fabricam, et usum convertere libere et licite valerent, remanente tamen onere eisdem guardiano, et fratribus missam pro anima praedicti Lopez quotidie in perpetuum celebrandi, apost. auct. ten. praes. concedimus, et indulgemus, voluntatemque praedictam quoad hoc, quatenus opus sit, commutamus, ac loco proprietatis, seu bonorum stabilium, in quorum emptionem summa pecuniarum convertenda fuisset, fabricam dictae domus, seu ecclesiae ponimus, substituimus, et subrogamus, dantes, et concedentes licentiam, et auctoritatem guardiano et fratribus praedictis easdem pecunias nondum fortasse exactas nomine legati exigendi, percipiendi, et levandi, ac in dictae fabricae usum, et utilitatem convertendi cujusvis desuper minime requisita licentia. Et ita per quoscumque judices etc. diffiniri debere etc. decernimus. Non obstantibus voluntate, et aliis praemissis, necnon apostolicis etc. constitutionibus etc. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv. Aprilis anno iv.

XIX.

Facultas convertendi in Seminarium monasterium omnium Sanctorum Friburgi. Ibidem fol. 41.

Dil. filiis Bartholomaeo ex comitibus Purliliarum notario nostro, et apostolicae sedis in nonnullis Germaniae partibus nuntio, et Francisco Sporeno ordinis minorum de observantia, et theologiae professori commissario nostro, vel eorum alteri.

QUum, sicut accepimus, abbates regulares ipsius provinciae soliti sint, adolescentes religiosos ad universitatem Friburgi, ut ibi sacris dent operam litteris, mittere, quo quidem in loco nullam certam domum habent, ubi recipiantur, et custodiantur, sed in saecularium domibus habitent, ubi nullus est, qui eorum vitam, et mores observet, propterea nos, pro nostra pastoris universalis cura volentes opportune providere, ut adolescentes praedicti, sicut decet, religiose instituantur, ac nedum in litteris, verum etiam in christiana pietate proficiant, vobis per praesentes committimus, et mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum corporalem, realem, et actualem possessionem monasterii omnium Sanctorum Friburgi ordinis canonicorum regularium S. Augustini, visis praesentibus, capiatis, et apprehendatis, amoto exinde quocumque possessore, et detentore, cui propterea actionem spolii competere non posse

decernimus, illudque in Seminarium monachorum, prout jam fuit ordinatum, convertatis, ac fructus, redditus, et proventus ejusdem monasterii eidem Seminario applicetis. Mandantes in virtute sanctae obedientiae, et sub censuris et poenis arbitrio vestro infligendis dicti monasterii superioribus, et ejus curam gerentibus, ac aliis, ad quos spectat, ut quacumque appellatione remota, monasterium ipsum, ejusque bona, ac fructus, redditus, et proventus vobis consignent, ac consignari faciant cum effectu in dicti monachorum Seminarii, et non alios usus omnino convertendos. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xx. Januarii anno iv.

XX.

Beneficium ecclesiasticum pro fratre Francisco Sporeno. Ex Bullario Secret. Brevium lib. i. fol. 305.

Ven. fratri Episcopo Constantien. salutem etc.

Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Cum itaque sicut accepimus ecclesia Praepositura nuncupata Hanshonen. in Alsatia Constantien. dioecesis provinciae Maguntin. quae de jure patronatus dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Archiducis Austriae existit, certo modo vacaverit, et vacet ad praesens, nos volentes dilectum filium Franciscum Sporenum Utinen. ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. professorem, asserentem se dictum ordinem expresse professum existere seque ad dictam ecclesiam per eumdem Ferdinandum Archiducem licet de facto praesentatum fuisse, apud nos de religionis zelo, vitae et morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, ipsumque Franciscum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac verum et ultimum dictae ecclesiae vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet, praesentibus pro expresso habentes, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, ut si per diligentem examinationem dictum Franciscum ad hoc idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, ecclesiam praefatam quae sine cura est, ac cujus et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus mille et ducentorum ducatorum auri de camera secundum communem exstimationem valorem annuum, ut dictus Franciscus etiam asserit non excedunt, quovis modo et ex cujuscumque persona, seu per liberam resignationem cujusvis de illa extra romanam curiam etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. statuta Concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque ecclesia dispositioni apostolicae specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter jus quaesitum cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Francisco infra triginta dies, postquam praesentes litterae tibi praesentatae fuerint, auctoritate nostra conferas ac assignes. Inducens per te vel alium seu alios eumdem Franciscum, vel procuratorem suum ejus no-

mine in corporalem possessionem ecclesiae et annexorum juriumque et pertinentiarum praedictorum, ac defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore ac faciens eidem Francisco de ecclesiae ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, ac obventionibus universis integre responderi, contradictores etc. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus ac dicti ordinis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis, etiam mari magno ac alias quomodolibet nuncupatis eidem ordini illiusque superioribus et personis ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis etc. etiam motu proprio etc. in contrarium forsan quomodolibet concessis etc. quibus omnibus etiamsi de illis etc. illis alias etc. hac vice dumtaxat etc. derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eumdem Franciscum in assecutione dictae ecclesiae volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praejudicium generari, seu si pro tempore existenti episcopo Constantien. vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint. Quodque de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; nos enim cum eodem Francisco ut dictam ecclesiam si illam per te praesentium seu alterum cui etiam hodie desuper scribimus aliarum litterarum vigore sibi conferri et assignari contigerit, recipere et retinere libere et licite valeant quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam ut praefertur roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus auctoritate apostolica earumdem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, et insuper si dictus Franciscus ad hoc repertus fuerit idoneus ut praefertur ex nunc perinde irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter contigerit attentari, ac si die datae praesentium eidem Francisco ad hoc reperto idoneo de dicta ecclesia cum interpositione decreti hujusmodi mandavissemus provideri.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae nonis Maii anno IV.

XXI.

Franciscus Sporenus fit episcopus Sebasten. in Palestina. Ex actis consistorialibus autographis pag. 438.

Romae in Palatio Apostolico apud S. Petrum feria II. die 30. *mensis Julii fuit consistorium, in quo*

Reverendissimus Dominus Cardinalis Madrutius proposuit ecclesiam Sebastensem pro patre Francisco ordinis minorum de observantia designato, et Sanctissimus expedivit provisionem cum retentione.

XXII.

Patritius OHelius praeficitur ecclesiae Mayonen. in Hibernia. Ib. p. 430.

Romae in Palatio Apostolico apud S. Petrum feria IV. die 4. *mensis Julii fuit consistorium, in quo*

Reverendissimus Dominus Cardinalis Alciatus Protector Hiberniae proposuit ecclesiam Mayonen. in Hibernia providendam de persona fratris Patritii Hiberni ordinis minorum de observantia, et omnibus annuentibus Sanctissimus Dominus noster illum praefecit in episcopum et pastorem, et gratis de more Hibernorum.

XXIII.

Cornelius Vianus praeficitur ecclesiae Laonen. in Hibernia. Ib. p. 441.

Romae apud S. Petrum feria II. die 6. *mensis Augusti fuit consistorium, in quo*

Reverendissimus Dominus Cardinalis Alciatus proposuit ecelesiam Laonen. sic vacantem, providendam de persona p. fratris Cornelii ordinis minorum de observantia, et omnibus specialiter annnentibus SSmus Dominus noster providit dictae ecclesiae de persona praedicti patris Cornelii, et illnm praefecit in episcopum et pastorem.

Digitized by Google

XXIV.

Indulget, ut in regionibus Americae duo hospitalia excitentur. Ex regest. Secret. Brevium lib. II. fol. 222.

Dilectis filiis Christophoro de Capitefontium ministro, ac Didaco Valades procuratori generali ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat.

EXponi nobis nuper fecistis quod in regnis Novae Hispaniae, et del Perù ac omnibus Indiarum maris Oceani partibus S. Jacobus Apostolus uti regnorum Hispaniarum specialis patronus in maxima veneratione habetur, et christifideles in dictis regnis habitantes ad civitatem et ecclesiam Compostellanam in qua ejusdem S. Jacobi Apostoli corpus requiescit cujusque nomini dicta ecclesia dicata fuit, ob itineris magnitudinem, illiusque incommoda accedere nequeant, Nos eorumdem fidelium in illis partibus degentium animarum saluti consulere volentes, vestris hac in parte supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum unum in civitate Mexican. novae Hispaniae, et alterum in civitate Regum, seu de Lima nuncupata in Perù hospitalia seu domus ejusdem S. Jacobi erigendi et instituendi licentiam et facultatem apost. auct. ten. praes. concedimus et impartimur, necnon de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis qui in dictis hospitalibus seu eorum altero postquam constructa et erecta fuerint, mortem obierint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium elargimur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI. Aprilis anno V.

XXV.

Quorumdam coenobiorum permutationem approbat. Ex Bullario Secret. Brevium lib. I. fol. 247.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUperna dispositione cujus inscrutabilis etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ven. fratris nostri Vincentii episcopi, ac dilectorum filiorum capituli et canonicorum Montisregalis, necnon prioris, guardiani, et fratrum domorum S. Dominici et S. Francisci ordinum fratrum praedicatorum et minorum conventualium nuncupat. rectorisque collegii clericorum et presbyterorum societatis Jesu etiam Montisregalis, ac nobilis viri Emmanuelis Philiberti Sabaudiae Ducis et Pedemontium principis petitio continebat, quod alias cum ipse Emmanuel Philibertus dux, arcem sive propugnaculum fortalicium nuncupat. in civitate Montisregalis provinciae Taurinen. cujus idem Emmanuel Philibertus dux dominus in temporalibus existit, construere intenderet nec locus ad id commodior et aptior videretur quam ubi cathedralis eccle-

Digitized by Google

sia S. Donati nuucupata ac domus S. Dominici et collegium hujusmodi eorumque aedificia sita et pro arcis seu propugnaculi hujusmodi constructione demolienda erant, praefatus Emmanuel Philibertus dux volens episcopo capitulo et canonicis ac priori et fratribus domus S. Dominici necnon rectori, clericis, et presbyteris praefatis caeterisque personis ex ipsa demolitione damnum passuris aliqua convenienti recompensa omnino satisfacere, cum eisdem ad infrascriptam cum interventu seu postmodum subsecuta approbatione nostri et sedis apostolicae in partibus illis Nuntii devenit conventionem, videlicet quod ipse Emmanuel Philibertus dux teneretur procurare ut ipsis episcopo, capitulo, et canonicis loco ac vice eorum ecclesiae, ut praefertur, demoliendae seu jam demolitae alia videlicet ecclesia dictae domus S. Francisci cum suo campanili et cimiterio ac sacristia solita ac certa camera supra dictam sacristiam existente, ac primo claustro ecclesiae domus S. Francisci hujusmodi contiguo terreno similiter et non superiori exclusis, et a dicto claustro capella sanctorum Innocentium et alio sacello sive loco capitulari ipsis fratribus minoribus pro eorum usu et habitatione reservatis et remanentibus, apostolica auctoritate concederetur, ita tamen quod non liceret ipsis, episcopo, et capitulo, et canonicis supradictum claustrum fabricare, neque ex fenestris sacristiae et camerae praedictarum in domum dictorum fratrum minorum prospicere, sed jus solum luminis habere cratibus ferreis impositis, quodque dicta cathedralis ecclesia una cum omnibus capellis et capellaniis in ea sitis et fundatis etiam de jure patronatus existentibus earumque juribus, proventibus, invocationibus, titulis, sanctorum imaginibus, anchonis, vasis, ornamentis, lapidibus, campanis caeterisque ornamentis ad ecclesiam domus S. Francisci hujusmodi in cathedralem ecclesiam sub eadem invocatione S. Donati erigendam et instituendam dicta auctoritate transferretur; guardiano vero et fratribus ejusdem domus S. Francisci alia videlicet parrochialis ecclesia S. Andreae etiam Montisregalis eidem domui S. Francisci contigua seu conjuncta cum suo campanili, riservato tamen moderno dictae parochialis ecclesiae rectori jure sepulturae ad illius altare majus situm in majori capella pro se omnibusque de ejus familia existentibus, dicta auctoritate etiam concederetur; cura vero animarum ejusdem parochialis ecclesiae suppressa illius invocatione, ad ecclesiam S. Evasii eidem ecclesiae S. Andreae annexam et incorporatam etiam transferretur et ibidem exerceretur, prout de preesenti exercetur. Quodque dicti fratres minores praefatam ecclesiam S. Andreae sibi sic concedendam reedificare seu si vellent in totum vel in partem demoliri et profanare, aliamque ecclesiam sub ejusdem S. Francisci vel altera invocatione de novo in dicto loco vel alibi construere ac ad eam campanas, organa, sedilia, lapides, cadavera etiam de consensu patronorum et ossa defunctorum, necnon omnes capellas et capellanias ad quaecumque altaria ibidem existentia una cum suis invocationibus, titulis, et officiis ibidem celebrandis, ita quod defunctorum et testatorum ac patronorum mentibus et ultimis voluntatibus perinde inibi satisfieret ac si officia ipsa in dicta ecclasiae S. Francisci ac juxta quascumque praescriptas formas, et dispositiones celebrarentur, transferre et transportare libere et licite valerent. Et insuper ut dictorum fratrum minorum indemnitati ac cuicumque interesse, quod ex hujusmodi translatione quomodocumque praetendere possent plenius consuleretur, idem Emmanuel Philibertus dux annum cen-

sum quinquaginta scutorum auri perpetuo singulis annis pro tempore existenti guardiano et fratribus minoribus praefatis persolvendum assignare super taxa seu censu ordinario per dilectos filios communitatem et homines dictae civitatis ipsi Emmanueli Philiberto duci quotannis solvi solito ita, ut ipsi communitas et homines se ad solutionem annuam quinquaginta scutorum hujusmodi obligare deberent vel aliis bonis, reservata tamen ipsi Emmanueli Philiberto duci facultate censum quinquaginta scutorum hujusmodi per assignationem aequivalentem vel utiliorem ipsis guardiano et fratribus minoribus, arbitrio ordinarii faciendam, quandocumque retinendi et se ab eo liberandi. Praeterea eisdem Vincentio episcopo, capitulo, et canonicis pro expensis dictae ecclesiae S. Francisci ad formam cathedralis ecclesiae reductionem necessariis eam pecuniarum summam, de qua inter Emmanuelem Philibertum ducem et nuntium praedictos conventum fuerit in termino, ab eisdem Emmanuele Philiberto duce et nuntio ad id statuendo per communitatem et homines praefatos de pecuniis et redditibus ad ipsum Emmanuelem Philibertum ducem pertinentibus solvi facere, eosque ad id obligare ac ex nunc pro hujusmodi summa sic solvenda quietare et liberare; fratribus vero minoribus pro restauratione ecclesiae S. Andreae seu constructione alterius ecclesiae hujusmodi septingenta scuta similia intra duos tunc proxime futuros annos; pro una videlicet in primo, et altera medietatibus ejusdem summae septingentorum scutorum hujusmodi in secundo annis, modo et forma praemissis solvi et numerari. Fratribus vero domus S. Dominici hujusmodi pro eorum domo, ecclesia, et habitatione alia videlicet parochialis ecclesia S. Joannis similiter Montisregalis in Burgo Caraseni nuncupato sita, una cum omnibus suis aedificiis, ac juribus, et pertinentiis ac etiam domo confraternitatis S. Joannis, et animarum cura per aliquem ex ipsis fratribus praedicatoribus ab ordinario approbandis, post obitum tamen illius moderni rectoris, in perpetuum exercenda, necnon fructibus, juribus, et pertinentiis dicta auctoritate perpetuo concedi facere teneretur, liceretque eisdem fratribus praedicatoribus omnia marmora et lapides ex ecclesiae, sacristiae, et loci capitularis, portis, altaribus, sepulturis, et columnis, earumdemque columnarum demoliendarum bases ac capellas, ferramenta, et ligamina quaecumque, necnon tectorum tegulas et cuppos, una cum omnibus altaribus, capellaniis, Sanctorum imaginibus, anchonis, vasis, ornamentis, campanis alias in ecclesia domus S. Dominici hujusmodi institutas, necnon honoribus, oneribus, titulis, denominationibus, et legatis suis universis ad eamdem ecclesiam S. Joannis transportare et transferre, ac etiam de novo constituere, ita quod in eis sic translatis missas et alia divina officia celebranda non minus testatorum legatis, mentibus et voluntatibus satisfiat, ac si translata non essent. Ut vero facilius hujusmodi translationis feratur incommodum, idem Emmanuel Philibertus dux teneretur eisdem domui S. Dominici, et illius fratribus singulis annis, quousque modernus rector ecclesiae S. Joannis hujusmodi superviveret, viginti quinque scuta similia solvere, necnon pro constructione nova ecclesia sive domus pro priore et fratribus ordinis praedicatorum hujusmodi et illorum habitatione nonnullas domunculas valoris ducentorum vel trecentorum scutorum, ac parvam vineam de Gallaci nuncupatam, ecclesiae S. Joannis et moeniis civitatis hujusmodi contiguam ad praefatum usum emere, ac ipsis priori et fratribus praedicatoribus tradere,

sive eorum pretium praestare. Et insuper duo millia scuta similia intra terminum quatuor annorum, videlicet quingenta singulis ex ipsis quatuor annis etiam sub obligatione dictorum communitatis et hominum, ac modo et forma praemissis solvenda assignare. Rectori vero et clericis ae presbyteris societatis Jesu hujusmodi pro eorum usu et habitatione ac in recompensam demolitionis sitns, domus, et habitationis eorumdem clericorum et presbyterorum, domum sive palatium dilecti filii Francisci de Ponte civis Montisregalis emere, ipsisque clericis et presbyteris tradere et consignare. Praeterea ad effectum omnium praemissorum licentiam profanandi et demoliendi dictas ecclesias et domus, quae, ut praefertur, profanandae et demoliendae erant, licentiam a nobis et dicta sede obtinere, ac super praemissis litteras apostolicas necessarias et opportunas expedire facere tenerentur; et deinde hujusmodi conventionis praetextu, et non expectato dictae sedis beneplacito nec licentia, Vincentius episcopus, capitulum, et canonici cum eorum ecclesia, ornamentis, aedificiis, capellis, et altaribus ad S. Francisci; guardianus vero et fratres minores cum eorum domo, organo, ornamentis, paramentis, campanis, capellis, lapidibus, et aliis praemissis ad S. Andreae ecclesias se transtulerunt, illarumque possessionem respective apprehenderunt liceat de facto; communitas vero et homines pradicti de solvendo domui S. Francisci et illius fratribus praefatis annuis singulis quinquaginta, ac pro aedificatione eorum novae domus alia septingenta, ac dictae ecclesiae S. Joannis rectori, suppressioni et extinctioni dictae suae ecclesiae, in domum S. Dominici dicti ordinis fratrum praedicatorum exigendae consentienti, et illam cum ejus domo ipsis fratribus praedicatoribus pro celebratione divinorum officiorum dimittenti viginti quinque scuta, necnon priori et fratribus praedicatoribus hujusmodi, ut eorum nova domus commode construi et aedificari posset tria millia scuta auri, novem florenis monetae ducalis pro quolibet scuto hujusmodi computatis, ad contemplationem ipsius Emmanuelis Philiberti ducis se obligarunt et hypothecarunt, prout etiam de facto in terminis conventis solverunt, dictaeque confraternitatis confratres eorum domum et pertinentias ipsia fratribus praedicatoribus pro constructione novae eorum domus hujusmodi, recepta prius obligatione ab ipso Emmanuele Philiberto duce de eis consignando aequalem recompensam dimiserunt et tradiderunt. Et insuper ad ulteriorem executionem ejusdem conventionis procedendo, idem Emmanuel Philibertus dux voluit solvi et numerari per dictos communitatem et homines de suis pecuniis et redditibus ordinariis collegio et clericis societatis Jesu hujusmodi pro nova eorum domo emenda vel collegio fabricando in recompensam damnorum pariorum, duo millia scuta tribus libris ducalibus pro quolibet scuto hujusmodi computatis, ac ex tunc communitas et homines praedicti se de illis solvendis in terminis conventis obligarunt, prout in pluribus et diversis instrumentis ac aliis scripturis desuper confectis plenius continetur. Quare pro parte tam Vincentii episcopi, capituli et canonicorum, ac prioris, guardiani, et fratrum, necnon rectoris clericorum et presbyterorum quam Emmanuelis Philiberte ducis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus conventioni et aliis praemissis pro illorum subsistentia robur apostolicae confirmationis adjicere aliasque super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica, aliis

uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum comunem exstimationem etiam beneficii, cui alind uniri peteretur et semper in unionibus commissio fieret, ad partes vocatis quorum interesset, Vincentium episcopum singularesque personas capituli, necnon priorem, guardianum et fratres, ac rectorem, clericos et presbyteros, necnon Emmanuelem Philibertum ducem hujusmodi, eorumque singulos a quibusvis per ipsos et eorum quoslibet praemissorum occasione quomodolibet incursis in utroque foro, necnon ad effectum praesentium dumtaxat consequendum aliis excommunicationis etc. censentes, necnon instrumentorum et aliarum scripturarum hujusmodi tenores ac ecclesiarum et domorum praedictarum qualitates, situationes, et etiam illarum fructuum redditumm, et proventuum, veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, conventionem ac omnia et singula alia praemissa apostolica auct. ten. praes. perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos tam juris quam facti ac solemnitatum defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, ipsosque Vincentium episcopum, capitulum, canonicos, Emmanuelem Philibertum ducem, et alios praefatos ab eis resilire non posse, sed ad eorum illorum observationem teneri et obligatos fore; sicque per quoscumque judices etc. decernimus. Et nihilominus pro potiori omnium et singulorum praemissorum cautela, in S. Donati cathedralis, et in S. Andreae ecclesiis, parochialis ecclesiarum nomina et titulos, in domibus vero S. Francisci, et S. Dominici, ac collegio praedictis ordinem, statum, et essentiam regulares auctoritate et tenore praefatis etiam perpetuo supprimimus et extinguimus, ipsamque ecclesiam cathedralem et sedem episcopalem Montisregalis una cum Vincentio episcopo, capitulo, et canonicis praedictis, ac episcopali, et capitulari mensis, dignitatibus, canonicatibus, et praebendis, capellaniis, altaribus, caeterisque beneficiis et personis ecclesiasticis, necnon proprietatibus, dominiis, censibus, feudis emphiteuticis, decimis, primitiis, bonis, fructibus, redditibus, proventibus, jurisdictionibus, juribus, et actionibus suis universis, eisdem modo et forma, quibus erant in praedicta ecclesia S. Donati, ad ecclesiam domus S. Francisci; domum autem S. Francisci hujusmodi una cum illius guardiano, fratribus, officiis, capellaniis, altaribus, organis, sedilibus, lapidibus, ornamentis, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, proprietatibus, censibus, feudis, decimis, primitiis, caeterisque eorum bonis quocumque nomine nuncupatis ad dictam ecclesiam S. Andreae, curam vero animarum ipsi ecclesiae S. Andreae imminentem, illam ab ea abdicando et separando una cum rectore et parochiani ejusdem ecclesiae S. Andreae, necnon omnibus illius fructibus, redditibus, proventibus, bonis, et actionibus ad dictam ecclesiam S. Evasii, reservato tamen moderno rectori ecclesiae S. Andreae hujusmodi pro se et aliis de sua parentela et familia existentibus jure sepeliendi ut praefertur; domum vero S. Dominici hujusmodi una cum illius priore, fratribus, officiis, fructibus, redditibus, proventibus, pertinentiis, bonis, et actionibus universis ad dictam ecclesiam S. Joannis, salva remanente illius cura animarum per unum ex dictis fratribus praedicatoribus ab ordinario approbandum, post obitum tamen moderni rectoris ecclesiae S. Joannis hujusmodi, in ea per ipsum exercenda cum omnibus illius fructibus, redditibus, proventibus, deci-

mis, juribus et pertinentiis universiis eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo transferimus, necnon, quatenus opus sit, ecclesiae olim domum S. Francisci hujusmodi in cathedralem ecclesiam Montisregalis sub dicta invocatione S. Donati pro Vincentio episcopo capitulo, et canonicis praefatis, ita quod ipse Vincentius episcopus illius possessionem de novo adipisci minime teneatur, sed jam apprehensam continuare valeat; ecclesiam vero S. Andreae hujusmodi in domum ordinis fratrum minorum conventualium sub S. Francisci vel altera eis benevisa invocatione; ecclesiam autem S. Evasii hujusmodi in parochialem ecclesiam pro uno rectore, cui cura animarum illius parochianorum incumbat, necnon praedictam ecclesiam S. Joannis in domum ordinis fratrum praedicatorum sub invocatione S. Dominici auctoritate et tenore praedictis pariter perpetuo erigimus et constituimus, illisque sic erectis et institutis fructus, redditus, proventus, proprietates, decimas, primitias, fundos, jura et actiones ac alias ad eas respective, ut praefertur, translata eisdem modo et forma quibus translata fuerunt, auctoritate et tenore praedictis itidem perpetuo applicamus et appropriamus, necnon Emmanueli Philiberto duci veteres domus S. Francisci et S. Dominici ac collegii eorumque, necnon S. Donati ecclesias hujusmodi cum suis sculturis et aedificiis denuo; guardiano vero et fratribus minoribus praefatis dictam ecclesiam S. Andreae in toto vel parte demoliendi et profanandi et quoad praefatos guardianum et fratres, loco ipsius S. Andreae, aliam ibidem sub invocatione S. Francisci hujusmodi construi et aedificari faciendi, licantiam per easdem praesentes concedimus et impartimur. Quocirca. ven. fratribus nostris archiepiscopo Taurinen. et Asten. ac Amerin. episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Vincentii episcopi, capituli, et canonicorum, prioris, guardiani fratrumque, rectoris clericorum presbyterorum, et Emmanuelis Philiberti ducis praefatorum seu alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio asistentes faciant, auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta hujusmodi, ab omnibus ad quos spectat et spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ipsosque Vincentium episcopum, capitulum, canonicos, priorem, guardianum, fratres, rectorem, clericos, et presbyteros, et Emmanuelem Philibertum ducem praefatos illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles etc. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, ac quatenus opus sit Lateranen. concilii novissime celebrati, uniones etc. necnon piae memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam praedecessoris nostri, et illa qua cavetur ne quis extra etc. et de duabus dietis etc. dummodo intra tres dietas etc. aliisque apostolicis etc. constitionibus etc. ac ecclesiarum, domorum, ordinum, collegii, et societatis praefatarum juramento etc. statutis etc. privilegiis quoque, indultis etc. illis ac praefato Vincentio episcopo, canonicis, capitulo, priori, guardiano, fratribus, rectori, clericis, et presbyteris, et Emmanueli Philiberto duci caeterisque personis sub quibuscumque etc. derogatoriis etc. etiam motu proprio etc. concessis etc. quibus omnibus etc. etiam si de illis specialis etc. tenores etc. praesentibus pro expressis habentes illis alias etc. hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque aut si aliquibus etc. iu-

dultum quod interdici etc. non possint per litteras etc. mentionem. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae idibus Martii anno vi.

XXVI.

Hieronymus de Villacarillo praeficitur ecclesiae de Tucuman in Indiis. Ex actibus consistorialibus pag. 531.

Apud S. Petrum die lunae 27. Martii fuit consistorium, in quo

Referente Reverendissimo Cardinali Sfortia et ad eamdem Regis catholici nominationem.

Sanctissimus Dominus noster providit ecclesiae de Tucuman in Indiis maris oceani per obitum bon. mem. fr. Hieronymi de Albernoz vacan. de persona religiosi viri fr. Hieronymi de Villacarillo ordinis S. Francisci de observantia in sacro presbyteratus ordine constituti, aetate, doctrina idonei, ipsumque dictae ecclesiae in episcopum et pastorem praefecit cum simili decreto quod ante possessionem fidem profiteatur.

XXVII.

Joannes de Campo praeficitur archiepiscopus ecclesiae de Charcas, sive del Rio de la Plata in Indiis maris oceani. Ibidem pag. 532.

Apud S. Petrum die lunae 27. Martii fuit consistorium, in quo

Referente Reverendissimo Cardinali Sfortia et ad ejusdem christianissimi Regis nominationem.

Sanctitas sua providit ecclesiae del Rio de la Plata nuncupat. in Indiis maris oceani per obitum bon. mem. fratris Petri de la Torre vacan. de persona fr. Joannis de Campo ordinis S. Francisci de observantia habentis omnia requisita a Sacra Tridentina synodo etc. ipsumque dictae ecclesiae in episcopum praefecit et pastorem, cum eodem decreto professionis fidei, ut acta dictae ecclesiae possessionem consequatur, et cum absolutione etc.

XXVIII.

Franciscus de Ovando praeficitur ecclesiae Truxilli Venetiolae. Ibidem pag. 336.

Apud S. Petrum die lunae 15. Aprilis in aula Constantini fuit consistorium, in quo

Referente Reverendissimo Cardinali Sfortia
et ad catholici Regis nominationem.

SAnctitas sua providit ecclesiae de Truxillo quae est sub Metropoli civitatis Regum vacan. de persona ven. fr. Francisci de Ovando religiosi professi ordinis S. Francisci de observantia aetate, natalibus, et doctrina commendabili, ipsumque dictae ecclesiae in episcopum praefecit, et pastorem cum decreto de facienda professione fidei ante possessionem.

XXIX.

Guardiano Antibarensi datur facultas absolvendi a casibus reservatis. Ex regest. Secret. Brev. lib. II. fol. 673.

Dilecto filio guardiano domus S. Nicolai Antibaren. ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat.

QUum sicut accepimus ecclesia Antibaren. pastoris solatio destituta reperiatur, et in civitate Antibaren. sanctissimum Eucharistiae sacramentum ea qua decet reverentia, et honore, ac devotione non ita tuto propter metum infidelium ad infirmos dum urget necessitas deferri potest, Nos interea temporis, dum eidem ecclesiae de idoneo pastore providetur, saluti animarum gregis dominici Antibaren. consulere et alias in praemissis providere volentes, teque a quibusvis, et eorum etc. censentes, tibi quascumque utriusque sexus civitatis Antibaren. personas, quae in aliquos casus episcopales inciderint, ab eisdem casibus seu criminibus, excessibus, delictis, et poenis, injucta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari, apostolica auctoritate absolvendi donec eidem ecclesiae de idoneo pastore dicta auctoritate providebitur; ac quod in domibus dictae civitatis ubi infirmi aderunt, qui sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere voluerint, dumtaxat liceat habere altare portatile cum debitis honore et reverentia, super quo missae in loco honesto per idoneos saeculares vel quorumvis ordinum regulares sacerdotes in praesentia dictorum infirmorum, et aliorum in dictis domibus existentium celebrare, ipsumque SS. Eucharistiae sacramentum dictis infirmis administrare possint, ita tamen quod dictis sacerdotibus taliter celebrantibus nequeant ad culpam imputari, apost. auct. ten. praes. licentiam concedimus et facultatem. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI. Novembris anno VI.

XXX.

Christophoro de Capitefontium facultas confertur instituendi in Galliarum regno sodalitates Corporis Christi. Ex Bullario Caroli Coquelines tom. iv. part. 3. pag. 339.

Dilecto filio Christophoro de Capitefontium ordinis fratrum minorum de observantia ministro generali.

Ut erga SS. Eucharistiae sacramentum omnium gratiarum fontem ubilibet, praesertim in Gallia, ubi ob excitatas humani generis hoste instigante haereses, ac bellicos tumultus, divinus cultus admodum refrixit, debita christifidelium excitetur devotio, illaque in dies magis augeatur, tibi de cujus religionis zelo, ac probitate plurimum in Domino confidimus, et qui ad propugnandam fidem catholicam, quam de dicto etiam sacramento, tum in scribendis libris, tum in concionibus de eo ad specialem Galliam habitis multum hactenus laborasti, ut in quibusvis civitatibus, et ecclesiis parochialibus, per ipsam Galliam constitutis, quas ad id habere devotionem compereris, confraternitates sub ejusdem SS. Sacramenti Eucharistiae invocatione erigere et instituere, necnon postquam erexeris et institueris, una cum consilio confratrum, qui in dictis confraternitatibus conscribentur, quaecumque statuta et ordinationes licite et honeste circa earum bonam directionem et tranquillum statum condere et condita, prout expediens fuerit, mutare et alia de novo edere valeas, auct. apost. ten. praes. facultatem concedimus.

§. 2. Praeterea ipsarum confraternitatum, ut praefertur, instituendarum augmento et profectui, animarumque saluti consulere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui aliquam ex confraternitatibus praefatis ingredientur, die eorum ingressus, si contriti et confessi communicaverint, ac in mortis articulo constituti plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargimur.

§. 3. Atque eisdem confratribus, qui SS. Sacramentum hujusmodi, dum ad infirmos defertur, devote associaverint, seu legitimo impedimento detenti associari fecerint, centum dies, ipsisque confratribus qui processionibus et divinis officiis per praedictas confraternitates celebrandis interfuerint, etiam centum dies.

§. 4. Insuper mulieribus sororibus confraternitatum ipsarum, quibus propter honestatem, aut aliquod impedimentum extra domum vagari non licet, si quoties signum campanae audiverint, semel orationem dominicam et salutationem angelicam flexis genibus recitaverint, similiter centum dies.

§. 5. Praeterea eisdem confratribus utriusque sexus confraternitatum, ut praefertur, instituendarum visitando altare ejusdem SS. Sacramenti, et inibi septies orationem dominicam, et toties salutationem angelicam pro exaltatione S. R. Ecclesiae, ac haeresum extirpatione, officium recitando in diebus quibus stationes in ecclesiis in Urbe et extra illam existentibus habentur, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur,

si ea die illam ecclesiam in Urbe, et extra eam visitarent, in qua ipsa statio habetur.

§. 6. Rursus eisdem confratribus altare seu locum, in quo sacramentum praefatum custodietur, visitantibus et orantibus sexta quaque feria centum dies, singula vero die in Coena Domini ejusdem confratribus verè poenitentibus et confessis, septem annos et totidem quadragenas, in tertia vero dominica cujuslibet mensis, et in feria quinta majoris hebdomadae ad altare praefatum Eucharistiam pie suscipientibus decem annos, et totidem quadragenas, eisdem confratribus, qui dictum Sacramentum in processione singulo quoque tertio dominico die cujuslibet mensis associaverint, etiam centum dies.

§. 7. Denique omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui singula quaeque sexta feria cujuslibet hebdomodae, altare confraternitatum SS. Sacramenti hujusmodi devote visitaverint, et ibi pias ad Deum preces effuderint, decem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis et eorum cuilibet poenitentiis misericoditer in Domino relaxamus. Contrariis non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII. Maii anno V.

XXXI.

Licentia recipiendi eleemosynas pro locis Terrae Sanctae. Ex regest. Secr. Brev. lib. I. fol. 1.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

INter caetera charitatis opera, quibus aeterna salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori nostro Jesu Christo placere credimus, per quae pauperes religiosi in partibus infidelium pro christiana fide conservanda, non sine maximis eorum periculis et laboribus commorantes, subleventur, et adjuventur. Nuper siquidem accepimus quod dilectus filius minister generalis ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia aliquos sui ordinis fratres probos et honestos homines procuratores et collectores in diversis mundi partibus et provinciis pro colligendis eleemosynis ad subventionem et sustentationem eorum fratrum, qui ex suo ordine in monasterio Hierosolymitano, quod prope sepulchrum D. N. J. C. habent, assidue degunt, per suas patentes litteras constituit, et deputavit. Quare nos considerantes fratres in dicto monasterio Hierosolymitano degentes sine piorum hominum eleemosynis ac subsidiis minime ibidem vivere ac sustentari posse, ac propterea ad id paterna charitate propensi, opere pretium esse duximus, christifidelium suffragia pro iisdem fratribus implorare. Itaque omnes principes, magistratus, locorum ordinarios, et personas tam ecclesiasticas quam saeculares, quo possumus affectu hortamur in Domino, et ab ipsis omni studio requirimus, ut memores divini eloquii, quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis, dictorum fratrum Hierosolymis degentium necessitatis et inopiae miserti, pias suas in illorum subventionem eleemosynas pro cujusque arbitrio et voluntate erogare, ac procuratoribus, et collectoribus ab ipso generali, ut praefertur, deputatis, suae deputationis litteras hujusmodi exhibentibus circa id omnem opportunum favorem et auxilium prompte

Digitized by Google

ac libenter praestare velint. Quod cum fecerint statutum habeant se copiosum ab eodem Redemptore nostro retributionis proemium feliciter adepturos. Praesentibus ad triennium proximum dumtaxat valituris.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX. Januarii anno V.

XXXII.

Interdicit disputationem de Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis. Ibidem lib. I. fol. 4.

Dilectis filiis decano et magistris facultatis theologicae Sorbonae Parisien.

PAstoralis officii ratio postulat, ut ecclesiae catholicae filios, illos praecipue de quorum pietate et doctrina praeclara quaeque atque salutaria merito expectantur, unanimes christianae charitatis vinculo inter se colligatos conservemus; itaque vigilandum nobis est, ut inutilium contentionum exordia supprimantur. Quare cum non sine moerore accepimus quorumdam imprudentia excitatas esse quaestiones de B. Mariae Virginis Conceptione, easque subcrescentibus novis controversiis ac difficultatibus, eo usque protractas, ut multorum mentibus gravissimae offensionis causam dederint; ne tantum malum serpat latius, muneris nostri esse judicavimus adhibere remedium. Ipsius itaque controversiae natura et statu, horum quoque temporum miserrima conditione perpensis, illa omnia quae hujus quaesitionis occasione partium studio sunt addicta, praecidenda censuimus. Quamobrem in virtute sanctae obedientiae vobis praecipimus, ut ommissis quaestionibus de Beatissimae Virginis Conceptione, nihil in concionibus, lectionibus, publicis disputationibus, vel libro aut scripto aliquo, vel quocumque alio modo afferatis, quo Summorum Pontificum, aut sacri concilii Tridentini decreta violentur, vel quoquomodo in dubium aut disceptationem vocentur, quibus nemo audeat novam aliquam interpretationem suo sensu afferre. Haec pro solicitudine apostolici muneris et paterno amore, quo almam istam facultatem catholicae religionis defendendae ac propagandae studio illustrem prosequimur, monenda, et praecipienda esse duximus, confisi in Domino fore, ut pro obedientia, quam et alias et nunc in vestris ad nos missis litteris professi estis, apostolicis mandatis obtemperetis. Nos vero praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, almam et praeclaram vestram facultatem paterno affectu ita amplectimur, ut illius jura et immunitates salvas atque integras esse velimus, nobisque curae futurum sit, ut illam in dies magis auctam magisque florentem vehementer nos cupere omnes intelligant.

Datum Romae apud S. Petrum die XX. Januarii anno V.

XXXIII.

Concedit indulgentiam plenariam ecclesiis Discalceatorum. Ex bullario discalceatorum P. Francisci Matritensis tom. i. pag. 246.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

DE salute gregis dominici curae nostrae, meritis licet imparibus, divina dispositione commissi, prout ex debito pastoralis officii tenemur, solicite cogitantes, fideles singulos gregis ejusdem ad visitandas ecclesias, ac pia et meritoria opera exercenda, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, et peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut exinde, divina eis suffragante gratia, ad aeterna felicitatis gaudia facilius pervenire mereantur. Cupientes igitur, ut ecclesiae monasteriorum, seu domorum fratrum minorum discalceatorum nuncupatorum ordinis S. Francisci de observantia Indiarum de la China, et Insularum Philippinarum jam erectae, et in futurum intra decennium erigendae, et earum quaelibet in debita veneratione habeantur, et a christifidelibus ipsis congruis frequententur honoribus, ipsique christifideles eo libentius, devotionis causa, ad easdem ecclesias confluant, quo ex hoc dono caelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui praedictas ecclesias, vel earum quamlibet, primo, et secundo die mensis Augusti, ac in S. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Clarae, S. Ludovici, et S. Bernardini festivitatibus a primis vesperis, usque ad occasum solis dierum et festivitatum hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, et populorum illarum partium ad catholicam fidem conversione, pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur. Praesentibus perpetuis temporibus duraturis. Ceterum etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Novembris anno vi.

Anno Christi 1578. Gregorii XIII. an. 6. et 7.

XXXIV.

Mediolanensis provincia reformatur. Ex regest. Secr. Brev. lib. ii. fol. 1.

Dilecto filio Christophoro de Fulginco ordinis minorum S. Francisci de observantia professori.

FUit nobis non sine magna animi nostri displicentia ab hominibus fide dignis significatum de quamplurimis abusibus rebusque ab ecclesiastica disciplina longe abhorrentibus, quae a fratribus regulae S. Francisci ordinis minorum de observantia provinciae Mediolanen. ortum

habuerunt, inter illosque hactenus viguerunt, quodque ea quae hucusque ad obviandum praemissis, dictosque abusus corrigendos spectantia per dictorum fratrum superiores hucusque forsan tentata fuerunt, minime profecerunt, quin etiam malum hujusmodi longius serpere, et in dies magis vires assumere, non sine magno populorum provinciae illius scandalo, ac dictorum fratrum periculo ac pernicie. Nos igitur abusibus malisque hujusmodi occurrere cupientes, considerantesque quam deceat, ut illi qui pietatis ac sanctitatis specimen caeteris praebere debent, ipsi scandalis originem praebeant, te cujus probitati, et integritati plurimum confidimus ad extirpandos penitusque evellendos abusus hujusmodi, erroresque corrigendos, et reos debitis poenis afficiendos, in dicta provincia nostrum et hujus S. Sedis apostolicae dictorum fratrum minorum S. Francisci de observantia omniumque et singulorum conventuum et superiorum eorumdem tam virorum quam mulierum visitatorem, hac in parte delegatum apostolicum deputamus. Dantes tibi in praemissis dictos fratres et moniales eorumque conventus et superiores visitandi, carcerandi, corrigendi, puniendi, abususque hujusmodi et alia contra ecclesiasticam religiosamque disciplinam facientia tollendi, evellendi, et extirpandi, necnon contradictores quoslibet etc. appellatione remota compescendi, illosque etiam iteratis vicibus aggravandi, et interdictum ecclesiasticum apponendi, auxilium quoque brachii saecularis ad hoc si opus fuerit invocandi, et generaliter omnia et singula in praemissis faciendi, gerendi, mandandi, et exequendi, quae tibi ad Dei omnipotentis laudem et gloriam ac divini cultus augmentum et animarum salutem expedire videbuntur, amplam liberam et omnimodam auct. apost. ten. praes. facultatem, districtius inhibentes omnibus et quibuscumque quos praemissa concernunt, aut in posterum quomodolibet concernent, et quibusvis aliis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis fuerint, ne sub indignationis nostrae, et excommunicationis latae sententiae eo ipso si contrafecerint incurrendis poenis, te aut alios quoscumque praemissa quomodolibet concernentes, quominus praedicta omnia et singula suum debitum sortiantur effectum impedire, retardare, aut perturbare audeant vel praesumant, ac etiam eisdem quacumque ecclesiastica seu saeculari praefulgeant dignitate sub antedictis poenis mandantes, ut tibi in praemissis omnibus et singulis efficaciter pareant et assistant. Decernentes irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxviii. Januarii anno vi.

XXXV.

Relaxat austeritates monialium S. Clarae Tuderti. Ibid. lib. I. fol. 164.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et monialibus monasterii S. Clarae Tudertin. ordinis ejusdem S. Clarae sub regula et secundum instituta fratrum ordinis minorum de observantia viventibus.

DEvotionis vestrae spectata sinceritas, ac in nos sedemque apostolicam observantia singularis exigunt, ut in his quae ad conscientiae vestrae securitatem corporisque valetudinem conservandam pertinent, be-

nigne consulamus. Exponi siquidem nobis nuper fecistis, quod alias bon. mem. Franciscus tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis, tunc vestri ordinis apud sedem apostolicam protectorem, attendens ob crebra jejunia, assiduasque orationes, gravesque vigilias quas in monasterio praedicto degentes moniales Altissimo famulando, die nocteque impendebant, nonnullas ex eis in infirmitatem incidere eaque ratione contemplationis, jejunii, et orationis, debiti officii perseverantiam impediri, et ad illa explenda juxta earum desiderium minus sufficientes reddi, ipsamque experientiam id aperte demonstrante fel. record. Paulo PP. III. praedecessori nostro humiliter supplicavit, quatenus in praemissis paterne providere de benignitate apostolica dignaremur, idemque praedecessor ejusdem Francisci cardinalis precibus inclinatus, abbatissae et monialibus tunc in dicto monasterio et pro tempore existentibus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus a festo Resurrectionis D. N. J. C. usque ad festum Nativitatis B. M. V. bis qualibet hebdomada, alias tamen modeste, et accedente ad id etiam consensu generalis ministri ejusdem ordinis, necnon ejusdem monasterii et pro tempore existentis abbatissae, carnibus vesci libere et licite absque conscientiae scrupulo valerent, vivae vocis oraculo eidem Francisco cardinali desuper facto concessit et indulsit, prout in dicti Francisci cardinalis litteris latius explicatur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, venerab. frater episcopus Tudertin. in visitatione dubitans de viribus facultatis vobis concessae, quominus praedicta facultate uti possetis, nisi denuo sede apostolica consulta prohibuerit, eaque in civitate maximam piscium raritatem esse innotescat, propterea nobis humiliter supplicari fecistis quatenus circa praemissa auctoritatem nostram interponere dignaremur. Nos igitur vos et vestrarum quamlibet specialibus favoribus et gratiis prosequentes, et pro potiori cautela a quibusvis sententiis, censuris, et poenis, et peccati reatu ob non servatam jejunii formam, et regulam quam professae estis, quomodolibet aut alias forsan incursis absolventes, ex eisdem causis concessionem et indultum per dictum praedecessorem vobis et pro tempore existentibus dicti monasterii monialibus circa esum carnium dictis temporibus concessum, juxta illius seriem et tenorem praesentium apostolica auctoritate harum serie in perpetuum confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis et perpetuae firmitatis robur adjicimus, vobisque et in dicto monasterio pro tempore degentibus monialibus perpetuis futuris temporibus suffragari decernimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xix. Martii anno vi.

XXXVI.

Pro convocatione capituli generalis conventualium. Ex archivo SS. XII. Apostol. de Urbe.

Dilecto filio Petro Antonio de Nuceria ordinis fratrum minorum conventualium magistro generali.

Cupientes pro nostra pastorali cura, ut generale capitulum tui ordinis fratrum minorum conventualium, quod, sicut accepimus, in proximo festo Pentecostes, ut moris est, dante Domino, celebrabitur,

rite et recte celebrari; tibi per praesentes committimus, et mandamus, quatenus in virtute s. obedientiae ipsum capitulum in dicto festo Pentecostes proxime futuro praesentis anni Domini MDLXXVIII. in civitate nostra Assisii celebrandum indicere, illudque intimare, ac convocandos convocare, et omnino ipsi capitulo praesidere, ac servata forma in concilio Tridentino edita, omnia quae pro reformatione dicti tui ordinis, illiusque personarum fieri consueveris, et judicaveris, facere et exequi libere et licite valeas, plenam et liberam auctoritate apostolica ten. praes. concedimus facultatem, tibique pariter et indulgemus. Confirmationem tamen electionis generalis dicti ordinis nobis, et successoribus nostris, prout hactenus servatum fuit, reservatam. Non obstantibus quibuscumque apostolicis in provincialibusque, et synodalibus conciliis, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriorum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros super confirmatione electionis generalis hujusmodi, etiam motu proprio, et alias quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; quibus omnibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum dia XVI. Aprilis anno VI.

XXXVII.

Confirmat magistrum generalem minorum conventualium. Ibidem.

Dilecto filio Petro Antonio de Nuceria ordinis minorum conventualium magistro generali.

QUum sicut accepimus, tu in capitulo generali ordinis fratrum minorum conventualium in civitate Assisien. nuper celebrato magister generalis ejusdem ordinis ad triennium, et alias, modo et forma solitis et consuetis rite et recte ac canonice confirmatus fueris; Nos hujusmodi de te, quem salubri dicti ordinis directioni in dies melius fide, ac diligentia, et religionis zelo utilem et proficuum fore speramus, factam confirmationem ratam et gratam habentes, illa ac omnia et singula eam concernentia rite et recte, ut praefertur, acta, et regesta, apostolica quoque auctoritate tenore praesentium ex certa nostra scientia confirmamus et approbamus, supplentes omnes et singulos juris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII. Maii anno VII.

XXXVIII.

Franciscus Zupanus praeficitur ecclesiae Catharensis in Dalmatia. Ex actibus consistorialibus pag. 753.

Apud S. Petrum Romae feria VI. die 21. Aprilis fuit consistorium, in quo

Referente Reverendissimo Cardinali Alciato

SAnctissimus Dominus Noster Gregorius XIII. proposuit resignationem, quam faciebat episcopus Catharen. in Dalmatia de ecclesia sua propter infirmitates suas, ad quam Sanctitas Sua designabat magistrum Franciscum de eadem civitate Cathar. ordinis minorum conventualium, de quo dixit sibi factum fuisse bonum testimonium, et quod erat parochus Dalmatiae, et me prius suggerente, quod erat deputatus inquisitor in Dalmatia seu Spalanten. et omnibus annuentibus Sanctitas Sua admisit resignationem, et providit illi ecclesiae de persona praedicti magistri Francisci.

XXXIX.

Martinus Brianus praeficitur ecclesiae Alexiensis in Albania. Ibidem pag. 738.

Apud S. Petrum Romae feria IV. die 15. Octobris fuit consistorium, in quo

Referente Reverendissimo Cardinali Alciato

SAnctissimus Dominus Noster proposuit ecclesiam Alexiensem in Albania pro fr. Martino Ragusino ordinis minorum de Observantia, et omnibus annuentibus effectus est episcopus, et gratis expeditio fiat.

XL.

Jacobus de Chio praeficitur ecclesiae Chiensis in Dalmatia. Ibidem pag. 752.

Apud S. Petrum Romae feria VI. die 14. Novembris fuit consistorium, in quo

Referente Reverendissimo Cardinali Alciato

SAnctissimus Dominus Noster pronunciavit ecclesiam Chiens. in Dalmatia pro patre fr. Jacobo de Chio ordinis minorum de observantia.

XLI.

Ut Joannes Nasus Oenipontano coenobio diversetur. Ex regest. secretiori Secret. Brevium pag. 430.

Dilecto filio nobili viro Ferdinando Archiduci Austriae.

EX litteris nobilitatis tuae datis xxvi. Januarii cognovimus ea, quae scribis, et postulas de Naso religioso ordinis Franciscani. Sic crede, nequaquam consuevisse Nos ea attingere, quae ad religiosos fratres pertinent, semper autem optimum judicasse, ea ipsorum praefectis relinquere. Sed quia cupimus nobilitati tuae quantum possumus gratificari, mandabimus, nt Nasus aliquandiu istic relinquatur, ut scilicet possint decerni et componi ea, quae ad monasterium S. Crucis pertinent. De negotio ecclesiae Tridentinae gratissima nobis fuerunt ea, quae ex tuis litteris, atque ex sermone venerabilis fratris episcopi Sebasten. accepimus decrevisse, nostra causa facere nobilitatem tuam. Sed dicuntur etiam restare nonnulla; rogamus, ut in his eadem humanitate et pietate, qua hactenus negotium istud amplexus es, ecclesiam ipsam, et dil. fil. nostrum cardinalem Maduccium consolari velis; praesertim cum ea, quae postulantur, justa atque honesta sint. Omnia plenius cognoscet nobilitas tua ex ipsius Cardinalis scripto his litteris incluso. Illud persuasum habe, Cardinalem tantum offerre quantum potest, amplius vero nec posse nec debere, ipsumque optima et sincerissima voluntate esse, neque cogitare ulla in re jus tuum aut minuere aut laedere.

Datum Romae apud S. Petrum die ii. Martii anno vi.

XLII.

Confirmat jus antiquum Cardinalium Ordinis Protectorum. Apud Franciscum Gonzaga pag. 1101.

Ad futuram rei memoriam.

PRovisionis nostrae debet provenire subsidio, ut jus suum cuilibet conservetur. Hinc est, quod Nos tenorem quarumdem litterarum fel. record. Julii II. Papae praedecessoris repertum, pro eo quod exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii ministri generalis fratrum minorum de observantia nuncupat. petitio continebat, quod tenore praefato ipse ex certis causis se asserit indigere, de registro ipsius praedecessoris de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius ministri supplicationis instantiam, praesentibus annotari fecimus, qui talis est. *Julius episcopus servus servorum Dei. Dum fructus uberes etc. (Vide Annal. min. ad an.* MDVII. *n.* 46*).* Ceterum ut earumdem litterarum processus sic insertus omnimodam rei aut facti certitudinem faciat, auctoritate apostolica decernimus, ut illud idem robur, eamdemve vim, eumdem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae haberent litterae originales suprascriptae, ut eadem prorsus ipsi tenori fides adhibeatur quandocumque, et ubicumque sive in judicio, sive alibi ubi fuerit exhibitus et ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicuti eisdem litteris originalibus sta-

Digitized by Google

retur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum jus de novo cuipiam acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae xv. calendas Januarii anno vii.

XLIII.

Ut reducat observantes ac alios fratres provinciae Bosniae e claustris extorres. Ex regest. Secret. Brevium lib. 1. fol. 62.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD ea quae religionum et ordinum quorumlibet, quae ad christianae fidei manutentionem, et divini verbi praedicationem, ac Dei servitia fundata sunt utilitatem, fratrumque in eis profitentium veram vivendi normam respiciunt, libenter intendimus, et iis quae propterea ab Apostolica Sede emanasse dicuntur, dum a nobis petitio apostolicae confirmationis robur adjicimus atque providemus, in Domino conspicimus salubriter expedire. Dudum siquidem ad audientiam fel. record. Pauli Papae IV. praedecessoris nostri pervento, quod nonnulli ordinis minorum S. Francisci de observantia in provincia Bosniae Argentin. fratres et forsan alterius ordinis religiosi professores etiam in sacris ordinibus constituti suarum animarum salutis et status immemores, et Altissimi timore postposito sub clipeo nonnullorum episcoporum in dicta provincia existentium, et illis contra juris formam et indebite auxilii brachium praestantium, domus et monasteria, in quibus professionem emiserunt exeundo, ne apostasiae notam et alias censuras et poenas in tales tam a jure quam ab homine et dicti ordinis regularibus institutis generaliter vel alias promulgatas incurrendo, cum saecularibus incedere ac aliis illicitis prorumpere, et suum ordinem, ac divina servitia et praedicationes, prout in eorum professionibus emissis Altissimo promiserant, tenebantur, et obligati existebant, totaliter deserere, et in saeculo sub dictorum episcoporum clipeo vivere veriti non fuerant, neque verebantur, in ecclesiasticae religionis et dictorum ordinum et mandatorum suorum provincialium superiorum et ministrorum spretum, scandalum et jacturam, ipsorumque delinquentium animarum periculum et monasteriorum detrimentum et gravamen; quia vero religiones et ordines ad christianae fidei manutentionem, et divini verbi praedicationem ac Dei servitia, non autem ad scandalum christifidelium, et ipsarum religionum et ordinum opprobrium fundatae erant, et sicut idem praedecessor acceperat dilectus filius minister provincialis ordinis minorum in provincia hujusmodi deputatus, in sua jurisdictione per inhibitionem et alios actus a praefatis episcopis, ad quos dicti religiosi delinquentes fugiendo se transferebant, et forsan aliis judicibus sub certis confictis praetextibus indebite impediebatur et impediri dubitabat in futurum, praefatus praedecessor salubri his duxit providendum remedio, eidem ministro provinciali in dicta provincia deputato dedit in mandatis, quatenus ad promotoris seu

Digitized by Google

procuratoris fiscalis et aliorum quorum intererat aut interesse instantiam, aut ex suo officio, ipsiusque praedecessoris litterarum auctoritate requisitis singulis religiosis extra eorum domus et monasteria permanentibus et illis ac quibusvis episcopis, et quibusvis aliis personis quoties inhibendum foret, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis ac pecuniariis arbitrio tuo moderandis et applicandis, per se quoties opus esset inhibito, eosdem religiosos extra domos et loca regularia, ut praefertur, permanentes ad eorum domos et monasteria per easdem censuras et poenas auctoritate apostolica prout juris foret, revocaret, conduceret, illosque de delictis per eos commissis juxta illorum exigentiam et juris dispositionem compesceret, et corrigeret, et in eos animadverteret, et ad veram religionis vivendi viam et normam statuique reducere, etiam per illarum personarum captionem et detentionem eadem auctoritate procuraret, illisque et quibusvis aliis eorumdem ordinum et religionis fratribus, ac contradictoribus et rebellis quibuscumque sub excommunicationis et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ne absque sedis apostolicae vel ipsius ministri provincialis aut suorum superiorum licentia extra eorum domus et monasteria quomodolibet exire et ad dictos episcopos confugere, dictisque episcopis sub suspensionis a divinis, et ingressus ecclesiae poenis, ne aliquos religiosos ad ipsos confungientes accipere, et apud se retinere auderent vel praesumerent quoquomodo dicta auctoritate, prout jussum esset, inhiberet, contradictores et rebelles etc. appellatione postposita compescendo, prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut dilectus filius modernus ipsius provinciae minister provincialis deputatus nobis nuper exponi fecit ea firmiora censeantur, quae dictae sedis munimine saepius roborata sunt, idcirco minister provincialis praefatus nobis humiliter supplicari fecit quatenus litteris praefatis, et in eis contentis quibuscumque pro illorum firmiori subsistentia robur apostolicae confirmationis adjicere, ac aliis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur veriores dictarum litterarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, eumdemque ministrum provincialem a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati litteras praedictas et per eas eidem ministro provinciali attributam facultatem, et alia in illis contenta quaecumque apostolica auctoritate ten. praes. perpetuo confirmamus et approbamus, ac illa suum plenarium effectum sortiri debere decernimus. Et insuper eidem ministro provinciali in dicta provincia pro tempore deputato eosdem religiosos extra domus et loca regularia permanentes ad eorum domus et monasteria per easdem censuras et poenas ecclesiasticas et pecuniarias arbitrio suo moderandas, prout juris fuerit revocandi et reducendi, illosque de delictis per eos commissis juxta illorum exigentiam, et juris dispositionem compescendi et corrigendi et in eos animadvertendi et ad veram religionis vivendi viam et normam, statumque reducendi, omniaque alia et singula faciendi, gerendi, et exercendi juxta earumdem litterarum continentiam, formam, et tenorem, auctoritate et tenore praemissis licentiam et facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibuscumque prohibitionibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxxi. Januarii anno vi.

Digitized by Google

XLIV.

Ut Joannes Matthaeus de Ulmo animarum christifidelium curam suscipiat loci Dracnizae. Ibidem lib. ii. fol. 418.

Dilecto filio Joanni Matthaeo de Ulmo ordinis minorum S. Francisci de observantia professori provinciae Bosnae Argentinae.

PAstoris universalis cura nobis divinitus demandata, ac supplices nobis porrectae preces nomine populi christiani loci Dracnizae in provincia Herzegovina Turcarum dominio subjecta, qui per triginta annos sacerdotem catholicum, et animarum suarum pastorem desiderant, paternam nostram, qua fideles omnes complectimur, charitatem excitarunt, ut ipsorum saluti quantum in Domino possumus opportune prospicere studeamus. Hinc est quod nos confidentes in Domino, te, qui sicut accepimus alias ex apostolico indulto curam animarum fidelium Budae, et locis adjacentibus existentium laudabiliter exercuisti, praedicti populi curam pari studio et pietate administraturum, illucque in catholicis ritibus et institutis, ac S. Sedis Apostolicae obedientia conservaturum, ejusdem populi votis benigne annuentes, tibi, ut de tui superioris licentia curam animarum ipsius populi et aliorum quorumcumque christianorum in illis partibus nunc et pro tempore degentium suscipere, gerere, et exercere, ac eorum confessiones audire, illosque absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem injungere, necnon alia ecclesiastica sacramenta illis rite ministrare libere et licite et absque apostasiae nota ac censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu valeas apost. auct. ten. praes. licentiam et facultatem concedimus, atque ecclesiam S. Georgii dicti loci ad praemissa exequenda perpetuo assignamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die v. Julii anno vii.

XLV.

Extendit auctoritatem commissariorum generalium in partibus del Perù et Novae Hispaniae degentium. Ex regest. Ultramontano tom. i. pag. 234.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNicuique optime institutae religiosorum familiae supremam auctoritatem gerentes, omni tempore praeesse debere summa ratione censendum est. Hoc prudenter animadvertens dilectus filius Christophorus de Capitefontium minister generalis ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. pro quiete et tranquillitate provinciarum Indiarum regni del Perù et Novae Hispaniae necessarium esse duxit, ut commissarii delegati a ministro seu commissario generali regionum, quae ultra montes sunt, dicti ordinis ad regimen illarum provinciarum suo fungantur officio, et in eo perseverent etiam post celebrationem capituli generalis ejusdem ordinis, quousque novi commissarii a novo ministro seu commissario delegati ad illas partes pervenerint; nam si quando expirat

tempus officii ministri generalis, finis est quoque officiorum dictorum commissariorum, et cessante ministri generalis auctoritate cessat etiam auctoritas dictorum commissariorum ab ipso generali ministro delegatorum quibus quasi jurisdictione et auctoritate careant, dicti ordinis fratres in iisdem regionibus degentes parere detrectant, ac donec novi commissarii ad eas regiones non pervenerint per eorum voluntatis arbitrio liberius, quam religiosos deceat, vivunt, fundamentumque religionis quod obedientia est, eo praetextu violant, dumque commissarii nuper electi ob viarum magnitudinem et maris pericula ac tempestates illuc appellere nequeunt nisi bieunio et aliquando trieunio elapso postquam idem capitulum generale celebratum fuerit, quo medio tempore ab ipsis commissariis, quorum extincta tunc erat jurisdictio, gesta aut statuta fuerant, ab ipsis fratribus negligi plerumque contingit. His ut occuratur incommodis, ejusdem Christophori precibus nobis in hac parte productis inclinati, commissariorum, qui a ministro, seu commissario generali ad regimen provinciarum Indiarum regni del Perù, et Novae Hispaniae delegantur, munia et officia etiam post celebratum novum capitulum auctoritate et facultatibus, quibus usque ad ejus capituli celebrationem praediti sunt, donec novi commissarii a novo generali ministro, seu a commissario praedicto delegati, ad dictas regiones appulerint, auct. apost. ten. praes. extendimus et prorogamus, ac donec novi commissarii ibidem pervenerint, antiquos in eorum muneribus versari debere statuimus et ordinamus, sicque per quoscumque judices et commissarios etc. decernimus, dantes et ordinantes auctoritatem et facultatem ipsis commissariis usque ad ea tempora fratres praedictos, qui praemissis parere recusaverint, condignis poenis afficiendi et corrigendi illos, ac contradictores quoslibet et rebelles etc. appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xiv. Maii anno vi.

XLVI.

Ut fratres regionum del Perù et Novae Hispaniae a commissariis puniantur, quoties habitum religionis dimittant. Ex Bullar. Caroli Cocquelines tom. iv. part. 3. pag. 369.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD compescendam eorum licentiam qui postquam se religioni addixerunt, variis exquisitisque rationibus, ad saeculum redire contendunt, nos convenit admodum esse intentos. Hoc in numero nonnullos professores ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. in partibus Indiarum, tam del Perù, quam novae Hispaniae ponendos esse, non sine gravi animi nostri molestia accepimus; illi etenim habitu eorum regulari dimisso, et saeculari reassumpto ex partibus praefatis ad regna Hispaniarum revertuntur, quae res apud Indos ad fidem catholicam conversos maximum affert scandalum; inspiciunt enim plerosque ex eis, qui in habitu humilitatis Altissimo famulantur, illo dimisso negotiis saecularibus ac congerendis pecuniis admodum esse intentos, et lucri cupiditate religionis jugum, quod suave esse Dominus testatur,

Digitized by Google

detractasse, idque apud nos non mediocrem parit admirationem. Huic igitur incommodo ex quo per horum virorum pervenit scandalum, praesenti remedio occurrendum esse extimantes, commissariis delegatis a generali ministro, seu commissario generali Ultramontano dicti ordinis, seu quavis auctoritate in fratres ejusdem ordinis praedito eos, qui habitu regulari dimisso ad saeculum rediisse, etiam praetextu litterarum apostolicarum recognoverit, ex partibus Indiarum expellendi, et ad domus in quibus professi fuerant, litteris apostolicis, per subreptionem vel obreptionem obtentis non observantibus, revocandi, ac ad illas reducendi, ac in eosdem tamquam religionis desertores juxta eorum excessus, et delicta, eorumque regularia instituta animadvertendi, aliaque citra praemissa exequendi, licentiam et facultatem apost. auct. ten. praes. concedimus. Sicque per quoscumque judices etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xiv. Maii anno vi.

Anno Christi 1579. Gregorii XIII. an. 7. et 8.

XLVII.

Methodum servandam in electione praelatorum praescribit. Ex collectione statutorum ordinis penes archivum S. Francisci Transtyberim.

Ad futuram rei memoriam.

Consuevit Romanus Pontifex, cui universi fideles curae sunt, de religiosis, ut in regularis observantiae candore iidem conserventur, specialem cogitationem suscipere. Quod si aliqua a se vel suis praedecessoribus ad eum finem statuta sint, quae experientia docente minime expedire cognoscit, declarationibus aliisque rationibus non desinit prospicere. Itaque licet pontificatus nostri initio quasdam litteras in forma brevis s. m. Pii PP. V. praedecessoris nostri de modo in electionibus praelatorum ordinis fratrum minorum de observantia servando emanatas, ad aliquorum dicti ordinis praelatorum instantiam per alias similes nostras litteras pontificatus nostri anno ii. die viii. Septembris datas moderaverimus, declaraverimusque, atque in quibusdam revocaverimus, tamen procedente tempore ipsa experientia docuit nonulla aliter atque in dicti praedecessoris nostris litteris statuta et decreta erant, et per nos mutata, declarata vel revocata in pristinum restitui debere, vel illa in convenientiorem dicto ordini modum reformare et declarare, expedire, nec non aliqua ad observantiae regularis in dicto ordine conservationem spectantia de novo statuere. Cum igitur inter caetera dictus praedecessor noster statuerit, quod minister generalis, commissarius, et procurator generales, necnon romanae curiae commissarius, et provinciales ministri in eo capitulo, in quo a suis officiis obsolvi debent, diffinitores non sint, neque vocem habeant, sed facta successoris electione discendant, ut si quis eos accusare velit, libere agat, nos eam praedecessoris ordinationem ad eum actum coarctavimus, dum in officio quod gesserunt, successor eligitur. Dictarum vero litterarum partem, quae antedictae proxima est, in qua cavetur, ut iidem omnes minister generalis, et alii praedicti facta successoris electione discedant, nos ita declaravimus, ut statim facta officii

renunciatione discedere debeant, ut si qui eos accusare velint durante tempore syndicatus, libere id facere possint; eo autem finito juxta seriem dicti ordinis generalium statutorum, in diffinitorio recipiantur. Ad tollendam autem omnem abiguitatem et difficultatem, quae super istis nostris, vel praedecessoris nostri verbis oriri inter fratres praedictos possent, ita ut sequitur, quid circa paedicta servari velimus, expressius declaramus; volentes omnes paedictos, scilicet generalem ministrum, commissarium, et procuratorem generales, vel commissarium curiae non debere admitti in diffinitorio capituli generalis, in quo a suis officiis absolvuntur, neque in eo loco vocem habere, dum is actus agitur, in quo syndicatus sui rationem reddere teneantur. Sic quod minister generalis facta officii renunciatione, antequam successor eligatur discedat ex diffinitorio, ut eo absente libere agere possint contra eum si qui ex provinciis accusare eum velint, et alias habeant adversus eum querelas: quo actu finito, in omnibus aliis actibus, et electionibus, et diffinitoriis adesse possit, et vocem habere, in quibus secundum generalia ordinis praedicti statuta adesse, et vocem habere possit. Idem de commissario generali respective servetur, sic quod commissarius generalis post redditam syndicatus sui rationem, in aliis actibus et electionibus vocem habere possit, in quibus secundum statuta generalia vocem habere commissarii generales hactenus potuere. Provinciales quoque ministri post redditam syndicatus sui rationem possint et debeant in diffinitorio admitti, et vocem in reliquis actibus capituli provincialis electionibusque habere. Idem de procuratore generali, commissarioque curiae observetur respectu capituli generalis: quod scilicet sint de diffinitorio, vocemque in omnibus actibus et electionibus capituli generalis habeant, praeterquam dum is actus agitur, in quo syndicatus sui rationem reddere tenentur. Neque enim aequum censemus, ut iis qui negotiorum ordinis habent experientiam et notitiam exclusis, per solos generalem et diffinitores novos rerum religionis non ita gnaros aut expertos, atque opus esset de illis pronuntietur, statuatur, et diffiniatur: declarantes etiam non esse mentis nostrae, aut voluntatis, generalem ministrum, aut commissarium generalem ordinis concessa illis per statuta generalia voce privare, aut at capituli generalis diffinitorio excludere, nisi tum dum de particulari uniuscujusque eorum accusatione et correctione agitur et deliberatur. Eam autem partem litterarum nostrarum, quae dicimus, corrigimus etiam literarum praedictarum eam partem, in qua statuitur quod nec commissarius generalis in ministrum seu procuratorem generalem, nec procurator generalis in ministrum vel commissarium generales, nec minister generalis in procuratorem vel commissarium generales, nisi post sexdecim annos eligi possint. Dantes et concedentes eis ad quos spectat, facultatem, commissarium generalem in ministrum, seu procuratorem generales, et e converso etiam immediate postquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiam lapsu temporis praedicto non expectato, pro tempore eligendi pariter mutandum decrevimus: ut omnino juxta praedecessoris nostri decretum, illi qui ministri fuerint, commissarii, aut procuratores generales, vel curiae commissarii, non possint nisi post sexdecim a sua ab officiis praedictis absolutione finitos annos in generales ministros, commissarios, aut procuratores, vel curiae commissarios eligi aut assumi: quatenus dum in officiis praedictis fuerint, ablata illis omni ambitionis occasione, totos se ad ea quae suarum partium esse dignoscuntur, sincera diligenterque agenda convertant et

Digitized by Google

dedant, omni ambitus cogitatione abjecta. Ministri autem provinciales per duplum tempus officii ministeriatus, postquam absoluti a tali officio fuerint, in ministros provinciales reelegi non possint. In reliquis litteras nostras praedictas firmas esse volumus, atque in suo permanere robore. Ad ea autem, quae in praedictis praedecessoris nostri litteris contra recurrentes ad saecularium, et aliquarum extra dictum ordinem personarum favores ad aliquod officium in ordine habendum statuta sunt, aliquid addendum censuimus. Nam dum aliquae extra dictum ordinem personae pro aliquo fratre officium quodpiam vel per seipsos, vel per nuncios suos, aut litteras petebant, negare dicti fratres consuevere, se ullo modo dictas personas ad praedicta solicitasse, idem quoque dictae personae facere solitae erant, negantes se a dictis fuisse fratribus solicitatas ad tale pro eis faciendum officium, sicque ad eorum correctionem, qui contra dictam praedecessoris nostri ordinationem faciebant, procedi nullo modo poterat. Unde ut huic malo obviam covenienti eatur remedio, statuimus et decernimus, quod is frater pro quo saecularis aliquis cujuscumque gradus aut conditionis fuerit, et quaecumque alia extra dictum ordinem persona rogaverit et petierit verbo, litterisve, aut nuntiis, seu alias quomodocumque per se vel alios, ut aliquod illi officium in ordine praedicto datur, ipso facto activa passivaque voce privatus sit, ad omniaque ordinis officia inhabilis habeatur, nisi legitime constiterit aliquem ex malitia rogatores hujusmodi subornasse, ut illi pro quo rogarent, aut scriberent, occasione hujus nostri statuti nocerent, et praejudicarent, ut pro eo quod amicos suos extra ordinem fratres praedicti solicitare consueverant, ad aliquod in ordine officium eorum favore assequendum, majori utantur de cetero diligentia ad eos hortandos et rogandos, ne ullum pro ipsis officium petant, aut ad aliquod pro illis habendum officium suum interponant favorem. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxix. Aprilis anno vii.

XLVIII.

Plura edit pro bono recollectorum regimine. Ex Bullario Caroli Cocquelines tom. iv. part. iii. pag. 405.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quum illius vicem, meritis licite minime suffragantibus, geramus in terris, qui pacem in terras intulit, charitatemque prae ceteris omnibus ejus fidelibus praecepit, officii nostri debitam prosequimur actionem, si regularium personarum, quae relicto saeculo, sub suavi voluntariae paupertatis jugo, Dei obsequio se dedicarunt, pro commisso nobis officio, concordiae, ac quieti consulere cupientes, pacem et charitatem inter ipsos inducere, inductamque confovere, et quae iis contraria sunt falce vigilantiae pastoralis ad radicem posita, prout rerum, et temporum qualitas requirit, quantum nobis ex alto conceditur, totis viribus curamus.

§. 1. Sane licet alias per fel. record. Clementem VII. praedecessorem nostrum multa ad quietum et tranquillum statum pertinentia dilectorem filiorum professorum ordinis fratrum minorum S. Francisci de strictiori observantia reformatorum nuncupat. (ut qui regulam ipsam B. Franci-

sci pure et plene juxta illius litteram et declarationes Nicolai III. ac Clementis V. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ut veri B. Francisci filii et alumni observare contendant) edita et statuta fuerint, ut in litteris Clementis VII. sub dat. Romae apud S. Petrum xvi. kalendas Decembris pontificatus sui anno ix. latius continetur.

§. 2. Nihilominus quidam ex reformatis supradictis nobis detulerunt, quod ipsis reformatis, quamplures perturbationes, damnaque non mediocra a dilectis filiis fratribus minoribus de observantia nuncupatis, sub quibusdam praetextibus, etiam contradictarum litterarum Clementis VII. formam inferebantur.

§. 3. Nos igitur eorumdem fratrum reformatorum nuncupat. quieti et indemnitati, ejusdemque ordinis prosperitati ac propagationi consulere volentes, venerab. fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super causis episcoporum et regularium deputatis, atque etiam ejusdem ordinis praedicti protectiori, causam hujusmodi audiendam, et cognoscendam commisimus. Qui re mature discussa, necnon quorum interest, aut intererat partibus auditis, litterisque Clementis VII. praedicti plene consideratis, nobis retulerunt, quae reformationem hujusmodi magis prospere dirigere visa sunt. Quare de eorumdem cardinalium consilio, litteris Clementis VII. praedicti addenda quaedam decrevimus.

§. 4. Itaque volumus, et apostolica auctoritate statuimus, et ordinamus, ut novitii reformatorum praesentes et futuri annum continuum inter dictos reformatos agant, et ad deliberandum an inter reformatos praedictos permanere velint a die ingressus in custodias, seu loca reformatorum. Si vero in familia fratrum de observantia professionem emiserint, et ad reformatos de strictiori observantia transierint, vel in futurum transire voluerint, habeant itidem annum continuum a die ingressus ad deliberandum, an remanere in hac strictiori observantia voluerint.

§. 5. Post praesentium, aut nostrarum publicationem, et dictum annum completum declaramus praedictos professos extra reformatos haberi, ut professos inter custodias reformatorum, nec ipsos, sicut nec alios inter easdem custodias professos, ab iis sine speciali apostolicae sedis licentia, recedere posse, sine apostasiae nota. Quo etiam anno peracto, tam novitios in custodiis expresse professos, quam professos in familia, et in custodiis annum continuum agentes, volumus ad puram et plenam regulae S. Francisci observantiam, juxta ipsius litteram, ac Nicolai III. et Clementis V. Rom. Pontificum declarationes, et Clementis VII. litteras praedictas teneri, nec ab ea, reformatorumque ipsorum obedientia recedere, minusque a reformatis ipsis expelli valeant, nisi incorrigibiles, juxta antiqua eorum instituta hactenus observata, et nisi qui ad capucinos transeundi licentiam in scriptis, juxta Pauli III. et Julii III. litteras a proprio custode obtinuerint.

§. 6. Liberum vero sit eidem custodi, etiam nullo ministri provicialis, vel aliorum suorum praelatorum habito, vel requisito consensu, vel licentia, nulloque cum iisdem verbo facto per se vel alium juxta Tridentini concilii formam, atque ordinis consuetudinem, novitios, necnon et fratres ordinis praedicti de observantia, tam propriae quam alienae provinciae reformandos, ad ordinem ac professionem, et reformationem pro sua custodia absque ullo penitus impedimento, de consilio tamen et consensu fratrum illius loci, pro quo recipiuntur admittere.

§. 7. Teneantur autem minister provincialis, vel illo absente praesidens capituli, vel congregationis provincialis, quando familiae mutari solent, ad petitionem dictorum reformatorum, alia etiam provinciae loca, sive monasteria, aliis reformatorum locis, quantum fieri poterit, contigua, vel commoda, juxta ejusdem Clementis VII. litteras dare et assignare, et prioribus eorum locis addere, fratrum reformatorum paucitatem (dummodo ad decem fratres recipiendas sint idonea, vel brevi tempore in ea illos introduci posse sperandum sit) nec aliam quampiam excusationem quo minus id faciant, objicere possint.

§. 8. Generalis minister dictorum fratrum de observantia tantum, minime autem provincialis, sive alii dictorum fratrum de observantia praelati aut commissarii in dictos fratres reformatos, sive illorum custodias jurisdictionem, visitandique et corrigendi facultatem, sive per seipsum, sive per ejusdem ordinis, etiam alienae custodiae reformatos ipsos habeat, minime tamen possit aliquem ad praelationem, vel officia, etiam in custodia promovere, aut correctionis, vel quovis praetextu, statutis censuris, casibus, reservationibus propriis, vel ordinis reformatos subjugare, aut custodiae, custodis, vel fratrum reformatorum respective potestatem, facultatem, immunitatem, concessiones, gratias, statuta, et pacem, quovis praetextu, modo, et quaesito colore, directe vel indirecte annullare, suspendere, arctare, alterare, immutare, impedire, contrafacere, aut inquietare, nec etiam de propria eorum custodia, domibusque et locis, nisi pro aliarum custodiarum dicta visitatione, dictos reformatos, vel eorum aliquem amovere, extrahere, mittere, vel transferre, nec illos ad quascumque alias partes, provincias vel custodias, et alia propriae ipsorumet custodiae loca, etiam sub specie praedicationis mittere, collocare, vel retinere, nisi prout in singularum custodiarum capitulis, vel ab ipso custode fuerit ordinatum, locaque hujusmodi eisdem reformatis fuerint assignata et multo minus ad reformatorum, vel custodiarum loca non reformatos, etiam novitios, vel monialium confessores, aut alios quoscumque, etiam reformandos a reformatis non receptos mittere, aut in eisdem collocare, vel retinere.

§. 9. Nec etiam reformati ipsi aliquem praedictorum non reformatum recipere, vel ad convivendum, sive de familia in eorum locis retinere ullo modo possint, exceptis lectoribus, a praelatis ipsorum licentiatis, propriae custodiae necessariis. Qui tamen in custodia vocem activam vel passivam habere non possint, sed illa ad reformatos tantum in custodia pertineat; exceptis quoque opportunis praedicatoribus similiter licentiatis, vel impetratis et hoc pro tempore tantum necessariis, sed sine consensu custodis in scriptis non possint quicumque dicti ordinis praelati, fratres non reformatos in auditoriis ad ipsorum locorum confines juxta morem ordinis pertinentibus ad praedicandum, nec eisdem confinibus quoscumque fratres ad eleemosynas colligendas destinare.

§. 10. Pro necessariis autem negotiis, et aliis piis causis, possint custodes ad quaecumque ordinis, et aliorum loca, etiam extra reformatorum custodias, maxime ad sedem apostolicam, et ad totius ordinis protectorem, et pro praedicatione ire, ac fratres suos mittere, sed causa manendi de familia in locis ordinis extra reformatos, pro studio vel alia causa, nullo modo custodes, vel custodiae mittere, vel licentiam dare, nec fratres ire, vel manere, nec praelati ordinis eos recipere vel retinere possint.

§. 11. Capitula custodialia singulis annis in propriis custodiae locis distincte et non extra custodiam per reformatos, quando et ubi per proprium custodem, vel custodiam fuerit constitutum, fiant; eant tamen et ipsi reformati ad capitula etiam provincialia ut in dictis litteris Clementis VII. statuitur, et in illis vocem non activam tantum, sed passivam posthac habeant. Hujusmodi autem custodiarum capitulis, solus custos qui erit pro tempore, vel eo decedente commissarius custodiae, vel ipse generalis minister si personaliter tantum interesse voluerint, praesidere posthac valeat.

§. 12. In iis autem capitulis unaquaeque reformatorum custodia plenam et absolutam habeat potestatem quaecumque statuta, et ordinationes, dummodo contra Deum, animam, ac regulam, et decreta concilii Tridentini non sint, juxta litteras Clementis VII. praedictas, condendi et statuendi, nec in eo per ministros generales vel provinciales, vel eorum commissarios, aut alios dicti ordinis praelatos quomodolibet impedire valeat. Electione custodum per reformatos ad triennium facta, custodes per id, vel litteras in signum humilitatis confirmationem tantum infra mensem petere teneantur a ministro provinciali, quandocumque statim facto exhibendam. Possint autem custodes, etiam dum expectatur, et antequam petatur confirmatio praedicta, cum plena auctoritate libere officio suo fungi; quod si confirmationem hujusmodi intra tres dies non obtinuerint, a Sede Apostolica ipso facto tenore praesentium confirmati censeantur. Guardiani vero in capitulis electi, vel a custodibus instituti, a ministro vel alio quopiam confirmari deinceps non egeant, sed eorum institutio in capitulis, vel extra ab ipsis custodibus facta sufficiat. Custos pro tempore electus, vel eligendus in suo officio a prima electione continuet ad triennium, videlicet usque ad capitulum custodiale, sive citra, sive ultra triennium fiat, absque eo, quod singulis annis rursus eligatur. Custodis autem successoris electio a custode praedecessore, guardianis, et discretis locorum custodiae fiat; si tamen etiam intra triennium in singulis annualibus capitulis universitati electorum videretur custodem minime idoneum esse, et universitati reformatorum non utilem, alium sibi custodem ex regulae ipsius praescripto eligere possint et teneantur.

§. 13. Ipso autem custode decedente, alius custos extra capitulum posthac non eligatur, sed aliquis erit custodiae commissarius usque ad proximum capitulum custodiale, prout reformati in suis capitulis ordinaverint.

§. 14. Potestatem vero eamdem habeant singuli custodes in suas custodias, et fratres, quam ministri provinciales in suas provincias, et fratres habent, tam ex vigore regulae, quam ex Roman. Pontificum concessis gratiis, dummodo hujusmodi strictiori observantiae reformatorum non sint contrariae. Praesertim vero custodes possint loca ipsa juxta eorum exigentiam resarcire, et augere locis, quae guardianum habere non solent, ipsum guardianum in capitulis custodialibus constituere, et in eisdem capitulis, sive prout in illis fuerit ordinatum, praedicatores et confessarios saecularium, servata forma Concilii Tridentini examinare et approbare, et illius officium praedicationis, et confessionum audiendarum concedere, et ad illa promovere, atque a casibus et censuris, praelatis ordinum reservatis, et reservandis, per se absolvere,

vel per alium absolvi curare, eos quoque, qui idonei sunt pro suo arbitrio ad sacros ordines recipiendos approbare, et mittere.

§. 15. Volumus tamen quod si in capitulis generalibus constitutiones aliquae, vel decreta, praesentibus litteris, et huic observantiae strictiori non contraria, sed quae magis ei favere videantur, ordinata fuerint, reformati ea observare omnino teneantur.

§. 16. Quo vero ad vestitum, induantur praedicti reformati vilioribus indumentis, et despecto colore, et possint ea repetiare secundum B. Francisci regulam.

§. 17. Litteras vero praedictas Clementis VII. quatenus supradictis non adversentur, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, illisque perpetuae firmitatis robur adjicimus.

§. 18. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes, vel fratres de observantia praedicti, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem sede apostolica emanatis, et in posterum emanandis comprehendi posse, sed illas pro omnibus et singulis praedictorum reformatorum custodiis, custodibus et fratribus reformatis praesentibus et futuris, semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere.

§. 19. Sicque per quoscumque judices etc. districtius inhibentes generali et provincialibus ministris dictorum fratrum de observantia nuncupat. et eorum commissariis nunc et in perpetuum pro tempore existentibus, et illorum generalibus et provincialibus capitulis, personisque quibuscumque in illis congregandis, ac omnibus et quibuscumque quos praemissa concernunt, aut in posterum quomodolibet concernent, et quibusvis aliis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis fuerint, ne sub indignationis nostrae, et excommunicationis latae sententiae eo ipso, si contrafecerint, incurrendae poenis, reformatos praedictos, illorumque custodias, custodes, discretos, officiales, et fratres, aut alios quoscumque, quos praemissa quomodolibet concernunt, aut in posterum concernent, quominus praedictis omnibus et singulis pacifice fruantur, seu praedicta omnia et singula suum debitum sortiantur effectum, impedire, retardare, aut perturbare audeant vel praesumant, ac et eisdem quacumque ecclesiastica, seu mundana praefulgeant dignitate, vel excellentia sub antedictis poenis mandantes, ut in praemissis omnibus et singulis efficaciter pareant, et assistant.

§. 20. Quocirca ven. fratribus archiepiscopo Mediolanensi, et episcopo Laudensi, ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, necnon universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum reformatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant, auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis, juxta praesentium continentiam, et tenorem, pacifice frui et gaudere. Non

permittentes eos desuper per ministrum generalem, aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet etc.

§. 21. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die III. Junii anno VIII.

XLIX.

Ut recipiant domum in oppido Serviliani. Ex Archivo coenobii S. Francisci ad Altum Anconae.

Venerab. fratri episcopo Firman.

Piis fidelium votis, quae tum religionis propagationem, tum divini cultus augmentum respiciunt, ut optatum sortiantur effectum libenter annuimus ac ea favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte dilect. filiorum ministri provincialis et fratrum provinciae Marchiae ordinis fratrum minorum de Observantia nuncupat. petitio continebat, quod dilecti filii communitas et homines terrae Serviliani Firmanae dioecesis, ob singularem, quem erga dictum ordinem gerunt devotionis affectum, ecclesiam B. Mariae de Plano juxta flumen terrae dictae dioecesis olim possessam a fratribus tertiariis, et postea ab eis pro derelicto habitam, et nunc ad eos communitatem et homines pleno jure spectantem una cum apothecis dictae communitatis tempore nundinarum, necnon prato, silva, et terreno illi vicino pro usu horti ac vinea, et omnibus bonis ac juribus ad ipsam ecclesiam spectantibus ministro et fratribus praedictis perpetuo donare, concedere et relinquere intendunt, ut ipsi ministri provincialis et fratres prope dictam ecclesiam domum unam fratrum in primo dicti ordinis pro perpetuis usu et habitatione unius guardiani et duodecim fratrum ejusdem ordinis ad minus, qui inibi sub regulari observantia, et humilitatis spiritu Altissimo famulantes, cum dormitorio, hortis, hortalitiis, et aliis officinis necessariis construi ac aedificari faciant, ipsique minister provincialis et fratres construi facere desiderant, si ad hoc ipsis sedis apostolicae auctoritas suffragetur. Quare pro parte ministri et fratrum praefatorum asserentium nullam aliam eorumdem fratrum domum in eadem terra existentem nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem ministro provinciali et fratribus prope dictam ecclesiam illiusque coemeterium unam domum eorumdem fratrum cum aliis rebus necessariis, ut praefertur, construi et aedificari, dictamque ecclesiam recipiendi, et illam ampliandi, seu ampliari faciendi, necnon guardiano et duodecim fratribus praedictis in ea habitandi licentiam concedere, aliaque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ad uberes fructus, quos assidue ordo fratrum minorum de observantia in agro Domini profert attendentes, ac divinum cultum augeri nostris potissimum temporibus sinceris affectibus exoptantes, necnon ministrum et fratres praefatos, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, et tuus accedat consensus, communitati et hominibus hujusmodi ipsam ecclesiam eisdem ministro provinciali et fratribus praefatis dare et concedere, necnon eisdem ministro provinciali et fratribus illam una cum ejus campanili, campanis,

coemeterio, calicibus, patenis, ornamentis, paramentis ecclesiasticis in ea existentibus, juribus et pertinentiis ecclesiam hujusmodi recipiendi, ac in eadem terra prope dictam ecclesiam ejusque coemeterium unam domum fratrum minorum de observantia cum dormitorio, refectorio, claustro, hortis, et officinis praedictis pro usu et habitatione dictorum guardiani, et duodecim fratrum, qui inibi recipi debeant, et sub regulari observantia, necnon humilitatis spiritu Altissimo famulentur, ac sub obedientia, correctione, et visitatione generalis ministri, et aliorum officialium dicti ordinis pro tempore existentium, juxta regularia eorum instituta perpetuo remaneant, sine alicujus et parochialis ecclesiae intra ejus limites domus praedicta aedificabitur praejudicio, costrui, et aedificari faciendi, necnon guardiano et duodecim fratribus praedictis, inter quos unus verbi Dei praedicator, qui ibi verbum Dei quadragesimali aliisque solitis anni temporibus praedicare, aliusque seu duo confessarii, qui confessiones christifidelium in ecclesia S. Marci ejusdem terrae pro illius populi commoditate temporibus solitis accedere, necnon in eadem ecclesia B. Mariae singulis diebus missas duas ad minus celebrare; festivis autem diebus missam cum vesperis juxta eorumdem ordinis ritum cantare teneantur, ipsam domum inhabitandi liberam licentiam auctoritate nostra concedas; et insuper postquam domus fratrum hujusmodi constructa et aedificata fuerit, illi, ac dictae ecclesiae guardiano, et duodecim fratribus praedictis in ea pro tempore commorantibus quod omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentiis, et gratiis quibus aliae domus, et ecclesiae fratrum hujusmodi de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, uti, potiri, frui, gaudere, necnon syndacis ejusdem ecclesiae B. Mariae pro tempore existentibus, dicta vinea, apothecas, et alia bona praedicta, quaeque ex instituto religionis sibi dicti fratres retinere nequeant, ac pro usu et ampliatione dictae ecclesiae B. Mariae et domus non inservitura, de communitatis et hominum praedictorum consensu vendere, pretium inde proveniens in fabricae, ornamentorum, ac paramentorum ecclesiasticorum dictae ecclesiae B. Mariae usu et utilitate convertere libere et licite valeant, dicta auctoritate indulgeas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die x. Februarii anno vii.

L.

Petro Moya de Contreras archiepiscopo Mexicano facultatem tribuit erigendi monasteria Conceptionis Ex reg. Secr. Brev. lib. ii. pag. 9.

Venerab. fratri archiepiscopo Mexican.

Inter caetera cordis nostri desiderabilia, illud sinceris affectibus exoptamus, ut monasteria et alia pia religiosa loca instituantur, confusio in praedicatione verbi Dei, et dubitandi occasio ministerio nostro tollantur, animarumque christifidelium saluti consulatur; unde tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi monasteria monialium ordinis Conceptionis B. Mariae Virginis in illis partibus sine alicujus praejudicio, et servata forma concilii Tridentini erigendi, et tam erecta confirmandi, omnesque defectus in eorum erectione interventus supplendi, eaque sub

tua et pro tempore existentis archiepiscopi Mexican. cura, gubernatione, visitatione, et correctione recipiendi, absque eo quod superiores, vel alii fratres minores S. Francisci de observantia, aut cujusvis alterius ordinis sese in iis intromittere valeant, necnon sex tantum notarios, seu tabelliones, auctoritate apostolica ea praefata, ita ut ipsi omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, gratiis, libertatibus, et indultis, quibus alii notarii apostolici utuntur, potiuntur, et gaudent, sine illorum praejudicio, uti, potiri, et gaudere libere et licite valeant, accepto prius ab eis in forma consueta juramento creandi; ac ne in concionibus sacris in tua civitate Mexican. habendis tempore adventus et quadragesimae aliqua generetur confusio, juxta laudabilem consuetudinem in civitate Hispalen. servari solitam, conciones sacras dictis temporibus in eadem civitate Mexican. ordinandi et disponendi, ac presbyteros societatis Jesu simul cum reliquis aliorum ordinum verbi Dei praedicatoribus, in tabulis, ut vocant, ponendi quacumque contraria consuetudine non obstante. Et quia pro eo quod alias fraternitati tuae per alias nostras litteras ordinatum fuit, quod processiones disciplinantium dictae civitatis Mexican. in die Parascevae de die, non autem, ut antea solitum erat, de nocte, seu sub nocte fierent, dubitatum est, an disciplinantes praedicti celebrando processiones hujusmodi de die, eamdemet indulgentiam consequantur, quam consequerentur, si de nocte celebrarent, eidem fraternitati tuae significavimus, quod iidem disciplinantes eamdem indulgentiam processionis dicta die celebrando consequantur, quam consequerentur, si eas de nocte, vel sub nocte celebrarent. Postremo quascumque utriusque sexus personas ad te recurrentes, quae in aliquas damnatas haereses inciderint, ab haeresibus hujusmodi necnon criminibus, excessibus, et delictis, ac poenis, et censuris ecclesiasticis propterea incursis, in foro conscientiae tantum, et quatenus crimen sit occultum, juxta Concilii Tridentini dispositionem, absolvendi plenam et liberam auctoritate apostolica ten. pres. facultatem concedimus et potestatem. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die vi. Januarii anno vii.

LI.

Ambrosius Capicius praeficitur archiepiscopus Antibarensis et administrator ecclesiae Budensis. Ex act. consistorialibus pag. 777.

Apud S. Petrum Romae feria vi. die 9. Januarii fuit consistorum, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Alciatus proposuit ecclesiam Antibaren. providendam de persona Rmi fr. Ambrosii de Cherso ordinis minorum de observantia (quod a me jamdiu propter divini cultus in ea ecclesia restitutionem procuratum est) et quia subdidit dandam ei esse in administrationem ecclesiam Buden. ibi vicinam; et SS. D. N. dixit, quod post videbitur, si non poterit residere, et tunc providebitur ad partem, et sic omnes annuerunt. Reverendissimus D. Cardinalis S. Severinae dixit, optimam, opportunam, et necessariam esse hanc provisionem, ut post tot annos provideatur ecclesia illius civitatis quae Turcarum imperio subjecta est, cum sit insignis in Dalmatia et Albania,

et primatialis totius Serviae. Persona autem, et probitate vitae, et observantia regulari et pietate admodum nota est, nec absonum est ei in administrationem committi Budensem ecclesiam illi vicinam, etiam pastoris solatio destitutam et modici redditus, cum Antibari non possit residere, propter praesidium Turcarum, sed vix quandoque adire. SS. D. N. praefecit eum in archiepiscopum et pastorem, et gratis, attento quod religiosus et frater minor.

LII.

Benedictus de Chio praeficitur episcopus Chieven. in mari Aegeo. Ibidem pag. 700.

Apud S. Petrum Romae feria VI. die 30. *Januarii fuit consistorium, in quo*

Reverendissimus D. Cardinalis Alciatus proposuit ecclesiam Chivensem in mari Aegeo pro Benedicto de Chio ordinis minorum de observantia, qui ingesserat proprio ambitu, et mensibus ac diebus praeteritis ob quasdam imputationes repulsus fuerat; cujus provisionem idem Reverendissimus D. Cardinalis, etsi saepe a SS. D. N. rejectus, post illius pronunciationem omnibus nervis, et summo studio procuraverat, et an justis probationibus (Deus novit), et illum mirifice laudavit etc. Omnibus annuentibus fuit expedita et gratis.

LIII.

Christophorus de Capitefontium praeficitur archiepiscopus ecclesiae Caesarien. Ibidem pag. 819.

Apud S. Petrum Romae feria IV. die 22. *Maii fuit consistorium, in quo*

Reverendissimus D. Cardinalis Alciatus proposuit ecclesiam Caesarien. metropolit. loco Laodicen. pro Rmo fr. Christophoro a Capitefontium generali fratrum minorum de observantia, futuro suffraganeo ecclesiae Senonen., et omnibus annuentibus fuit praefectus illi ecclesiae in archiepiscopum, et datus suffraganeus Reverendissimo Cardinali de Pelve in forma, et juxta decretum consistoriale, cum assignatione tercentorum aureorum super fructibus ecclesiae Senoneo.

LIV.

Marianus Rocciarius Tyburtinus praeficitur episcopus ecclesiae Aquilanae. Ibidem pag. 829.

Apud S. Petrum Romae die Veneris 3. *Julii fuit consistorium, in quo*

Referente Reverendissimo D. Cardinali Gesualdo, et ad catholici Regis praesentationem.

SAnctissimus Dominus Noster providit ecclesiae Aquilanae in regno Neapolitano per obitum b. m. Joannis de Arirma illius ultimi episcopi vacan. de persona religiosi viri fr. Mariani Tyburtini ordinis minorum de observantia verbi Dei concionatoris, natalibus, aetate, doctrina, et suorum superiorum testimonio comprobati, fidemque catholicam expresse professi; ex formula etc. ipsumque dictae ecclesiae in episcopum praefecit et pastorem, et facta est gratia a sacro collegio pro tertia parte fructuum etc.

LV.

Instrumentum Adriani Fusconi episcopi Aquensis. Apud Franciscum Gonzaga pag. 1101.

UNiversis et singulis reverendissimis, ac reverendis in Christo patribus et dominis dominis Dei et Apostolicae Sedis gratia Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, eorumque et cujuslibet ipsorum in spiritualibus, et temporalibus vicariis, seu officialibus generalibus, omnibusque aliis et singulis, quorum interest, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, quibuscumque nominibus censeantur, quacumque praefulgeant dignitate, Adrianus Fusconius, eademque gratia Episcopus Aquensis, archivi romanae curiae corrector, judex, et executor ad infrascripta in vim privilegiorum apostolicorum, dudum eidem archivo, et illius correctoribus concessorum, specialiter assumptus, salutem in Domino, et nostris hujusmodi, imo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Litteras Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Domini Gregorii divina providentia Papae XIII. ejus vera bulla plumbea, cum cordula fili sericei rubei, croceique colorum, more romanae curiae impendentis, bullatas sanas siquidem et integras, non vitiatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, et suspitione carentes, ut in eis prima facie apparebat, nobis pro parte reverendissimi in Christo patris domini domini ministri generalis, ac reverendorum, et religiosorum virorum omnium, et singulorum fratrum totius ordinis minorum de observantia principalium, in subinsertis litteris apostolicis respective principaliter nominatorum, et comprehensorum praesentatas, nos cum ea, quae decuit reverentia, recepimus, hujusmodi sub tenore. *Gregorius episcopus servus servorum Dei. Provisionis nostrae etc. (Vide anal. min. ad an.* MDLXXVIII. *n.* XLII. *in regest.)* Post quarum quidem litterarum apostolicarum praesentationem, et receptionem, nobis et per

nos, ut praemittitur, factas, fuimus pro parte praefatorum reverendissimi patris domini ministri generalis, ac reverendorum et religiosorum virorum omnium et singulorum fratrum totius ordinis minorum de observantia principalium, in praeinsertis litteris apostolicis respective principaliter nominatorum, et comprehensorum debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem, et assistentism praeinsertarum litterarum apostolicarum, et contentorum in eisdem procedere dignaremur juxta illarum formam et tenorem. Nos igitur Adrianus Fusconius Episcopus Aquensis corrector judex et executor praefatus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, et rationi consonam, volentesque litteras apostolicas reverenter exequi, ut tenemur, idcirco auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, praefatas litteras apostolicas, huncque nostrum processum, ac omnia et singula in eis contenta, nobis omnibus et singulis supranominatis, quibus processus noster hujusmodi dirigitur, communiter vel divisim intimamus, insinuamus, et notificamus, ac ad vestram, et cujuslibet vestrum notitiam deducimus, et deducti volumus per praesentes. Vosque nihilominus supradictos et vestrum quemlibet in solidum tenore praesentium requirimus et monemus primo, secundo, et tertio, et peremptorie, communiter vel divisim, ac vobis et vestrum cuilibet in solidum in virtute sanctae obedientiae, et sub infrascriptis sententiarum poenis districte praecipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium post praesentationem, seu notificationem praesentium, et requisitionem vobis seu alteri vestrum factas, et postquam pro parte eorumdem R. D. ministri generalis, et fratrum praedictorum principalium, vigore praesentium super hoc fueritis requisiti, seu vestrum alter fuerit requisitus, immediate sequentium, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies vobis universis et singulis supranominatis pro tertio et peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, eisdem R. D. ministro generali, et religiosis fratribus ordinis minorum de observantia principalibus praenominatis in praemissis omnibus et singulis, in praeinsertis litteris apostolicis contentis, efficacis defensionis praesidio assistentes faciatis, et vestrum quilibet faciat, auctoritate nostra, imo vero apostolica, dictum R. D. generalem ministrum, ac omnes et singulos fratres principales praenominatos omnibus et singulis in praeinsertis litteris apostolicis contentis, in omnibus et per omnia juxta eorum litterarum apostolicarum, ac praesentium formam et tenorem pacifice et quiete uti, frui, potiri, et gaudere, dictasque litteras spostolicas, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus inviolabiter perpetuo observari; neque eosdem R. D. ministrum, et fratres principales vel eorum procuratorem seu procuratores desuper ullatenus molestetis, inquietetis, impediatis, vel perturbetis, nec aliquis vestrum molestet, inquietet, impediat, vel perturbet; neque etiam permittatis a quoquam quavis auctoritate, quomodolibet molestari, inquietari, impediri, vel conturbari. Quod si forte praemissa omnia, et singula prout ad vos et vestrum quemlibet mandatur, non adimpleveritis, seu distuleritis contumaciter adimplere, mandatisque, et monitionibus nostris hujusmodi, imo verbis apostolicis non parueritis, realiter et cum effectu, nos in vos omnes et singulos supranominatos, qui culpabiles fueritis in praemissis, et generaliter in contradictores quoslibet et rebelles, ac impedientes ipsos R. D. ministrum, et fratres principales, vel eorum procuratorem, seu procuratores eorum nomine, aut ipsos

Digitized by Google

impedientibus, dantes auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte quovis quaesito colore vel ingenio, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, praedicta sex dierum canonica monitione praemissa, excommunicationis: in capitula vero, conventus, et collegia quaecumque, in his forsan delinquentia, suspensionis a divinis: et in ipsorum delinquentium, et rebellium ecclesias, monasteria, et capellas interdicti ecclesiastici sententia ferimus in his scriptis, et etiam promulgamus. Vobis vero reverendissimis et reverendis patribus dominis Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, potestatibus dumtaxat exceptis, quibus ob reverentiam vestrarum patriarchalium, archiepiscopalium, et episcopalium dignitatum deferimus in hac parte, si contra praemissa vel eorum aliqua feceritis, seu fieri mandaveritis, per vos, vel submissas personas publice vel occulte quovis quaesito colore, vel ingenio, ex nunc prout ex tunc, et e contra, dicta canonica monitione praemissa, ingressum ecclesiae interdicimus in his scriptis. Si vero hujusmodi interdictum per alios sex dies, praefatos sex immediate sequentes, animo indurato, quod absit, sustinueritis, vos in eisdem scriptis, simili canonica monitione, suspendimus sententias, per alios sex dies praedictos duodecim immediate sequentes, animo (quod absit) sustinueritis indurato, vos ex nunc prout ex tunc, et e contra, dicta canonica monitione praemissa excommunicationis sententia, auctoritate apostolica tenore praesentium innodamus. Ceterum cum ad executionem praemissorum ulterius faciendam nequeamus quoad praesens personaliter interesse, pluribus aliis in romana curia legittime praepediti negotiis, universis et singulis dominis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, caeterisque viris ecclesiasticis, in quibuscumque dignitatibus, gradibus, vel officiis constitutis, notariisque et tabellionibus publicis quibuscumque per quascumque civitates et dioeceses, ac alias ubilibet constitutis, et eorum cuilibet in solidum super executione dictarum litterarum apostolicarum, et mandati nostri hujusmodi facienda, auctoritate apostolica supranominata, plenarie committimus vices donec eas ad nos specialiter et expresse duxerimus revocandas. Quos nos, et eorum quemlibet in solidum eisdem auctoritate, et tenore praesentium requirimus et monemus primo, secundo, et tertio et peremptorie conjunctim, vel divisim, ac eis, et eorum cuilibet in solidum in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poena, quam in eos, et eorum quemlibet in solidum (nisi fecerint, quae eis in hac parte committimus, et mandamus) ferimus in his scriptis, districte praecipiendo mandantes, quatenus infra sex dies post praesentationem seu notificationem praesentium, et requisitionem eis, et eorum cuilibet factas, et postquam pro parte dictorum R. D. ministri generalis, et fratrum principalium vigore praesentium, super hoc fuerint requisiti, seu eorum alter fuerit requisitus, immediate sequentes, quos dies ipsis et eorum, cuilibet in solidum pro omni dilatione, terminoque peremptorio, ac monitione canonica assignamus. Ita tamen quod in his exequendis, alter eorum alterum non expectet, nec unus pro alio, seu per alium vel alios quovis modo se excuset. Ad vos omnes et singulos supranominatos, quibus processus noster hujusmodi dirigitur, necnon ecclesiam ipsam, personasque, et loca alia, de quibus, ubi, quando, et quoties expediens fuerit, personaliter accedat, sive accedant, et praedictas litteras apostolicas huncque nostrum processum, ac omnia et singula in eis contenta

vobis omnibus et singulis supranominatis, quibus processus noster hujusmodi dirigitur, conjunctim vel divisim legant, intiment, insinuent, et fideliter publicare procurent, ac eisdem r. n. ministro generali, et religiosis fratribus ordinis minorum de observantia principalis potestatis, in praemissis omnibus et singulis in praeinsertis litteris apostolicis contentis, efficacis defensionis praesidio assistentes faciant, et eorum quilibet faciat, auctoritate nostra, imo verius apostolica, dictos r. n. ministrum generalem, ac omnes et singulos fratres praenominatos principales omnibus et singulis, in praeinsertis litteris apostolicis contentis in omnibus, et per omnia, juxta earumdem litterarum apostolicarum, ac praesentium formam, et tenorem pacifice et quiete uti, frui, potiri, et gaudere, dictasque litteras apostolicas, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus inviolabiliter perpetuo observari, neque eosdem r. d. ministrum generalem, et fratres principales, vel eorum procuratorem, seu procuratores desuper ullatenus molestent, inquietent, impediant, vel perturbent, neque etiam permittant a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet molestari, inquietari, impediri, vel perturbari, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii saecularis, quemadmodum etiam ex nunc prout ex tunc, et e contra invocamus, et imploramus, et generaliter omnia et singula alia nobis in hac parte commissa, plenarie exequantur, juxta earumdem praeinsertarum litterarum apostolicarum, et praesentis nostri processus vim, formam, continentiam, et tenorem. Ita tamen quod dicti subdelegati nostri, vel quicumque alius seu alii, nihil in praejudicium dictorum r. d. ministri generalis, et fratrum principalium, vel eorum procuratoris, seu procuratorum valeant attentare quomodolibet in praemissis, nec in processibus per nos habitis, aut sententiis per nos latis absolvendo vel suspendendo, aliquid immutare. In ceteris autem, quae eisdem r. d. ministro generali, et patribus principalibus, vel procuratoribus suis in praemissis nocere possent, seu quomodolibet obesse, praefatis subdelegatis nostris, et quibusvis aliis potestatem omnimodam denegamus. Et si contingat nos super praemissis in aliquo procedere, de quo nobis potestatem omnimodam reservamus, non intendimus propterea commissionem nostram hujusmodi in aliquo revocare, nisi de revocatione ipsa specialem, expressam fecerimus mentionem. Praefatas quoque litteras apostolicas huncque nostrum processum, ac omnia et singula hujusmodi negotium tangentia volumus penes dictos r. d. ministrum generalem, et fratres principales, vel eorum procuratorem seu procuratores remanere, et non per vos, aut aliquem vestrum, seu quemcumque alium ipsis invitis, seu contra eorum voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium vero facientes praedictis nostris sententiis, prout in his scriptis per nos latae sunt, dicta monitione praemissa, ipso facto volumus subjacere. Mandamus tamen copiam fieri de praemissis eam petentibus, et habere debentibus, petentium siquidem sumptibus et expensis. Absolutionem vero omnium et singulorum, qui praefatas nostras sententias, seu earum aliquam incurrerint, vix incurrerint quoquomodo, nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praecedentes litteras, sive hoc praesens publicum processus instrumentum, exinde fieri, et per notarium publicum archivi romanae curiae scriptorem infrascriptum subscribi, sigillique dicti archivi, quo in talibus utimur, jussimus, et fecimus appensione communiri. Da-

tum et actum Romae in aedibus nostrae solitae residentiae sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono, indictione septima, die vero decima mensis Februarii, pontificatus praelibati Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Domini Gregorii divina providentia Papae decimi tertii anno septimo, praesentibus ibidem dominis Joanne Vignodi, et Antonio Mignon dicti archivi scriptoribus, testibus ad praemissa vocatis, atque rogatis.

Ego Franciscus Sellier archivi Romanae curiae scriptor, quia praemissis interfui, imo hoc praesens publicum processus instrumentum subscripsi, et publicavi rogatus.

LVI.

Confirmat ministrum generalem. Ex regest. Ultramontano tom. 1. pag. 247.

Dilecto filio Francisco Gonzaga totius ordinis fratrum minorum regularis observantiae ministro generali.

Cum sicut accepimus superioribus mensibus, dilecte fili, capitulum generale nuncupatum ordinis minorum regularis observantiae in domo S. Francisci civitatis Parisien. dicti ordinis in unum, ut moris est, congregati, habitis prius et servatis solemnitatibus in similibus servari solitis, te in ejusdem ordinis ministrum generalem juxta regularia ipsius ordinis instituta, et privilegia apostolica illi desuper concessa, majori et saniori vocalium assentientium fratrum hujusmodi parte elegerint, tuque electioni hujusmodi de te facta consenseris, et exinde tu una cum capitulo nonnulla spiritualem profectum ac quietem, et augmentum praedicti ordinis non solum ad fratrum hujusmodi, verum etiam ad tibi creditarum monialium et sororum S. Clarae, et tertiariarum S. Francisci et in congregatione viventium nuncupatarum ordinis hujusmodi utilitatem concernentia, matura deliberatione praehabita statueris et ordinaveris, prout in diversis desuper confectis documentis publicis, seu aliis scripturis dicitur plenius contineri. Nos qui ordinem hujusmodi singulari benevolentia prosequimur, sperantes quod tam illius fratres, quam moniales et sorores tertiariae tibi creditae hujusmodi ob ferventem eorum zelum per tuae solicitudinis studium pie et religiose regentur et gubernentur, electionem de te factam ac quaecumque statuta et ordinationes hujusmodi, et quaecumque per te una cum capitulo hujusmodi acta, ac prout illa concernunt, omnia et singula in documentis seu scripturis hujusmodi contenta et inde sequuta quaecumque quatenus sacris canonibus et decretis concilii Tridentini, et regulae S. Francisci, constitutionibusque nostris, statum regularem, observantiam, et clausuram concernentibus non contrarientur, apostolica auctoritate per praesentes adprobamus et confirmamus, ac perpetuae firmitatis robur communimus, supplentes omnes et singulos juris et facti defectus si qui forsan intervenerint in eisdem, dantes etiam tibi potestatem dispensandi adveniente legitima et urgentissima causa cum omnibus statutis

in praedicto capitulo generali ordinatis, tibique quod officium ministratus generalis ordinis hujusmodi integre et absque eo quod praetextu aliquarum facultatum seu auctoritatum quibusvis personis cujusque status, dignitatis, ordinis, vel conditionis existentibus hactenus quomodolibet concessarum et in posterum concedendarum, quas ex nunc in quantum officio tuo praejudicent, aut te in illorum executione quovis modo impediant, harum serie revocamus et annullamus, impediri, aut perturbari possis, etiam nostra auctoritate exercere, ac omnibus et singulis immunitatibus, facultatibus, privilegiis, indultis, et gratiis ministris generalibus dicti ordinis qui hactenus fuerunt per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ad nos in scriptis quomodolibet concessis, uti, frui, et gaudere libere et licite valeas dicta auctoritate apostolica concedimus, et indulgemus, mandantes universis et singulis utriusque sexus personis tibi ratione officii hujusmodi creditis in virtute s. obedientiae, et sub excommunicationis poena per eos incurrenda, ut tibi in his quae tuum officium concernunt humiliter intendant et pareant cum effectu, nec tibi in aliquo contradicere quovis modo aut refragari audeant, vel praesumant. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die v. Aprilis anno viii.

LVII.

Instituitur commissarius pro erectione provinciae Tyrolensis. Apud Vigilium Greiderer tom. ii. lib. i. num. 6. pag. 4.

Dilecto filio Henrico Sedulio ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. professori.

QUo religiosorum domus in unam provinciam redactae facilius regantur, aequum est auctoritate nostra providere. Cum itaque, sicut accepimus, non mediocriter censeatur expedire, singulas religiosorum virorum domus ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum, videlicet Oenipontanum, Friburgensem, Snacensem, et Bolcianensem, ac monasteria monialium sub regula S. Clarae, in quibus secundum instituta, ac sub cura fratrum praedictorum vivitur, quae in dominiis ac temporali ditione dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Archiducis Austriae consistunt, et continentur, in unam provinciam, Tyrolis nuncupandam, redigi, eidemque provinciae aliquem ejusdem ordinis professorem in ministrum provincialem praefici, et praesse, Nos dictis de causis adducti, necnon ejusdem Ferdinandi Archiducis votis pro sua insigni erga religiosos omnes pietate, id enixe desiderantis, annuentes, tibi, qui in accademia Lovaniensi, ac in plerisque ejusdem ordinis domibus inferioris Germaniae, ex qua ortum ducis, theologiam non mediocri laude docuisti, ac de religionis zelo, vitae munditia non mediocriter apud nos commendaris, per praesentes mandamus, ut domus, ac monasteria praefata in dictis dominiis, et ditione sita, in unam provinciam, Tyrolis nuncupandam, ad instar aliarum ejusdem ordinis provinciarum redigas, eidemque provinciae, Tyrolis nuncupandae, in ministrum provincialem insignem aliquem ejusdem ordinis professorem constituendum, et deputandum esse, ac juxta ejusdem ordinis regularia instituta, canonice in ministrum provincialem, ut in aliis provinciis

consuevit, ac moris est, deputatum, capitulis generalibus, ac aliis actibus, quibus alii ejusdem ordinis provinciales intersunt, interesse, ac vocem activam, et passivam in electione generalis ministri, ac aliis negotiis praedictis habere; eidemque domus ac monasteria sic in provinciam redigenda, illiusque provincialem ministrum omnibus et singulis facultatibus, gratiis, privilegiis, exemptionibus, quibus aliae ejus ordinis provinciae, illorumque ministri provinciales utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, gaudere posse statuas, et decernas, mandantes in virtute sanctae obedientiae universis et singulis domorum, et monasteriorum dicti ordinis in dominiis, et ditione praefati Ferdinandi Archiducis consistentibus, ut ministro provinciali, postquam canonice, et legitime electus fuerit, tanquam membra capiti, tam in his, quae ad morum correctionem et visitationem, quam aliis quibuscumque ad regularis vitae observantiam, aut alia pertinentia, prompte et humiliter pareant, obediant, et intendant. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xvi. Aprilis anno viii.

LVIII.

Providet recollectorum quieti. Ex regest. Secret. Brev. lib. ii. fol. 105.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias per fel. record. Clementem Papam VII. praedecessorem nostrum multa ad quietum et tranquillum statum pertinentia dilectorum filiorum professorum ordinis fratrum minorum S. Francisci de strictiori observantia reformatorum nuncupat. edita et statuta fuerunt, et deinde per nos accepto, quod reformatis praedictis quamplures perturbationes damnaque non mediocra a dilectis filiis fratribus minoribus de observantia nuncupatis sub quibusdam praetextibus etiam contra mentem dicti praedecessoris inferebantur, litteris ejusdem Clementis praedecessoris quaedam addidimus, prout in nostris in forma brevis die iii. Junii mdlxxix. confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut dilectus filius custos custodiae Nominis Jesu dictorum fratrum reformat. provinciae Cataloniae exponi nobis nuper fecit, litteris nostris praedictis pro parte eorumdem fratrum reformatorum dilecto filio ministro provinciali dicti ordinis praesentatis, idem minister obedire recusaverit, ac litteras nostras praedictas subreptionis vel obreptionis vitio laborare opposuerit, ac in contemptum litterarum nostrarum praedictarum ad nos sedemque apostolicam appellaverit, nosque venerab. fratribus S. R. E. cardinalibus super causis episcop. et regul. deputatis, atque etiam ejusdem ordinis Protectori causam hujusmodi audiendam, et cognoscendam commiserimus; de consilio itaque dictorum cardinalium appellationem praefatam tamquam fictam et injustam rejicientes, ac eidem ministro perpetuum silentium desuper imponentes, necnon dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, ministro provinciali praefato, ac ejus successoribus in virtute s. obedientiae, ac sub excommunicationis poena eo ipso per eum seu eos incurrenda praecipimus et mandamus, quatenus statim litteris nostris praedictis nullo alio a nobis desuper expectato mandato pareat et obediat, ac omnia et singula in eis con-

tenta omnino exequatur, et debito effectui demandet, necnon unam B. Mariae de Jesu prope et extra muros civitatis Barchinonen. et alteram S. Thomae etiam prope et extra muros civitatis Vicen. domus dicti ordinis fratrum minorum de observantia ejusdem provinciae eisdem fratribus reformatis pro eorum perpetuis usu et habitatione concedat et consignet, amotis inde et expulsis fratribus et aliis personis, qui regularibus institutis dictorum fratrum reformatorum conformare recusaverint; nos enim eisdem fratribus reformatis dictae provinciae domus praedictas recipiendi, et alias de novo construendi et aedificandi, seu construi et aedificari faciendi, seu constructas, et aedificatas recipiendi, in quibus duodecim fratres professi ad minus existant, quaeque in locis opportunis dictae provinciae aliis fratrum reformatorum locis, quantum fieri poterit contiguae fiat, licentiam concedimus et facultatem, districtius inhibentes praesenti et pro tempore existenti ministro provinciali, ne dictum custodem, ac dictae provinciae discretos, officiales, et fratres dictae custodiae, et quos praemissa concernunt, et in posterum quomodolibet concernent desuper molestare, perturbare, aut inquietare audeant, seu praesumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca ven. fratribus episcopo Barchinonen. necnon universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque in dignitate ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis per praesentes mandamus quatenus vel duo aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes et alias nostras litteras praedictas, ac omnia et singula in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte custodis, et fratrum reformatorum praedictorum desuper fuerunt requisiti solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant, auctoritate nostra vos praemissis omnibus et singulis juxta praesentium continentiam et tenorem pacifice, frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet etc. per sententias, censuras, et poenas etc. Non obstantibus etc.
Datum Romae apud S. Petrum die xix. Martii anno viii.

LIX.

Nonnulla concedit Isabellae ab Austria reginae viduae Regis Francorum. Ibidem lib. 1. fol. 234.

Charissimae in Christo filiae nostrae Isabellae ab Austria francorum Reginae christianissimae viduae.

PRaeclari tui generis splendor necnon eximiae tuae fidei ac devotionis sinceritas quibus majestatem tuam praeditam esse novimus merito exposcit, ut eam speciali gratia et favore prosequamur. Hinc est quod cum tu sicut exponi nobis fecisti pietatis studio, et ad spiritualem tuam consolationem monasterium S. Annae civitatis Viennae reaedificare, et in illo moniales S. Clarae, quae prius ibi degebant, sed bellorum causa inde aufugerunt, introducere, et ut commodius animae tuae saluti consulere possis, domum dicto monasterio conjunctam in quam cum tuis mulieribus te recipere valeas, construi facere intendas desideresque ex

dicta domo per parvam aliquam a muro portam in ipsum monasterium faciendam, quando tibi videbitur, illud ingredi posse et exire, ejusque clavem penes te retinere. Propterea nobis humiliter supplicari curasti, ut tibi super hoc paterne providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur majestatis tuae cujus laudabile hoc propositum plurimum in Domino commendamus, precibus hujusmodi benigne annuere volentes, tibi, ut dictam parvam portam in pariete ipsius monasterii dictae domui tuae contiguo facere, per quam quandocumque volueris tu dicto monasterio ingredi, et inde postea egredi, illiusque clavem apud te retinere, et etiam cum monialibus ipsis conversari, ac divinis officiis interesse, refectionemque corporalem sumere libere et licite et absque conscientiae scrupulo, ac censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v. Aprilis anno VIII.

LX.

Fit episcopus Bellinensis. Ex actibus consistorialibus pag. 871.

Apud S. Petrum Romae feria II. die 9. Maii fuit consistorium in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Madrutius proposuit ecclesiam Bellinen. in partibus infidelium pro fr. Joannae Naso ordinis minorum de observantia qui suffragetur in pontificalibus Reverendissimo D. Episcopo Brixinen. cum pensione 200. ducatorum, et omnibus annuentibus fuit illi ecclesiae praefectus, suffraganeusque datus Episcopo Brixinen. cum pensione etc. ex decreto solito, ne alibi pontificalia exerceat etc.

LXI.

Fit archiepiscopus Smirnensis. Idem. pag. 884.

Apud S. Petrum Romae feria II. die 4. Julii fuit consistorium in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Moronus Decanus proposuit sibi suffraganeum pro ecclesia Ostien. et Veliter. quemdam fratrem ordinis minorum de observantia guardianum monasterii Aracoeli promovendum ad ecclesiam Smirnen. in partibus infidelium etc. et omnibus annuentibus vel potius non contradicentibus, cum non admodum placeat deputatio suffraganeorum in ecclesiis Cardinalitiis prope Urbem, fuit provisio hujusmodi expedita, licet nec aliquibus visum sit recte factum, ut in propria ecclesia sibi suffraganeum proponeret, sed Sanctissimus D. N. censuit indulgere, ut et Reverendissimi Cardinales pro suis familiaribus ecclesias proponant, et referant, et cum decreto solito etc.

LXII.

Fit episcopus Aladensis. Ibidem pag. 888.

Apud S. Petrum Romae feria II. die 11. Julii fuit consistorium, in quo.

REverendissimus D. Cardinalis Ursinus proposuit ecclesiam Aladen. in Hibernia vacantem per translatiooem episcopi ad ecclesiam Dumen. pro fr. Jacobo Huberto ordinis minorum de observantia, et omnibus annuentibus fuit expedito etc.

LXIII.

Ut fidem habeat Joanni Jeremiae Buchio. Ex regest. secretiori Secretariae Brevium tom. 24. pag. 308.

Dilecto filio nobili viro Francisco Medices Etruriae sibi subjectae Magno Duci.

MIttimus ad nobilitatem tuam dilectum filium Joannem Jeremiam ordinis S. Francisci virum gravem et prudentem. Quae ei commiserimus, ex ipso cognosces; narrabit tuae nobilitati omnia fideliter, diligenterque; cupimus, ut omnem ei fidem tribuas.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv. Maii anno IX.

LXIV.

Pro monialibus S. Clarae Neapolis. Ibidem lib. de diversis fol. 149.

Ad futuram rei memoriam.

CUm sicut accepimus in monasterio S. Clarae civitatis Neapolis circiter tercentum moniales esse reperiantur, inter quas soror Lucretia Macedonia dum ibi abbatissa fuit, pro honorando SS. Sacramento unam ex ipsis monialibus fecit congregationem, jamque ex eleemosynis monialium ejusdem congregationis quoddam argenteum tabernaculum ad custodiendum ipsum SS. Sacramentum, valoris sex millium vel circa ducatorum fabricari curarunt, et singulis annis non parvum cerae albae numerum ad sepulchrum quod hebdomada sancta ibi fieri solet, et per octavam festi Corporis D. N. J. C. impendant, ac plura alia bona opera sumptibus dictae congregationis faciunt. Nos ad augendam earumdem monialium devotionem et animarum salutem coelestibus ecclesiae thesauris pia charitate intenti, precibus quoque pro parte ipsius sororis Lucretiae, et aliarum ejusdem congregationis monialium nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis dictae congregationis monialibus, quae una die per eas seu earum quamlibet eligendo confessae, SS. Eucharistiae sacramentum sumpserint, necnon illis quae ipsam congregationem ingredi voluerint die earum ingressus confessis pariter et comunicatis, et in cujuslibet earum mortis articulo pariter confessis, seu si confiteri non potuerint, ore vel corde nomen Jesu invo-

cantibus. Ac similiter dictis congregationis hujusmodi monialibus, quae qualibet ultima mensis dominica et eodem festo SS. Corporis Christi, peccata sua confitebuntur, SS. Eucharistiae Sacramento reficiuntur, simulque altare ipsius SS. Sacramenti devote visitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auct. apost. ten. praes. misericorditer in Domino perpetuo concedimus et elargimur. Praeterea dictis monialibus, quae luminibus accensis SS. Eucharistiae sacramentum, cum ad moniales infirmas deferetur, ac moniales mortuas ad sepulturam associabunt, et septem psalmos aut unam coronam recitabunt, toties quoties id fecerint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Postremo ejusdem congregationis monialibus quae simul vel per se officium defunctorum recitaverint, decem annos indulgentiae pro animabus monialium defunctarum per modum suffragii consequantur et consequi valeant concedimus. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum die IX. Novembris anno IX.

LXV.

Ut erigat sodalitatem tertii ordinis. Ibidem lib. I. fol. 578.

Dilecto filio Nicolao Parisotto ordinis fratrum minorum de observantia S. Francisci professori.

Pio voto tuo instituendi unam personarum saecularium in provincia S. Bonaventurae societatem, quae in bonis operibus se habeat exercere, per dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Renatam marchionissam de Bauge comitissam Riuli, cujus confessarius es, nobis exposito annuere volentes, tibi ut unam confraternitatem tertii ordinis S. Francisci in dicta provincia instituere, ac in eam ingredi volentes utriusque sexus personas recipere libere et licite auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Octobris anno IX.

Anno Christi 1581. Gregorii XIII. an. 9. et 10.

LXVI.

Pro gradu magisterii ordinis conventualium. Ex regest. secret. Brev. lib. III. fol. 301.

Ad futuram rei memoriam.

Ut ampliores uberioresque fructus ex personis ordinis S. Francisci minorum conventualium ad fidei catholicae defensionem, et manutentionem provenire possint dilecto filio, qui in capitulo generali ejusdem ordinis in civitate Perusiae propediem celebrando magister generalis eligetur, postquam electus fuerit, ut quoscumque ejusdem ordinis viros probos, et morum honestate, et catholicae religionis zelo praeditos, ad numerum viginti quinque dumtaxat, dummodo in artibus et theo-

logia cursum perfecerint, et in praefato capitulo assertiones, seu conclusiones publice proposuerint, et disputaverint, ac praevio rigoroso examine a promotoribus ad id idonei indicati fuerint, ad magisterii gradus in artibus et theologia gratis promovere, eisque solita insigna conferre, patentes litteras desuper conficere, necnon eisdem sic promotis, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, exemptionibus, facultatibus, praerogativis et gratiis, quibus alii in universitatibus studiorum generalium promoti quomodolibet utuntur et gaudent, ac uti, et gaudere poterunt in futurum, uti, potiri, et gaudere libere et licite possint et valeant apost. auct. ten. praes. concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die III. Maii anno IX.

LXVII.

Quaedam praescribit pro felici exitu capituli generalis conventualium. Ibidem fol. 288.

Dilectis filiis praesidenti, et capitulo generali fratrum minorum conventualium in civitate nostra Perusiae congregatis.

Ex rationabilibus causis animum nostrum moventibus volumus, vobisque in virtute s. obedientiae, et sub arbitrii nostri poenis praecipimus ac mandamus, ut ea quae in inclusa schedula obsignata continentur, sine ulla mora vel excusatione omnino exequamini et efficiatis. In quo sic vos gerere studebitis, ut obsequium et obedientiam vestram merito commendare valeamus. Contrariis quibuscumque etc.

Datum Romae apud S. Petrum die VII. Maii anno IX.

LXVIII.

Pro gymnasio S. Francisci Cracoviensi. Ibid. lib. III. fol. 206.

Dilectis in Christo filiabus abbatissis et monialibus monasteriorum S. Clarae ordinis ejusdem S. Clarae Cracovien.

Intelleximus obedientiam vestram ad ea, quae dilectus filius fr. Bonaventura Maresius s. theologiae doctor ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. S. Francisci professus, in universo regno Poloniae generalis commissarius et visitator apostolicus per nos missus, pro debita votorum vestrorum executione vobis observanda mandavit. Verum non minus nobis placuit animarum vestrarum promptitudo ad favendum donationibus per vos respective factis domui fratrum minorum conventualium nuncupat. S. Francisci Cracovien. sub quorum cura et obedientia vivitis; vos quidem abbatissa et moniales de antiqua Sadecr de Villa Molzra nuncupata cum omnibus suis annexis et pertinentiis, vos autem abbatissa et moniales S. Andreae de summa florenorum septuaginta monetae illarum partium, in festo Purificationis Beatissimae Mariae Virginis singulo anno ab existente pro tempore abbatissa et monialibus dicti vestri monasterii persolvenda pro erectione, et seu manutentione gymnasii erectivi, seu jam forsan erecti in conventu S. Francisci Cracovien. praefato ad publicam utilitatem dicti regni, et

locorum illi circumvicinorum de mandato nostro, ac jussu superiorum dicti ordinis instituti, et pro illius felici progressu ac manutentione lectorum, qui professores dicti ordinis in doctrina et moribus juxta ritum gymnasiorum ejusdem ordinis in partibus Italiae existentium instituendorum; cum his tamen conditionibus, quod una pars ex proventibus dictae Villae cedat in utilitatem lectorum et studentium; altera vero pars in sustentationem guardiani et fratrum praedictae domus S. Francisci Cracovien. nec in alios usus converti debeant, quodque lectores, et studentes, ac guardianus et fratres praefati singulo quoque anno in festo D. Kunegundis fundatricis et dotatricis dicti vestri monasterii de antiqua Sadecr teneantur celebrare anniversarium pro animabus abbatissae et monialium dicti monasterii antiquae Sadecr, ipsique lectores et studentes teneantur eligere idoneos confessores ac pios et eruditos verbi Dei praedicatores, qui confessiones monialium dicti vestri monasterii S. Andreae audire, eisque verbum Dei praedicare temporibus debitis, ac alias prout in duobus instrumentis publicis desuper confectis continetur. Et propterea per has nostras vos de obedientia laudamus, necnon donationes et conditiones ac obligationes praefatas, motu proprio et ex certa scientia, apost. auct. ten. praes. confirmamus et approbamus, vosque sub obedientia, correctione, et expressa jurisdictione superiorum vestrorum, nempe praefati ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci, motu, scientia, auctoritate, et tenore praesentis, etiam perpetuo confirmamus. Decernentes atque declarantes vos nullatenus aliis, quam vestris superioribus praefatis, quacumque dignitate praediti sint, subjacere, nisi a sede praefata fuerit aliqua eis auctoritas delegata. Non obstantibus breve fel. record. Pii V. de sublata cura monialium fratribus conventualibus S. Francisci etc.

Datum Romae apud S. Petrum die . . . . .

LXIX.

Ut reducat fratres ad coenobia. Ibidem lib. II. diversorum fol. 90.

Dilecto filio Joanni Hayo ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. professori.

CUm sicut accepimus, dilectus filius minister generalis ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. animadvertens, fratres ejusdem ordinis provinciae inferioris Germaniae ac Flandriae, et illi adjacentium dominiorum ab haereticis ex eorum domibus, regularibusque locis vi dejectos et expulsos, in civitatibus Moguntin. et Colonien. provinciarum sparsim et seorsim in saecularium domibus vitam agere, idque regulari vitae quam professi sunt, omnino adversari, atque religiosis viris penitus esse indecorum, eamque ob causam te de proximo commissarium ad visitandum et reformandum tam virorum, quam mulierum domus et monasteria, caeteraque ejusdem ordinis regularia loca earumdem provinciarum, juxta tenorem litterarum reformationis desuper editarum, simulque ad uniendum, et incorporandum fratres provinciae Germaniae inferioris, et aliorum dominiorum praedictorum, ut praefertur, ejectos et expulsos, et in Moguntin. et Colonien. provinciis redigendos destinare intendat. Nos cupientes hoc pium generalis ministri propositum, quod ad

religiosorum salubrem directionem tendit optatos effectus consequi, discretioni tuae, quod postquam ad dictas provincias Moguntin. et Colonien. te contuleris, tam ordinaria dicti generalis ministri, quam a nobis tibi per praesentes delegata auctoritate omnes et singulos domus dicti ordinis fratrum minorum de observantia regulares visitare et reformare, ac ad meliorem formam et statum reducere, regularemque observantiam juxta ejusdem ordinis instituta et reformationes in eisdem domibus, aut locorum et temporum conditio tulerit, restituere, ac de novo introducere, necnon fratres dictae provinciae inferioris Germaniae, ac Flandriae, ac aliorum dominiorum praedictorum una cum una aut altera ex provinciis Moguntin. et Colonien. praedictis conjungere et incorporare, ac eosdem, qui ex eorum domibus et locis provinciae inferioris Germaniae a catholicae religionis hostibus per summam injuriam depulsi atque exturbati sunt, ad earum provinciarum Moguntin. et Colonien. domus et loca illi proximiora, et magis opportuna transferre, ac quoscumque ejusdem ordinis religiosos et fratres qui motu impulsi, aut per fallaciam circumvensi, vel alios quomodocumque ad favorem haereticorum, et eos, qui ab eorum dominio desciverunt, a praestito per eos juramento absolvere et liberare, juramentaque hujusmodi illis, etiamsi dum absque interitu salutis servari nequeunt, servanda minime sint, ad cantelam relaxare, ac cum eis super irregularitate praemissorum occasione contracta dispensare, aliaque omnia in praemissis necessaria et opportuna, etiamsi notam exigerent magis specialem, facere et exequi libere et licite valeas, plenam et liberam per praesentes concedimus facultatem. Cumque ad hanc rem, quam pro dictorum religiosorum salute idem minister generalis parat, maxime expediret, eosdem fratres et religiosos viros, qui pro Regis aeterni gloria venerandi ac benigne excipiendi sunt, ad domus et religiosa loca in eisdem Moguntin. et Colonien. provinciis existentia, in quibus superioribus annis iidem ab omni hujus saeculi tempestate remoti inhabitant, ac in habitu humilitatis et paupertatis Altissimo pium obsequium exhibebant, quaeque postmodum temporum injuria amiserunt, quo in illis iidem religiosi provinciae inferioris Germaniae se recipere possent, restitui, tibi maudamus, ut omni adhibito studio et diligentia recuperandis dictis domibus et religiosis locis incumbas, ac in eisdem, quoad fieri possit, optimis institutis regularem disciplinam denuo introducas, ac in specie domum et conventum S. Francisci ejusdem ordinis Moguntin. paucis ab hinc annis ob raritatem fratrum ejusdem ordinis ab illo, et provincia Colonien. derelictum, et proinde a fratribus ejusdem ordinis direptum, non tamen alias forsan aliis ordinibus et personis per nos, vel alios praedecessores nostros concessas domus, vel regularia loca recuperes, ac restitui facias, ac domui et conventui praedictis fratres vita, moribus, et doctrina idoneos provinciae inferioris Germaniae vel Flandriae, aut aliorum dominiorum praedictorum, sive provinciae Colonien. ibidem eadem auctoritate nostra colloces, tibique ut loca quaecumque ad inhabitandum per dilectos filios Senatum Colonien., et quoscumque alios etiam communitates et homines civitatum, terrarum, et locorum dictarum provinciarum Moguntin. et Colonien. utriusque sexus personis et religiosis ejusdem ordinis ex inferioris Germaniae et Flandriae provinciis expulsis, concedenda recipere, et ad domum religiosorum, vel monasteriorum formam cum claustris, campanili, campanis, aliisque necessariis et offi-

cinis redigere, ac mulierum monasteria debita clausura munire valeas, auctoritatem concedimus. Et insuper quia animadvertimus de facili contingere posse, praedicta loca derelicta, recepta vel de novo recipienda non sufficere ad recipiendum tam ingentem numerum utriusque sexus personarum ex dictis provinciis inferioris Germaniae, et statibus Flandriae expulsarum, tunc ex eo casu te omnia et singula loca olim fratrum S. Francisci conventualium ex quacumque causa, ob illarum nimiam in illis partibus paucitatem sponte derelicta, vel in posterum derelinquenda recipere posse volumus, decernentes, et declarantes locorum venditionem, distractionem, et quamvis alienationem, etiam alienationis late sumpto vocabulo quibuscumque collegiis, communitatibus, universitatibus, et societatibus extra dictum ordinem hactenus, inconsulta sede apostolica, factas, nullas, irritas, et inanes, atque infectas esse, ac pro nullis, irritis, et inanibus, atque infectis habendas esse, ac praedictis fratribus et sororibus expulsis, ut praefertur, ad illa restituendos esse in virtute sanctae obedientiae, et sub privationis omnium officiorum, quae obtinent, et in posterum obtinere poterunt, ac vocis activae et passivae, omnibus et singulis utriusque sexus dicti ordinis de observantia professoribus praecipientes, ut in omnibus regularia instituta ac ordinis reformationem concernentibus, quae per se illis injuncta fuerint, pareant et obediant, atque intendant, ac ad hujusmodi loca, ad quae per te fuerint destinati, vocati, et transmissi, omni contentione remota, proficiscantur. Quod si qui fratrum et sororum dictae provinciae Colonien., et provinciarum Flandriae, et inferioris Germaniae in praedictis tibi obedire detrectaverint, aut aperte recusaverint, et extra religionem in domibus saecularium, vel etiam aliorum religiosorum ejus ordinis de observantia habitu retento, vel dimisso commorari, et sub praetextu quod cathedralibus, aut parochialibus ecclesiis curae animarum exercendae vacent, aut cappellaniis in eisdem, vel aliis ecclesiis sitis deserviant, eos cum primum ad ipsos praesentium litterarum notitia pervenerit, nisi statim paruerint, excommunicationis sententia ipso facto innodamus, a qua nisi in articulo mortis constituti, absolutionis beneficium nisi a Rom. Pontifice obtinere nequeant, ac in eos tamquam apostatas, et religionis desertores animadverti posse statuimus. Cumque alia pleraque, quae nobiscum communicata et participata fuerunt, idem generalis minister tibi dederit in mandatis, in dictis locis et provinciis exequenda eadem omnia et singula, ac si de verbo ad verbum insererentur, rata et grata habentes, te in illis exequendis nedum ordinaria dicta generalis ministri, verum etiam nostra, praesentiumque litterarum auctoritate, intendimus fore subnixum, mouentes et enixe in Domino requirentes venerabiles fratres Moguntin. et Colonien., ac Treviren. archiepiscopos, aliosque principes electores, ac universos et singulos ecclesiae Dei praelatos quocumque nomine nuncupatos, necnon earumdem provinciarum, ac civitatum, terrarum et locorum in temporalibus dominos, ut juxta eorum pium animi propositum ac munus injunctum, quo religionem christianam fidemque catholicam in eorum provinciis, civitatibus, et locis tueri, et promovere contendunt, in praemissis omnibus et singulis absque mora, et omni impedimento sublato exequendis, ac praesertim in domibus et locis ejus religionis propriis et antiquis domiciliis, non tamen aliis, ut praefertur, concessis recuperandis, et ex occupatorum manibus vindicandis prompte et efficaciter faveant, et as-

sistant, et erga te liberales se exhibeant; haec autem, si ut confidimus, iidem ecclesiae Dei antistites, et praelati reipsa praestiterint, et rem eorum virtute pro eo, quem erga religionem accensi sunt, zelo dignam, et Deo acceptissimam, et nobis gratissimam noverint se fecisse; et insuper nos cupientes tutum et securum iter tibi, ac his, qui una tecum erunt, ubique parere, teque ac eos ab omni metu, periculo, molestiaque liberos esse, omnes et singulos reges, duces, marchiones, comites, barones, et alios dominos temporales, necnon communitatis universitas et officiales quarumcumque civitatum et locorum in Domino etiam atque etiam monemus; nostris vero, et apostolicae sedis legatis, ac archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, ac subditis nostris in virtutae s. obedientiae praecipimus, quatenus te, tuosque socios ad loca eorum jurisdictionis pervenientes benigne excipi et tractari, ac quoties eos duxeris requirendos de itineris ductore, et aliis necessariis vestris expensis tibi ac sociis praedictis provideri, teque ac socios tuos ab omni molestia securos esse faciant, aliasque in suis, vel sociorum suorum necessitatibus se benignos ac propitios demonstrent, ut merito eorum devotionem, et in ministros Dei reverentiam commendare possimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XI. Martii anno IX.

LXX.

Ut se conferat in Poloniam. Ibidem lib. III. fol. 453.

Dilecto filio Annibali de Calabria ordinis minorum de observantia nuncupat. professori.

CUm sicut dilectus filius minister generalis ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. nobis significavit, ipse animadvertens quamplurimos fratres ejusdem ordinis in regno Poloniae bonis quidem moribus praeditos esse, sed eruditorum virorum copia, qui eorum animos doctrina et disciplinis excolant plurimum indigere, proposuit te vitae integritate et scientia praestantem illuc mittere, qui ad haec promovenda studia tua pro viribus conferas. Nos pro hoc ministri praefati proposito commendato animadvertentes, munus praedictum difficilime in regionibus illis diversarum haeresum incommodis jamdiu conflictatis administrare posse, nisi tibi legendorum librorum prohibitorum facultas tribuatur; permittimus igitur tibi ut libere et licite possis in Poloniae praedicto, ac etiam in Bohemiae regnis et dominiis illis contiguis quoscumque haereticorum et haeresum libros ad refellendos et confutandos errores et impietates ipsorum, quoad munus praedictum in ipso Poloniae regno curaveris dumtaxat habere, legere, et retinere libere et licite valeas tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XV. Julii anno X.

Digitized by Google

LXXI.

Ut rectoris officio fungatur in Xenodochio Florentino. Ibidem lib. i. fol. 67.

Dilecto filio Nicolao de Cortona ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. professori.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Franciscus magnus Dux Etruriae sibi subjectae, quod alias ipse cum hospitale Innocentium Florentin. quod ab hinc multis annis pro majori parte per regulares ac bonae et exemplaris vitae personas per dictum magnum Ducem, et ejus praedecessores deputatos regi et gubernari consuevit, priore et administratore destitutis existeret, te religionis zelo ac probitatis, et virtutum meritis, quibus personam tuam juvari perceperat diligenter attentis, in priorem et rectorem dicti hospitalis constituit et deputavit. Cum autem dubites tibi licere deputationem hujusmodi acceptare absque nostra et Sedis Apostolicae licentia speciali, pro parte ejusdem Francisci magni Ducis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos ut eidem hospitali, de persona utili et idonea per quam illud circumspecte regi, et salubriter dirigi valeat, provideatur intendentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut curam, regimen, et gubernium dicti hospitalis suscipere, et in eo quoad vixeris residere valeas, nec interim ad residendum in domibus dicti ordinis, aut alibi tenearis, nec ad id per quemcumque etiam generalem ministrum dicti ordinis invitus cogi, aut compelli possis, apostolica auctoritate concedimus, et nihilominus dicto generali, et quibusvis aliis personis cujuscumque gradus, status, conditionis, et dignitatis existentibus, ne te quandiu in dicto hospitali vitam duxeris, ad residendum in praedictis domibus cogere aut compellere quoquomodo audeant, seu praesumant districtius inhibentes. Decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv. Februarii anno ix.

LXXII.

Facultas recipiendi legata. Ibidem. fol. 291.

Dilectis filiis professoribus ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. provinciae Creten.

EXponi nobis nuper fecistis, quod vos et vestri ordinis in provincia Cretensi commorantes fratres iis indigetis, quae ad quotidianum victum sunt necessaria, paucis christianis, qui latino more vivant et eleemosynes elargiantur ibidem indigentibus ob gravem metum, qui assidue ab efferatis Turcis illis incumbitur, ac ingentia pericula, quae in dies illis imminent, unde nisi ex quorumdam legatorum domibus ordinis vestri per nonnullos christifideles hactenus relictorum fructibus vobis subveniretur, jamdudum urgente inopia illinc discedere omnino

coacti fuisset is. Cum autem juxta regularia instituta praedicti ordinis fructus dictorum legatorum percipere non valeatis, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ne rerum inopia in dictis domibus laboretur, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis in singulis dictae provinciae, et ordinis domibus locum, qui camera Jesu Christi nuncupetur, in quo legata hujusmodi jam facta, in futurum facienda, et quaecumque pro tempore relicta et elargienda, aliique redditus et proventus, in vestram subventionem per pios christifideles erogata et eroganda, necnon libri computorum sub fida custodia conserventur, ex quibus postquam vobis pro manutentione dictorum domorum de necessariis congrue fuerit provisum, tres domus ordinis, et provinciae hujusmodi a Turcis jamdiu combustae reaedificari curentur, ordinandi, ac fructus, redditus, et proventus dictorum legatorum in usus praedictos convertendi, exemplo fel. record. Nicolai Papae V. praedecessoris nostri adducti, qui ex similibus fere causis in civitate Candiae Insulae Creten. similium institutionem comprobavit, licentiam, et facultatem apost. auct. ten. praesentium litterarum instituta, duabus clavibus, juxta ejusdem Nicolai dispositionem, erit claudenda, quarum una penes guardianum domus, altera autem communitatem seu universitatem civitatis, terrae, vel loci, in quo domus hujusmodi constituta erit. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die 1. Septembris anno x.

LXXIII.

Franciscus Horantes praeficitur episcopus ecclesiae Ovetensis. Ex actibus consistorialibus pag. 954.

Apud S. Petrum Romae feria II. die 6. Martii fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Gesualdus proposuit ecclesiam Oveten. in Hispania pro fr. Francisco de Orantes Valleoletan. Placentin. dioecesis ordinis minorum de observantia a Rege Catholico nominato, et omnibus annuentibus Sanctissimus D. N. illi ecclesiae praefecit in episcopum et pastorem etc.

LXXIV.

Massaeus, sive Matthaeus Bardi praeficitur episcopus ecclesiae Clusinae. Ibidem pag. 985.

Apud S. Petrum Romae feria II. die 29. Maii fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis de Medicis proposuit ecclesiam Clusin. vacantem per obitum b. m. Salvatoris Pacini ultimi illius episcopi pro R. D. Fr. Matthaeo de Bardio ordinis minorum de observantia, et omnibus annuentibus fuit facta provisio etc.

LXXV.

Marcus Ulyssiponensis praeficitur episcopus ecclesiae Portugallensis. Ibidem pag. 1000.

Apud S. Petrum Romae feria VI. die 20. Octobris fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis S. Sixti proposuit ecclesiam Portugallen. pro fr. Marco de Ulixbona ordinis minorum de observantia, pro quo Rex Catholicus Portugalliae supplicavit, et omnibus annuentibus Sanctissimus D. N. expedivit ecclesiam Portugallen. providens illi de persona fr. Marci.

LXXVI.

Franciscus Bonardi praeficitur episcopus ecclesiae Conseranensis. Ibidem pag. 1018.

Apud S. Petrum Romae feria II. die 6. Novembris fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Estensis proposuit ecclesiam Conseranen. in Vasconia pro fr. Francisco Bonardo de Monteregali ordinis minorum de observantia, et omnes annuerunt, nisi quod ab aliquo fuit facta difficultas, quod non habens testimonium approbationis; sed fuit responsum illum fuisse admissum ad professionem theologiae, et praedicationis verbi Dei a suis superioribus more religionis suae, et satis esse.

LXXVII.

Dispensat super irregularitatem. Ex regest. Secret. Brevium lib. unicus fol. 65.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitan.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Custos fratrum reformatorum de observantia provinciae Siciliae, quod in ejus custodia nonnulli fratres reperiuntur, qui ante legitimam aetatem ad sacros ordines se promoveri fecerunt, et etiam forsan in illis ministrarunt, censuras ecclesiasticas, et irregularitatis notam incurrendo. Quare nobis humiliter supplicari fecit, ut dictorum fratrum statui, et animarum saluti consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi dictos fratres ad te recurrentes, et id humiliter petentes, a quibusvis censuris propterea incursis, injuncta eis poenitentia salutari, absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, si quam divinis se immiscendo, non tamen in contemptum clavium contraxerint, dispensandi apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII. Augusti anno X.

Digitized by Google

LXXVIII.

Facultas absolvendi. Ex regest. Ultramont. tom. 1. fol. 246.

Dilecto filio Francisco Gonzaga generali ministro.

Piis votis tuis, quae praesertim ad salutem animarum conferunt, libenter annuimus, et favoribus prosequimur opportunis. Quocirca tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi facultatem tribuimus concedendi licentiam Custodi pro tempore existenti tui ordinis fratrum minorum de observantia in Indiis orientalibus, ut per se vel alium, seu alios omnes ejusdem ordinis professores, novitios, et conversos ad Deum humiliter recurrentes, qui delicta commiserint etiam propter quae sedes apostolica merito consulenda, ac etiam in casibus in litteris die Coenae Domini legi solitis comprachensis (haeresis, conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, injectionis manuum violentarum in praelatos, delationis armorum, et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, falsitatis litterarum, et aliarum scripturarum apostolicarum dumtaxat exceptis). In contentis vero in dictis litteris ter in vita, et in mortis articulo; in aliis vero casibus hujusmodi quoties opportunum fuerit, confessione illorum diligenter audita, necnon injuncta eis pro culpae modo poenitentia salutari, et aliis quae de jure fuerit injungenda absolvere libere et licite valeat. Praeterea concedimus, ut propter lorcorum distantiam et difficultatem praedicatores et confessores dict ordinis in illis partibus, qui semel ordinario loci praesentati fuerint, ad se alterius coram eis, aut eorum successoribus praesentandum minime teneantur, neque ad id a quoquam inviti valeant coarctari. Non obstantibus praemissis ac costitutionibus apostolicis etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Julii anno x.

Anno Christi 1582. Gregorii XIII. an. 10. et 11.

LXXIX.

Plura statuit pro monasteriis monialium Portugalliae. Ex regest. Secret. Brevium lib. 1. fol. 540.

Dilectis in Christo filialibus abbatissae et conventui domus monialium S. Clarae de Soasena nuncupat. Ulyxbonen. dioecesis sub cura et obedientia ministri provincialis fratrum minorum S. Francisci de observantia provinciae Portugalliae immediate consisten.

Ex parte vestra nobis fuit expositum, quod cum nonnulla monasteria, seu domus monialium in ipso regno Portugalliae privilegia apostolica, seu indulta perhibeantur habere, quibus caveri dicitur, ut si quae moniales ad ea, vel eas ex aliis monasteriis superiorum suorum, vel apostolica auctoritate translatae fuerint, et in eis certo tempore degerint, seu decesserint, ipsa monasteria non solum eleemosynas loco dotis a monasteriis, in quibus moniales ipsae translatae professionem re-

gularem primo emiserant, receptas, et forsan consumptas, verum etiam bona, et parentum, vel aliorum propinquorum successione haereditaria, seu ex legato, aut fideicommisso ipsis monialibus translatis obventura habere, et in bonis praedictis succedere debeant; et sicut eadem subjungebat expositio, si contingat aliquas ex monialibus in vestra ista domo professas ad alias domos, seu monasteria, privilegia, seu indulta hujusmodi habentia, transferri, domus ista vestra, quae tenuos et exiguos admodum habet redditus, et ad incumbentium sibi onerum supportationem insufficientes eleemosynis receptis, et ut plurimum expositis, et consumptis, et futurae monialium suarum successionis spe destituta et privata remanens, difficile admodum sustineri posset, et regularis observantia in ea vigens proculdubio destitueretur. Quare vestro nomine fuit nobis humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos cupientes monasteria quaecumque praesertim sanctimonialium, quae abjectis mundi illecebris se Deo dicarunt statui et indemnitati prospicere, privilegiorum, seu indultorum praedictorum tenore praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati universis et singulis domus vestrae superioribus sub poena suspensionis a divinis, quam eo ipso incurrant, si secus fecerint, interdicimus, et inhibemus, ne aliquam monialem in vestra domo professam ex illa quomodolibet, et ex quavis causa ad aliud etiam ejusdem ordinis regulae et observantiae, ut praefertur, privilegiatum, vel non privilegiatum monasterium absque nostra et sedis apostolicae licentia transferre audeant, vel praesumant. Necnon privilegia seu indulta ita moderamur, ut ad moniales in vestra domo professas, et ad aliam quamvis etiam apostolica auctoritate in futurum transferendas minime extendantur, nec illius praetextu vos super eleemosynis receptis, aut super bonis haereditariis, vel alias vestrae domui, seu monasterio de jure debitis molestari, turbari, vel inquietari, attenta vestra paupertate, de caetero non debeatis, et sic per quoscumque judices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii causarum auditores, sublata eis etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII. Decembris anno XI.

LXXX.

Silvester de Albania fit episcopus Stephanensis in Dalmatia, et Bendensis in Albania. Ex actibus consistorialibus pag. 1039.

Apud S. Petrum Romae feria II. die 8. *Januarii fuit consistorium, in quo*

Reverendissimus D. Cardinalis S. Severinae proposuit Silvestrum de Albania ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia in episcopum ecclesiarum Stephanen. et Benden. Rogatus ipse a Sanctissimo D. N. de sententia, respondit hanc provisionem valde utilem et salutarem illis ecclesiis fore spero, praesertim cum populum illum in episcopum magnopere expectet, et ipse hoc munus episcopale non ambierit, sed rogatus pro necessitatibus illius provinciae a Rmo P. D. Episcopo Antibaren. et a quibusdam probis viris, humiliter illud recusaverit, et vix tandem eorum precibus adduci potuerit, ut illud pro obedientia susciperet, si etiam a Beatitudine vestra demandaretur; quare sum pro

expeditione et gratia; et omnibus annuentibus fuit praefectus illis ecclesiis in episcopum et pastorem etc.

LXXXI.

Cornelius Dubenius, alias Obviderrib fit episcopus Dunensis, et Cannetensis. Ibidem preg. 1072.

Apud S. Petrum Romae feria VI. die 26. Aprilis fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Senonen. proposuit in episcopum ecclesiarum Dunensis et Cannotensis sub archiepiscopo Armacano in provincia Ultoniae in Hibernia Cornelium Obviderrib fratrem ordinis minorum S. Francisci de observantia, cum dispensatione super defectu natalium, et omnibus annuentibus praefectus est dictis ecclesiis in episcopum et pastorem, et cum expeditione gratis etc.

LXXXII.

Franciscus Bonardus fit episcopus monasterii S. Mariae Gimontis. Ibidem pag. 1086.

Apud S. Petrum Romae feria II. die 6. Novembris fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Estensis proposuit in episcopum monasterii S. Mariae Gimontis Cisterciensis ordinis Auxitanae dioecesis Franciscum Bonardum Pedemontanum de Monteregali fratrem ordinis minorum S. Francisci de observantia s. theologiae professorem, ac verbi Dei praedicatorem.

LXXXIII.

Claudius Medulla instituitur commissarius apostolicus in Belgio. Ex regest. Secret. Brevium lib. I. fol. 397.

Ad futuram rei memoriam

Cum sicut dilectus filius nobilis vir Alexander Farnesius Parmae, et Placentiae princeps totius exercitus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici in partibus inferioribus Belgicis dux et capitaneus generalis, nuper per suas litteras significavit ipse Philippus rex numerosas copias ad eumdem exercitum contra ejus rebelles et catholicae fidei hostes ad praesens mittat; cupiatque idem Alexander princeps et generalis capitaneus apud se habere pro Dei sanctaeque catholicae religionis servitio, et ad nostrae, et hujus sanctae sedis auctoritatem, ut par est etiam conservandam, unum aliquem religiosum exemplaris vitae ac sacrae paginae scientia et doctrina, aliisque laudatis talique personae congruentibus virtutibus praeditum, qui in occurrentibus ibi casibus, opera et consilio suo tamquam commissarius a nobis et

dicta sede apostolica deputatus, exercitus praedicti res et negotia quoad capellanos at spiritualia, et ad catholicam religionem pertientia feliciter in Domino dirigere et adjuvare valeat, et propter singularem quem idem Alexander princeps et capitaneus generalis ad ordinem S. Francisci de observantia gerit devotionis affectum magnopere desiderat, ut dictus religiosus et commissarius ex eodem ordine delegatur; et ideo fretus prudentia et eximii erga se animi propensione dilecti filii Francisci Gonzagae ministri generalis ordinis hujusmodi ad eum scripserit, ut nobis unum ex sua religione ad hoc onus administrandum idoneum nominare vellet, isque fratrem Claudium Midullam egregium theologum optimae vitae, ac morum integritate, et rerum gerendarum experientia probatum, munere ministri provincialis Mediolanen. provinciae ordinis hujusmodi per quatuor annos laudabiliter functum delegerit. Nos cupientes pro pastorali officio nobis divinitus injuncto, eos spiritnales in eodem exercitu recte, pie, et ad Dei imprimis laudem et gloriam animarumque salutem potissimum dirigi, atque tractari, necnon de fide, probitate, rerum agendarum usu, et catholicae fidei zelo ipsius fratris Claudii plurimum in Domino confisi, eum in exercitu praedicto nostrae et apostolicae sedis commissarium ad nostrum et ejusdem sedis beneplacitum auct. apost. ten. praes. creamus, facimus, constituimus, et deputamus. Nos enim eidem fr. Claudio commissario quarumcumque personarum dicti exercitus confessiones diligenter audiendi, aisque auditis illos ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam nobis, et apostolicae sedi reservatis, ac etiam litteris die coenae Domini legi solitis contentis, injungenda inde eis pro modo culpae poenitentia salutari, auctoritate nostra absolvendi, necnon altare portatile cum debitis reverentia et honora, si sibi expedire videbitur, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, etiam non sacris, missa per sacerdotes idoneos et approbatos celebrare possit in eodem exercitu concedendi. Ac etiam ecclesias, cappellas, et coemeteria quaelibet pollnta in illis partibus, aqua prius per aliquem catholicum Antistitem benedicta reconciliandi, et rebenedicendi, caeteraque in praemissis necessaria et opportuna gerendi, mandandi, et exequendi per easdam praesentes concedimus facultatem. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII. Junii anno XI.

LXXXIV.

Mittit Bernardinum Parisinum conventualem ad reformanda quaedam coenobia. Ibid. lib. unic. fol. 66.

Dilecto filio Bernardino Parisino de Bononia ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci professori.

CUpientes pro nostra pastoris universalis solicitudine felici directioni domorum, et fratrum minorum conventualium S. Francisci in statu et dominio dilecti filii nobilis viri Caroli Archiducis Austriae existentium prospicere, ut si quae reformatione indigeant, reformentur, religiosique ipsi qui a recto tramite deviaverint, ad debitam religionis normam revertentur, te de cujus fide, probitate, et catholicae religionis

zelo plurimum in Domino confidimus, visitatorem quarumcumque domorum, locorum, et membrorum praedicti ordinis minorum conventualium S. Francisci in statu et dominio ipsius Caroli Archiducis, ac in Colonien. Treviren. et Moguntin. dioecesibus consistentium apostolica auctoritate tenore praesentium facimus et deputamus, dantes tibi plenam et liberam facultatem domos, loca hujusmodi illorumque guardianos, officiales et fratres tam in capite, quam in membris visitandi et reformandi, et ubi regularis disciplina collapsa fuerit, restituendi, delinquentes repertos juxta eorum excessuum qualitatem et exigentiam, et regularia instituta canonicasque sanctiones corrigendi, castigandi, et puniendi; necnon quaecumque bona ad dictas domos et loca pertinentia male alienata per omnia opportuna remedia recuperandi, et ad praemissa brachii saecularis auxilium invocandi, earumque faciendi, mandandi et exequendi, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xxv. Augusti anno xi.

LXXXV.

Ut recipiant quamdam eleemosynam. Ibidem fol. 33.

Dilectis filiis ministro et professoribus ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. provinciae Marchiae.

Piis fidelium votis etc. Exponi siquidem nobis nuper fecistis, quod a duobus, vel circa quaedam vobis eleemosyna, ex qua domus ordinis vestri in loco *Montemaggio* Feretran. dioecesis quae inibi pro Dei servitio et animarum salute multum necessaria erat, fabricari posset pie clargita, et in manibus Syndaci dicti ordinis consignata, ac in fabricam dictae domus exposita fuit cum onere, quod pro tempore existentes dictae domus fratres singulo quoque mense unum officium mortuorum, et singulo quoque die unam missam pro anima illius, qui dictam eleemosynam dedit, celebrare tenerentur. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum quatenus vobis eleemosynam et domum praedictas recipiendi, licentiam concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, et religionis propagationem sinceris desideramus affectibus, vobis eleemosynam cum dicto onere recipiendi, et domum praedictas inhabitandi licentiam et facultatem auct. apost. ten. praes. concedimus, ac eidem domui et illius guardiano et fratribus pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, et indultis, quibus aliae domos dicti ordinis in genere vel in specie utuntur, potiuntur, et gaudent, uti, potiri, et gaudere possint ac debeant, eadem auctoritate de speciali gratia, dummodo cuiquam praejudicium exinde non inferatur, indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiii. Januarii anno x.

LXXXVI.

Largitur facultatem absolvendi, et dispensandi. Ex reg. Ultramont. tom. I. fol. 246.

Dilecto filio fratri Francisco Gonzaga totius ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia generali ministro.

VOlentes ut erga fratres et mooiales tibi subditas io iis praesertim, quae ad aoimarum suarum salutem pertioent te possis reddere gratiosum, tibi quoscumque fratres et moniales praedictos ln quibusvis orbis partibus tam Cismontanis, quam Ultramontanis commorantes, praeterquam io Italia et Hispaoia consisteotes, io omnibus casibus, in litteris in die coeoae Domini legi solitis, contentis, ab omoibus et siogulis sententils, censuris, et poeois ecclesiasticis quomodolibet per eos iocursis, si id a te humiliter petieriot, auctoritate nostra absolvendi et liberandi, oecnoo cum eis super irregularitate per ipsos occasione praemissorum quovis modo cootracta, dispensaodi, caeteraque lo praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exequeodi liberam per praeseotes concedimus facultatem. Noo obstaotibus constitotiooibus et ordioatiooibus apostolicis, ac dicti ordinis, et illius mooasteriorum etiam jurameoto, coofirmatiooe apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv. Martii anno x.

LXXXVII.

Fit coadjutor episcopi Arbensis. Ex Daniele Farlati in Yllyrico Sacro tom. v. pag. 272.

Dilecto filio Andreae electo episcopo Scardonen.

PErsonam tuam nobis et apostolicae sedi devotam, tuis exigeotibus meritis, paterna benevoleotia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportune. Cum itaque nos hodie ex certis caosis tuoc expressis te venerabili fratri nostro Blasio episcopo Arben., quoad vixerit, et ecclesiae Arbeo. praefuerit, coadjotorem perpetuum et irrevocabilem io regimine, et administratione ipsius ecclesiae Arben. in spiritualibus et temporalibus de fratrum nostrorum consilio, apostolica auctoritate constituerimus, et deputaverimus, recedente, vel decedeote dicto Blasio episcopo, et in certos alios tunc expressos eveotus, eidem ecclesiae de persona tua, de simili consilio, dicta auctoritate providerimus praeficiendo te illi io episcopum et pastorem, prout in nostris litteris desoper coofectis pleoius cootinetur. Nos tibi ut oous officii coadjutoris hujusmodi commodius supportare atque statum tuum, joxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicujus subventiooia auxilio providere ac prae-

Digitized by Google

missorum meritorum tuorum intuitu, specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, tibi trecenta scuta annua et ultra, in certis praediis vino, et fructu pecudum pro tui sustentatione a dilectis filiis communitate, et nonnullis civibus Arben. constituta et assignata, ac per ipsos communitatem et cives obligata, tibi per te etiam una cum dicta ecclesia Scardonen. etiam postquam munus consecrationis susceperis, percipienda, exigenda, et levanda, loco pensionis annuae, auctoritate apostolica tenore praesentium reservamus, constituimus, et assignamus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris patriarchae Venetiarum, et archiepiscopo Jadren. et episcopo Faren. per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, faciant auctoritate nostra te libera perceptione dictorum trecentorum scutorum, juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praedictarum continentiam, et tenorem, pacifice frui, et gaudere. Non permittentes etc. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae VI. idus Augusti anno XII.

LXXXVIII.

Urget reformationem conventualium in Gallia. Ex regest. Secret. Brevium lib. II. fol. 591.

Dilecto filio Gabrieli Castagna ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. professori.

EXposuit nobis dilectus filius noster Philippus tituli S. Sixti presbyter cardinalis Boncompagnus nuncupat. quod provinciae Ultramontanae dicti ordinis, cujus ipse Philippus cardinalis ad praesens protectoris officium gerit, et praesertim provinciarum Galliae propter pestem, quae inibi saepius grassata est, ac haereticos et temporum malitiam a multo tempore citra visitari non potuerint, ac dilectus filius Antonius Fera magister generalis dicti ordinis, cui in animo erat provincias praedictas personaliter visitandi, variis hic negotiis detentus, id per seipsum praestari nequeat, nobisque ut negotium hujusmodi tibi, quia alias ad illas partes profectus fuisti, quique ad id idoneus existis committeremus, significari fecerit. Nos de religionis zelo, ac tua in rebus agendis experientia plurimum in Domino confisi, te ad infrascripta visitatorem specialiter et expresse harum serie constituimus et deputamus, tibique ut omnia et singula dictarum provinciarum Galliae monasteria, domus, et loca dicti ordinis, tam in capite, quam in membris auctoritate nostra visitare, et quae juxta decreta concilii Tridentini, et dicti ordinis, praesertim fel. rec. Clementis VII. Pii IV. et Pii V. praedecessorum nostrorum constitutiones, ac tibi datam a Deo prudentiam in eis reformanda, corrigenda, mutanda, disponenda, et ordinanda duxeris reformare, corrigere, mutare, disponere, et ordinare, necnon sic reformata, mutata, et ordinata, et quidquid circa ea statueris, exequi, et perpetuo observari, ac contradictores quoslibet ac rebelles, et praemissis non parentes

per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione et reclamatione quibuscumque postpositis cogere, et compellere, aliaque desuper facere et exequi, quae necessaria et opportuna esse duxeris, libere et licite valeas, plenam et omnimodam licentiam et facultatem per praesentes concedimus et impartimur. Ceterum, ut praemissa facilius debitae executioni demandare valeas, carissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum Regem christianissimum, ac omnes illarum partium principes saeculares, et alios dominos, et magistratus temporales hortamur, requirimus, et rogamus, quatenus in praemissis omnem, quam potuerint, opem, et operam, ac favorem, et auxilium praestent, et impedientes poenis temporalibus afficiant; mandamus quoque venerab. fratri archiepiscopo Avenonien., et dilecto filio nostro, et Sedis Apostolicae apud dictum Henricum regem nuntio, quatenus tibi in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praemissa omnia debitae executioni demandari, nec permittant te desuper a quoquam molestari, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Junii anno xii.

LXXXIX.

Tribuit facultatem reassumendi, et cognoscendi causam. Ibidem fol. 944.

Dilecto filio nostro Carolo tituli S. Praxedis presbytero cardinali.

INtelleximus non sine animi nostri displicentia, quod licet olim dilecti filii universitas et homines oppidi Varalli Vallis Sicidae Novarien. dioecesis devotionis zelo accensi super montem dicto oppido proximum unum sepulchrum Varalli nuncupatum, unum eremitorium cum ecclesia sub invocatione S. Mariae Virginis construi et aedificari fecerint, ac ecclesiae et eremitorii hujusmodi usum nonnulli ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. professoribus eorum domo ibi contigua degentibus ad hoc dumtaxat, ut eidem ecclesiae in divinis deservirent, et inibi laudes Altissimo persolverent, salva tamen remanente administratione fabricae eremitorii et ecclesiae hujusmodi penes duos ad id per ipsos universitatem et homines ex primatibus et magis idoneis dicti oppidi, et annis singulis alternatim eligi solitos *Fabricerios* nuncupatos concesserint, ipsorumque fabriceriorum pro tempore existentium studio et opera, ac etiam nonnullorum nobilium ejusdem oppidi in id facultates suas erogantium subventione, et aliorum christifidelium ad dictum montem devotionis causa confluentium piis elargitionibus, ibidem sepulchrum ad similitudinem sepulchri Dominici, et una montis calvariae nuncupata, et aliae quamplures cappellae in quibus totius vitae et passionis Salvatoris nostri Jesu Christi mysteria singillatim designantur, extructa fuerint, et postmodum dictis fratribus eremitorium ipsum summa devotione, frequentiori piorum concursu, liberalioribusque elargitionibus in dies mirum in modum adauctis, administrationi fabricae hujusmodi se ingerere, eleemosynasque ibidem fidelium ad ipsum eremitorium devotione, concursu et munificentia in dies crescentibus pie erogatas, quas prius tenues negligebant intercipere, ac in suos

usus convertere satagentibus, nullisque illic residentibus episcopis, pro parte dictorum fratrum coram te adversus fabricerios praedictos querela proposita, tu negotio hujusmodi mature intellecto semel atque iterum modum in administratione dicte fabricae servandum praescripseris, et inter alia semel atque iterum statueris et ordinaveris, quod cura eleemosynarum hujusmodi ad dictos fabricerios pertineret, ipsique fratres, neque in illis, neque in fabricae, cappellis, et ministeriis praedictis se intromittere, nec aliquam capsulam propriam, praeterquam in eorum sacristia habere possent. Nos ad eorumdem fratrum instantiam, se possessione administrationis fabricae hujusmodi spoliatos conquerentium, discussionem praetensi spolii, et restitutionis ipsorum fratrum adversus illud circumspectioni tuae duxerimus committendam, nihilominus iidem fratres spolio hujusmodi et aliis eorum praetensionibus aliter non probatis, neque discussis, rursus in administratione eleemosynarum hujusmodi se ingerere, ipsosque fabricerios diversis molestiis lacessere praesumunt, unde fit, ut gravia scandala frequenter exoriantur, christifidelium devotio sensim refrigescat, peregrinorum concursus cesset, et fabricae suis eleemosynis defraudatae remaneant, et eleemosynae minuantur. Quare nuper universitas et homines praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum indemnitati in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ex pastoralis officii debito, scandalis et incommodis hujusmodi occurrere, ac lites et controversias praedictas tempestive coercere volentes, eidem circumspectioni tuae, de cujus eximia virtute, et probitate, et integritate ac justitiae aequitatisque cultu plenam in Domino fiduciam obtinentes, per praesentes committimus et mandamus, quatenus omnes et singulas lites, causas, et controversias hujusmodi reassumens, illas una cum incidentiis, dependentiis, emergentiis, annexis, et connexis suis universis summarie, simpliciter, et de plano ac sine strepitu, et figura judicis, sola facti veritate inspecta, ac alias arbitrio tuo, etiam ad nullius instantiam, auctoritate nostra adeas, cognoscas, decidas, fineque debito termines, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et opportuna facias, statuas, et ordines quidquid per te super his decisum, sententiatum, terminatum, factum, statutum, et ordinatum fuerit, sublatis quibuscumque appellationibus, impedimentis, omnique mora et dilatione postpositis, nullo alio a nobis expectato mandato, in omnibus et per omnia executioni demandari, ac per eos ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter similiter sub sententiis, censuris, et poenis arbitrio tuo imponendis, et applicandis aliisque juris et facti remediis observari facias, et provideas, fratribus ipsis desuper perpetuum silentium imponendo, super quibus omnibus, et singulis tibi plenam et omnimodam facultatem, et auctoritatem concedimus per praesentes. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxviii. Octobris anno xii.

XC.

Definit controversiam. Ex Bull. Caroli Cocquelines tom. iv. part. 4. pag. 38.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXposcit pastoralis officii munus, cui disponente Domino praesidemus, ut ad ea solicite intendamus, per quae discordiarum et litium, ac controversiarum quarumlibet, praesertim inter personas ecclesiasticas materia tollatur.

§. 1. Sane Nobis nuper innotuit, quod in multis civitatibus et dioecesibus diversarum mundi partium nonnullae lites, causae, et controversiae inter fratres mendicantes, aliae etiam similes lites, et controversiae inter confratres confraternitatum christifidelium, super praecedentia vel jure praecedendi ortae jam sint, et oriri facile possint.

§. 2. Nos considerantes lites, causas, et controversias hujusmodi in ecclesia, praesertim inter religiosas personas, quae relictis mundi vanitatibus famulatum, et votum suum in humilitatis spiritu Domino et Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humiliavit, ut formam servi acciperet, exhibere et persolvere profitentur, non modicam illi praeclarae, Deoque praecipuae dilectae virtuti, quae est humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicaeque religionis tranquillitati, ac ministrorum ecclesiasticorum reconciliationi, et mutuae dilectioni quamprimum consulendum esse rati, ac supremam huic negotio manum apponere volentes, necnon causas, lites, seu controversias hujusmodi ubilibet, et coram quibusvis judicibus motas, et in quibusvis instantiis indecisas pendentes ab eisdem judicibus harum serie ad nos advocantes, illasque penitus extinquentes, eisdemque fratribus mendicantibus, ac confratribus super praemissis perpetuum silentium imponentes.

§. 3. De nobis attributae potestatis plenitudine volumus, et apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis fratribus mendicantibus inter se de praecedentia hujusmodi contendentibus, aut confratribus confraternitatum praedictarum, inter quos lites, et causae praemissorum occasione ortae jam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae ac juris praecedendi sunt, ii (quibuscumque reclamationibus, potestationibus, appellationibus, et aliis subterfugiis prorsus remotis, et cessantibus, et postpositis) in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae hujusmodi inter fratres quidem mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiae, inter confratres vero inter se litigantes ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant, ita ut si contigerit nova monasteria, aut domus alicujus ordinis mendicantium in loco, in quo alterius ordinis ex dictis mendicantibus monasteria aut domus prius erecta, et instituta sint, ille ordo, qui prius monasterium, seu domum in loco habuerit, praecedat.

§. 4. Praeterea quia inter praedictos ordines plerumque alia in processionibus, et alia in Conciliis generalibus, et aliis actibus publicis

sive privatis, ratio circa modum praecedendi servatur, oolumus per praeseotes praerogativis dictornm ordinum, quoad praecedentias hujusmodi, quae propriis ordioibus, praeterquam io processionibus praedictis debeotur, aut fratribus capucinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub cooveotualium S. Francisci, ant minorum de observantia fratrum noncupatorum, cruce, ut solent, incedere possint, aliquod praejudicium geoerari.

§. 5. Sicque per quoscumque judices etc.

§. 6. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcnm die xxv. Julii anno xii.

XCI.

Jubet servari suorum praedecessorum constitutiones circa oblationem quorumdam eleemosynarum. Ex reg. Secret. Brev. lib. unic. fol. 306.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet alias per fel. rec. Nicolaum IV. Nicolaum V. Calixtum III. Pium II. Leonem X. ac alios Rom. Pontifices praedecessores oostros statutum et ordioatum fuerit in perpetuum, quod omnes pecuniae a christifidelibus in cappella B. Mariae de Angelis ordinis minorum Asisinat. oblatae per deputatos a ministro provinciae et custode domus S. Francisci Asisinat. colligereotur, ac in reparationem et conservationem ecclesiae ejusdem S. Francisci, necnon fratrum ibidem pro tempore degentium, et eo advenientium sustentationem convertereotur, nihilominos snperioribus mensibus cum dilecti filii fratres domus S. Mariae de Angelis praedictae nobis supplicari fecissent, ut eleemosyoas praedictas eis concedere dignaremur, nos praemissorum ignari eis oretenus concessimus, ut nnam capsulam pro colligendis eleemosynis in dicta cappella ponere possent; ipsi vero sicut accepimus, concessionis oostrae modum excedentes, praesertim cum mentis uostrae non fuerit privare dictam ecclesiam S. Francisci solitis eleemosynis, nec tam grave praejudicium illi ioferre, majorem partem eleemosynarum quae in dicta cappella offerri solebant, apposita ibi capsa, in quam omnes pecuniae, quae in dictam cappellam mittebaotur, deciderent, monentesque etiam populum, ut eleemosynas non in cappellam sed in capsam praedictam mittereot, ac aliis modis sibi usurpare tentarunt; et exinde inter ipsos ac fratres dictae domus S. Francisci cootentiones et discordiae cum magno populi scaodalo suot exortae, majoraque scandala in futurum exoriri posseot, nisi eis matnre occurratur. Qnapropter nos qui preces tacita veritate porrectas effectum nullatenus sortiri debere censemus, privilegia, et jura ecclesiae ac domus S. Francisci hujusmodi illaesa conservare aliasque in praemissis opportune providere volentes, motu proprio, et ex certa nostra scientia coocessionem et applicationem omnium et quarumcumque eleemosynarum in dicta cappella pro tempore oblatarum, a predictis et quibuscumque aliis Rom. Pontificibus praedecessoribus nostris pro reparatione et conservatione dictarum ecclesiae et domus S. Francisci, ac susteotatione fratrum ibidem pro tempore commorantium, et eo advenientium factas, necnoo statuta, et ordinationes de eleemosynis praedictis, ut praefertur, colligendis, erogaodis, seu convertendis, ac litteras desuper

editas illorum omnium tenores et datas, ac si ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, tenore praesentium confirmamus, approbamus, et innovamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus; concessionemque per nos dictis fratribus domus B. Mariae de Angelis in praejudicium praemissorum, ut praefertur, factam expresse revocamus et annullamus; districtius inhibentes sub indignationis nostrae poena universis et singulis guardiano et fratribus domus B. Mariae de Angelis praefatorum, ac quibuscumque aliis, ne posthac ullam capsulam, vel aliud quodcumque vas pro colligendis eleemosynis vel pecuniis in dicta cappella, nec juxta illam teneantur, neque in collectione pecuniarum dictae cappellae pro tempore oblatarum, vel in eam impositarum ullo modo se ingerant, vel intromittant, sed ipsae pecuniae a deputatis praefatis, sicut consuetum est colligantur, sicque collectae in reparationem et conservationem dictarum ecclesiae ac domus S. Francisci fratrumque ibi commorantium, et adventantium sustentationem erogantur, sicut a praefatis Rom. Pontificibus praedecessoribus nostris praescriptum est. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Asisinat. et Fulginat. episcopis, seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra custodem et fratres S. Francisci hujusmodi praemissis omnibus et singulis juxta tenorem praesentium pacifice frui, et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet etc. Non obstantibus concessione nostra praedicta, necnon quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis ecclesiae ac domui B. Mariae de Angelis praefatae, illiusque guardiano et fratribus ac ordini minorum de observantia nuncupat. illiusque superioribus et personis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die viii. Novembris anno xii.

XCII.

Indulgentiae pro ecclesiis et oratoriis sacri montis Alverniae. Ibidem lib. ii. fol. 700.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcra Montis Alverniae loca, quae in B. Francisci, qui in illam solitudinem, ut divinis severiorum vacaret obsequiis, secesserat, honorem pia fidelium religione Deo dicata sunt, majori cum devotione et animarum fructu frequentari desiderantes, illa spiritualibus de thesauro ecclesiae muneribus decoramus, ut ipsi christifideles eadem loca libentius obeant, et Deum in sancto suo colentes, ejusdem Sancti suffragiis adjuvari, et peccatorum suorum veniam per bonorum operum exercitium ab ipso Deo misericordiarum parente facilius impetrare mereantur. Hinc est quod Nos precibus etiam dilecti filii nostri Gabrielis tituli S. Mar-

Digitized by Google

tini in Montibus presbyteri cardinalis Paleotti nuncupati metropolitanae ecclesiae Bononien. praesulis, qui ad nos Bononia proficiscens dicta sancta loca devotionis zelo visitavit, Nobis in hac parte humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis christifidelibus, qui poenitentes et confessi dicti montis Alverniae infrascriptas ecclesias et loca singulis diebus devote visitaverint, et ibidem preces effundendo, ecclesiam videlicet majorem quinque annos, cappellam Stigmatum quatuor annos, secundam cellulam ubi B. Franciscus dicitur quadraginta diebus jejunasse duos annos, oratorium S. Bonaventurae unum annum, oratorium novum in Monte etiam unum annum, ecclesiam parvam ad portam centum dies, oratorium S. Sebastiani ducentos dies, oratorium S. Antonii de Padua centum dies, oratorium primae cellulae centum dies, ecclesiam S. Mariae Majoris centum dies, cryptam seu caveam ducentos, oratorium ejusdem S. Francisci ducentos, cappellam Fagi etiam ducentos, cellam B. Joannis ducentos, cappellam novam in porticu, quo itur ad sacra stigmata centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino perpetuo relaxamus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII. Januarii anno XI.

XCIII.

Ut recipiant domum et ecclesiam Constantinopolitanam. Ex Quaresimo in historia Terrae Sanctae tom. I. pag. 424.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus Jerosolymitan. ordinis minorum de observantia.

Cum sicut nobis nuper exponi fecistis, vos desiderantes aliquem locum vestri ordinis prope Constantinopolim accipere, in quo tres, aut quatuor, aut plures fratres vestri ordinis commorarentur, qui in curia Turcarum imperatoris comparere, seque coram oratoribus principum christianorum apud ipsum Turcarum imperatorem pro tempore existentibus, pro negotiis Terrae Sanctae ibi pertractandis praesentare, ac sacramenta ecclesiastica pauperibus mancipiis, et aliis christifidelibus ibi existentibus ministrare possent, ecclesiam quamdam parvam B. Mariae de Drappe nuncupatam, ruinosam, et jam ad usum stabuli animalium redactam, in burgo, seu suburbio Perae prope Constantinopolim positam, a quadam nobili muliere christiana, quae illam tamquam rem propriam possidebat, perpetuo pro usu et habitatione dictorum fratrum praedicti ordinis ad effectum praemissorum praefato ordini donatam et concessam receperitis, eamque resarcire et restaurare curaveritis, jamque aliquos fratres in eam ad effectum praemissum introduxeritis, ac donationem, concessionem, et receptionem hujusmodi a Nobis pro firmiori illarum subsistentia, nostro et sedis apostolicae munimine roborari cupiatis, nobisque humiliter supplicari fecistis, ut in praemissis alias opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur uberes fructus, quos assidue ordo vester in agro Domini profert, ac divinum cultum, et praecipue in illis partibus augeri potissimum

temporibus sioceris affectibus exoptamus, vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommuoicationis etc. absnlntos fore ceosentes, hujusmodi supplicationibus inclinati donationem, concessionem, et receptionem ecclesiae hojusmodi, ut praemittitor, factas, praes. ten. approbamos, et confirmamus, omnesque et singulns tam juris qoam facti defectus, si qui interveoeriot, in iisdem supplemus, vobisque ut in eadem ecclesia et dnmo prnpe illam aedificata, seu aedificanda, tres aut quatuor pluresve dicti nrdinis vestri professos fratres, ad effectum praemissorum retinere, qui inibi sub regulari observaotia, necoon humilitatis spiritu Altissimo famulentur, ac sub deputatione, amotiooe, obedientia, correctione, et visitatione tui et pro tempore existentis guardiani domus Jerosolymitaoae praedicti ordinis, juxta illius iostituta remaneant, valeatis, dooec aliud per ministrum generalem vestri ordinis fuerit ordinatum. Ipsisque fratribus ecclesiam ac domum prope illam constitutam, sive constituendam perpetuo inhabitandi, ad effectum praemissorum, liberam licentiam auctoritate et teoore praeseotis concedimus, eisdemque fratribus ibidem pro tempore degeotibus, quod nmnibus et singulis privilegiis, praerogativis, libertatibus, immuoitatibus, exemptionibus, indultis et gratiis, quibus aliae dnmus fratrum hujusmodi de jure vel consuetudioe, aut alias quomodnlibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudeot, uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite valeant dicta auctoritate indulgemus. Non obstaotibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die viii. Martii aono xiii.

XCIV.

Jubet, ne removeatur ab officio rectoris. Ex reg. Secret. Brevium libro hujus anoi fol. 385.

Dilecto filio commissario ac custodi custodiae Orientalis S. Thomae Apostoli ordinis fratrum minorum de observantia.

JUstia et gravibus causis adducti per praeseotes tibi committimus, et mandamus, ut io primo capitulo tui ordinis istic celebraodo, vel prius si vacatio cootiogat, fratrem Franciscum de S. Maria collegii, quod situm est in montibus episcopatus Cochinensis auctoritate nostra rectorem instituas, nec ab hujusmodi nfficio eum removeas, aut removere sinas, nisi habita mioistri vestri generalis, qui pro tempore fuerit expressa licentia. Ita igitur mandatum hnc nostrum exequi stude, ut fidem ac diligentiam toam io Domino laudare pnssimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxix. Decembris aooo xiii.

XCV.

Applicat quaedam bona pro refectione conventus. Ibidem fol. 193.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper feceruot dilecti filii guardiaous et fratres domus Carpentoracteo. ordinis fratrum mionrum de observantia nuocupat. quod alias bona quoodam Claudii Brasson Carpentoracten. propter non-

Digitized by Google

nulla ejus demerita, et delicta camerae apostolicae confiscata, et in manibus ministrorum ejusdem camerae sequestrata fuerant, et fabrica dictae domus, quae jamdudum in civitate nostra Carpentoracten. ad divini cultus augmentum, et ipsius civitatis decorem incoepta est, refrigescente populi devotione perfici non potest, nisi de alicujus subventionis auxilio illi provideatur. Quare pro parte dictorum guardiani et fratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur guardianum et fratres praedictos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon dictorum bonorum qualitates, quantitates, et valores praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi, ac venerab. fratris episcopi Cavalliceu. supplicationibus hac in parte inclinati, omnia et singula bona dicti Claudii, ut praefertur, confiscata, eidem fabricae apost. auct. ten. praes. donamus, applicamus, et incorporamus, ita quod liceat eisdem guardiano et fratribus possessionem eorumdem bonorum propria auctoritate libere apprachendere, et illa in dictae fabricae usus convertere, nullius etiam ordinarii loci ad hoc requisita licentia. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die v. Octobris anno XIII.

XCVI.

Dispensat a rigore regulae. Ex regest. Ultramont. tom. I. fol. 255.

Dilecto filio Francisco Gonzaga ministro generali ordinis fratrum minorum.

Significasti nobis quod dilecta in Christo filia Margarita ab Austria monialis novitia monasterii monialium excalceatarum oppidi Matritii ordinis S. Clarae Toletan. dioecesis professionem in eo emittere, seque quatuor essentialibus votis primae S. Clarae predictae regulae omnino astringere exoptat, tu vero times ne illa delicate hucusque enutrita rigorique disciplinae regularis nondum assueta, quaecumque ab aliis observari solita neque praestare possit, verum si illa lenius tractaretur, famulatus quem Domino obtulit, ibi perpetuus sperari possit. Quare nos tibi facultatem tribuimus quemadmodum tibi visum fuerit expedire, licentiam ei concedas, quibuslibet a regula praedicta prohibitis vescendi, linea indusia calceosque induendi; et si quae ei lagata, aut eleemosynae a carissimo in Christo filio Philippo Hispaniarum rege, et imperatrice illius matre interim tradentur, aut etiam relinquentur, per superiores, quo tu statueris modo accipiendi, eisque pro alimentis tantum utendi. Volumus autem baec ita discrete agi, ne aliae moniales propterea offensionem patiantur, et nihilominus dictae Margaritae permittas, ut professionem emittere seque addictae primae regulae ejusdem S. Clarae observantiam adstringere valeat, declarantes eam omnibus dignitatibus, honoribus, muneribus, et praeminentiis, quibus aliae ejusdem monasterii moniales frui et gaudere posse, ac mandantes in virtute sanctae obedientiae dictis in Chriso filiabus abbatissae, seu priorissae et conventui ipsius monasterii, et aliis ad quos spectat, ut illam ad dictam professionem admittant, et admissam habeant pro vera moniali professa. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII. Novembris anno XIII.

XCVII.

Hortatur electores capituli generalis patrum conventualium Ex reg. Secret. Brevium lib. III. fol. 209.

Dilectis filiis universis fratribus ordinis minorum conventualium in capitulo generali Bononiae congregatis.

ETsi pro officii nostri debito ac pro ea qua praediti estis virtute et pietate in electione magistri generalis ordinis vestri omnibus vestris privatis commodis, et affectibus sepositis, ad Dei tantum gloriam et honorem ac vestri ordinis felix regimen reformationem et profectum respicientes vos esse processuros existimamus, tamen paterna nostra in vos ipsumque ordinem, ex quo uberes admodum fructus ecclesiae Dei hactenus emanaturi sperantur, charitas facit, ut propensioni vestrae pastoralis etiam nostrae solicitudinis stimulos adjiciamus. Hortamur itaque devotiones vestras plurimum in Domino, atque etiam sub divini judicii interminatione monemus, ut amore, odio, invidia, ac propriae utilitatis spe, et aliis quibusvis humanis affectibus posthabitis, sicuti religiosos et fidei catholicae studiosos decet, solum Deum prae oculis habentes, illum ex vobis in magistrum generalem eligatis, qui vitae immaculatae innocentia, morum integritate, prudentia, doctrina, experientia, et orthodoxae religionis studio caeteris praestans, ordinem ipsum sciat et velit adjutore Domino feliciter regere, et laudabiliter administrare. Scituri vos hoc facto ab ipso Deo bonorum operum retributore condignum proemium, a nobis vero meritam laudem esse adepturos.
Datum Romae apud S. Petrum die IV. Maii anno XII.

XCVIII.

Revocat facultates ingrediendi monasteria monialium. Ex Bullario Roderici tom. 2. pag. 501.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUae sanctimonialium quietem, et tranquillitatem perturbare, illarumque mentes a spiritualibus studiis avocare noscuntur, nostra nos decet consideratione amovere. Cum igitur post Tridentini concilii decretum, de non ingrediendo monialium monasteria, et revocationem a nobis factam omnium et quarumcumque licentiarum ingrediendi monasteria domus et loca monialium quorumvis ordinum, quibuscumque, et quo, rumvis contemplatione, ac quomodocumque concessarum importunis multorum precibus, aliquas hujusmodi licentiarum (praesertim in Hispaniarum regnis) restituerimus, alias quoque nove concesserimus: quarum causa (ut piorum virorum relatione intelleximus) et ex frequentibus saecularium mulierum visitationibus, et colloquiis, devotio in dictis monasteriis et locis tepescit, debitaque in claustris ministeria paulatim remittentur. Quare nos his incommodis providere volentes, auctoritate praesentium revocamus, et abolemus omnes et quascumque licentias, facultates, et indulta ingrediendi monasteria, domus et loca monialium

in dictis regnis, et dominiis consistentia, cujuscumque status, et conditionis mulieribus praeterquam ipsorum monasteriorum, domorum, et locorum fundatricibus, aut dotatricibus, seu altricibus, necnon marchionum, comitum, ducum, et superioris gradus principum conjugibus eorumque filiabus, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, supplicatione, vel ad instantiam imperatoris, regum, reginarum, aliorumve principum, seu etiam motu proprio, vel ex certa scientia concessa, restituta, et innovata, quibuscumque concepta formulis, necnon revocativis, annullativis, restrictivis, mentis abtestativis, derogatoriarum derogativis, irritativis, aliisque clausulis et decretis communita. Cassamusque et annullamus litteras omnes desuper confectas, necnon processus habitos per easdem, et inde omne sequutum ac praecipue et interdicimus eisdem mulieribus facultates, et indulta hujusmodi habentibus, ne illorum praetextu, monasteria, domos, et loca praedicta amplius ingredi. Abbatissis vero, ac priorissis, et aliis praesidentibus dictorum monasteriorum, domorum, et locorum, earumque superioribus et personis, ne eas illa deinceps ingredi permittant. Qui secus fecerint, excommunicationis sententiam incurrant, a qua nemo, nisi in mortis articulo constitutus ab alio, quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Ac praeterea superiores praedicti id permittentes, sint obtentis omnibus beneficiis, dignitatibus, et officiis privati, et ad futura inhabiles eo ipso. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die VIII. Septembris anno XIII.

XCVIII.

Ut possit transire per viridiarium conventus. Ex regest. Secret. Brevium lib. III. fol. 176.

Vener. fratri episcopo Mantuan. seu dilecto filio ejus vicario in spiritualibus generali.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Ferrantes marchio terrae Castillioni Brixien. quod ipse quamdam habitationem supra fontem conventus ruralis S. Mariae fratrum ordinis minorum de observantia prope et extra dictam terram construi fecit, ut quandoque ea devotione ad recreandam aegritudinem podagrae, quae assidue fere detinetur, frui valent, cupit dilectam in Christo filiam Paulam marchionissam ejus conjugem quando ibi fuerit eadem commoditate uti et gaudere posse ingrediendo per unum ex duobus viridiariis dicti conventus absque eo, quod transeat per portam ipsorum fratrum, aut quod eorum claustra tangat, et nisi magno cum incommodo per aliam viam illuc ab ipsa Paula iri nequeat. Quare nobis humiliter supplicari fecit idem Ferrantes marchio quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur honesto desiderio ipsius Ferrantes marchionis quantum cum Deo possumus annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac de praemissis certam notitiam non habentes, tibi per praesentes mandamus, quatenus locum ipsum inspicias, et si tibi videbitur, quod scandalum aliquod exinde minime oriri possit, super quo coscientiam tuam oneramus, eidem Paulae marchionissae, et quando voluerit, de consensu tamen dictorum fratrum, ad habitationes

praedictas per unum ex dictis viridiariis, prout melius esse cognoveris, accedere queat, auctoritate nostra concedas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die x. Septembris anno xiii.

C.

Concedit Indulgentias Ibidem fol. 70.

Dilecto filio nobili viro Carolo a Lotharingia duci Humaliae.

Cupientes spiritnali tuae consolationi quantum cum Deo possumus consulere, tuisque familiaribus et domesticis, quadragesimalibus et aliis anni temporibus et diebus stationum ecclesiarum almae Urbis, et extra illius muros septem altaria a te in ecclesia domus ordinis fratrum minorum de observantia castri tui Enneti Carnoten. dioecesis nominanda devote visitando, precesque ad Deum pro sanctae romanae et universalis ecclesiae catholicae conservatione, et salubri directione, paceque inter christianos principes confoveuda et alias, prout cuique suggeret devotio pie effundendo, omnes et quascumque indulgentias consequaris et consequantur, quas consequereris et consequerentur si eisdem temporibus et diebus singulas ecclesias dictae urbis et extra illius muros hujusmodi pro iisdem stationum indulgentiis consequendis deputatus personaliter visitasses et visitassent, misericorditer in Domino concedimus, contrariis non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die viii. Augusti anno xiii.

Nota. *Ne annalium volumen nimium excresceret, non omnia et singula, quae ex Secretariae Brevium regesto excripsimus, typis mandavimus; inedita tamen penes me asservantur. Caetera vero quae ad PP. ordinis minorum Capucinorum spectant, videri poterunt in Bullario ejusdem ordinis a P. Michaele de Tugio confecto.*

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

RERUM NOTABILIUM

NOTAE ARABICAE PAGINAM
ROMANAE PARAGRAPHUM DENOTANT.

A

Digitized by Google

Digitized by Google

C

G

H

J

L

M

Digitized by Google

Digitized by Google

N

R

S

Digitized by Google

T

Digitized by Google

INDEX REGESTI

FINIS TOMI VIGESIMIPRIMI

Principaliora menda notamus; alia aequo lectorum emendanda judicio relinquimus.

Pag. 2. linea 38. regis sui — *lege* regni sui. *Pag.* 12. 4. reperetur — raperetur. *Pag.* 40. 34. diversi — diversis. *Pag.* 41. 46. cupidum — cubitum. *Pag.* 78. 32. Regiae — Reginae. *Pag.* 119. 40. minoritium — minoritieum. *Pag.* 139. 43. mens — meus. *Pag.* 176. 34. appenderat — appenderant. *Pag.* 204. 6. monasterium — monasteriorum. *Pag.* 213. 21. audiendibusque — audiendisque. *Pag.* 216. 11. praedicationis — praedictionis. *Pag.* 221. 23. sua — sua pecunia. *Pag.* 238. 41. Franciscus — Francisco — consilio — consilium. *Pag.* 236. 1. principium — principum. *Pag.* 244. 38. dictionis — ditionis. *Pag.* 267. 7. uti — ubi. *Pag.* 279. 35. residuus — residuum. *Pag.* 434. 42. Hermaniam — Germaniam. *Pag.* 453. 38. Franciscus et Antonius — Franciscum et Antonium.

Digitized by Google